
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 — B
27

DISPVTATIONES
DE GENERAT. ET CORRVPT.
AD MENTEM SCOTI,

Cuius doctrina adhuc magis elucidatur, defenditur, roboratur.

Opera, & industria

R. P. ILLVMINATI A COLLISANO

Capuccini.

Cum resolutione aliquorum dubiorum ad libros de Cœlo, & Meteoris spectantium.

Quib. additur disputatio Meth. de Principio Indiuiduationis.

EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI MALVAGNÆ

DICATÆ.






NEAPOLI, Apud Andream Colicchia. MDCLXXII.

Superiorum permissu.

Della Libreria de Cappni di Riano



ILLVSTRISS.[MO] AC EXCELLENTISS.[MO]

DOMINO

DON PETRO LANCEA

DE CASTELLO MAYNARDO MALVAGNÆ Principi, Domino, & Baroni Baroniæ, & Terræ Moij, & Baroniarum Pittari, & Aquæ frigidæ, &c.

P. ILLVMINATVS ODDVS A COLLISANO, *D. D. D.*



Vlta post lapsa temporis spatia, quòd diuturnis laboribus, intensisque studijs, præsens composui opusculum, haud equidem minus meum relassauit ingenium, quem sorte inuenirem Virum, sub cuius tutissima Clientèla, dicata Operis tenuitas, dum per varias oculorum legẽtium vndas fluctuaret, egregiè tueri, ac incolumis euadere possit

posſit. At quem Virum? illum ſanè, cui hæc duo præcipua ſunt, Valor ſcilicèt, & Amor. Quid .n. valor, & Authoritas Clienti proficeret, ſi in Patrono deficeret Amor? Et quid ſolus Amor, ſi deeſſet Valor? vterque neceſſarius, nè ſpes Clientis fruſtra, & incaſſa remaneat. At en præ omnibus tua Domine Excellentiſſime ſtemmata eminenti, ac ſublimi in loco, veluti caput ſuper omnia corporis mēbra præfulgentiſsimis Lanceæ Familiæ ſplendoribus vndequaq; fulgētia perluſtrantis lumina feriunt, obtutum omnem ſurripiunt, & tantæ nobilitatis nitidiſsimi fulgoris copia, dum allucinantur oculi, intellectus illuſtratur acumen, & clariſsimæ tuæ ſtirpis ſeriem paſsim mente percurrens, quē ſedulò quæſiui inclitum Virum, Te tandem omni laude digniſsimum, mea ſorte inueni; cuius præconia ſi ab ipſius prima fontis clariſsima origine prælibare auderem, aut nunquam finem facerem, aut ſaltem non nuncupatoriam præluſionem, ſed magna volumina explere oporteret. Sed vnde tuæ altiſsimum nobilitatis Oceanum, in quem tuorum omnium maiorum grauida laudum flumina conuenerunt prælibare potero? Ab mergor, omnes .n. tui Prædeceſſores tam maximis, ac prope paribus abundant ornamentis, vt de quo primò ſcribam, certè neſciam. Blanca tamen primum obtinet locum Friderici Imperatoris vxor, & primi hoc nomine Siciliæ Regis, non minus formæ, quàm generis laude conſpicua, cuius Pater fuit Galuanus Lancea, qui inter ſtrenuos illos Inſubriæ Marchiones vnus fuit. Sed quòd etiam hæc nobiliſſima Proſapia ex Bauariæ Ducibus originem trahat, litteraria veterum monumenta perſonant. Hinc quia primo ſanguine

Regi-

Regibus coniuncti erant, pro ipsis vitam fundere, vbi opus erat satagerunt, & iam peritura Regum sceptra, ac Vrbes casuras eoram armis præseruatas fuisse, in annalibus memoria prodita est. Inde meritò per amplis muneribus, atque honoribus maximis aucti, plurima oppida, & castra ditione possederunt, nempè gradus Cancellarij, Iustitiarij, Mareschalli, & Præsidis non semel in Regno Florentissimo Siciliæ, & Neapolis; Item, & triremium, terrestrisque exercitus primarij Ducis, Vicarij Generalis, Magistri rationum, legationis ad Pontifices, & aliorum compluriuin, quæ Solis Magnatibus reseruantur. Fridericus Lancea Squillaci Comitatu in Calabria potitus est. Petrus Lancea Artali de Alagona Nari Castrum doti dedit, & Ioanni de Aragonia Infanti Friderici II. Regis Filio, cum quo Filiam suam Cæsaream in matrimonium collocauit, Caltanissettæ Comitatum præbuit. Coraddus Lancea Mongellini Oppidi Dominus fuit. Nicolaus Lancea sub Petro II. Rege Siciliæ Præses creatus est. Vides tam Excellentissime Princeps Maiores tuos, vides vndè originem trahas, isti .n. celebratissimi viri, Clarissimam Lancearum Familiam in hoc Regno propagarunt; vbi cum titulis Castra plurima possederunt, nimirum Comitatus Buteræ, Caltanissettæ, Montismellis, & Summatini; Ducatum Camastrii ac Principatus Maluagnæ, & Trabiæ, cū Castrorum, Terarrumq; Baronijs Moij, Mottæ camastræ, Ficarræ, Galati, Pilanij, Broli, Paternionis, Nari, Longi, Xurthini, Bonpinserij, Damisæ, Sinacræ, S. Philippi, Castaniæ, & Aliorū, quos longum esset recensere. Et quidem nullam dixerim in Orbe firmiorem, quàm

percellentem Lancearum Familiam, quæ non modò fortunæ impetus elusit, sed contra tot Sæculorum incursus stetit inuicta. Scit quicumque Italicas nouit historias hanc Clarissimam stirpem, siue antiquitate originis, siue titulorum splendore, siue amplitudine Ditionum inter principes Italiæ familias, nulli esse secundam. En Potestas, Authoritas, & Valor, quem in Patrono petebam. Sed deficit fortè Amor? Non potest in humanissimo Pectore suauitas, & Amor non fragrari. Quis dicere valeat, quanta deuotione, & beneuolentia quadam hæreditaria, Religionem meam seraphicam fuerit hæc clarissima Prosapia prosequuta? Conspice nobilissime Heros, dignissimos tuos Progenitores, Auos, Proauos, Atauos, & vltra, & inuenies vsque ab infantia nascentis Religionis eos omnes esse cum ea Amore incredibili coniunctos. At non degenerasti, sicut .n. nihil non dignum agis, ità Heroum tuorum dotes, ac decora refers: & genuino affectu præditus, naturali quadã Sympathia Religionis humilem, & abiectum habitum, animo tuo candido, deuoto, propenso, libenter amplecteris, veneraris, osculäris. Cognouerunt nostri de tuis, & euidentius nos de te, quanta prodiga benignitate pauperum Religiosorum egestatibus consulis. Heroicæ rarum perfectionis exemplar. Magna sunt igitur Originis tuæ decora, & plæclara quidem, sed animi tui ornamentis quid clarius? Scio indolem tuam modestiæ amantissimam, ideoque recensere nequeo specialem animi tui pietatem, regiminis singularem prudentiam, intaminatam pectoris integritatem. Vir ità prouidus, vt futuri semper præscius videaris, animo excelso, infracto, in-

uicto,

uicto, & ità de Ciuibus, & subditis tuis benemereri cupidus, vt si opportunitas foret, non dubitares tuo periculo illorum incolumitati consulere, vnde est vt te omnes maximi faciant, vnicè diligant, honorent, obseruent. Satis, Tùm ne sim tantæ modestiæ molestus, Tùm quia gloriæ tuæ plectro sunt meliore canendæ. Patere eia magnanime Princeps, in tuam me tutelam recipere, patere tui nominis Patrocinio opusculum hoc munire, vt tanti viri protectione suffultum, Aduersariorum ictus non sentiat. Interim ego maiori qua possim animi submissione, vt quàm diutissimè viuas tibi, & nobis, Deum incessanter exoro.

LECTORI

LECTORI.

QVA intentione præſentes diſputationes continuauerim Benigniſſime Lector, è prioribus libris didiciſti; meus .n. Scopus non eſt intellectus oſtentationem prætendere, ſed aliqualem Religionis ſtudentibus vtilitatem afferre; ac proinde eodẽ ſtylo, methodo, facilitate, ac claritate qua potero maiori, ſemper procedã. Sum cũ Scoto, non ex affectu ad Religionem, ſed ad veritatem, à qua non ſum receſſurus, niſi clarius lumen illuceat, promptus ab vnoquoque doceri, ſi penès ipſum veritatem reperiam. Et eadem ratione inter alios Scotiſtas Maſtrio, & Belluto magis adhæreo, qui omnium iudicio, etiam Exterorũ verius, & perfectius inter omnes Expoſitores Subtiliſſimi mentem perceperunt. Stultus eſſem, & indignus ſi veritas effulgeret, & præmonſtrantem non audirem, nunquam .n. in verba Magiſtri iuraui. Si quis vrgentioribus rationibus occurrat, gratias habebo, quòd caliginem depellens, nouum lumen diſpenſet; quid .n. mihi magis in votis, quàm intellectũ ad veram rerum ideam componere? has igitur pro modo lubricationes conſueta benignitate excipe, quòd ſi Domino placuerit, alias circa libros de Anima videbis. Interim vale, & pro me Deum ardenter exora.

APPRO-

APPROBATIO

R. P. IOANNIS MARIÆ A IERACIO Diffinitoris, ac Sacræ Theologiæ Prælectoris.

DE mandato Adm. R. P. Bonauenturæ à Recineto Procuratoris, ac Vicarij Generalis totius Ordinis nostri, attẽtius legi, & summa cõsolatione perlegi Opus, quod inscribitur: *Disputationes de Generatione, & Corruptione, cum resolutione aliquorum Dubiorum ad Libros de Cœlo, & Meteoris spectantium, ad mentem Scoti, &c.* à R. P. Illuminato à Collisano, maxima cũ argutia tanti ingenij digna compositum, egregium Opus Æterna planè generatione dignum, & vnquam corruptioni obnoxium. Nouum quoddam Cœlum prospexi, in quo lucidissima Scoticarum speculationum Sydera, omnium beneficio mirabili modo refulgent: bonis moribus, & Catholicæ Fidei valde consonum; Ideoque vt Typis mandetur necessarium puto, ne Sapientiæ amatores tanto bono priuentur. Datum Messanæ 12. Ianuarij. 1671.

APPROBATIO

R. P. CHERVBINI ALIENSIS, Sacræ Theologiæ Prælectoris, ac Diffinitoris.

OPus inscriptum: *Disputationes de Generratione, & Corruptione, cum resolutione aliquorum Dubiorum ad libros de Cœlo, & Meteoris spectantium ad mentem Scoti, &c.* à R. P. Illuminato à Collisano Capuccino maxima eruditione elubricatum, ex mandato Adm. R. P. Bonauenturæ à Recineto totius Ordinis nostri Vicarij Generalis, ac Romanæ Curiæ Procuratoris, maiori qua potui solertia introspexi; & nihil Orthodoxæ Fidei, probisque moribus in eo dissonum inueniens, imò plurima, quæ Authoris ingenium, Claritatem, facilitatem, ac suauitatem in docendo commendant reperiens, dignum, & prælo, & æternitate dijudico. Datum Messanæ 10. Ianuarij. 1671.

Facultas Imprimendi.

ADM. R. P. VICARII GENERALIS.

NOS FR. BONAVENTVRA A RECINETO, Procurator, & Vicarius Generalis Fratum Minorum S. Francisci Capuccinorũ &c. Opus, quod inscribitur: *Disputationes de Generatione, & Corruptione ad mentem Scoti &c. cũ resolutione aliquorũ Dubiorum ad libros de Cœlo, & Meteoris spectantium, Opera & industria R.P. Illuminati à Collisano Capuccini*, recognosci curauimus per duos nostri Ordinis Theologos, qui cùm nihil in eo se reperisse testati fuerint Fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium; Ideo vt imprimatur, Seruatis de cætero seruandis, facultatem damus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ x. Aprilis. 1671.

Frater Bonauentura, qui supra &c.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, ET ARTICVLORVM,
Qui in his Libris continentur.

DISPVTATIO TERTIA.

DVBIVM.

DISPVTATIO QVARTA.

DISPVTATIO QVINTA.

Art. 5.

DISPVTATIO VLTIMA.

De Principio Indiuiduationis. 441.



ERRATA

ERRATA POTIORA SIC CORRIGENDA.

Primus Numerus Paginam, Secundus Columnam, Tertius Lineam deſignat.

Errata	Correcta
aut. pag. 9. col. 1. lin. 6.	autem
componatur pag. 10. col. 1. lin. 6.	componuntur
eadem. 24. 1. 4.	eaſdem
ſummam. 36. 2. 36.	ſummum
quàm. 38. 2. 6.	cùm
conuerſus. 98. 1. 38.	concurſus
& heterogenea. 121. 1. 24.	vt heterogenea
aduerſarij. 134. 1. 5.	aduerſari.
diſparatio. 145. 1. 9.	diſparatis
monet. 175. 2. 22.	manet
ræplicis. 177. 1. 2.	& replicis
alterationem. 178. 1. 27.	alteratione
prædictum. 179. 1. 2.	prædicto
illorum. 179. 2. 26.	illarum
ego. 181. 2. 35.	ergo
ſenum. 182. 1. 28.	ſenſum
cum. 182. 2. 40.	cùm
paſſu. 188. 1. 31.	paſſo
contrarij. 194. 2. 17.	contrarijs
nec. 206. 2. 5.	ne
parati. 213. 2. 26.	parti
contrarij. 221. 2. 25.	contrarijs
Dioniſios. 229. 2. 14.	Dioniſio
non. 223. 1. 34.	nouo
iſtus. 233. 1. 1.	iſtius
homogeneas. 238. 1. 11.	homogeneos
ad. 245. 2. 27.	ab
prodriè. 273. 1. 9.	propriè
qualitates. 280. 1. 36.	qualitate
aqua. 309. 1. 23.	aquam
eſſe. 327. 1. 30.	eſſet
terrum. 329. 1. 35.	terreum
patris. 331. 7. 21.	partis
naturales, 347. 2. 34i	naturale

pro-

Errata	Correcta
propugnationem 351. 1. 34.	propagationem
discontinua 355. 2. 24.	discontinuas
sed. 360. 1. 33.	se
matris. 366. 1. 29.	matricis
completa. 370. 2. 32.	completam
partes. 387. 2. 6.	partem
venenarum. 390. 1. 4.	venarum
gliris. 405. 1. 30.	gliribus
æstate. 431. 2. 10.	ætate
aliorumque. 434. 2. 25.	aliarumque
est. 444. 1. 28.	inest

DISPV-


DISPVTATIONES

DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE

Ad mentem SVBTILISSIMI DOCTORIS.

ARIST. post quam in octo libros Phys. egit de Corpore naturali in communi, prout Corpus naturale principia motus continet; & in lib. de Cælo, & Mundo, de Corpore naturali simplici, scilicet de Cælis, & elementis, vt principium motus habet ad certum locum, vel Vbi, quod ei ex naturali costitutione totius vniuersi conuenit; nunc in his libris tractat de eodem corpore naturali, vt in se principium habet generationis, & corruptionis. In Primo Libro explicat naturam Generationis, & Corruptionis, Alterationis & Augmentatiinis, per quas mutationes, vel motus, corpus naturale aliquam acquirit formam, vel substantialem, à qua habet esse simpliciter, vel accidentalem, à qua habet esse secundum quid. In Secundo Libro agit de Generatione, & Corruptione elementorum, & mixtorum, prout in breui, & compendiosa textus explicatione videbimus; & licèt doctrinæ ordo postularet, vt prius de Cælo, & Mundo ageretur, quem etiam ordinem Arist. ipse, & cæteri Philosophi obseruarunt,

consultò tamẽ ab istis incipimus, & ratio est, quia doctrina de Generatione, & Corruptione magis vrget; tum quia in istis libris videtur philosophia naturalis particularizata, & in actu exercito posita; tum quia disputationes, & controuersiæ, quæ hic agitantur, maioris sunt ponderis, & ad Theologicam notitiam magis conducunt, ad quam Catholica Philosophia dirigitur. De Cælo quasi incidenter agemus, aliqua tantùm dubia resoluendo, cùm enim præcipua eius pars experientijs stateat, in quibus etiam nec Astrologi ipsi conueniunt, tepescit animus in Cælorum circulis, & proprietatibus tempus conterere, nostrum etiam Doctorem imitantes, qui vbi in aliqua dubia de Cælestibus corporibus incidit, ad Astrologos se remittit.



BREVIS EXPOSITIO TEXTVS IN LIBROS DE GEN. ET CORRVP.

LIBER PRIMVS,

In quo de rerum Generatione, & Corruptione, ac de alijs mutationibus annexis agitur.

TRACTATVS PRIMVS, CAPVT PRIMVM
A tex. 1. vſque ad 4.

De Generatione autem, & Corruptione eorum, quæ natura generantur, & corrumpuntur, &c.

INſcriptio huius Libri eſt de Generatione, & Corruptione, ſeu de Ortu, & Interitu; & licèt inſcriptio non fiat de alijs mutationibus, id tamen factũ eſt breuitatis cauſa; præcipua .n. mutatio eſt ſecundum ſubſtantiam, quę Generatio, vel Corruptio eſt, denominatio autem fit à principaliori. Diuiditur iſte Liber in duos libros partiales. In pſimo determinat Ariſt. de Generatione, & Corruptione, & de alijs mutationibus annexis. In ſecundo determinat de Generabilibus, & Corruptibilibus, & de principijs generabilium, & corruptibilium. Primus Liber diuiditur in quatuor tractatus, & Primus continet quatuor capita. In primo determinat de Generatione ſecundum Antiquorum opinionem, eorum ſententias in generali referendo, dicens: Quidam antiquorum dixerunt generationem eſſe alterationem, alij verò dixerunt generationem non eſſe alteratione̅; Quare, qui poſuerunt vnum tantũ principium materiale, non potuerunt ſaluare differentiam inter generationem, & alteratione̅, ſed qui poſuerunt plura principia debuerunt ponere ea differre, ideo quia Anaxagoras poſuit plura principia materialia, & non poſuit differentiam inter generationem, & alteratione̅, voce̅ ignorauit, ideſt nec quid nominis generationis cognouit. Antiqui tamen differenter plura principia materialia poſuerunt, nã Empedocles poſuit quatuor eleme̅ta, Anaxagoras, Democritus, & Leucippus, infinita principia materialia poſuerunt, ſed differunt, quia Anaxag. poſuit homogenea, vt ex

carnem, principia esse heterogeneorum, sed Democritus, & Leucippus posuerũt homogeneos esse ab heterogeneis. Deinde cõparãs Philosophus opiniones,& opin. Anaxagorę opinioni Empedoclis, dicit: Empedocles posuit quatuor elementa esse corpora simplicia, & os, & carnem componi ex ipsis, ipsa verò non ex alijs. Sed Anaxagoras ait, ista elementa non esse magis simplicia, quã aliæ res; sed omnia, quæ apparent esse composita ex infinitis,& diuersarum rationũ, & illa infinita vocabant esse pansperma .i. vniuersale semen aliorũ; imò maximè cõposita ex illis particulis elementa putabat Anaxag. cùm videret ex elementis confici ferè omnia.

Subdit Arist. quòd illi, qui dicebant tantùm esse vnum principium materiale, habebant dicere, quòd generatio non differt ab alteratione, quia illud principium dicebant esse hoc aliquid in actu, & ipsum semper manere, sed quando manet hoc aliquid in actu, non potest fieri, nisi alteratio: Sed dicentes plura esse simplicia habebant dicere, quòd generatio, & alteratio differunt, quia generationem dicebant fieri per segregationem,& congregationem illorum principiorum, sed alterationẽ dicebant fieri manentibus ijsdem principijs. Consequenter dicit, quòd ponentes plura principia, non potuerunt saluare alterationem, quia alteratio est mutatio qualitatum, eodem subiecto in actu manente, & hoc apud eos impossibile erat, quia dicebant elementa non posse adinuicẽ transmutari substantialiter, neq; per cõsequens secundum qualitates. Item dicebant elementum determinare sibi proprias qualitates, ac consequenter non poterat esse mutatio in qualitatibus. Tandem ostendit, quòd ad positionẽ Emped. sequuntur duo inconuenientia. Primum, quia contradicebat apparentijs, quia dicebat nullum quatuor elementorum fieri ex altero,& omnia fieri ex ipsis,& ista sunt contraria sensui. Secundum inconueniens est, quia cõtradicebat sibi ipsi, quia dicebat nullum elementum fieri ex altero, & tamen ponebat ipsa esse generabilia, & corruptibilia, quia asserebat ipsa esse aliquando facta ex vno confuso chaos.

CAPVT SECVNDVM.

A tex. 4. vsque ad 11.

Omnino itaq; de Generatione, & Corruptione simplici dicendum est, &c.

IStud est Secundum Caput, vbi Arist. sententijs Philosophorũ distinctis, & enarratis, iterum sententiam suam repetit, s. se dicturum de generatione, an sit, & quomodo fiat,& similiter de alijs motibus, de augmẽtatione, & alteratione, quas vocat simplices motus, vt distinguat à generatione, quæ non est simpliciter motus, sed secundum quid ratione materiæ. Incipit igitur in hoc capite discurrere, aliquas

quas ponendo conclusiones. Prima est: Plato in sufficienter locutus est de mutationibus secūdum formā, quia ipse solùm locutus est de generat. & corrupt. prætermittens augmentationem, & alterationem. Secunda Conclusio: Omnes Antiqui præter Democritum insufficiēter locuti sunt de prædictis mutationibus; quia ipsi non profundè quæsierunt, sed tantùm dixerunt ea, quæ vulgares dicūt, puta, quòd augmentatio fit per additionem similis simili. Tertia Conclusio: Democritus videtur sufficienter fuisse locutus de mutationibus secundum formam, quia de omnibus talibus maximè curam habuit. Quarta: De prædictis mutationibus secundum formam ad Philosophum naturalem pertinet determinare, nam de ipsis multæ fiūt dubitationes. Quinta: Platonis opinio de generatione rerum est irrationabilior, quā opinio Democriti, & hoc quadrupliciter probat. Primò, quia rationabilius est corpora componi corporibus, sicut dicit Democritus, quàm non ex corporibus, sicut dixit Plato, qui posuit res naturales componi ex triangulis, superficiebus, & lineis. Secundò, Plato ex dictis suis non poterat saluare generationem, & corruptionem, quas saluare intendebat Democritus, ergo, &c. Tertiò, Democritus erat expertus circa naturalia, quia multum eis insudauerat; Plato verò insudauerat circa Diuina, & vniuersalia, propter quod Platonici, ex multis sermonibus imbuti, multa falsa dixerunt, ad pauca .n. respicientes, facilè falsum enunciant. Quartò tandem, quia Democritus prospexit rationes naturales, & proprias, Plato verò rationes communes, & logicas.

Ponit tandem Sententiam Democriti, exactius rem hanc attingentis, qui corpora composuit ex indiuisibilibus corpusculis, ex quorum separatione corruptio adueniebat, ex congregatione generatio, & ex varia positione alteratio circa qualitates. Pro qua sent. tres rationes adducebat. Prima erat, quia corpus est magnitudo vbique diuisibilis, ponatur igitur totaliter diuisum, quæ remanent, vel sunt puncta, lineæ, superficies, aut passio, vel nihil, vel atomi; non puncta, lineæ, & superficies, quia non sunt corpora, & indiuisibile alteri additum non facit maius; Nō passiones, seu qualitates sēsibiles, quia non possunt à subiecto separari; nō nihil, quia corpus non est ex nihilo conflatū, ergo erunt atomi. huic rationi resp. Aris. Corpus secundū quodlibet signum diuisibile est potestate, non actu, nec punctum in linea est vbique, neq; vbique linea est diuisibilis, vndè cùm sit in infinitum diuisibile, nunquam poterit esse actu totaliter diuisum. Secunda ratio erat, si corpus esset semper diuisibile, perueniretur ad magnitudines aliquas insensibiles, & per consequens indiuisibiles, quæ sunt atomi: cui resp. Aris. diuidi quidē

corpus in partes insenſibiles, quæ tamen ſunt in alias diuiſibiles, & cum alijs connexæ ſentiuntur. Tertia ratio, quia generatio, & corruptio non niſi per congregationem, & ſegregationem atomorum ſaluari poſſunt. hoc negat Ariſ. perfecta. n. generatio eſt mutatio totius in totum, & ab alteratione differt tum penès ſubiectum, quod in generatione eſt ens in potentia, in alteratione verò eſt ens actu, tum quia generatio eſt ſecundum ſubſtantiam, alteratio ſecundum qualitates. Illam igitur congregationem atomorum vocabat Democritus generationem, cùm autem facta congregatione fiat mutatio in ipſis atomis, dicebat alterationem. At dicit Ariſt. quòd in vtroq, errat, quia generatio, & alteratio nõ fiũt niſi mutatione vnius in aliud, & nõ congregatione, vt cum ex aqua fit mutatio in ignem, generatio nõ eſt per congregationem, ſed quia id, quod erat aqua fit ignis, quam alij exiſtimabant alterationem, ſed non eſt. Diſtinguit autem Ariſ. generationem ab alteratione, licèt vtraq; fit mutatio vnius ad aliud; dicens quòd in compoſitione, ratio ideſt forma, eſt in materia, & ſunt paſſiones; cum fit mutatio in materia ſecundum formas, hæc eſt generatio; cùm verò eſt mutatio in compoſito ſecundum ipſas paſſiones, illa eſt alteratio, non tamen eſt generatio congregatio, nec ſegregatio corruptio; verum eſt, quòd ſunt diſpoſitiones ad corruptionẽ, & generationem; nam quod diuiſum eſt, & ſegregatum in minores particulas, magis corruptioni expoſitum eſt; vt cùm aqua in minutiſſimas guttulas diuiſa eſt, citius in aerem conuertitur, quàm cum tota cuniuncta eſt; non tamen ob id ſegregatio corruptio eſt, ſed de hoc remittit ſe ad ſequentia.

CAPVT TERTIVM.

A tex. 11. vſque ad 23.

Determinatis autem his, primò ſpeculandum, &c.

ANtiquorum ſentẽtijs reiectis, incipit veritatem generationis determinare ſecundum propriã eius ſententiam, ſoluendo ſex quęſtiones. Prima. An poſſibile ſit, quòd aliquid ſimpliciter generetur, aut corrumpatur, & arguitur, quòd non, quia tunc illud fieret ex nihilo, ſed conſequens eſt impoſſibile, vt omnes naturales concedũt, ergo. conſeq. Prob. quia generatio ſimpliciter eſt ex non ente ſimpliciter, ſicut generatio ſecundũ quid eſt ex non ente ſecundum quid .ſ. ex non ente tali, vel tali. Reſpõdet, quòd ex non ente in actu conceditur, quod tamẽ eſt ens in potentia, cuiuſmodi eſt materia, aliquid bene generatur. Secunda, cur ſemper fiant generationes, & corruptiones rerum? Reſp. quòd duplex poteſt aſſignari cauſa, altera eſt efficiens .ſ. primum mouens, & primum mobile, de qua in 8. phyſ. altera eſt materialis, non quòd materia ſit infi-

infinita, quia infinitum est impossibile, sed quia licèt sit finita, non ob id tandem deficiet, quia corruptio vnius, est generatio alterius, & quod accipitur à genito, derelinquitur à corrupto. Tertia quæstio, cur aliqua dicuntur simpliciter generari, aut simpliciter corrumpi, aliqua verò dicantur generari & corrumpi secundum quid. Resp. ratio non est, quia vnum est ens magis altero sensibile, & per consequens simpliciter ens; minus verò sensibile, ens secundum quid, aliter spiritus, & aer, quia minus sentiuntur, quã terra, erit minus ens ipsa terra, quod est falsum; sed prouenire ex eo, quia substantia est simpliciter ens, accidẽs verò secundum quid, quapropter mutatio secundum substãtiam, erit simpliciter mutatio, quę verò est secundum accid. dicetur secundum quid. Quarta, Quare corruptioni semper est annexa generatio? Respondet quia corruptio est in non ens potestate .s. in materiam, quæ nunquam naturaliter omni formæ expoliata manet, propterea noua forma in ipsa aduenire debet, & consequenter noua generatio. Quinta, cùm generatio fit inter contraria, vtrum illud non ens sit aliquod illorum contrariorum. Respondet, negatiuè, sed bene susceptiuum est contrariorum. Sexta, vtrum eadem materia numero sit in genito, & corrupto? Rñt, esse eamdem secundum substantiam, diuersam tamen ratione, quia modò est sub vno, modò sub altero contrariorum. Tum quia aliter illa non haberent ad inuicem transmutationem.

CAPVT QVARTVM.

A tex. 23. vsque ad 26.

De Generatione autem, & alteratione dicamus, &c.

IN hoc 4. Capit. Aristot. determinat de differẽtia inter generationem, & alterationem, ac alias mutationes, dicens, quòd alteratio est, quãdo manente eodem subiecto sensibili, ipsum mutatur secundũ qualitates, vt cùm corpus ex sano fit ægrotum; generatio verò est mutatio totius in totum nullo sensibili, vt subiecto eodem manente, vt cùm ex tota aqua fit aer, & subdit quòd subiectum generationis, quod manet idem, & mutatur de vna forma substantiali in aliam, dicitur hyle .i. materia prima, quæ nullum actum substantialem habet ex se, seu ex sui natura; sed subiectum alterationis, quod dicitur transmutari de vna qualitate in aliam, vnũ & idem manens, est substantia per se existens, quæ dicitur hoc aliquid. Ponit deinde differentiam alterationis ab alijs motibus dicens, quòd si manente eodem subiecto fiat mutatio secũdum quãtitatem, talis dicitur augmentatio, vel diminutio, si verò secundum quale, est alteratio, si secundum vbi, erit latio.

TRA-

Tractatus Secundus.

De Augmentatione.

CAPVT PRIMVM.

A tex. 25. vsque 32.

De Augmentatione autem reliquum est dicere, &c.

ISTE est Secundus Tractatus, in quo Arist. determinat de augmentatione, & diminutione, & in tria capitula diuiditur. In hoc primo Capit. ponit differentiam augmentationis ab alijs motibus, vel mutationibus, duas mouens quæstiones. Prima, cùm notum sit augmentationem differre ab alijs mutationib' penès terminos, ad quos, eo quia generatio est ad substantiam, alteratio ad qualitatem, augmentatio verò, & diminutio ad quantitatem, vtrum etiam ab ipsis differat penès modum transmutandi. Respondet, Philos. quòd sic, quia quod alteratur, vel generatur, non oportet mutare locum, licèt benè quod augmentatur. Differt etiam à mutatione locali, quia quod mouetur saltem motu recto, oportet totum locum mutare, non autem oportet, quòd illud, quod augetur secundum se totum, mutet locum. Differt etiam à motu circulari, quia quod circulariter mouetur, eumdem retinet locum, non accipiens maiorem, vel minorem, non sic est de eo, quod augetur, mutatur enim locus non totaliter, sed fit maior, vel minor.

Secunda quæstio, vtrum augmetatio fiat ex actu corporeo, vel solùm in potentia corporea, & non actu, & tribus rationibus probat, quòd non fiat ex incorporeo. Prima, quia si materia ex qua fit augmentatio esset incorporea, tunc sequeretur, quòd ipsa esset indiuisibilis, sicut punctum, & sic ex ipsa nihil fieret maius. Secundò sequeretur, quòd ipsa non esset in loco, nec per se, nec per accid. quod est inconueniens, cùm illud, quod generatur, vel augmentatur fit in loco. Probat sequelam, quia vel esset in vacuo, vel in pleno, non in vacuo, quia non datur, nec in pleno, quia esset penetratio dimẽsionum, cùm non sit locus sine corpore. Secunda ratio, quia quod generatur, & augmentatur, generatur ex aliquo, & aliquo, & nullum illorum est incorporeum, ergo. Tertia ratio, quia si augmentatio fieret ex aliquo incorporeo, non fieret per additamentũ magnitudinis ad magnitudinem, quod est falsum, quia per hoc à generatione simpliciter differt. Consequẽter ostendit, quòd fiat ex aliquo corporeo, talem ponendo conclusionem: *Augmentatio fit ex aliquo actu corporeo*. Probat, non fit ex dictis ex aliquo incorporeo, ergo ex aliquo actu corporeo; subdens, quòd eadem est materia numero generationis, & augmentationis, eo quia augmentatio non fit sine quadam generatione. Hinc aduertendum, quòd id quod augetur, partim debet esse actu, partim potentia

tentia ad quantitatem: est quidem actu, quia debet præcedere sub aliqua quantitate, quod.n.totam acquirit quantitatem de nouo, non augetur, sed generatur, augmentatio aut ad maiorem quantitatem est, & respectu huius debet esse in potentia

CAPVT SECVNDVM.

A tex. 32. vsque ad 35.

Accipiendo itaque magis, velut tangentes quæstionem à principio &c.

IN hoc 2. Cap. duas Arist. mouet quæstiones. Prima, an sit possibile propriè aliquid augeri; & arguit primò, quòd non, quia si aliquid augeretur, hoc esset adueniēte aliquo extrinseco, vel ergo corporeo, vel incorporeo, non incorporeo, quia per talem nihil augeretur, nec corporeo, quia tunc duo corpora essent in eodem loco, vel fieret penetratio dimensionum, sed quodlibet est impossibile. ergo &c. Secunda quæstio, id, quod augetur, vtrum sit cibus adueniens; vel corpus, cui aduenit; vel membrum, vel totum aggregatum, quia ipsum efficitur maius, sicut fit de aqua, & vino quoniam miscentur ad inuicem. Respondet Philosophus, talē ponendo conclusionem: *Corpus animatum, cui additur cibus, augetur.* Probat quatuor rationibus; Prima, illud, quod augetur manet idem ante transmutationem, & post, si .n. vna gutta aquæ ponatur in vase vini, nos non dicimus aquam augeri, cum ipsa corrumpatur, sed dicimus vinum augeri, quod manet idem ante transmutationē, & post. Secunda ratio, sicut ex eo quia caro calefiat, & frigefiat, dicim⁹ carnem alterari quæ manet, similiter dicēdum est de illo, quod augetur. Tertia ratio, illud augetur, in quo est primum mouens, sed in corpore animato, & non in cibo est primum mouens. s. anima, ergo. Quarta ratio, illud, quod aduenit alicui, non augetur, sed magis illud, cui aduenit, quia augmentatio fit aliquo adueniente, sed cibus aduenit corpori, ergo cibus nō augetur.

CAPVT TERTIVM.

A tex. 35. vsque ad 43.

Quoniam autem dubitatum est de his sufficienter, &c.

IN hoc tertio Capitulo ostendit, quomodo fiat augmētatio, supponens primò, quòd sex sunt conditiones augmētationis, tres affirmatiuæ, & tres negatiuæ. Prima, illius, quod augetur, quælibet pars augetur. Secūda, auctum ante augmentationem, & post manet idem numero. Tertia, Augmentatio fit aliquo extrinseco aduenīēte. Quarta negatiua, ad hoc, quòd fiat augmentatio, non oportet ponere vacuum in corpore, quod augetur. Quinta. augmentatio non fit adueniente aliquo incorporeo. Sexta, propter augmentationē non oportet ponere duo corpora in eodem loco. His suppositis declarat modum,

dam, quò fit augmentatio ex parte illius, quod augetur, dicens, quòd partes heterogeneę augmentantur per hoc, quòd partes homogeneæ augmentantur, cùm ex ipsis componatur; & addit, quòd partes homogeneæ, sunt duplices, quædam sunt formales, quædam verò materiales. deinde talem ponit conclusionem: illius, quod augetur, quælibet pars secundum formam, seu formale augetur, & non quælibet secundum materiã. Quod est dicere, os, nerui, & reliqua dicuntur augeri, quia ipsorum formæ, modò sub maiori, modò sub minori sunt materia; at ipsorum materię non dicuntur augeri, quia quædam partes recedunt, quędã adueniunt, nec vnquam materia manet eadẽ; se exemplificat, quomodo vna forma maneat; sit V. G. aliquod vas, in quo fundatur aqua, & effundatur, ità vt noua, & noua fit aqua, nunc manet idem vas, non autem eadem aqua, ità similiter forma viuentis est sicut vas, manet eadem forma ossis, carnis, nerui &c. partes tamen materiæ .i. entitatis, quædam recedunt, quædam adueniunt. Affert aliud exemplum pro heterogeneis, dicens, quòd in dissimilaribus partibus notius est, quod proportionaliter acutæ sunt, idest secundum omnes suas partes quare autẽ in his sit notius reddit rationem, quia magis nota est forma, & semper videtur restare forma manus, pedis, capitis, &c. quãtumcumque materia existens sub forma tali, sit alia, & alia.

Deinde ostẽdit quomodo se habet nutrimentum ad illud, quod augetur, dicens, quòd corpus animatum fit maius adueniente nutrimento contrario, vel dissimili, q̃ per digestionem alteratur, & tandem in substantiam viuentis transmutatur. Ex quo patet, quòd illud, quod augetur, augetur à quodam, aliquo modo simili, & aliquo modo dissimili, in principio enim est dissimile, nam cibus differt specie à carne, & postea factum est simile; & subdit, quòd antequam cibus aliquod corpus augeat, est in potentia ad illud, & actu aliud, nam materia nutrimenti primò stat sub vna forma substantiali, postea sub forma nutriti. Postea ostendit quomodò fiat augmentatio ex parte illius quod augetur, & ex parte cibi, duo afferens exempla: Primum, quia cibus digestus miscetur corpori, quod augetur, sicut modica aqua posita cum multo vino, quæ in substantiam, & naturam vini cõuertitur, sic etiam corpus animatũ in sui naturam conuertit nutrimẽtum: Secundum, quia ignis conuertit ligna sibi opposita in ignem, & fit maior, sic corpus animatum virtute animæ cõuertit cibum in substantiam suam. Comparat deinde augmẽtationem ad alias nutritiones, dicens, quòd sicut non generatur vniuersale, puta homo, vel animal, sed singulare, ità nõ augetur vniuersale, sed singulare.

Ex his deducit in augmentatione

ne reperiri generationem aliquam partialem, quæ dicitur nutritio, vt .n. viuens augeatur, debet in propriam substantiam cibum conuertere, ergo aduenit quædam aggeneratio carnis, ossis &c. aduentus carnis, vt caro est, dicetur nutritio, aduentus carnis vt quanta est, dicetur augmentatio; & vt clarius duas has mutationes explicet, subiungit inter se differre, quòd nutritio est ad substantiam, auctio ad quantitatem: Nutritio durat toto vitæ tempore, quia viuens semper debet cõuertere alimentum, & deperditũ restaurare; auctio verò nõ sẽper fit, nã viuẽs nõ semper est taliter validum, vt plus alimenti in se conuertere possit, quàm deperdat, quod requiritur ad auctionem, sed aliquando ità impotens euenit, vt tantum restauret, quantum fuerit deperditum, & plus deperdat quã restauret, vt patet cũ vinum propter nimiam aquæ mixtionem, tandem aqueum euadit.

Tractatus Tertius.

CAPVT PRIMVM.

A tex. 43. vsque ad 46.

Quoniam autem oportet primum de materia, & de vocatis, elementis dicere &c.

ISte est tertius Tractatus, in quo Aris. determinat de tactu, actione, & passione; & quidem rationabiliter, cùm .n. in præsenti de generatione, & corruptione rerum loquatur, quæ sine actione, & passione non eueniunt, & ista non sine tactu, hinc de istis aggere aggreditur p quatuor capita, & in hoc primo duas ponit cõclusiones. Prima: in hoc libro determinandum est de generatione, & corruptione, sed generatio, & corruptio nõ possunt fieri sine actione, & passione, nec actio, & passio sine tactu, ergo &c. Secunda conclusio: inter prædicta prius determinandum est de tactu, quam de actione, & passione, quia quæcumque propriè agunt, & patiuntur tangunt se inuicem, & non è contra, quia tactus est communior, quam sit actio, & passio, & p consequens priùs dicendum est de tactu, quàm de actione, & passione. Incipit de tactu agere, & dicit, q quatuor modis sumitur tactus, primò, quoniam aliquę magnitudines in diuersis positionibus, & locis existentes, extrema simul habent, quomodo etiam duabus quantitatibus separatis conuenire potest, qui & contactus mathematicus dici solet; secundò pręter assignatam conditionem sunt actiua, & passiua, & hic contactus dicitur physicus; Tertiò illa se tangunt, quorum diuersatum magnitudinum, vltima sunt simul, & vnum se habet vt mobile, alterum vt mouens; Quartò, id dicitur aliud tangere, cuiusvis in illud transit, licèt extrema non sint simul, vt obiectum tristitiæ dicitur nos tangere, sed non è contra. Explicat, quomodo se habeat tangẽs, & tactum, & dicit duo. Primum,

in plurimum, & frequenter tangit, quod ab ipso tangente tangitur .i. tactum tangit ipsum tangens, reddit rationem, quia ferè omnia, quæ corporea, & sensibilia sunt mouent dum mouentur, & sic tangunt, dum tanguntur, ità experimur elementa &c. Alterum est, quòd aliquando licèt mouens tangit motum, sed non tangitur, & tunc est cùm mouens est immateriale, vt Intelligentia respectu Cœli, vel mouens est alterius materiæ, vt Cœlum tangit Elementa, & in ipsa agit, non autē è contra. Ex quo fit, quòd si aliquod mouet immobile, id tanget, & non tangetur, sicut mouet Intelligentia Cœlum, & Obiectum tristitiæ mouet nos, non tamen nos ipsum mouemus, in his enim quæ mouent non sunt eiusdem rationis cum motis.

CAPVT SECVNDVM.

A tex 46. vsque ad 56.

De ipso autem facere, & pati, &c.

IN Secundo Capite determinat Phūs de actione, & passione, & de qualitate agentis, & patientis, & in duas partes diuiditur. In prima tāgit duas opiniones Antiquorum. Prima fuit quorumdam dicētium, quòd simile non potest agere in simile, quia non videretur ratio quare vnum magis ageret in aliud, quā è contra. Secunda opinio fuit Democriti, tota ad oppositum, dicentis, quòd simile agit in omninò simile, & patitur à simili, affirmans, quòd ea, quæ sunt sic diuersa, quòd similitudinem in aliquo non habēt, non possunt agere, vel pati ad inuicem. In secunda parte propriam ponit opinionem dicēs, nihil patitur ab omnino sibi simili, quod probat duabus rationibus. Prima ratio, quia qua ratione hoc pateretur ab alio, eadē ratione aliud pateretur ab ipso. Secunda ratio, quia tūc sequeretur, quòd idē ageret in se, & pateretur à se, cùm non esset diuersa ratio agendi, & patiendi, subdens, neque etiam agens patitur ab omnino sibi dissimili; Probat dupliciter, quia linea non patitur ab albedine, nisi forte secundum accidens, nempè si accidat lineam esse albam, aut nigram. Tum quia agens, & patiens debent esse contraria, at ista sunt in eodem genere, quapropter agens, & patiens, nec debent esse omnino similia, nec omninò dissimilia, sed similia secundum genus, & dissimilia secundum species, vt patet in omnibus contrarijs, hinc in scholis vsus inualuit: agens agendo assimilat sibi passum, quod prius dissimile erat.

Tandem de agente, & passo inquirit, an omne agens in agendo repatiatur à passo. Pro cuius solutione diuidit mouentia, quorum aliquod est primum, quod est principium motus, & non mouetur ab alio, vt est Deus; aliud est vltimum, quod est mouens motum. Similiter agentia, aliud est agens primum, vt quod alterat, & non alteratur ab alio, qualis est medicus in sanatione;

ie; aliud est vltimum, quod alterat, & alteratur, vt medicina, quæ alteratur, & alterat sanando ægrotum. Respondet deinde quæstioni dicens, quæ in materia non communicant, in agendo non repatiuntur, que verò communicant repatiuntur à suo contrario. Probat, quia forma est principium agendi, materia verò patiendi, ergo quæ materiam non habent, carent principio patiendi, & consequenter sunt impassibilia, vnde si calor daretur separatus, quod est impossibile apud Arist. propter carentiam materiæ, impassibilis esset. Hinc intelligentiæ, & si quæ sunt aliæ à materia separatæ formæ non possunt pati, quamuis agant.

CAPVT TERTIVM
A tex. 56. vsque ad 82.
Quomodo autem potest accidere &c.

AGit Arist. in præsenti de modo agendi & patiendi, prius Atiquorum opiniones adducendo, easq; adinuicem fusè comparando, & confutando. Prima opinio fuit Empedoclis dicentis actionem fieri per poros in corporibus inclusos, intra quos vnum corpus alterum ingreditur, & quasi penetrat, & si fuerint æqualiter porosa, vt sunt omnia liquida, fit mixtio, Si vnum excedit, quod subtilius est alterum penetrat, & fit generatio, & corruptio. Secunda opinio fuit Leucippi ponentis omnia corpora per congregationem atomorum generari, & per separationem corrumpi. Tertia fuit Melissij asserentis omnia esse vnum ens immobile, & infinitum. Quarta fuit Platonis componentis corpora ex superficiebus, quas sent. Philosophus tum ex superius dictis, tum ex varijs eorum sententijs confutat; & præsertim opinionem ponentem poros propter actionem, nam vel pori isti essent vacui, vel pleni, si vacui, hoc esset, vt agens tangeret passum, sed potest fieri contactus absq; poris, vt patet; Si pleni, ergo non posset fieri cõtactus per ipsos, inter partem, & partem, & tamen ad hunc finem admittuntur. Tum quia si essent atomis pleni, hoc etiã vanum est, quia non possent illi atomi in poris inclusi, adinuicem agere, & pati, cùm indiuisibiles ponantur, nam vel vnam qualitatem susciperent, & sic essent inalterabiles, vel contrarias, & sic essent diuisibiles. Tum quia non mouerentur ab alio, quia sunt prima omnium principia, si à se, debet dari pars mouens, & pars mota, & sic diuisibiles. Est hic aduertendum, pro ly diuisibiles, quòd non oportet hoc intelligere de parte integrante, nam notum est, quod secundum idem, quod erat calidum, potest deinde esse frigidum, sed ità loquitur, vt excludat ab atomo rationem principij; sic .n. Arist. discursus procedebat: si plures qualitates insunt vni, sequitur, quòd non erit atomus indiuisibilis, quia oportet dare partem, in quà vna

fit

sit qualitas, & partem in qua recipiatur altera, vt si ex calida fit frigida, aliquid erit, secundum quod sit calida, aliquid secundum quod sit frigida futura, sicut etiam de alijs accidentib. Ad hoc autem requiritur, vt aliquid habeat, secundum quod est actu, & aliquid secundum quod est potentia, putà materiam, & formam, & ità atomus iam erit composita, & consequenter non erit principium. Aliqui tamen Expositores intelligunt etiam de parte integrante, vt sensus sit, quod ex calido fit frigidum, debet esse diuisibile, & plures partes habere, vt secundum vnam sit sub termino à quo, secundum aliam sub termino ad quem, aliter non esset motus, & ita discurrit Arist. 6. phys. tex. 49. vbi loquitur de calefactione, & alteratione nota, quæ est secundum extensionem, nam quæ fit secundum intensionem non ità nota est.

Aperit deinde suam sententiam, quinq; assignando conditiones ad actionem, & passionem. Prima, quòd patiens tale sit in potentia, quale agens est in actu, vt ignis est actu calidus, lignum in potentia receptiua calidum. Secunda, quòd patiens secundum omnem sui partem patiatur, quia secundum omnem est in potentia. Tertia, quòd sit dispositum, & sic quod est magis dispositum, magis patiatur, magisq; agenti assimilatur, quàm minus dispositum. Quarta, quòd agés, & passum non sint continua, idest, quòd non sint similia in forma, & in gradu eiusdem. Quinta, quòd agens, & passum sint debitè approximata. Inde deducit, corpus secũdũ omnem sui partẽ esse diuisibile, quia secundum omnẽ est passibile, nã indiuisibile est impassibile; neq; ad actionem requiritur scissio, vel congregatio atomorum, vt Democritus aiebat, nam idem corpus indiuisum manens, nunc fit humidũ, nunc calidum &c. Tum quia in auctione nõ quælibet pars augeretur, sed potius auctio esset iuxta positio corporum, seu atomorum, quæ per ipsum Democritum, non continuantur adinuicem.

TRACTATVS QVARTVS
Caput Vnicum
A tex. 82. vsq; ad vltimum
Reliquum autem est considerare &c.

Postquam de tactu, de actione, & passione dixit, nunc de mixtione discurrit, & primò quærit an mixtio sit. Fuerunt aliqui, qui omnem mixtionem negarunt, sic discurrentes; vel quæ miscentur manent, & sic eodem modo se habebunt ac prius, ergo sicut tunc non erant mixta, neq; modo; vel vnum manet, & alterũ destruitur, & neq; hoc, quia ens cum nõ ente miscerentur; vel omnia desinunt esse, & multo minus mixta dici poterunt. Arist. autem vult dari mixtionem, & primò ipsam distinguit ab alijs mutationibus putà generatione, auctione, & alteratione. A generatione

one differt, quia quod generatur, non miscetur cum materia ex qua, vt ignis cum ligno non miscetur; ab alteratione differt, quia accidentia, & subiectum manent integra post alterationem; differt eandem ab auctione, quia quod augetur idem manet ante, & post auctionem. Deinde ostendit possibilem esse mixtionem, quia entium quædam sunt potentia, quædam actu, quædam virtute; quæ miscentur non manent actu, sed potentia, & secundum proprias virtutes; per hanc doctrinam soluitur argumentum propositum. Deinde quærit quomodo fiat mixtio, & affert opinionem aliquorũ, dicentium mixtionem fieri per iuxta positionem minimarum partium diuersorum corporum, quæ secundum sensum minimæ sunt, quatenus non potest sensus earum segregationem percipere, vt in farina patet, ideoq; censetur mixta. Alij dixerunt partes illas minimas esse secundum rem, co quia sunt indiuisibiles. has opiniones impugnat Arist. quia mixtum omogeneum tale est, vt quælibet pars mixti sit mixta, ergo minimæ illæ particulæ nequeũt impermixtæ remanere, sed solùm erunt iuxta se positæ. Tum quia primus modus mixtionem admittit solùm secundum apparentiam, non secundum rem, & si esset perfectior oculus segregationem illam discerneret, & non perciperet mixtum. Secundus modus ponit compositionẽ ex indiuisibilibus sæpius impugnatam. Tandem propriam declarat sentẽtiam, notans, quòd entium alia sunt ad inuicem actiua, & passiua, quæ eamdem habent materiam, alia non; illa, vel sunt faciliter diuisibilia, & fluida, vel non; quæ nõ aguut adinuicem, non possunt misceri; neq; quæ sunt actiua, & passiua, sed dura, & difficulter diuisibilia, vt lignum, lapis &c. requiritur ergo, quòd sint fluida; neq; hoc sufficit, sed requiritur, quòd ferè in æquali portione applicentur, si n. aquæ gutta in amphora vini ponatur, non erit mixtio, sed auctio; quãdo verò sunt in debita proportione attemperata, faciliter in tertium transeunt. Quare propriè miscibilia sunt, quæ facilè terminantur, vt humida, non vntuosa, & glutinosa, quia non facilè diuiduntur; & proportionaliter agentia, & patientia adinuicem, nam si vnum fortiter agit, & alterum tenuiter resistit, non erit mixtio, sed generatio, *Mixtio verò est miscibilium alteratorum vnio*. Vocat miscibilia alterata, quia non manent actu, sicut ante mixtionem erant, nec protsus sunt corrupta, cùm maneant in potentia, & in virtute. Sed de his fusius in disputationibus.

LIBER

LIBER SECVNDVS

De Generatione, & Corruptione

In quo agitur de Generatione, & Corruptione Elementorum, & Mixtorum.

TRACTATVS PRIMVS, CAPVT PRIMVM
A tex. 1. vsque ad 7.

De mixtione quidem agitur, & tactu &c.

ISTE est secundus liber, in quo Arist. determinat de gener. & corrupt. elementorum, & mixtorum; & licèt in lib. 3. & 4. de Cœlo etiam de elementis disputauerit, id tamen non eadem ratione factum est, vt Auerroes docet 3. Cœli tom. 1. Elementa .n. bifariam considerari possunt; vno modo vt Vniuersi sunt partes, & corpora simplicia, ad locum mobilia, altero modo, vt generabilia, & corruptibilia sunt, generationis, corruptionisq; causæ. Priori modo ad libros de Cœlo spectant, posteriori modo ad præsentes attinent; Hic igitur liber in tres tractatus diuiditur, & Primus continet tria Capita. In primo inquirit de principio materiali elementorum, circa quod primò intentionem suam explicat, dicens, post determinationem de mixtione, tactu, agere, & pati, generatione, & corruptione in communi, consequenter determinandum est in speciali de generatione, & corruptione Elementorum. Refert aliquas opiniones Antiquorũ asserentium materiam omnium generabilium, & corruptibilium esse vnam, quæ erat hoc aliquid in actu. Et horum, quidam dixerunt ignem, alij aerem, alij aquam, & alij medium; alij verò posuerunt plura principia materialia, nempè ipsa quatuor elementa, & ex eorũ actionibus, & passionibus fieri generationes, & corruptiones. Deinde ipsos in generali reprobat, & confutat, sicut sæpe confutauerat, & maximè in 1. phys. explicans opinionem, quòd .s. principium primum materiale sit materia alia ab elementis, semper vni contrariorũ coniuncta, & cõtrarijs subijcibilis, ex qua generantur elementa, ens potentiale nominatum. Secundò ipsa contraria esse calidum, & frigidum. Tertiò ipsa sensibilia corpora, vt ignis, aer, aqua. & terra, adinuicẽ transmutabilia, concurrere tamquam principia ad generationes aliorum corporum.

CA-

CAPVT SECVNDVM
A tex. 7. vsque ad 16.
Quoniam igitur quærimus sensibilis corporis &c.

Sværit deinde formale principium ipsorum, asserens, quòd ⸢prim⸣æ elementorum sunt tangibi⸢les⸣ qualitates. ratio est, quia de ⸢h⸣is loquimur, vt sensibilia sunt ⸢sec⸣undum contactum, ergo diffe⸢ren⸣tiæ ipsorum penès tangibiles ⸢qu⸣alitates sumendę erunt. patet ⸢an⸣teced. quia dę ipsis loquimur, vt ⸢ge⸣nerabilia, & corruptibilia sunt, ⸢qu⸣o sensu sunt actiua, & passiua, ⸢ac⸣tio autem, & passio fiunt per cô⸢ta⸣ctum; Et licèt visus sit actu prior, ⸢no⸣n idcirco formæ elementorum ⸢su⸣mi debent in ordine ad visibiles ⸢qu⸣alitates, quia visus est prior ꝓp⸢te⸣r vniuersalitatem, & perfectio⸢ne⸣m sui obiecti, sub quo lux com⸢pr⸣ehenditur, tactus tamen est prior ⸢o⸣biecto, quia recipit in se primas ⸢qu⸣alitates contrarias, per quas ge⸢ne⸣ratio, & corruptio fiunt. Tangi⸢bi⸣les qualitates sunt calidum, fri⸢gi⸣dum, humidum, siccum, graue, ⸢le⸣ue, durum, molle, lubricum, ari⸢du⸣m, asperum, lene, crassum, & te⸢nu⸣e. Secundum graue, & leue ait ⸢Ph⸣ilosophus non sunt sumenda ele⸢m⸣enta, quia qualitates istæ non ⸢su⸣nt actiuæ, & passiuæ, nos verò lo⸢q⸣uimur de elementis, vt adinuicem ⸢a⸣gunt, & patiuntur; sed bene se⸢cu⸣ndum calidum, & frigidum, hu⸢m⸣idum, & siccum, quia secundum istas qualitates sunt actiua, & passiua. Calidum est, quod similia congregat, & dissimilia disiungit, frigidum est, quod vnit dissimilia; segregare verò, & congregare dicunt actiuitatem. Humidum est proprio termino difficulter terminabile, faciliter alieno termino; Siccum è contra proprio termino facile terminabile, difficile alieno, quæ dicunt passionem; non quòd istæ non sint etiã actiuæ qualitates, sed quia non habent tantam actiuitatem sicut illæ. Tum quia contrarietates aliarum qualitatum ad has reducuntur, subtile .n. ad humidum reducitur, grossum ad siccum, lubricum, seu viscosum ad humidum, non aqueum, sed aereum, quod est facilè inflammabile, aridum ad siccum, molle ad humidum, durum ad siccum.

Subdit deinde, quòd humidum primò dicitur, quod alienam humiditatem in superficie tenet, vt lapis aqua aspersus, & dicitur vdum, seu roratum. Secundò, quòd humiditatem in profundo retinet, quæ si erit aliena, dicetur irrigatũ, seu perfusum, vt terra ab aqua irrigata; Si erit propria, & occulta, dicetur coagulatum. Tertiò, quòd humiditatem à se, & propriam habet, tàm in superficie, quàm in profundo, & hoc est humidum elementare, ad quod cætera reducuntur, similiter siccum tot modis oppositis dicitur.

Dices, quare nihil dicit de aspero, & leni? R. quia notum est esse dura,

dura, & solùm superaddere partiũ situm; asperum .n. est durum habens partes prominentes, & inæquales, lene autem durum, habens partes æqualiter prominentes.

CAPVT TERTIVM
A tex. 16. vsq. ad 24.
Quoniam autem quatuor elementa sunt &c.

NVmero primarum qualitatũ constituto, ipsas elementis applicat, & optimè ipsis correspõdere probat. Ait igitur, quòd ex quatuor illis qualitatibus sex possunt combinationes fieri, & quia duæ consistere nequeunt, remanent quatuor. Asserit ergo, quòd quatuor sunt elementa, & probat, quia quodlibet elementum duas habere debet qualitates contrarias, tot ergo erunt elementa, quot combinationes subsistentes fieri possunt ex primis quatuor qualitatib. assignatis; sex autem combinationes, & coniunctiones fieri possunt, s. caloris cũ frigore, humiditatis cũ siccitate, caloris cum siccitate, caloris cum humiditate, frigoris cum humiditate, frigoris cum humiditate, & frigoris cũ siccitate, primæ duæ sunt incompossibiles ob contrarietatem, ergo quatuor coniunctiones remanent, & consequẽter quatuor elementa, putà ignis calidus, & siccus; aer calidus, & humidus; aqua frigida, & humida, & terra frigida, & sicca.

Proprietates postea enumerat elementorum, quarum prima est, q elementa quandoq; sunt mixta, & impura, vt aer vaporib. repletus; quandoq; simplicia; impura non debent dici elementa, sed quid denominatum ab eis, vt quod simile est igni, igneum; quod aeris, aereum; &c. Secunda proprietas, ignis est in excellentia calidus, vt glacies est in excellentia frigida, ideoq; proprium est ex ipsis in suis excellentijs manentibus nihil generari posse. Tertia, ignis, & aeris loca sunt sursum; aquæ, & terræ deorsũ. Quarta, extrema, vt ignis in summo, & terra in centro sunt puriora, media verò vt aer, & aqua sunt mixta, & impura. Quinta, ignis est aquæ contrarius, & aer terræ secũdum vtramq; qualitatem. Sexta, quodlibet elementum vnam qualitatem magis sibi determinat, & intensiùs, vt ignis est magis calidus, quã siccus; aer magis humidus, quã calidus; aqua magis frigida, quam humida; & terra magis sicca, quàm frigida. ex quo sequitur, vt elementũ magis denominetur à qualitate sibi magis inhærente.

Tractatus Secundus.

CAPVT PRIMVM
A tex. 24. vsq; ad 31.
Quoniam autem determinatũ est &c.

EXplicato numero elementorũ, & qualia sunt, nunc Philosophus de ipsorum mutua generatione disserit, & primò asserit, quod-

libet

...et elementum ex quolibet alte... elemento generari posse, quia quodlibet est cuilibet contrarium, ...l secundum vnam, vel secundum ...as contrarietates, & consequen...r quodlibet à quolibet pati po...st, & transmutari, cùm transmutatio fiat ex contrarijs, & in contraria. Secundò, quòd facilior est ...nsitus inter elementa symbola, ...am inter dissimbola, quia facilius est vnum, quàm multa transmutare; in Symbolis est vna transmutatio, quia vnica adest contrarietas, in dyssimbolis duplex, ergo &c. Tertiò, ex dyssimbolis elemen...s potest aliud tertium elementū ...nerari, vt ex igne, & aqua posſūt ...nerari aer, & terra, ex aere, & ...tra ignis, & aqua, quia qualitate ...a consumpta, altera remanente, ...tertium elementum, vt in igne, ...aqua si perit caliditas, & rema...t siccitas generatur terra, si perit ...citas, & remanet calor, genera...r aer, sic in terra, & aere si rema...t siccitas, & destruitur frigidi...s, producitur ignis, si destrui...r caliditas, & remanet humidi...s, fic aqua; & hoc etiam experi...tia comprobatur, fumus .n. ex...latio terrea est participās de ae..., & tamen facillimè inflamma...r, hinc flamma est fumus ardens. ...uartò, ex symbolis alterum ex ...tero generatur, nō verò tertium, ...uod inde patet, quia ex aqua, & ...re non nisi aqua, vel aer generari ...test, nam vel corrumpitur calor, sic fit aqua, non terra propter carētiam siccitatis, vel corrumpitur frigiditas, & sic generatur aer, non ignis ob eamdem rationem. Quando igitur elementum fit ex symbolo, vnum tantum corrumpitur, quando fit ex dyssimbolis duo corrumpuntur elementa.

CAPVT SECVNDVM

A tex. 31. vsq; ad 46.

Sed tamen adhuc, & sic considerabimus &c.

IN hoc capite Arist. probat quatuor elementa esse prima generabilia, & corruptibilia, hanc mouens quæstionem, vtrum vnum dictorum elementorum sit materia alterius elementi. Pro cuius solutione, sex ponit conclusiones. Prima, nullum dictorum elementorū est materia aliorum; & sex probat rationib. Prima, subiectum transmutationis manet idem sub vtroq; termino, sed cum ex vno elemēto fit aliud, ipsum non manet, ergo. Secunda, aer sibi determinat aliquas qualitates, alijs contrarias, ideo nō potest naturaliter sub alijs contrarijs permanere. Tertia, cùm ex aere fit ignis, aut aqua, semper ratio aeris maneret, & sic aer esset aqua. Quarta, tunc contraria essent simul, & semel in eodem, quod non videtur possibile. Quinta, quatuor elementa habent adinuicem contrarietates, quas sibi determinant, ergo naturaliter vnum non potest esse materia alterius. Sexta, quorumcumq; est vna materia communis, vnum non est materia alterius, sed omnium elementorum est vna ma-

materia communis, ergo &c.

Secunda Conclusio, Materia quatuor elementorum non est corpus medium, quod sit hoc aliquid, & in actu, quia omne quod est hoc aliquid determinat sibi aliquam qualitatem contrariam, quod non facit materia, ergo. Tertia Conclusio, materia est priuatio, idest, materia est carens actu substantiali .s. quantum est de se, esset carens forma substantiali. Quarta, Materia elementorum nō potest per se subsistere, quia omne quod per se subsistit, est hoc aliquid, ergo. Quinta, quatuor elementa sunt inter corpora, generabilia, & corruptibilia prima, quia nulla alia videntur eis priora, ergo sunt prima. Sexta, omnia sunt transmutabilia adinuicem, quod probat, quia medijs existentib. finitis, & transmutabilibus adinuicem, necesse est extrema esse quoq; finita, & adinuicem trāsmutabilia. sed elementa media sūt huiusmodi. probat, quia aqua, & aer quæ sunt elementa media sibi inuicem contrariantur, ergo. Ex his deducit elementa non esse infinita, nam sequeretur infinitas esse qualitates, quia quodlibet elementum propriam habet qualitatem, per quam à cæteris distinguitur, & consequenter infinitas haberet cōtrarietates, & ita nulla fieri posset generatio, nam oporteret omnes istas contrarietates destruere, sed infinitum absolui nequit, ergo. Reijcit tandem plures errores Empedoclis circa elementorum naturā, quòd .s. elementa non sint adinuicem transmutabilia; quòd lis, & amicitia sint causa generationum naturalium; quòd Cælum sit ex elementis compactum, etiam & ipsa anima, circa quā sic discurrit Arist. Si anima esset elementaris, ergo nō habebit alias passiones, nisi illius elementi quod est, si autem est ex elementis, non habebit nisi passiones corporeas; at animæ passiones, vt esse musicum, recordari, obliuisci &c. nō sunt passiones tales, ergo non est ex elementis composita. Sed quia de animæ passionibus discurrere non erat præsentis loci, sed ad alium spectat librum, propterea ad eum se remittit, vt etiam nos agimus.

CAPVT TERTIVM.

A tex. 46. vsq; ad 51.

De Elementis autem ex quibus &c.

DVo Arist. de Elementis tradidit, .s. ipsorum principia, & numerum, & ipsorum mutuam generationem, & transmutationem. Nunc tertiò de ipsis in ordine ad mixtionem, & mistum discurrit, .s. qualiter ad mixtionem concurrūt, & quæ in mixto sint, & primò duas adducit opiniones. Prima ponebat elementa transmutabilia ex eadem communi materia; Secunda ea ponebat intransmutabilia, & consequenter integra in generatione, & compositione mixtorū permanentia. Contra hanc arguit: quia sequeretur mixtionem esse solùm mixta

ita positionem elementorum, nec quælibet pars mixti esset mixta, neq; ex qualibet parte mixti posset extrahi omnia elementa. Contra primā dubitat, quia vel elementa manent in mixto, & sic eadem inconuenientia sequuntur, ac contra relatam; si non manent, mixtio nō esset, nisi quædam generatio simplex vnius ex alio. Volens tamen explicare modū generationis mixtorum ait, quòd esse calidum stat dupliciter; vel in summo, & sic non stat cum frigido; vel in esse remisso, quo sensu admittit secum frigidū, idemq; de alijs qualitatibus dicendum; quando igitur elementa concurrunt in debita proportione quo ad actionem, & passionem, potest quidem ex eis mixtum generari, quia eorum qualitates manent in esse remisso, & ex varia proportione, & temperamento illorum qualitatum, varia mixtorum generatio oritur; si verò vnum præualet, & super alterum dominetur, erit alterius elementi generatio, vel auctio, ex quo patet ad dubitatio ē contra primam sententiam Arist. sequitur.

Ex hac doctrina deducit, omnia mixta perfecta, ex quatuor elemēis constare, & probat, quia constāt ex terra, sicut in loco terræ permacet, & vnūquodq; naturam illius participare videtur, in cuius loco existit, constans ex aqua, quia cū terra sit valde sicca, humido indiget, vt terminetur, & consistat, cōstant ex igne, & aere, quia mixtū perfectum ex contrariorum temperamento coalescit, ignis autem, & aer terræ, & aquæ cōtrariantur. Tum quia vnumquodq; constat ex quo nutritur, at viuentia nutriuntur ex quatuor elementis, quòd si hoc non esset, maximè videretur in plantis, quæ aqua nutriri apparēt, quod tamen est falsum, nam plantæ aqua, & terra nutriuntur, vnde rustici ad arborum nutritionem, terram irrigant. Est etiam ad nutritionem necessarius calor, quia forma nutrici est principium actiuum, conuertens nutrimentum in propriam substantiam, calor autem est maximè actiuus, & primariò, nō nisi igni conuenit, idcirco ignis inter simplicia propter sui maiorem actiuitatem nutritur, & pabulo indiget, sicut cætera viuentia, vt sustentetur. Notat tamen Philosophus, quòd non est vera nutritio ignis, sed impropria, nam propria viuentibus conuenit; concludens, quòd mixta ex omnibus elementis constituta sunt, si non formaliter, saltem virtualiter ad mixtionem concurrentibus.

Tractatus Vltimus.

CAPVT PRIMVM

A tex. 51. vsq; ad 63.

Quia verò sunt quædam generabilia &c.

Hic est Tractatus Tertius huius libri, & duo capita continet. in primo Arist. agit de causa efficiente

cientē secundum opinionem Antiquorum. In Secundo aliquas soluit quæstiones. Supposito igitur ad generationem, & corruptionem concurrere materiam, & formam, quærit an requiratur causa efficiēs, & quæ sit. duas affert opiniones de causa efficiente generationis, & corruptionis. Prima fuit Platonis, qui posuit Ideam cuiuslibet speciei separatam, causare formam eiusdē speciei in materia propter sigillationem ipsius Ideæ, quæ se habet vt sigillum, & forma se habet vt cera tale esse ab ea recipiens, cui assimilatur. Contra hoc vrget Philosophus: Ideæ semper sunt, ergo semper idem generarent; nam idem manens idem, natum est producere idem. Tum quia in artefactis præter impressionem formæ in materia, adest alia causa, ergo & in naturalibus. Alij putarunt materiam seipsam alterare, & producere entia naturalia, vel saltē medijs qualitatibus elementaribus. Contra ait Philosophus, quia materiæ est pati non agere. Tum quia in artefactis præter materiam, requiritur alia causa effectiua, qualitates verò sunt principia instrumentalia, ergo &c. Tum quia ignis est maximè calidus, & tamen non agit, nisi motus à corporibus, ergo multo minus cætera corpora per istas tātùm qualitates agere poterunt.

Postea ex propria sent. causam efficientem assignat, dicens motum Cæli esse causam generationis, & corruptionis rerum, quia motus iste est primus omnium, & perpetuus ex 8. Phys. rationabilius autem est id, quod semper est, esse causam illius, quod aliquando non est, quàm è contra. Tum quia motus Cæli adducit, & abducit generans, nempè Solem; Addit tamen non sufficere motum primi mobilis ad perpetuitatem generationis, sed requiri motum obliquum per circulum Zodiaci aliarū sphærarum, nam idem manens idem, facit idē. ergo quia generatio, & corruptio sunt contrariæ, etiam contrarias causas requirunt, quales sunt motus Cælorum; hinc tempus generationis æquale est tēpori corruptionis, quia æqualiter Sol nobis est propinquus, & distat à nobis, suo accessu generat, recessu corrumpit. Fit etiam vita cuiuscumq; sublunaris determinata, hæc quidē minor, illa maior iuxta varium cursum aliarum causarum. Sequitur tandē generationes, & corruptiones perpetuas esse, quia natura fecit quod melius est, melius est autem esse, quàm nō esse, at nequit in in diuiduo idem esse semper conseruari, ergo quærit conseruari in specie. Tum quia causæ s. motus Cæli; & motor sunt perpetuæ, & perpetuò in gyrum reuoluuntur, ergo effectus, s. generationes, & corruptiones perpetuæ erunt, hinc experimur etiam simplicia quasi circulariter ad imitationem causarum superiorum moueri, ex igne. n. generatur aer, ex aere aqua, ex aqua terra, deinde ex terra generatur

aqua,

aqua, ex aqua aer, & ex aere iterum ignis generatur.

CAPVT SECVNDVM

A tex. 63. vsque ad finem

Quoniam autem in his, quæ continuè mouentur &c.

ISstud est secundum caput, & vltimum, in quo Arist. aliquas dubitationes circa rerum generationes soluit. Prima est, an omnia, vel aliqua, aut nulla ex necessitate proueniant, & generentur. Resp. aliqua de necessitate euenire, aliqua verò contingenter, probat, quia sicut est de fore, & non fore, ita est de generari in futuro, sed aliqua necessariò erunt, vt Solis circulatio, aliqua non necessariò erunt, vt ambulatio, ergo idem de earum generatione dicendum. Secunda dubitatio, cùm generationes rerū sint necessariæ, an sicut ex generatione posterioris sequitur necessitas generationis prioris, ita ex generatione prioris sequatur etiā necessitas posterioris? Resp. in essētialiter subordinatis posterius necessariò arguit prius, à quo essentialiter dependet, vt positio domus arguit fundamenti generationem, non positio prioris arguit necessariò generationem posterioris, nisi posterius sit in se necessarium. Tertia, quia generationes perpetuæ sunt, an perpetuentur secundum rectum, an potius secundum circulum? Notandum, quòd duplex processus generationum esse potest, vnus rectus, vt cùm genita successiuè semper alterius sunt speciei alter circularis, vt cùm in progressu generationum aliquādo fit regressus ad res eiusdem speciei cùm illis prius corruptis. Resp. quòd licèt in aliquibus putà in animalibus videntur fieri progressus secundum rectum, verè tamen generationes perpetuantur secundum circulum, quia si essent perpetuæ secundum rectum, vel res istæ diuersæ speciei essent finitæ, vel infinitæ, sed neutro modo, ergo. Non finitæ, quia tandem consumerentur; nec infinitæ, quia sic nulla generatio esset necessaria, nam quòd necessariò generatur, præsupponit necessariò generationem prioris, sed in infinito non datur prius, & posterius, nec primum, & vltimum, quare generationum series perpetua est, quia progressu temporis fit regressus ad res eiusdem speciei, sicut circulationes Cæli eodem modo sunt perpetuæ; sic ex aqua madefit terra, ex ista generantur vapores, ex vaporibus nubes, ex nube aqua, & ex aqua iterum madefit terra, in quibus clarior apparet circulus, quia hic corruptum est tota materia geniti, non sic in animalibus. Quarta tandem est, an idem redeat secundum speciem, vel secundum numerū, & resp. quòd in substantijs perpetuis, idem numero reddit, vt Sol idem numero reddit ad occidens, & hoc quia non mutatur in substātia, sed solùm localiter mouetur, & qualis est mutatio, sic est redditus

tus mobilis; At in substantijs corruptibilibus quæ sic sunt, vt possint non esse, impossibile est post corruptionem eadem numero redire, sed solùm specie. Sed totus hic discursus de perenni rerum generatione est Arist. qui mundum posuit Æternum, in quo tamen secundum fidem deceptus est. & hæc pro rudi quadam text. notitia sufficiant, cuius potiora dubia in disputationibus exactius examinabuntur.

DISPVTATIO PRIMA

ARTICVLVS PRIMVS PROEMALIS

De Subiecto horum librorum Adęquato.

SCotus Obiecti cõditiones recolés ex 1. post. facillimã nobis parauit viã ad naturã obiecti in scientijs venandam, vt in logica, & Physica iam ostendimus. Multæ, & variæ de obiecto horum librorum extant sent. Auerroes, Alber. & Alij statuerunt pro obiecto corpus simplex, seu elementum, vt est mobile, non quidem ad Vbi, qa hoc modo de ipso agitur in lib. de Cælo, sed vt mobile est ad formam absolutam. Complut. Bannes, Ioan. de S. Thoma, & quamplures Thomistæ, ponunt ens mobile ad formam intrinsecam, seu absolutam, quam mobilitatem Ban. non accipit pro radice, & fundamento .s. pro naturalitate, sed pro passione, & aptitudine ad motũ. Tolet. vult subiectum esse mutationem secundum formam, prout generationẽ, augmentationem, & alterationem comprehendit. Cui Aresl. addit huiusmodi mutationem esse subiectũ materiale, formale verò esse, quatenus est passio corporis naturalis; Arriaga, quòd sit generatio substãtialis. Orbellus noster, Ruu. Conimb. & Alij quòd sit corpus caducum, seu generabile, & corruptibile quatenus est mobile ad formã absolutam. Zabarel. lib. de natur. Philos. constit. cap. 21. Biragus noster, & Moris. assignant pro subiecto, Corpus mixtum, & videtur probabilior, & nostræ sententiæ conformior.

Conclusio.

Dicimus, subiectum adæquatum virtualis continentiæ in his duob. libris esse corpus mixtum, vt talem habens naturam. Prob. primò per alias opiniones discurrendo, non .n. poni potest generatio, vel mutatio ad formam absolutam, quia ex dictis in logica, nullum principium, vel passio statui potest subiectum

ctum in aliqua principali parte, scientiæ totalis, sed semper esse debet species aliqua obiecti totalis, & adæquati, sed generatio, siue mutatio non est species, sed potius passio corporis naturalis, quod est subiectum totius Philosophiæ adæquatum, ergo generatio, vel mutatio non potest hic pro subiecto partiali constitui, vnde relati Doctores hanc sent. amplectentes, ordinem scientiæ inuertunt, in scientia .n. obiectum se tenet ex parte subiecti in conclusione, passio verò ex parte prædicati, & ita ordo sciétiæ inuersus, sicuti quis in Philos. poneret pro subiecto motum in communi, vt passio est corporis naturalis. Neq; elementa hic constitui possunt obiectum, nã in his libris exceduntur, generatio .n. alteratio, mixtio, nutritio, augmétatio elementis non conueniunt, vel solùm ipsis cõuenirét, q falsum est. Tum quia de corpore simplici etiam, vt mobile est ad formam, seu vt generabile, & corruptibile, agitur in lib. de Cælo, ergo non potest constitui obiectum horum librorum. Neq; corpus caducum commune ad elementa, & mixta poni debet hic pro subiecto, quia non debet de eadem re sub eadem consideratione bis in scientia tractari; cùm igitur Arist. de elementis differat in 3. & 4. de Cęlo, nõ debuit iterum de ipsis per se in his libris agere, sed sub alia ratione.

Probatur 2. ratione: Scientia diuidi debet ad diuisionem subiecti, & à subiecto generico ad specifica descendere, ergo quia corpus naturale in communi est subiectum in Philos. quod primò diuiditur in simplex, & mixtum ex 1. Cæli 7. & de Corpore simplici iã egit in lib. de Cælo, sequitur, quòd in his lib. quos immediatè lib. de Cælo connectit, de corpore mixto, vt de altera specie corporis naturalis, ágerit; & quia ratio formalis non debet excedere, nec excedi à materiali subiecto ex hab. tis in logicá, hinc ratio formalis nõ erit naturalitas in communi, sed propria mixto corpori conueniens. Tum quia sic habet omnes conditiones ad subiectum à Scoto requisitas, præsupponitur .n. eius quid est, & quia est, quia ipsum Arist. definiuit 1. Cæli 7. vbi corpus mixtum à simplici distinguit à posteriori per habere principium mixti motus, & 3. Cæli à tex. 30. & 2. de gen à tex. 46. à priori mixtum ab elementis per hoc distinguit, quòd illud in sui cõstitutione alia priora corpora præsupponit, non autẽ elementa. Eius principia explicantur, dum ostenditur, mixtum ex elementis tanquã ex principijs materialib. constare. Esse quoq; generabile, corruptibile &c. & omnia hic considerata ad ipsum habent attributionem, elemẽta .n. non absolutè contemplantur, sed vt principia sũt mixtorũ. generatio, corruptio, alteratio, nutritio, mixtio, actio, passio &c. ad ipsũ reducuntur, vel tamquã passiones vel tamquam conditiones passionum.

Obiectiones.

Ob. Hi libri inscribuntur de generatione, & corruptione, non de corpore mixto, ergo generatio; & corruptio, vel mutatio ad generationē, & corruptionem erit subiectum, non corpus mixtum. Resp. non semper inscriptionem librorū desumi à subiecto adæquato, sed aliquando à subiecto principaliori, vt in lib. de Cælò. quandoq; à principaliori principio, vt in lib. Phys. in quib. denominatio accipitur è natura, quandoq; à prima passione, vt in præsenti sumitur, generatio .n. est prima, & principalis passio, quæ hic de subiecto demonstratur. Neq; sufficit ad rationē subiecti, q̃ principia habeat, nā etiā passiones habent principia; sed requiritur, q̃ per principia, passiones de ipso subiecto demōstrentur, q̃ nō cōpetit generationi, sed corpori mixto.

Ob. Sicut in lib. de Anima non corpus animatum, sed anima est subiectum. in lib. de somno, & vigilia, non animal, sed somnus, & vigilia sunt subiectum, licèt hæc ōnia viuenti conueniant, sic etiam in his libris generatio, vel mutatio erit subiectum, quamuis hæc corpori conueniant. Resp. negādo paritatem, quando .n. aliquod obiectū partiale plures habet affectiones, & principia, possunt de illo plures partiales tractatus institui, in quib. affectiones, vel earū principia erunt subiectum inadęquatū, obiectum autem illarum passionū erit obiectum adęquatū in omnib' illis libris, quibus complerè, & adequatè ipsius natura explicatur, vt exemplo adducto patet, nam corpus animatum declaratur adæquatè in lib. de An. Paruorum natur. de Animalibus, & plantis; licèt in quolibet libro aliud, & aliud sit subiectum partiale inadęquatum; at in proposito corpus mixtū adæquatè, & completè in his libris explicatur, ideoq; ipsum erit obiectū, non aliqua passio. Neq; in libris de an. subiectum propriè, & adæquatè erit Anima, nisi impropriè, & amplè, & prout cum obiecto considerationis coincidit, quatenus principium est corporis animati, obiectum autem partiale adæquatū propriè erit corpus animatū, vt in lib. de an. (Deo duce) videbim'.

Ob. quòd corpus caducū vt sic, est subiectum horum librorū, quod euidèter deducitur ex verbis Arist. initio text. 1. vbi ait: de generatione autem, & corruptione, quæ natura generantur, & corrumpuntur &c. Tum quia communiora prius declaranda veniunt, quàm minus communia, sed corpus caducum communius est, quia se extendit nō solùm ad mixta, sed etiam ad elementa, quæ quoq; corruptibilia, & generabilia sunt, ergo corpus caducum in communi erit hic subiectum, non corpus mixtum. Resp. concedendo Arist. de generatione omnium hic egisse, non tamen eodem modo, sed generationem in communi considerauit in gratiam generationis mistorū, sicut, & genera-

nerationem elementorum ad generationem mixtorum ordinauit. Poterat vtique Arist. prius corpus corruptibile in communi considerare, & deinde ad elementa, & mixta descendere, sed non fecit, quia non diuisit corpus in communi per corruptibile, & incorruptibile; vt prius ageret de incorruptibili. s. Cælo, & deinde de corruptibili; sed ipsum diuisit per simplex, & mixtum; ideoq; rationabiliter iuxta hanc diuisionem constituendi sunt tractatus philosophiæ.

Ob. Quòd subiectum horum librorum nō sit corpus mixtum: Alteratio, actio, & passio excedunt ipsum mixtum, nam alteratio convenit etiam Cælis; actio; & passio non solùm mixtis, sed etiam elemētis conueniunt, ergo quia hic agitur de alteratione, actione, & passione, corpus mixtum exceditur à tali consideratione, & consequenter non potest esse obiectum adæquatum. Resp. quòd estò alteratio ipsa excedat mixtum, cùm saltem alteratio perfectiua etiā Cælo cōpetat; hic tamen præsertim consideratur illa, quæ inter contrarias versatur qualitates, & generationi inseruit, quo etiam sensu actio, & passio hic considerantur.

Ob. debebat Arist. suam hanc intentionem nobis manifestare, vt in alijs libris fecit, & tamen nullibi de corpore mixto mentionem fecit. Resp. satis Arist. suam intentionem insinuasse, dum in 2. tex. 43. elementa vocat materiam mixtorum, vnde etiam colligitur illa in his libris considerasse vt principia, non vt partes subiecti; & 1. Cæli tex. 7. diuisit corpus naturale in communi in simplex, & mixtum; Non potuit autem exactè generationem, & corruptionem actualem elementorum explicare per sè, & primariò, cùm non corrumpantur, & generentur secundum totū, sed solùm secundum partes, mixta verò secundum totum generantur, ideòq; rationabiliter generationē elementorum in gratiam corporis mixti considerauit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An dentur generatio, & corruptio substantialis.

SCot. De hoc Art. disertè agit in 4. d. 11. q. 3. lit. y. & seq. & in 13. d. 22. q. vn. & alibi sæpè. Pro cuius intelligentia supponendū 1. rationabiliter nos hanc primā disputationē de generat. & corrupt. instituere, generatio .n. substantialis via est ad substantiam, quæ cùm omnia accidentia præcedat, prius etiam à nobis consideranda erit; Et licèt alteratio prior sit generatione in genere causæ materialis, seu dispositiuæ, & ordine executionis, quia tamen in genere causæ formalis, & finalis, seu ordine intētionis, ipsa alteratio posterior est generatione substātiali, hinc in philos. regulariter pri⁹ de generatione substātiali agitur, quàm de accidētali. Sub vna tamen disputatione

naturam generationis, & corruptionis comprehendemus, plures.n. sunt quæstiones vtriq; communes; & generatio vnius, est corruptio alterius, & è contra, Vndè simul consideratæ valdè sese inuicem iuuant, & vnius cognitio alterius notitiam aperit. Supponendū 2. Antiquos philosophos, Platonem, & Arist. præcedentes nempè Anaxagorā, Democr. Leucip. Empedocl. Diogen. & alios Vetères ab ipso Arist. relatos 1. phys. & 1. de gen. omnem generationem, & corruptionem substantialem negasse, sed omnem mutationem fieri dicebant ex congregatione, vel disgregatione elementorum vt in mixtis, aut atomorum, vt in cæteris corporibus, vel esse mutationem tantùm accidentium, inuariata permanēte substātia, quos bene arguebat Aris. quòd sic opinantes, generationem ab alteratione non distinguebant.

Conclusio.

Dicimus, Dari generationem substantialem, quæ est transitus de non esse formæ substantialis, ad esse formæ substantialis, seu de non esse compositi substantialis, ad esse compositi substantialis. Conclusio est Arist. D. Tho. Scot. & omnium Peripat. quæ tamen licèt communissima sit, non tam ita facilis probatu. à Ruu. Lisbon. Ponc. & alijs ità probatur: Datur materia prima, quæ est pura potentia ad omnes formas generabilium, ergo dari debet generatio substantialis, aliter talis potentia frustra esset. Sed hæc ratio non est à priori; ratio .n. demonstratiua ex notioribus constare debet; sed materia prima est ignotior generatione substantiali, imò generatio, & corruptio sunt principium veniēdi in cognitionē materiæ primæ, ergo materia prima non potest esse principium veniendi in notitiam gen. & corruptionis substantialis. Non negamus tamen, quòd si aliunde supponatur probatum dari materiam primam, tunc bene deduceretur dari generationem substantialem.

Complut. ità probant: Viuens perfectum naturalem habet appetitum ad generandum sibi simile, quia cùm sit corruptibile, naturaliter appetit perpetuitatem, quā cū nequeat cōsequi in suo proprio esse, appetit illā consequi in alio indiuiduo sibi simili, alias appetitus naturalis esset frustra, ergo possibilis est generatio substātialis. Sed hæc ratio non satis conuincit, nam qui negaret generationem, negaret etiam corruptionem, & diceret appetitum animalis non esse ad generandum, sed ad alterandum. Tum quia licèt admittamus in viuentib. appetitum ad perpetuitatem, non tamen ex hoc sequitur præcisè appetitus ad generationem, nisi prius probaretur, quòd perpetuitas non potest haberi nisi per generationē, quod tales Doctores non faciunt. Tum quia non magis viuentia appetere debent perpetuitatem, quā aliæ substantiæ, sed ex appetitu, quem habent aliæ substantiæ ad sē-

per

per esse non constat, quòd alias substantias generare possint, vt patet de lapidib. gēmis, metallis &c. ergo ex appetitu viuētium ad perpetuitatem, non bene deducitur dari generationem substantialem.

Alij sic probant: Ex existentia medij per se ordinati ad aliquem finem, rectè infertur existentia, vel possibilitas finis, quia nulla res naturaliter inclinatur ad aliquod impossibile, sed datur alteratio physica corruptiua, quæ per se saltem dispositiuè ordinatur ad generationem substantiæ v. g. calefactio in ligno, ergo possibilis est generatio substantialis. Non vrget simpliciter, & absolutè, nam Antiqui, qui ponebant materiam esse totam substantiam rei, & qui generationem ab alteratione non distinguebant, negassent alterationem esse medium, & generationem esse finem.

Melius igitur Conclusio probari nō potest, quàm medijs Arist. qui 1. phys. & 1. de gen. contra Antiquos duob. principijs hoc probat; Vnum est, non omnis mutatio, quæ in sublunaribus quotidiè cernitur, est accidentalis; Alterum est, virib. naturæ ex nihilo nihil fit. Primum, quotidiano experimento comprobatur, nam in die homines, & animalia oriri, & interire videmus, ignē de nouo in subiecto disposito generari, ex arbore fructus produci, granum tritici humi sepultum corrumpi, & ex eo corrupto spicam pullulare, & alia similia, in quibus non sola accidentia acquiruntur, vel omittuntur, sed veræ formæ substantiales, ergo &c. Probat hoc Arist. 1. de gen. 18. in quibusdam.n. mutationibus res nō dicuntur simpliciter fieri, vel destrui, sed fieri tales, & desinere esse tales, v.g. dum homo fit albus, Petrus fit niger &c. homo non fit simpliciter, sed iam supponitur constitutus, nec Petrus constituitur in esse per nigredinem, vt omnib. patet, cùm multo tempore sine tali accidente existerit, vel existere poterat, ergo istæ sunt mutationes accidentales; quædam verò dicuntur simpliciter fieri, vel corrumpi; verè .n. animal interit, fit cadauer, & generātur vermes, ignis exstinguitur, & fit cinis &c. Tum quia si operationes diuersæ, diuersas arguunt formas, & naturas, & post animalis interitum, omnes operationes deficiunt, motus, vita &c. & post ignis extinctionem, calefactio, illuminatio, exiccatio &c. & aliæ prorsus diuersæ apparent, ergo res substantialiter, & non accidentaliter tantùm mutantur; quia res per formā accidentalem non mutat esse substantiale, cùm adsit, & absit sine subiecti corruptione. Tum Tandē, quia de fide tenemus animam rationalem esse formam substantialē hominis, qui de nouo generatur per infusionem animæ rationalis in corpore, & per eius separationem statim moritur, ergo &c.

Alterū principium: *ex nihilo nihil fit*, per causas naturales, quod princi-

cipi-

cipium communi calculo Philos. receptũ est; hinc Auerroes 2. meth. com. 15. hanc propositionẽ ponit, vt primum principium, & per se notũ; & præcipua ratio, quæ philos. in hoc commune principium impulit, fuit quotidiana experientiã, quia videbant nunquã aliquid de nouo fieri, nisi præcedente aliquo alio, ex quo illud fieret, vt animal ex semine &c. & nunquam agentia naturalia aliquid operari, nisi in aliquo subiecto, & dum aliquid corrumpitur, semper in genito aliquid remanere, quod erat in corrupto, indè meritò inferentes nõ posse causas naturales quicquã ex nihilo producere, & absq; præuio subiecto operari, nec destruendo posse res naturales in prorsus nihil reducere.

Obiectiones.

Ob. Vel per generationem producitur substantia secundum essentiam, vel secundum existentiam, sed neutrum dici potest, ergo generatio substantialis non est possibilis. ma. patet, mi. probatur, rerum essentiæ sunt perpetuæ, & æternæ, ergo produci non possunt de nouo substantiæ quo ad essentiam; existentiã est extra essentiam substantiæ, vel ad summum est quidam modus substantialis, ergo si res produceretur quo ad existentiam tantùm nulla substantia produceretur, sed tantũ vel accid. vel modus substantialis. Resp. substantiã vtroq; modo generari, ita vt terminus generationis sit essentia realis, vt singularis, & existens, quatenus essentia totius est terminus productus, existentia verò est modus, sub quo fit. Nec essentiæ rerum æternæ dicũtur, quia ab æterno fuerunt, vt Scot. aduertit in 1. d. 36. sed solũ dicũtur æternæ secũdũ cõnexionem prædicatorũ essentialiũ.

Ob. Illud, quod substantialiter generatur, fieri deberet ex nõ ente simpliciter, sed ex nihilo nihil fit, ergo generatio de nouo non datur. Minor supponitur verissima ex dictis, ma. Pr. sicut se habet generatio secundum quid, ad non ens secundum quid, ita habere se debet generatio simpliciter ad nõ ẽs simpliciter, sed generatio secundum quid fit ex non ente secundũ quid, ergo generatio simpliciter fit ex non ente simpliciter. Resp. si non ens simpliciter in maiori negat totam entitatẽ, ita vt generatio fieri debeat ex nulla præiacente re, nec forma, nec materia, neg. ma. si intelligatur id quod generatur fieri debere ex eo, quod non est totũ illud compositum, quod fit, seu cathegorematicè, conceditur maior, sed mi. in hoc sensu est falsa, in quo etiam sensu tenet paritas de gen. secundum quid assumpta; sicut. n. ens secundum quid, vt homo alb9, fit ex nõ ente secundum quid, idest ex subiecto, cui deest accidentalis perfectio, per alterationem acquirenda; ità in illa propositione, ens simpliciter vt homo, fit ex non ente simpliciter, idest ex subiecto, cui deest substantialis perfectio, per ipsam

psam generationem acquirendā.

Ob. Totum non generatur, nisi per productionem partiū, sed materia, quæ est pars compositi naturalis est ingenerabilis ex 1. phys. ergo non potest dari noua generatio. Resp. ma. non esse semper verum, nam etiam si nulla pars de nouo produceretur, adhuc posset totum generari, vt patet in resurrectione; & ratio est quia (maximè in sent. nostra) totum non est hæc, & illa pars, sed substantia completa, quæ ex vnione illarum partium resultat, vndè sufficit, vt alia pars præsupponatur.

Ob. Si daretur generatio substātialis, ità vt aliquid remaneat ingenito, quod erat incorrupto, sequeretur, quod res specie diuersæ substantialiter non differrent, cùm in materia conueniant, & eadem materiæ entitas transiret de vna in aliam speciem. Resp. quòd sicut nō incōuenit res specie diuersas idem genus logicum habere, ità etiam non inconuenit idem habere genus physicum, & adhuc substantialiter differre per formas specificas; Neq; etiam inconuenit, eamdem materiæ entitatem, cùm sit commune subiectum formarum, transire ab vna in aliā successiuè; quia sic speciem suam intrinsecam, & essentiatem non mutat, sed tantùm aduentitiam, & extrinsecam; quemadmodū homo, de albo fit niger &c.

s (s ✠ s) s

ARTICVLVS TERTIVS

Quid sit generatio substantialis.

SCot. in 1. d. 2. q. 7. lit. K. & d. 5. q. 2. lit. E. & sæpè alibi distinguit de generatione in ratione productionis, & in ratione mutationis, aduertens non esse vnam rationem cum alia confundendam, sunt .n. valde diuersæ, & ab inuicē separabiles, ità vt inueniri possit generatio in ratione productionis, absq; ratione mutationis. Supponimus hic pro maiori articuli intelligentia, quòd quæstio illa ab Aliquibus agitata, an essentia generationis consistat in mutatione, an potius in actione, reducitur ad quæstionem de nomine, Philosophi namq; communiter in vtroq, sensu acceperunt, nempè, & pro actione generatiua, vt à creatiua distinguitur, & pro peculiari quadam specie motus, vel mutationis in communi, vt patet ex 1. phys. 6. & 5. Meth. 7. vbi Arist. generationem inter mutationis species recenset.

Auersa q. 37. sec. 3. non distinguit generationem in ratione productionis, & in ratione mutationis, sed vult esse eumdem actum in prædicamento actionis collocatū, & solùm differre per connotata, quatenus generatio mutatio connotat terminum à quo, generatio verò productio formaliter minimè. Sed Contra, generatio, vt productio formaliter est in Diuinis, nō vt mutatio. Item in ratione produ-

ctio-

ctionis est in genere relationis, cũ sit respectus intrinsecus aduenìens, in ratione mutationis directè in nullo est prædicamẽto, cùm sit respectus secundum quid. Item in ratione productionis pro terminis habet causam efficientem, & rem productam; in ratione mutationis, habet subiectum, formam, & priuationem, ergo &c.

Resp. Ioan. de S. Tho. hic q. 1. art. 2. & Aliqui Thomistæ, quòd generatio saltem in ratione productionis à subiecto dependentis, qualis est quæcumq; generatio creata, est essentialiter, & intrinsicè mutatio. Non placet, nam mundi initio in productione rerum non præcessit materia cum carentia formæ; ergo ibi non fuit mutatio quod etiam aliqui Thomistæ admittunt de formis Cælorum, & elementorum, quòd fuerint tunc eductæ à Deo, licèt talem productionem non generationem, sed eductionem aliqui appellent. Tum quia ex speciebus Eucharistiæ corruptis, aliquid producitur, tunc.n. in eodem instanti subrogatur materia, & generantur vermes, quæ productio non est creatio, sed generatio, vt S. Thomas docet 3. p. q. 77. art. 5. & non est vera priuatio realis in materia, quia materia non pcedit tẽpore formã, ergo mutatio realis non est prędicatum essentiale genericum generationis, licèt regulariter cũ ea cõiũcta reperiatur. ita Complut. nobiscum sentientes.

Ad hoc argum. Resp. M. Iacob. Brun. q. 1. de gen. art. 2. ex lisbonẽsi, quòd licèt tunc non pręcesserit priuatio in materia secundum se, pręcessit tamen in sua Vicaria .s. quantitate, tunc .n. Quantitas Eucharistica fungitur vice materię respectu vermis generandi, sed hæc responsio facile reiecta .est ex doctrina habita in phys. disp. 9. art. 11. vbi stabilitum fuit nullum accidens producere posse substantiã. Et si quantitas gerit vicem materiæ, ergo substantia vermis erit essentialiter cõposita ex forma substantiali viuente, & forma accidentali quantitatis. Quod autem subdunt Ioan. de S. Tho. cum aliquib. Tho. in his casib. sufficere ad mutationem, quòd priuatio præcedat formam prioritate naturæ, abundè satisfactum est in phys. disp. 3. art. 15. & 16. ex Doctrina Scoti multis in locis, physicè .n. mutari est rem aliter se habere nunc. quàm prius, sed instans, seu prioritas naturæ nõ mensurat existẽtiam rei, sed solùm notat præcisionem secundum quã aliquid sua natura aptum est alicui conuenire, vel non conuenire, non autem quòd de facto conueniat, vel non conueniat, ergo præcedere priuationem in materia in instanti naturæ, aliud non est, quàm quòd priuatio natura sua materiæ conueniret, nisi ab agente extrinseco excluderetur per introductionem formæ, non autem quòd de facto conueniat, quia iam in instanti tẽporis supponitur habere formam, & implicantia est asserere subiectum

esse

esse simul cum priuatione, & sub forma. Tum quia subiectũ per mutationem dicitur relinquere priuationem, & acquirere formam, at quomodo relinquere potest id q nunquam habuit, sed solùm habere potuit. Tum quia mutari est aliter se habere nunc, quã prius se habebat, sed per mutationem aptitudinalem, res non dicitur aliter se habere, quàm prius, cùm semper aptitudo permaneat, siue actus secundus existat siue non. ergo &c.

Poncius licèt disp. 1. de gen. nu. 3. asserat, ad veram mutationem opus non esse, vt priuatio præcedat prius tẽpore formam, & quòd hoc non sit neq; contra Scot. neq; contra veritatem, tamen in append. Apolog. nu. 166. ait, quòd in hoc puncto inter ipsum, & Mastr. & Bell. non est nisi quæstio de nomine; si. n. physica mutatio propriè, & strictè sumatur, vtiq; ait, opus esse, quòd priuatio præcedat duratione formam in materia, in quo sensu locutus est Scot. hæc præfatus Doctor, quibus verbis iunctis pedib. in nostram recidit sententiam, nos n. cum Bell. & Mastr. in sensu rigoroso loquimur, definitionem mutationis ponderantes, desumptã ex 1. phys. 32. quòd .s. mutari est rem aliter se habere nunc, quàm prius se habebat.

M. Iacob. Brun. in fine Art. 2. ait quòd de essentiali conceptu generationis sit mutatio, abstrahendo tamen à mutatione actuali, & aptitudinali, nam in generationibus, quæ ordinario, & naturali modo fiunt, requiritur actualis mutatio, in generationibus verò, quæ modo miraculoso succedunt in casu quo creatur materia, & in eodem instãti temporis, ex illa educitur forma, mutatio aptitudinalis, & exigita est de essentiali conceptu generationis; quem modum dicendi libẽter recipimus, si generatio concipiatur sub ratione mutationis, non .n. nostræ opponitur doctrinæ, imò potius nostram confirmat opinionem. si. n. in tali casu istæ censentur generationes miraculosæ, & præseferunt mutationem aptitudinalem, ergo non possunt dici veræ, & rigorosæ creationes, vt ipsi pretendunt, creatio .n. diametraliter conceptui generationis, & mutationis opponitur.

Ruu. q. 2. concedit in illis casib nempè in productione Cælorum, elementorum &c. mutationem nõ interuenire, sed negat tunc compositum fieri per generationem, sed fieri ait per puram, & solam eductionem, quæ est actio essentialiter distincta a generatione, nam eductio est actio ex præsuppositio subiecto, & generatio vlterius est à priuatione ad formam. Non valet, & potius fauet nobis, si. n. eductio est actio essentialiter distincta à generatione, debentur eis termini realiter distincti, à quibus specificentur, & quia proprius terminus actionis eductiuæ est forma, non rectè ponitur à Ruu. in illis casibus compositum, nam compositum nõ

dicitur educi, sed generari. Tùm quia agens educendo formam respicit materiam, vt subiectum, & causam extrinsecam rei producendæ; at producendo compositum respicit materiam vt partem rei productæ, & causam intrinsecam eius. ergo etiam in illis casibus compositum acciperet esse per generationem, non per eductionem, nisi præsuppositiuè in quantum productioni compositi, præsupponitur eductio formæ in materia, ex quibus resultat. Tum quia defectus priuationis non tollit rationem generationis, quatenus productio est, sed solùm quatenus mutatio est, vt diximus in phys. nam priuatio non est principium generationis per se sub ratione productionis, sed mutationis.

Hoc igitur supposito, quòd hæc duplex acceptio generationis in ratione productionis, & mutationis non solùm essentialiter distinguuntur, sed etiam seperabiles sint, quã sent. quæ est Scoti, sequuntur etiã quamplures ex exteris Recentiores, vt Complut. loc. citat. Aresius disp. 2. de gen. q. 9. sec 2. Fonsec. 5. meth. cap. 2. q. 6. sec. 3. Zenardus, Hurt. & Alij, remanet vt naturam generationis singillatim in vtraque acceptione declaremus, quod non faciunt alij Recentiores, vnam acceptionem cum alia confundentes, vel si illas distinguunt, non tamen explicant, nisi sub altera tm acceptione.

Conclusio Prima.

Loquendo de generatione substantiali sub ratione productionis, sic à Scotistis definiri solet. *Est Actio productiua termini, seu compositi substãtialis dependenter à subiecto.* Declaratur quo ad singulas eius particulas. *Dicitur actio productiua*; loco generis, in hac .n. acceptione non solùm cũ generatione accidentali conuenit; sed etiam cum creatione, quia omnes sub hac ratione respectum important intrinsecus aduenientem causæ efficientis ad effectum productum; & per hunc eamdem particulam secernitur etiam ab alia acceptione .s. mutationis, ac etiam à conuersione; nam mutatio respicit terminum à quo, & ad quem & propriè importat transitum subiecti communis ab vna in aliam formam, omnino præscindendo à causa efficiente, & ab effectu producto, vnde eius principia essentialia instituuntur subiectum, seu materia, forma, & priuatio. Differt etiam à conuersione, quia conuersio intrinsecè, & formaliter solùm respicit rem desinẽtem, vt terminum à quo & succedentem ex vi desitionis illius, vt terminum ad quem, nõ autem agens, hinc dicimus aquam conuerti in aerem, lignum in ignẽ, ab agente omninò præscindendo; Et tandem, per hoc generatio secernitur ab actione vnitiua partiũ, quam dici solet vnitio, per vnitionem .n. agens nullam substantiam formaliter producit, sed solùm vnit partes ad inuicem, vnde terminus

nitionis est vnio, quæ importat respectum extrinsecus aduenientē, non compositum, & consequenter unitio dici non potest actio substātialis, productiua, sicuti est generatio, sed tantum vnitiua.

Dicitur actio productiua *termi-ni, seu cōpositi substantialis*, vt ab omni accidentali actione, & productione distinguatur, & consequenter insinuetur esse actionem distinctam à præuia alteratione, contra Thomist. qui volunt in vltimo instanti alterationis resultare formam substantialem ex eadem ipsa alteratione, absque alia noua actione, quod nos falsum censemus, nequit per eamdem actionem fieri acc. & substantia, quia actiones à terminis specificantur. Fortè dicēt, admittimus formam substātialem non esse terminum ab alteratione productum, hic, n. est qualitas, ac propterea illam non specificare, sed dici terminum quatenus consequitur, & resultat sine noua efficientia, propter connexionem naturalem cum illis dispositionibus, sicut resultant passiones sine noua actione, posita iam essentia.

Sed contra, si pro forma accidentali datur propria actio, cur non etiam pro forma substantiali? Tum quia actio alteratiua fit medijs accidentibus, quæ nequeunt productionem substantię attingere ex dictis in phys. disp. 9. art. 11. & per hoc soluitur eorum fundamentum, aiunt .n. quòd generatio non potest importare actionem distinctam ab alteratione, quia substantia non habet actionem aliquam nisi medijs accidētibus, & quia post alterationem præcedens compositum corrumpitur, & consequenter omnia eius accidentia, non habebit agens per quid deinceps agat, ideoq; oportet, quòd eadem actio V. G. quæ calorem attingit, transeat ad substantiam ignis, mediante positione caloris, resultantem ex connexione ad illum. Non valet, nam substantia est immediatè actiua substantiæ, & actione substantiali ex loc. cit. in physica. Neque resultantia semper excludit veram efficientiam, vt in phys. patet disp. 9. artic. 2. sed aliquando denotat tantùm necessitatem connexionis vnius actionis cum alia, & ità in casu accipiendum est generationem consequi ad alterationem, & quasi ex ea resultare, non veluti passiones ab essentia, vt Thomistæ autumant, nam istæ ab essentia resultāt, quia cum ea semper esse, & existere postulant, forma vero substantialis, & generatio est incompossibilis cum alteratione, sed resultare dicitur quia actio alteratiua est dispositio necessitans ad generatiuā, post quam, n. agens naturale alterauit subiectum, per præuias dispositiones vsque ad certum terminū, necessariò generat introducēdo formam substantialem, & hoc potius denotat alterationem, & generationem esse actiones distinctas, vnam tamen ad aliam ordinatam, hinc quia generatio substan-

tus mobilis; At in substantijs corruptibilibus quæ sic sunt, vt possint non esse, impossibile est post corruptionem eadem numero redire, sed solùm specie. Sed totus hic discursus de perenni rerum generatione est Arist. qui mundum posuit Æternum, in quo tamen secundum fidem deceptus est. & hæc pro rudi quadam text. notitia sufficiant, cuius potiora dubia in disputationibus exactius examinabuntur.

DISPVTATIO PRIMA

ARTICVLVS PRIMVS PROEMALIS

De Subiecto horum librorum Adæquato.

SCotus Obiecti cōditiones recolés ex 1. post. facillimā nobis parauit viā ad naturā obiecti in scientijs venandam, vt in logica, & Physica iam ostendimus. Multæ, & variæ de obiecto horum librorum extant sent. Aucrroes, Alber. & Alij statuerunt pro obiecto corpus simplex, seu elementum, vt est mobile, non quidem ad Vbi, q a hoc modo de ipso agitur in lib. de Cælo, sed vt mobile est ad formam absolutam. Complut. Bannes, Ioan. de S. Thoma, & quamplures Thomistæ, ponunt ens mobile ad formam intrinsecam, seu absolutam, quam mobilitatem Ban. non accipit pro radice, & fundamento .s. pro naturalitate, sed pro passione, & aptitudine ad motū. Tolet. vult subiectum esse mutationem secundum formam, prout generationē, augmentationem, & alterationem comprehendit. Cui Aresl. addit huiusmodi mutationem esse subiectū materiale, formale verò esse, quatenus est passio corporis naturalis; Arriaga, quòd sit generatio substātialis. Orbellus noster, Rua. Conimb. & Alij quòd sit corpus caducum, seu generabile, & corruptibile quatenus est mobile ad formā absolutam. Zabarel. lib. de natur. Philos. constit. cap. 21. Biragus noster, & Moris. assignant pro subiecto, Corpus mixtum, & videtur probabilior, & nostræ sententiæ conformior.

Conclusio.

Dicimus, subiectum adæquatum virtualis continentiæ in his duob. libris esse corpus mixtum, vt talem habens naturam. Prob. primò per alias opiniones discurrendo, non .n. poni potest generatio, vel mutatio ad formam absolutam, quia ex dictis in logica, nullum principium, vel passio statui potest subie-

ctum

ctum in aliqua principali parte, scientiæ totalis, sed semper esse debet species aliqua obiecti totalis, & adęquari, sed generatio, siue mutatio non est species, sed potius passio corporis naturalis, quod est subiectum totius Philosophiæ adæquatum, ergo generatio, vel mutatio non potest hic pro subiecto partiali constitui, vnde relati Doctores hanc sent. amplectentes, ordinem scientiæ inuertunt, in scientia .n. obiectum se tenet ex parte subiecti in conclusione, passio verò ex parte prædicati, & ita ordo sciẽtiæ inuersus, sicuti quis in Philos. poneret pro subiecto motum in communi, vt passio est corporis naturalis. Neq; elementa hic constitui possunt obiectum, nã in his libris exceduntur, generatio .n. alteratio, mixtio, nutritio, augmẽtatio elementis non conueniunt, vel solùm ipsis cõuenirẽt, quod falsum est. Tum quia de corpore simplici etiam, vt mobile est ad formam; seu vt generabile, & corruptibile est, agitur in lib. de Cælo, ergo non potest constitui obiectum horum librorum. Neq; corpus caducum commune ad elementa, & mixta poni debet hic pro subiecto, quia non debet de eadem re sub eadem consideratione bis in scientia tractari; cùm igitur Arist. de elementis differat in 3. & 4. de Cęlo, nõ debuit iterum de ipsis per se in his libris agere, sed sub alia ratione.

Probatur 2. ratione: Scientia diuidi debet ad diuisionem subiecti, & à subiecto generico ad specifica descendere, ergo quia corpus naturale in communi est subiectum in Philos. quod primò diuiditur in simplex, & mixtum ex 1. Cæli 7. & de Corpore simplici iã egit in lib. de Cælo, sequitur, quòd in his lib. quos immediatè lib. de Cælo connectit, de corpore mixto, vt de altera specie corporis naturalis, egerit; & quia ratio formalis non debet excedere, nec excedit à materiali subiecto ex habitis in logica; hinc ratio formalis nõ erit naturalitas in communi, sed propria mixto corpori conueniens. Tum quia sic habet omnes conditiones ad subiectum à Scoto requisitas, præsupponitur .n. eius quid est, & quia est, quia ipsum Arist. definiuit 1. Cæli 7. vbi corpus mixtum à simplici distinguit à posteriori per habere principium mixti motus, & 3. Cæli à tex. 30. & 2. de gen à tex. 46. à priori mixtum ab elementis per hoc distinguit, quòd illud in sui cõstitutione alia priora corpora præsupponit, non autẽ elementa. Eius principia explicantur, dum ostenditur, mixtum ex elementis tanquã ex principijs materialib. constare. Esse quoq; generabile, corruptibile &c. & omnia hic considerata ad ipsum habent attributionem, elemẽta .n. non absolutè contemplantur, sed vt principia sũt mixtorũ. generatio, corruptio, alteratio, nutritio, mixtio, actio, passio &c. ad ipsũ reducuntur, vel tamquã passiones, vel tamquam conditiones passionum.

Obiectiones.

Ob. Hi libri inscribuntur de generatione, & corruptione, non de corpore mixto, ergo generatio, & corruptio, vel mutatio ad generationẽ, & corruptionem erit subiectum, non corpus mixtum. Resp. non semper inscriptionem librorũ desumi à subiecto adæquato, sed aliquando à subiecto principaliori, vt in lib. de Cælo. quandoq; à principaliori principio, vt in lib. Phys. in quib. denominatio accipitur è natura, quandoq; à prima passione, vt in præsenti sumitur, generatio .n. est prima, & principalis passio, quæ hic de subiecto demonstratur. Neq; sufficit ad rationẽ subiecti, quod principia habeat, nã etiã passiones habent principia, sed requiritur, quod per principia, passiones de ipso subiecto demõstrentur, quod nõ cõpetit generationi, sed corpori mixto.

Ob. Sicut in lib. de Anima non corpus animatum, sed anima est subiectum. in lib. de somno, & vigilia, non animal. sed somnus, & vigilia sunt subiectum, licèt hæc õnia viuenti conueniant, sic etiam in his libris generatio, vel mutatio erit subiectum, quamuis hæc corpori conueniant. Resp. negãdo paritatem, quando .n. aliquod obiectũ partiale plures habet affectiones, & principia, possunt de illo plures partiales tractatus institui, in quib. affectiones, vel earũ principia erunt subiectum inadęquatũ, obiectum autem illarum passionũ erit obiectum adęquatũ in omnib^9 illis libris, quibus complete, & adęquatè ipsius natura explicatur, vt exemplo adducto patet, nam corpus animatum declaratur adæquatè in lib. de An. Paruorum natur. de Animalibus, & plantis, licèt in quolibet libro aliud, & aliud sit subiectum partiale inadęquatum; at in proposito corpus mixtũ adæquatè, & complete in his libris explicatur, ideoq; ipsum erit obiectũ, non aliqua passio. Neq; in libris de an. subiectum propriè, & adæquatè erit Anima, nisi impropriè, & amplè, & prout cum obiecto considerationis coincidit, quatenus principium est corporis animati, obiectum autem partiale adæquatũ propriè erit corpus animatũ, vt in lib. de an. (Deo duce) videbim^9.

Ob. quòd corpus caducũ vt sic, est subiectum horum librorũ, quod euidẽter deducitur ex verbis Arist. initio text. 1. vbi ait: de generatione autem, & corruptione, quæ natura generantur, & corrumpuntur &c. Tum quia communiora prius declaranda veniunt, quàm minus communia, sed corpus caducum communius est, quia se extendit nõ solùm ad mixta, sed etiam ad elementa, quæ quoq; corruptibilia, & generabilia sunt, ergo corpus caducum in communi erit hic subiectum, non corpus mixtum. Resp. concedendo Arist. de generatione omnium hic egisse, non tamen eodem modo, sed generationem in communi considerauit in gratiam generationis mistorũ, sicut, & genera-

nerationem elementorum ad generationem mixtorum ordinauit. Poterat vtique Arist. prius corpus corruptibile in communi considerare, & deinde ad elementa, & mixta descendere, sed non fecit, quia non diuisit corpus in communi per corruptibile, & incorruptibile, vt prius ageret de incorruptibili. s. Cælo, & deinde de corruptibili; sed ipsum diuisit per simplex, & mixtum, ideoq; rationabiliter iuxta hanc diuisionem constituendi sunt tractatus philosophiæ.

Ob. Quòd subiectum horum librorum nō sit corpus mixtum: Alteratio, actio, & passio excedunt ipsum mixtum, nam alteratio conuenit etiam Cælis; actio, & passio non solùm mixtis, sed etiam elemētis conueniunt, ergo quia hic agitur de alteratione, actione, & passione, corpus mixtum exceditur à tali consideratione, & consequenter non potest esse obiectum adæquatum. Resp. quòd estò alteratio, vt sic excedat mixtum, cùm saltem alteratio perfectiua etiā Cælo cōpetat, hic tamen præsertim consideratur illa, quæ inter contrarias versatur qualitates, & generationi inseruit, quo etiam sensu actio, & passio hic considerantur.

Ob. debebat Arist. suam hanc intentionem nobis manifestare, vt in alijs libris fecit, & tamen nullibi de corpore mixto mentionem fecit. Resp. satis Arist. suam intentionem insinuasse, dum in 2. tex. 43. elementa vocat materiam mixtorum, vnde etiam colligitur illū in his libris considerasse vt principia, non vt partes subiecti; & 1. Cæli tex. 7. diuisit corpus naturale in communi in simplex, & mixtum; Non potuit autem exactè generationem, & corruptionem actualem elementorum explicare per se, & primariò, cùm non corrumpantur, & generentur secundum totū, sed solùm secundum partes, mixta verò secundum totum generantur, ideòq; rationabiliter generationē elementorum in gratiam corporis mixti considerauit.

ARTICVLVS SECVNDVS

An dentur generatio, & corruptio substantialis.

SCot. De hoc Art. disertè agit in 4.d.11.q 3.lit.y.& seq.& in 3.d.22.q.vn.& alibi sæpè. Pro cuius intelligentia supponendū 1. rationabiliter nos hanc primā disputationē de generat. & corrupt. instituere, generatio .n. substantialis via est ad substantiam, quæ cùm omnia accidentia præcedat, prius etiam à nobis consideranda erit; Et licèt alteratio prior sit generatione in genere causæ materialis, seu dispositiuæ, & ordine executionis, quia tamen in genere causæ formalis, & finalis, seu ordine intētionis, ipsa alteratio posterior est generatione substātiali, hinc in philos. regulariter priꝰ de generatione substātiali agitur, quàm de accidētali. Sub vna tamen disputatione,

naturam generationis, & corruptionis comprehendemus, plures.n. sunt questiones vtriq; communes; & generatio vnius, est corruptio alterius, & è contra, Vndè simul consideratæ valdè sese inuicem iuuant, & vnius cognitio alterius notitiam aperit. Supponendũ 2. Antiquos philosophos, Platonem, & Arist. præcedentes nempè Anaxagorã, Democr. Leucip. Empedocl. Diogen. & alios Veteres ab ipso Arist. relatos 1. phys. & 1. de gen. omnem generationem, & corruptionem substantialem negasse, sed omnem mutationem fieri dicebant ex congregatione, vel disgregatione elementorum vt in mixtis, aut atomorum, vt in cæteris corporibus, vel esse mutationem tantùm accidentium, inuariata permanẽte substãtia, quos bene arguebat Aris. quòd sic opinantes, generationem ab alteratione non distinguebant.

Conclusio.

Dicimus, Dari generationem substantialem, quæ est transitus de non esse formæ substantialis, ad esse formæ substantialis, seu de non esse compositi substantialis, ad esse compositi substantialis. Conclusio est Arist. D. Tho. Scot. & omnium Peripat. quæ tamen licèt communissima sit, non tam ita facilis probatu. à Ruu. Lisbon. Ponc. & alijs ità probatur: Datur materia prima, quæ est pura potentia ad omnes formas generabilium, ergo dari debet generatio substantialis, aliter talis potentia frustra esset. Sed hæc ratio non est à priori; ratio .n. demonstratiua ex notioribus constare debet, sed materia prima est ignotior generatione substantiali, imò generatio, & corruptio sunt principium veniẽdi in cognitionẽ materiæ primæ, ergo materia prima non potest esse principium veniendi in notitiam gen. & corruptionis substantialis. Non negamus tamen, quòd si aliunde supponatur probatum dari materiam primam, tunc bene deduceretur dari generationem substantialem.

Complut. ità probant: Viuens perfectum naturalem habet appetitum ad generandum sibi simile, quia cùm sit corruptibile, naturaliter appetit perpetuitatem, quã cũ nequeat cõsequi in suo proprio esse, appetit illã consequi in alio indiuiduo sibi simili, aliàs appetitus naturalis esset frustra, ergo possibilis est generatio substãtialis. Sed hæc ratio non satis conuincit, nam qui negaret generationem, negaret etiam corruptionem, & diceret appetitum animalis non esse ad generandum, sed ad alterandum. Tum quia licèt admittamus in viuentib. appetitum ad perpetuitatem, non tamen ex hoc sequitur præcisè appetitus ad generationem, nisi prius probaretur, quòd perpetuitas non potest haberi nisi per generationẽ, quod tales Doctores non faciunt. Tum quia non magis viuentia appetere debent perpetuitatem, quã aliæ substantiæ, sed ex appetitu, quem habent aliæ substantiæ ad sem-

per esse non constat, quòd alias substantias generare possint, vt patet de lapidib. gēmis, metallis &c. ergo ex appetitu viuētium ad perpetuitatem, non bene deducitur dari generationem substantialem.

Alij sic probant: Ex existentia medij per se ordinati ad aliquem finem, rectè infertur existentia, vel possibilitas finis, quia nulla res naturaliter inclinatur ad aliquod impossibile, sed datur alteratio physica corruptiua, quæ per se saltem dispositiuè ordinatur ad generationem substantiæ v. g. calefactio in ligno, ergo possibilis est generatio substantialis. Non vrget simpliciter, & absolutè, nam Antiqui, qui ponebant materiam esse totam substantiam rei, & qui generationem ab alteratione non distinguebant, negassent alterationem esse medium, & generationem esse finem.

Melius igitur Conclusio probari nō potest, quàm medijs Arist. qui 1. phys. & 1. de gen. contra Antiquos duob. principijs hoc probat; Vnum est, non omnis mutatio, quæ in sublunaribus quotidiè cernitur, est accidentalis; Alterum est, virib. naturæ ex nihilo nihil fit. Primum quotidiano experimento comprobatur, nam in die homines, & animalia oriri, & interire videmus, ignē de nouo in subiecto disposito generari, ex arbore fructus produci, granum tritici humi sepultum corrumpi, & ex eo corrupto spicam pullulare, & alia similia, in quibus non sola accidentia acquiruntur, vel omittuntur, sed veræ formæ substantiales, ergo &c. Probat hoc Arist. 1. de gen. 18. in quibusdam.n. mutationibus res nō dicuntur simpliciter fieri, vel destrui, sed fieri tales, & desinere esse tales, v.g. dum homo fit albus, Petrus fit niger &c. homo non fit simpliciter, sed iam supponitur constitutus, nec Petrus constituitur in esse per nigredinem, vt omnib. patet, cùm multo tempore sine tali accidente existerit, vel existere poterat, ergo istæ sunt mutationes accidentales; quædam verò dicuntur simpliciter fieri, vel corrumpi; verè .n. animal interit, fit cadauer, & generātur vermes, ignis exstinguitur, & fit cinis &c. Tum quia si operationes diuersæ, diuersas arguunt formas, & naturas, & post animalis interitum, omnes operationes deficiunt, motus, vita &c. & post ignis extinctionem, calefactio, illuminatio, exiccatio &c. & aliæ prorsus diuersæ apparent, ergo res substantialiter, & non accidentaliter tantùm mutantur, quia res per formā accidentalem non mutat esse substantiale, cùm adsit, & absit fine subiecti corruptione. Tum Tandē, quia de fide tenemus animam rationalem esse formam substantialē hominis, qui de nouo generatur per infusionem animæ rationalis in corpore, & per eius separationem statim moritur, ergo &c.

Alterū principium: *ex nihilo nihil fit*, per causas naturales, quod princi-

cipium communi calculo Philos. receptũ est; hinc Auerroes 2. meth. com. 15. hanc propositionẽ ponit, vt primum principium, & per se notũ; & præcipua ratio, quæ phil. in hoc commune principium impulit, fuit quotidiana experientiã, quia videbant nunquã aliquid de nouo fieri, nisi præcedente aliquo alio, ex quo illud fieret, vt animal ex semine &c. & nunquam agentia naturalia aliquid operari, nisi in aliquo subiecto, & dum aliquid corrumpitur, semper in genito aliquid remanere, quod erat in corrupto, indè meritò inferentes nõ posse causas naturales quicquã ex nihilo producere, & absq; præuio subiecto operari, nec destruendo posse res naturales in prorsus nihil reducere.

Obiectiones.

Ob. Vel per generationem producitur substantia secundum essentiam, vel secundum existentiam, sed neutrum dici potest, ergo generatio substantialis non est possibilis. ma. patet, mi. probatur, rerum essentiæ sunt perpetuæ, & æternæ, ergo produci non possunt de nouo substantiæ quo ad essentiam; existentiã est extra essentiam substantiæ, vel ad summum est quidam modus substantialis, ergo si res produceretur quo ad existentiam tantùm nulla substantia produceretur, sed tantũ vel accid. vel modus substantialis. Resp. substantiã vtroq; modo generari, ita vt terminus generationis sit essentia realis, vt singularis, & existens, quatenus essentia totius est terminus productus, existentia verò est modus, sub quo fit. Nec essentiæ rerum æternæ dicũtur, quia ab æterno fuerunt, vt Scot. aduertit in 1. d. 36. sed solũ dicũtur æternæ secũdũ cõnexionem prædicatorũ essentialiũ.

Ob. Illud, quod substantialiter generatur, fieri deberet ex nõ ente simpliciter, sed ex nihilo nihil fit, ergo generatio de nouo non datur. Minor supponitur verissima ex dictis, ma. Pr. sicut se habet generatio secundum quid, ad non ens secundum quid, ità habere se debet generatio simpliciter ad nõ ẽs simpliciter, sed generatio secundum quid fit ex non ente secundũ quid, ergo generatio simpliciter fit ex non ente simpliciter. Resp. si non ens simpliciter in maiori negat totam entitatẽ, ita vt generatio fieri debeat ex nulla præiacente re, nec forma, nec materia, neg. ma. si intelligatur id quod generatur fieri debere ex eo, quod non ęst totũ illud compositum, quod fit, seu cathegorematicè, conceditur maior, sed mi. in hoc sensu est falsa, in quo etiam sensu tenet paritas de gen. secundum quid assumpta; sicut .n. ens secundum quid, vt homo alb', fit ex nõ ente secundum quid, idest ex subiecto, cui deest accidentalis perfectio, per alterationem acquirenda, ità in illa propositione, ens simpliciter vt homo, fit ex non ente simpliciter, idest ex subiecto, cui deest substantialis perfectio, per

ipsam generationem acquirendam.

Ob. Totum non generatur, nisi per productionem partiũ, sed materia; quæ est pars compositi naturalis est ingenerabilis ex 1. phys. ergo non potest dari noua generatio. Resp. ma. non esse semper veram, nam etiam si nulla pars de nouo produceretur, adhuc posset totum generari, vt patet in resurrectione; & ratio est quia (maximè in sent. nostra) totum non est hæc, & illa pars, sed substantia completa, quæ ex vnione illarum partium resultat, vndè sufficit, vt alia pars præsupponatur.

Ob. Si daretur generatio substãtialis, ità vt aliquid remaneat in genito, quod erat incorrupto, sequeretur, quod res specie diuersæ substantialiter non differrent, cùm in materia conueniant, & eadem materiæ entitas transiret de vna in aliam speciem. Resp. quòd sicut nõ incõuenit res specie diuersas idem genus logicum habere, ità etiam non inconuenit idem habere genus physicum, & adhuc substantialiter differre per formas specificas; Neq; etiam inconuenit, eamdem materiæ entitatem, cùm sit commune subiectum formarum, transire ab vna in aliã successiuè; quia sic speciem suam intrinsecam, & essentialem non mutat, sed tantùm aduentitiam, & extrinsecam; quemadmodũ homo, de albo fit niger &c.

s (s ✠ s) s

ARTICVLVS TERTIVS
Quid sit generatio substantialis.

SCot. in 1. d. 2. q. 7. lit. K. & d. 5. q. 2. lit. E. & sæpè alibi distinguit de generatione in ratione productionis, & in ratione mutationis, aduertens non esse vnam rationem cum alia confundendam, sunt n. valde diuersæ, & ab inuicẽ separabiles, ità vt inueniri possit generatio in ratione productionis, absq; ratione mutationis. Supponimus hic pro maiori articuli intelligentia, quòd quæstio illa ab Aliquibus agitata, an essentia generationis consistat in mutatione, an potius in actione, reducitur ad quæstionem de nomine, Philosophi namq; communiter in vtroq; sensu acceperunt, nempè, & pro actione generatiua, vt à creatiua distinguitur, & pro peculiari quadam specie motus, vel mutationis in communi, vt patet ex 1. phys. 6. & 5. Meth. 7. vbi Arist. generationem inter mutationis species recenset.

Auersa q. 37. sec. 3. non distinguit generationem in ratione productionis, & in ratione mutationis, sed vult esse eumdem actum in prædicamento actionis collocatũ, & solùm differre per connotata, quatenus generatio mutatio connotat terminum à quo, generatio verò productio formaliter minimè. Sed Contra, generatio, vt productio formaliter est in Diuinis, nõ vt mutatio. Item in ratione produ-

ctio-

ctionis est in genere relationis, cũ sit respectus intrinsecus adueniens, in ratione mutationis directè in nullo est prædicamẽto, cùm sit respectus secundum quid. Item in ratione productionis pro terminis habet causam efficientem, & rem productam; in ratione mutationis, habet subiectum, formam, & priuationem, ergo &c.

Resp. Ioan. de S. Tho. hic q. 1. art. 2. & Aliqui Thomistæ, quòd generatio saltem in ratione productionis à subiecto dependentis, qualis est quæcumq; generatio creata, est essentialiter, & intrinsicè mutatio. Non placet, nam mundi initio in productione rerum non præcessit materia cum carentia formæ; ergo ibi non fuit mutatio quod etiam aliqui Thomistæ admittunt de formis Cælorum, & elementorum, quòd fuerint tunc eductæ à Deo, licèt talem productionem non generationem, sed eductionem aliqui appellent. Tum quia ex speciebus Eucharistiæ corruptis, aliquid producitur, tunc. n. in eodem instanti subrogatur materia, & generantur vermes, quæ productio non est creatio, sed generatio, vt S. Thomas docet 3. p. q. 77. art. 5. & non est vera priuatio realis in materia, quia materia non p̃cedit tẽpore formã, ergo mutatio realis non est prędicatum essentiale genericum generationis, licèt regulariter cũ ea cõiũcta reperiatur. ita Complut. nobiscum sentientes.

Ad hoc argum. Resp. M. Iacob. Brun. q. 1. de gen. art. 2. ex lisbonẽsi, quòd licèt tunc non pręcesserit priuatio in materia secundum se, pręcessit tamen in sua Vicaria. s. quantitate, tunc. n. Quantitas Eucharistica fungitur vice materię respectu vermis generandi, sed hæc responsio facile reiecta. est ex doctrina habita in phys. disp. 9. art. 11. vbi stabilitum fuit nullum accidens producere posse substantiã. Et si quantitas gerit vicem materiæ, ergo substantia vermis erit essentialiter cõposita ex forma substantiali viuente, & forma accidentali quantitatis. Quod autem subdunt Ioan. de S. Tho. cum aliquib. Tho. in his casib. sufficere ad mutationem, quòd priuatio præcedat formam prioritate naturæ, abundè satisfactum est in phys. disp. 3. art. 15. & 16. ex Doctrina Scoti multis in locis, physicè. n. mutari est rem aliter se habere nunc, quàm prius, sed instans, seu prioritas naturæ nõ mensurat existẽtiam rei, sed solùm notat præcisionem secundum quã aliquid sua natura aptum est alicui conuenire, vel non conuenire, non autem quòd de facto conueniat, vel non conueniat, ergo præcedere priuationem in materia in instanti naturæ, aliud non est, quàm quòd priuatio natura sua materiæ conueniret, nisi ab agente extrinseco excluderetur per introductionem formæ, non autem quòd de facto conueniat, quia iam in instanti tẽporis supponitur habere formam, & implicantia est assere subiectum

esse

esse simul cum priuatione, & sub forma. Tum quia subiectũ per mutationem dicitur relinquere priuationem, & acquirere formam, at quomodo relinquere potest id ꝙ nunquam habuit, sed solùm habere potuit. Tum quia mutari est aliter se habere nunc, quã prius se habebat, sed per mutationem aptitudinalem, res non dicitur aliter se habere, quàm prius, cùm semper aptitudo permaneat, siue actus secundus existat siue non. ergo &c.

Poncius licèt disp. 1. de gen. nu. 5. asserat, ad veram mutationem opus non esse, vt priuatio præcedat prius tẽpore formam, & quòd hoc non sit neq; contra Scot. neq; contra veritatem, tamen in append. Apolog. nu. 156. ait, quòd in hoc puncto inter ipsum, & Mastr. & Bell. non est nisi quæstio de nomine; si.n. physica mutatio propriè, & strictè sumatur, vtiq; ait, opus esse, quòd priuatio præcedat duratione formam in materia, in quo sensu locutus est Scot. hæc præfatus Doctor, quibus verbis iunctis pedib. in nostram recidit sententiam, nos .n. cum Bell. & Mastr. in sensu rigoroso loquimur, definitionem mutationis ponderantes, desumptã ex 1. phys. 32. quòd .s. mutari est rem aliter se habere nunc, quàm prius se habebat.

M. Iacob. Brun. in fine Art. 2. ait quòd de essentiali conceptu generationis sit mutatio, abstrahendo tamen à mutatione actuali, & aptitudinali, nam in generationibus, quæ ordinario, & naturali modo fiunt, requiritur actualis mutatio, in generationibus verò, quæ modo miraculoso succedunt in casu quo creatur materia, & in eodem instãti temporis, ex illa educitur forma, mutatio aptitudinalis, & exigita est de essentiali conceptu generationis; quem modum dicendi libẽter recipimus, si generatio concipiatur sub ratione mutationis, non .n. nostræ opponitur doctrinæ, imò potius nostram confirmat opinionem, si .n. in tali casu istæ censentur generationes miraculosæ, & præseferunt mutationem aptitudinalem, ergo non possunt dici veræ, & rigorosæ creationes, vt ipsi pretendunt, creatio .n. diametraliter conceptui generationis, & mutationis opponitur.

Ruu. q. 2. concedit in illis casib᷒ nempè in productione Cælorum, elementorum &c. mutationem nõ interuenire, sed negat tunc compositum fieri per generationem, sed fieri ait per puram, & solam eductionem, quæ est actio essentialiter distincta a generatione, nam eductio est actio ex præsupposito subiecto, & generatio vlterius est à priuatione ad formam. Non valet, & potius fauet nobis, si .n. eductio est actio essentialiter distincta à generatione, debentur eis termini realiter distincti, à quibus specificentur, & quia proprius terminus actionis eductiuæ est forma, nonrectè ponitur à Ruu. in illis casibus compositum, nam compositum nõ

dicitur educi, sed generari. Tùm quia agens educendo formam respicit materiam, vt subiectum, & causam extrinsecam rei producendæ; at producendo compositum respicit materiam vt partem rei productæ, & causam intrinsecam eius. ergo etiam in illis casibus compositum acciperet esse per generationem, non per eductionem, nisi præsuppositiuè in quantum productioni compositi, præsupponitur eductio formæ in materia, ex quibus resultat. Tum quia defectus priuationis non tollit rationem generationis, quatenus productio est, sed solùm quatenus mutatio est, vt diximus in phys. nam priuatio non est principium generationis per se sub ratione productionis, sed mutationis.

Hoc igitur supposito, quòd hæc duplex acceptio generationis in ratione productionis, & mutationis non solùm essentialiter distinguuntur, sed etiam seperabiles sint, quã sent. quæ est Scoti, sequuntur etiã quamplures ex exteris Recentiores, vt Complut. loc. citat. Aresius disp. 2. de gen. q. 9. sec. 2. Fonsec. 15. meth. cap. 2. q. 6. sec. 3. Zenardus, Hurt. & Alij, remanet vt naturam generationis singillatim in vtraque acceptione declaremus, quod non faciunt alij Recentiores, vnam acceptionem cum alia confundentes, vel si illas distinguunt, non tamen explicant, nisi sub altera tm acceptione.

Conclusio Prima.

Loquendo de generatione substantiali sub ratione productionis, sic à Scotistis definiri solet. *Est Actio productiua termini, seu compositi substãtialis dependenter à subiecto.* Declaratur quo ad singulas eius particulas. *Dicitur actio productiua*; loco generis, in hac .n. acceptione non solùm cũ generatione accidentali conuenit; sed etiam cum creatione, quia omnes sub hac ratione respectum important intrinsecus aduenientem causæ efficientis ad effectum productum; & per hanc eamdem particulam secernitur etiam ab alia acceptione .s. mutationis, ac etiam à conuersione; nam mutatio respicit terminum à quo, & ad quem & propriè importat transitum subiecti communis ab vna in aliam formam, omnino præscindendo à causa efficiente, & ab effectu producto, vnde eius principia essentialia instituuntur subiectum, seu materia, forma, & priuatio. Differt etiam à conuersione, quia conuersio intrinsecè, & formaliter solùm respicit rem desinẽtem, vt terminum à quo & succedentem ex vi desitionis illius, vt terminum ad quem, nõ autem agens, hinc dicimus aquam conuerti in aerem, lignum in ignẽ, ab agente omninò præscindendo; Et tandem, per hoc generatio secernitur ab actione vnitiua partiũ, quam dici solet vnitio, per vnitionem .n. agens nullam substantiam formaliter producit, sed solùm vnit partes ad inuicem, vnde terminus

vni-

vnitionis est vnio, quæ importat respectum extrinsecus aduenientē, non compositum, & consequenter vnitio dici non potest actio substātialis, productiua, sicuti est generatio, sed tantum vnitiua.

Dicitur actio productiua *termini, seu cōpositi substantialis*, vt ab omni accidentali actione, & productione distinguatur, & consequenter insinuetur esse actionem distinctam à præuia alteratione, contra Thomist. qui volunt in vltimo instāti alterationis resultare formam substantialem ex eadem ipsa alteratione, absque alia noua actione, quod nos falsum censemus, nequit .n. per eamdem actionem fieri accid. & substantia, quia actiones à terminis specificantur. Fortè dicēt, admittimus formam substātialem non esse terminum ab alteratione productum, hic .n. est qualitas, ac propterea illam non specificare, sed dici terminum quatenus consequitur, & resultat sine noua efficientia, propter connexionem naturalem cum illis dispositionibus, sicut resultant passiones sine noua actione, posita iam essentia.

Sed contra, si pro forma accidentali datur propria actio, cur non etiam pro forma substantiali? Tum quia actio alteratiua fit medijs accidentibus, quæ nequeunt productionem substantię attingere ex dictis in phys. disp. 9. art. 11. & per hoc soluitur eorum fundamentum, asserunt .n. quòd generatio non potest importare actionem distinctam ab alteratione, quia substantia non habet actionem aliquam nisi medijs accidētibus, & quia post alterationem præcedens compositum corrumpitur, & consequenter omnia eius accidentia, non habebit agens per quid deinceps agat, ideoq; oportet, quòd eadem actio V. G. quæ calorem attingit, transeat ad substantiam ignis, mediante positione caloris, resultantem ex connexione ad illum. Non valet, nam substantia est immediatè actiua substantiæ, & actione substantiali ex loc. cit. in physica. Neque resultantia semper excludit veram efficientiam, vt in phys. patet disp. 9. artic. 2. sed aliquando denotat tantùm necessitatem connexionis vnius actionis cum alia, & ità in casu accipiendum est generationem consequi ad alterationem, & quasi ex ea resultare, non veluti passiones ab essentia, vt Thomistæ autumant, nam istæ ab essentia resultāt, quia cum ea semper esse, & existere postulant, forma vero substantialis, & generatio est incompossibilis cum alteratione, sed resultare dicitur quia actio alteratiua est dispositio necessitans ad generatiuā, post quam .n. agens naturale alterauit subiectum, per præuias dispositiones vsque ad certum terminū, necessariò generat introducēdo formam substantialem, & hoc potius denotat alterationem, & generationem esse actiones distinctas, vnam tamen ad aliam ordinatam, hinc quia generatio substan-

tialis præuiæ alterationis est finis, in hoc sensu dici poterit terminus, non tamen intrinsecus, quasi per ipsam productus.

Diximus, quòd terminus generationis substantialis est compositum substantiale, vt ab eductione distinguatur, quæ vtiq; productio est substantialis, at non attingit cõpositum, sed solam formam substantialem, quia hæc propriè de potentia materiæ educitur, generatio verò est solius compositi ex 7. meth. tex. 26. 27. & 28. Generatio dicitur etiam actio productiua compositi, non formæ, quia vt Scot. sæpè docet, totum est primus terminus ad quem generationis, non altera pars, immò si vtraque pars præexisteret, & de nouo vnirentur, nil minus esset generatio, vel productio ipsius compositi, sicut in resurrectione, dato quòd tã anima, quàm corpus præexisterent secũdùm suas entitates, ad hoc fieret resuscitatio ad esse totius compositi, non autem ad esse corporis, vel animæ, nec ad ambo ista, quare Scot. in 4. d. 13. q. 1. §. *ex dictis* lit. H. distinguit actionem, qua fit cõpositum, ab ea, qua fit forma, hanc vocãs eductionem, illam verò productionem.

Vnde doctrinã illam comuniter Recentiorũ asserentium eamdem esse prorsus relationem realem eductionem formæ de potentia materiæ, vnitionem eiusdem formæ cum materia, & productionem cõpositi, quam doctrinam præsertim amplectitur Ruu. nos non recipimus, quia est directè contra Scot. in 2. d. 1. q. 5. in sol. ad 5. & in 4. sent. d. 13. q. 1. vbi disertè huiusmodi actiones ex natura rei ab inuicem distinguit, & fundamentum est, quia sunt ad alios terminos ex natura rei diuersos, actiones autẽ per terminos distinguuntur, & specificantur; Quod verò tales actiones sint ad inuicem connexæ, & vna ad aliam subordinata, vt eductiua, & vnitiua ad productiuam cõpositi; hoc non efficit, quòd entitatiuè sit vnica actio, cùm absolutè, & simpliciter possint ab inuicem separari, nam saltem ab agente supernaturali potest produci forma absque vnione ad materiam, potest etiam produci vnio, non producta de noua forma, si s. hæc præexistit, vt contingeret de anima rationali, si prius produceretur, quàm compositum resultet, non potest autem separari productio cõpositi à productione vnionis ob essẽtialem dependentiam compositi à partibus vnitis: & in phys. ostendimus, non solùm de forma substantiali, sed et de accidentali diuersam esse eius productionem, ab vnione cum subiecto, & manente inuariata forma, variari, & destrui potest vnio, vt patet in Euchar. vbi accidentia conseruantur, & inhærẽtia destruitur; Vnde ad summam inferri potest illas actiones esse, vnam, & eãdem vnitate connexionis, & ordinis, non entitatiuè, & formaliter.

Additur tandem, quòd genera-

tio

tio fit actio productiua termini, seu compositi substantialis, *dependenter à subiecto*, vt generatio à creatione distinguatur, nam creatio est actio à subiecto independens, per quam res totaliter à nihilo extrahitur, & ideo dicitur propria Dei, generatio verò fit dependenter à subiecto, ex cuius potentia educitur forma, ità vt duæ istæ actiones ex parte subiecti præsertim differunt, quatenus vna exercetur depēdēter à subiecto, alia verò minimè; vnde etiam consequenter differunt ex parte termini à quo ex Doct. in 4. d. 11. q. 4. & quol. 10. Nam terminus à quo creationis est negatio extra genus, quia quod creatur, ex nihilo prorsus fit.

Conclusio Secunda.

Loquendo de generatione substātiali in ratione mutationis, plures afferuntur Arist. definitiones, ad naturam eius explicandam. Prima ex 2. phys. 14. *generatio est via in naturam*. Secunda ex 7. phys. *est mutatio ex non subiecto in subiectum*. Tertia ex 8. phys. 62. *est mutatio ex non ente ad ens*. Quarta ex 1. de gen. 22. *est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem.* Quinta ex eodem de gen. 25. *est mutatio à substantia in potētia, ad substantiam in actu.*

Verumtamen est quòd non omnes relatæ propositiones, pro exactis, ac legitimis definitionibus recipiuntur, ferè .n. singulæ deficiunt, nec quidditatem generationis exprimunt, vt exacta definitio exprimere debet. Solùm quarta à Perip. recipi solet pro absoluta definitione generationis substantialis, contra quam adhuc etiam maximas excitant difficultates, & præsertim subiectum nō explicat, quod essentiale est generationi sub ratione mutationis, immò potius videtur ipsum excludere, dum dicit, *est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto*. Quarè hæc definitio nisi magis explicetur, etiam Eucharistiæ competere potest, ibi .n. mutatur totum in totum .s. totus panis in corpus Christi, & licèt accidentia panis remaneant, non tamen vt subiectum. Neque explicatur terminus à quo, & ad quem generationis; Non à quo, quia terminus à quo per se generationis, non est totum præcedēs, quod corrumpitur, nam quòd terminus à quo sit positiuus in generatione, hoc est p accid. si .n. daretur materia spoliata omni forma, in quam possit. v.g. ignis operari, & propiam inducere formam, validè actus generationis exerceretur? quia terminus a quo illius est priuatio præcedēs in materia; Neque terminus ad quem explicatur, nam compositum est terminus ad quem generationis in ratione productionis, non mutationis, ex dictis cùm in ratione mutationis sit forma.

Hinc Mast. & Bell. ex allatis definitionibus, vltimam putant esse meliorem in ratione mutationis, quòd .s. *sit mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu*. Per substan-

ſtantiam in potentia intelligendo materiam; Per ſubſtantiam in actu intelligẽdo formam. Cùm dicitur mutatio, explicatur genus, ſit .n. ſermo de generatione in ratione mutationis. Explicatur etiã differentia, quæ circumſcribitur per extrema, nempè per ſubſtantiam potentialem, & per ſubſtantiã actualem; per ſubſtantiam potentialem, non intelligitur ad quodcumq; ſed ad ſubſtantiam, & ad eſſe ſimpliciter, ſeu ad ſubſtantiã ipſam actuãtem, quæ eſt forma ſubſtantialis. Cùm dicitur eſt mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu, ſignatur ordo ad terminum à quo .ſ. priuationẽ immediatè præcedentem; ità vt ſenſus definitionis ſit, Generatio ſub ratione mutationis, eſt ſucceſſio formæ ſubſtantialis in ſubiecto ipſius potẽtiali, poſt priuationem eiuſdem immediatè præcedentem; Et eſt vera, melior, & magis germana definitio, & captu facilior. Quarta verò definitio non explicat generationem, vt mutatio eſt, ſed potius vt cõuerſio eſt, in hoc .n. præſertim differunt mutatio, & conuerſio, quòd mutatio habet pro termino à quo priuationem, Conuerſio verò habet terminum à quo poſitiuum; hinc non ſolemus dicere priuatio conuertitur in formam, non ens conuerti in ens; ſed lignum cõuertitur in ignẽ, &c. quare de ratione formali cõuerſionis eſt, vt Scot. docet in 4. d. 11. q. 3. §. *Quantum ergo, &c.* lit. K. quòd ſit inter terminos poſitiuos, quorũ vnus deſinat eſſe, alter verò illi ſuccedat in eſſe ex vi deſitionis illius. Notamus etiã ex Doct. Conuerſionẽ aliam eſſe accidentalẽ, aliã ſubſtantialem, prima eſt in qua ſit trãſitus de vno ad aliud accid. vt quã frigid. ſit calidum; altera eſt cũ ex vna ſubſtantia tranſitur in aliam, vt cũ ex aqua ſit aer, ex ligno ſit ignis; hæc autem duplex eſt, alia formalis, & partialis, & eſt quãdo aliquo ſubiecto manente, ſit tranſitus de vna forma ſubſtantiali ad aliam; totalis eſt, quando tota entitas, ſiuè ſubſtantia, nullo ſubiecto communi manente in aliam tranſit, vt in Euchar. contingere credimus.

Ex his colligitur, quòd generatio non ſolùm eſt mutatio ſubſtantialis, ſed regulariter loquendo eſt etiam ſubſtantialis conuerſio, quia priuatio antecedens, quæ eſt per ſe terminus à quo generationis in ratione mutationis, modo naturali, & ordinario, ſemper coniuncta reperitur cum forma poſitiua, ratione cuius generatio vnius eſt corruptio alterius; quia verò in iſta conuerſione manet commune ſubiectum, quia non aliter agens naturale, poteſt vnum in aliud cõuertere, hac ratione, generatio eſt cõuerſio partialis, non totalis. Cum igitur ait Ariſt. *generatio eſt mutatio totius, &c.* totum ibi non accipi debet Sincathegorematicè, vt .ſ. idẽ ſignificat, quòd quælibet pars mutatur, nam in generatione ſemper alia pars nempè materia remanet, ſed ſumi debet cathegorematicè, prout

prout dicit compositum illud per se vnum ex materia, & forma integratum, ex generatione.n. verè vnũ totum hoc modo sumptũ in aliud totum mutatur, nam noua forma cum veteri materia constituit nouum totum à priori specie diuersum, & sic intelligendus est Arist. dum ait: *generatio est mutatio totius in totum, &c.* In alteratione verò nõ ità transit totum in totum, sed tantum transit vnum totum in aliud secundũ quid, siuè per accid. in totum aliud per accid. vt lignum calidum in lignum frigidũ, quorum neutrum est totum per se propriè loquendo, sed potius sunt plura simpliciter, & ex hoc capite Arist. generationẽ ab alteratione distinguit, quia in hac non mutatur aliqua pars substantiæ, sed totum integrum manet, vndè mutantur solùm accidentia, quæ totum non constituunt, nam totũ per se vnũ, quod præcessit alterationem, manet in termino alterationis; & hãc Scot. expositionẽ sequuntur. Mercen. Zabarell. Contar. Aresf. & Alij.

Addit in definitione, *nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem.* hoc autem nõ debet sic absolutè intelligi, nam cum perit homo, cadauer remanet .s. corpus pro altera parte compositi, quod est sensibile, sed intelligi debet, quòd in mutatione substantiali, nõ manet idem subiectum sensibile in actu specifico, & cõpleto, & hoc negat Arist. & ideò industriosè ait, *non manente sensibili, vt subiecto eodem*, non absolutè, *vt subiecto*, vt innueret, non manere debere subiectum sensibile idem, idest sub eodẽ gradu specifico, sub vtróque termino mutationis, sicut manet in alteratione, vt eruditè exponit Tatar. 1. de gen. q. 1. dub. 1. & sequuntur Mercen. Cantar. Ruu. & Alij; & patet experientia in animalis interitu, vbi manet idem sensibile, sed nõ vt idẽ subiectum vtriusque formę, nempè recedentis, & remanentis, nã prius erat quidẽ corpus pro altera parte subiectum animæ, at ipsa recedente, non manet illud corpus, vt subiectum, sed vt totum, constans ex materia prima, & forma mixti.

Dubium de Creatione compositi.

Hic dubitari solet, an compositum materiale possit à Deo creari? Negat Vasq. c. 1. disp. 164. cap. 4. nu. 17. & fundamentum est, quia creatio est ex nihilo, ità vt ly nihil excludat habitudinem partis, & subiecti, compositum autem fit ex partibus, quæ necessariò illud præcedunt prioritate naturæ, & talis prioritas sufficit in causa ad suum effectum, ergo non potest esse ex nihilo, sicut ad creationem requiritur. Affirmat Ioann. de S. Tho. & ratio, quam assignat est, quia in creatione fieri ex nihilo se tenet ex parte termini à quo, at in composito constare ex partibus, & ex illis constitui, solùm se tenet ex parte termi ad quem, ergo hoc, quod est esse ex aliquo tamquam ex parte constituente, non opponitur huic, quod est esse ex nihilo simpliciter tam-

tamquam ex termino à quo, ergo neque opponitur ipsi creationi, qa creatio saluatur in hoc præcisè, qp sit ex nihilo, tamquam ex termino à quo, & consequenter quòd non presupponat aliquid tamquam subiectum transmutatum.

Sed dubium hoc resolutum est in phys. vbi diximus, quòd propriè de creatione loquendo, non potest cōpositum creatione produci, quantumcumque .n. eius partes simul in eodem instanti cum ipso producantur, semper tamen priores natura censentur ipso toto, & consequenter veram causalitatem respectu illius exercent, quod sufficit ad rigorosam creationem tollendam, vt Vasques asserebat; & fuit Doctrina Scot. in 2. d. 18. q. vn. §. *Contra primum motiuum &c.* & in 4. d. 1. q. 1. *ad 4. principal.* Potest tamen admitti compositum posse creari ad creationem partium, & præsertim materiæ primæ, quæ tunc primò fieret cum Scot. in 2. d. 1. q. 5. in fine, vbi in hoc sensu admittit compositum posse creari, propriè autē, & rigorosè res tantùm simplices creari possunt, idest non physicè ex partibus essentialib. compositæ, ità Mastr. & Bell. disp. 5. de gen. q. 1. art. 2. cum Rubion. in 2. d. 12. q. 3.

ARTICVLVS QVARTVS.

De essentia, & Natura Corruptionis.

SCot. disertè de hoc art. agit in 1. d. 27. q. 3. §. *Contra ista &c.* lit. C. & in 2. d. 1. q. 3. *ad 3. princ.* lit. L. & alibi. Negabant Antiqui dari corruptionem substantialem, sed solùm dari asserebāt alterationem, quæ formas substantiales occultabat, vel in lucem apparere faciebat. quæ opinio est contra veritatem, & experientiam, vt infra patebit. Pr. ab Arist. datur generatio substantialis, ergo, & corruptio substantialis. Pr. consequ. in vna materia nō possunt esse plures formæ substantiales, ergo vna adueniente per generationem, altera corrumpi debet, hinc illud axioma, *generatio vnius est corruptio alterius.* Arriaga sic corruptionem definit: est desitio rei in aliam. Non placet, nam per consecrationem, panis transit in corpus Christi, & propriè non est corruptio, sed transubstantiatio, & tamen est desitio rei in aliam, sed de hac re fusius infrà. Præmittimus, quòd sicut in præcedenti art. naturam generationis indagando, ipsam sub duplici habitudine considerauimus .s. sub ratione mutationis, & productionis, sic qa corruptio generationi opponitur, & opppositorū eadem est disciplina, eodem ferè modo consideranda erit quidditas, & natura corruptionis .s. & sub ratione mutationis, & sub ratione destructionis. Zabar. lib. de gen. & inter. cap. 5. affirmat corruptionem in ratione mutationis, non esse realiter diuersam mutationem à generatione, sed esse vnā & eamdem. Est contra communem, quam sequimur, ideò.

Con-

Conclusio Prima

Dicimus primò, generationem, & corruptionem in ratione mutationis esse duos actus, non solùm inter se diuersos, sed etiam oppositos. est Scoti loc. cit. & sequuntur Scotistæ communiter, vt videre est apud Fabrum Thor. 29. Bellut. & Mastr. disput. 5. de gen. q. 1. art. 3. & ex Exteris Tolet. Cõtar. Conim. Ruu. Complut. Ioan. de S. Thoma & Alij. Pr. ex Arist. 5. phys. t. 7. duplicem constituente mutationem, vnam de nõ subiecto in subiectum, idest de non esse formæ ad esse formæ, & hanc ait esse generationem: alteram de subiecto in non subiectum, idest de esse formæ ad non esse formæ, & hanc ait esse corruptionem, ergo non sunt vnica, & eadem mutatio, sed duæ. Tum quia generatio, & corruptio habent diuersos terminos à quo, & ad quem, generatio .n. est transitus de non esse formæ ad esse formæ, & ita habet terminum à quo priuatiuum, ad quem positiuum; corruptio verò è contra habet terminum à quo positiuum, ad quem priuatiuum, ergo nõ possunt eamdem mutationem importare. Pr. consequẽtia, mutatio est transitus de vno in aliud, ergo vbi interueniunt diuersi termini à quo, & ad quem, interueniunt etiam diuersi transitus, & cõsequẽter distinctæ mutationes. Zabarell. respondet ex hoc solùm inferri distinctionem rationis, non realem inter generationem, & corruptionem. Non valet ex doctrina Arist. ex speciebus mutationis assignatis &c. Tum quia mutationes illæ, quæ distinctos realiter habent terminos, & absolutè possunt ab inuicem separari, sunt realiter distinctæ, sed generatio, & corruptio sunt huiusmodi, ergo. Quòd habeant distinctos realitèr terminos, patet iam ex modo dictis: Quòd etiam possint ab inuicẽ separari, cõstat saltẽ in multis mutationib' accidẽtalibus, vt de extinctione luminis in aere, sine noua generatione.

Ob. Zabarell. Definitio quam tradit Arist. 1. de gen. 23. s. *Est mutatio totius in totum &c.* est cõmunis generationi, & corruptioni, vt ex littera constat, ergo si eamdem habent definitionem, vna, & eadem erit mutatio. R. per dictam definitionem non exprimi sigillatim generationem, vel corruptionem, sed potius conuersionem, vt diximus, quæ in sua ratione formali duas includit mutationes, vnam negatiuam, qua subiectum amittit formam, quam antea habebat; alteram positiuam nouam, quam acquirit; quarè definitio illa explicat tãtùm rationem subalternam vtriusque communem, addendo, *ad esse*, vel *non ad esse*. s. generatio est mutatio totius in totum ad esse, Corruptio est mutatio totius in totum ad non esse.

Ob. Si ignis agẽs in lignum mutet ipsum in ignem, erit ligni interitus, & ignis generatio, & tamen erit vnica mutatio, quia est facta ab vno, & eodem agente, & per vnam,

nam, & eamdem actionem. ℞. negand. assumptum, & in casu à Zab. allato, non interueniunt tantùm duo termini, sed quatuor. s. esse ligni, & non esse ligni, & non esse ignis, & esse ignis, ex quo argumento potius infertur pluralitas illarũ mutationum, quàm vnitas; quòd si Zabarell. per terminos vnius mutationis accipit esse ligni, & esse ignis, illud pro termino à quo, hoc pro termino ad quem, non rectè Philosophatur, quia ex Arist. 5. phys. 7. mutatio non versatur inter terminos positiuos.

Ob. Ex similitudine de motu locali, nam vnus, & idem numero dicitur accessus ad vnum terminum, & recessus ab alio, vt dum V. g. lapis de turri ad ima descendit, & sic etiam in alteratione eadem numero calefactio est corruptio frigidi, & generatio calidi, ergo sic etiam in proposito eadem erit mutatio substantialis accessus vnius formæ, & recessus alterius. ℞. posse negari paritatem de motu & mutatione, licèt .n. motus exigat terminos positiuos, non tamen mutatio; Hinc Auersa q. 26. sec. 10. quamuis affirmet nobiscum in substantijs corruptionem vnius non esse formaliter generationem alterius, negat tamen hoc in accidentibus, & hoc sufficeret pro solutione. Attamen liberè asserimus, nec etiam in motu propositionem illam formaliter verificari, & colligitur ex Doct. loc. cit. & in 4. d. 10. q. 1. §. *Quantum ergo &c.* lit. E & q. 3. lit. O. vbi docet, quòd in quolibet motu, & mutatione primi termini, & per se sunt forma, & priuatio, licèt concomitantèr, & per accid. possint esse duæ formæ. Probat Scot. quia absolutè loquendo etiam in motu locali dari potest motus acquisitiuus, sine deperditiuo, & è contra (quamuis regularitèr non ita contingat) data hypothesi, quòd corpus idem ponatur à Deo in plurib. locis, & ex vno loco ad aliũm moueatur absque prioris deperditione; ergo licèt modò motus acquisitiuus, & deperditiuus semper coniuncti reperiantur, non possumus tamen absolutè asserere vnum omninò esse motum, cùm saltèm per diuinam potentiam separari possint,

Ob. tandem ex Arist. 1. de gen. vbi ait: Generatio vnius est corruptio alterius, quod non potest tantùm cõcomitanter intelligi, vt cõmunis est responsio, quia nequit sola concomitantia efficere, vt vnũ de alio prædicetur maximè in abstracto, non .n. asserimus albedinẽ esse dulcedinem, licèt in eodem lacte se comitentur.

℞. quòd prædicatio illa in abstracto fundatur potiùs in vnitate actionis, vt mox in sequenti conclusione dicemus, corruptio enim non est actio distincta à generatione, sed eadem actio formaliter generatiua, est virtualitèr corruptiua ratione termini generati incompossibilis cum forma opposita. Concedendum tamen est,

est, quòd maior, & vniuersalior cōnexio reperitur inter generationē, & corruptionem, quàm inter albedinem & dulcedinem, multa enim sunt alba, quæ dulcia non sunt. Neque illa propositio in abstracto, in tanto rigore accipi debet, vt sit per se, nam prædicatum per se conueniens subiecto, potest ei tribui cum reduplicatione, quòd non valet in casu; generatio .n. vt sic nō est corruptio, sed solùm per accid. quatenus regulariter illam cōiunctam habet. Si tamen mutatio sumatur pro conuersione, opinio Zabarell. est probabilis, conuersio .n. comprehendit tamquam partes generationem, & imeritum, cùm vnica conuersio duas includat mutationes, & amplectitur Aresius 1. de gen. q. 12. sec. 2.

Conclusio Secunda.

Loquendo de corruptione in ratione destructionis, vt .f. generationi opponitur sub ratione productionis, non est actio distincta à generatione. est contra Fabrum, & alios, asserentes corruptionem nō solùm mutationem distinctā à generatione importare, sed etiam distinctam actionem. Defenditur à Mastr. & Bellut. vt de mente Scoti, & amplectitur ab Aref. disp. 2. q. 21, Ioan. de S. Thom. q. 2. art. 1. Suar. Conimb. Complut. Auerf. & Alijs. Pr. Per omnem actionem agens semper aliquid facere intendit, & idem est agere quòd producere, loquendo de actione propriè dicta, ergo secundum hanc formalitatem, debet semper quid factum attingere, & consequenter repugnat talis actio, quæ per se sit corruptio, & nihil attingere petat. Tùm quia influxus terminatur ad aliquid, non ad nihil, vel non esse, influere .n. est ponere, non tollere, sed actio importat influxum agentis, ergo non terminatur ad non esse, seu rei corruptionem. Tum quia Deus rem non annihilat efficiendo, sed tantùm subtrahendo concursum ex Doct. in 4. d. 11. q. 4. ergo sic etiam agens naturale non oportet, vt corrumpat efficiēdo, sed satis est, vt sequatur corruptio ex actione generatiua.

Dices, Corruptio est actio vera, & realis, non quidem positiua, sed negatiua, eo modo quo dicitur esse mutationem veram, & realem, non quidem positiuam, sed priuatiuam. Non valet, talis .n. modus loquendi coincidit cum illo, quo aliqui appellant negationes, & priuationes ens verum, & reale negatiuum, vel priuatiuum, quem modum dicendi refellimus in phys. nā ens reale dicit entitatem positiuā in suo conceptu formali, per quam primò à non ente distinguitur, & ab ente rationis, atque ideò implicat in adiecto dicere ens reale priuatiuum; sic in proposito, Actio realis in suo conceptu formali dicit influxum positiuum, & terminū petit realem per ipsam productū, hinc apparet nō valere paritatem assumptam de mutatione, quia mutatio realis, vt sic non includit

in suo conceptu quid positiuum, nã ità mutatur, & alitèr se habet subiectum nunc, quàm priùs, cùm amittit formam, quam prius habebat, sicut cùm acquirit, quam prius non habebat, & ideò rationabiliter in sua communitate diuiditur in acquisitiuam, & deperditiuam, non sic actio; Sicut igitur natura in agendo, & operando non per se intendit res destruere, sed producere, & efficere, & inde solùm per accid. ac præter intentum, sequitur alterius corruptio, ità per se non instituit peculiarem actionem rerum destructiuam, sed eadem actione, qua rem per se generat, aliã quoque per accid. & secundariò destruit, cùm .n. per aduentum formæ sequentis expellatur forma præcedens, eadem reali actione, qua vna forma introducitur, alia destruitur.

Remanet adhuc clarius explicãdum in quo sensu actionem generatiuam vnius rei attingat ex consequenti, & secundariò destructionem alterius. Exponunt communiter, quòd destructio rei tribuatur actioni generatiuæ veluti effectus mediatus, & secũdarius. Nõ valet, ex hoc .n. ꝙ actio nihil causat nisi influendo, & ponendo in esse, clarè deducitur nec immediatè, nec mediatè, nec primariò, nec secũdariò rei desitionem attingere, & ratio est, quia attingẽtia actionis, siuè attingat primariò, siuè secũdariò, sẽper est actus efficientiæ, qui ponit, non tollit rem. Cùm ergo dicimus actionem vnius rei generatiuam esse ex consequenti corruptiuam alterius, non est hoc intelligendum formalitèr, quatenus agens vna, & eadem actione attingat priùs, & principalitèr vnum terminum, & deinceps eamdem actionem continuando alium terminum attingat minus principalem, & veluti sub priori contentum, eo modo, quo producens formam, dicitur etiam eadem ratione secundariò producere consequentia ad formam; sed ità intelligendum est, vt actio generatiua vnius sit solùm virtualitèr corruptiua alterius, mediante .s. forma per ipsum producta, quæ formalitèr incompossibilis est cum veteri forma, quod equidem est illam destruere non efficientia formali, sed tantùm virtuali. ità Bell. & Mastr. cit. qui Scotum afferunt in 4. d. 12. q. 3. X. & d. 16. q. 1. §. *Respondeo &c.* vbi docet, quòd agens potens effectiuè super esse vnius formæ, potest defectiuè super non esse alterius, ob incompossibilitatem illarum formarum; & hæc est vera intelligentia nostræ conclusionis, quam eruditè attingit Ioan. de S. Thom. loc. citat. & sequitur M. Iacob. Brun. q. 2. de corruptione substantiæ art. 1. ex Lisbonense q. 2. att. 2. vbi inquit. Corruptionem non esse actionem formaliter, etiam mediatè, sed carentiam actionis, quia non esse non indiget actione etiam mediata, est tamen actio virtualiter, nam qui facit aliquid incompossibile cum

cum alio, dicitur effectiuè virtualitèr illud corrumpere, nam corruptio est ex incompossibilitate orta, eo quòd forma terminans efficientiam est incompossiblis cum alia, & sic saluatur, quòd actio est vna, & termini sunt duo .s. esse vnius, & non esse alterius. hæc relatus Doctor. & affert pro hac sententia D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 6.

Ob. Generatio vnius formæ, & alterius corruptio possunt realitèr separari, & sepè accidit in generatione, & corruptione accidentium, quæ contrarium non habent, ergo saltèm in tali casu, rei corruptio p actionem à generatione distinctā contingit R. neg. conseq. nā in tali casu corruptio formæ, vt extinctio luminis in aere, per nullam actionem positiuam exercetur, sed per solam ablationem, & cessationem influxus illius formæ conseruatiui, eodē ferè modo, quo Deus vniuersum annihilaret sola cessatione influxus, quo ipsum modo conseruat.

Ex quibus præhabitis constat, quid sit corruptio tàm sub ratione mutationis, quā destructionis, nam sub rōne mutationis sic describi solet: *est transitus materiæ ab esse formæ, ad nō esse formæ in ipsa materia*. vel ex Doctore in 4. d. 11. quæst. 1. D. *est successio non esse formæ in materia, post esse ipsius immediatè præcedens*. idest, est mutatio subiecti de esse formæ ad non esse formæ. In qua definitione optimè explicatur genus, & differentia, genus .n. est transitus, seu motus, & successio, quia in hoc cum generatione conuenit. per alias particulas explicatur differentia. Ruu. negat mutationem in hac definitione esse genus, & ratio quā assignat est, quia corruptio non est mutatio positiua, sed deperditiua, & priuatiua, & consequenter quia positiuo, & priuatiuo nihil est cōmune Vniuocum, nō potest mutatio tamquam genus conuenire corruptioni. Non valet, nam successio termini ad quem posterioris post terminum à quo priorem in subiecto, tam essentialiter de generatione dicitur, quàm de corruptione. Tum quia ità verè mutatur subiectum cum amittit formam veterem, sicut cum nouam acquirit. Tum quia mutatio vt sic, non dicit conceptum necessariò positiuum, sed à positiuo, & priuatiuo præscindit, ergo poterit vt commune genus generationi, & corruptioni competere, in quo autem sensu positiuo, & priuatiuo possit esse quid commune vniuocum, patet ex dictis in phys. disp. 2. art. 1.

Per hoc etiam, quòd dicitur *successio in subiecto*, secernitur ab annihilatione, nam etiam annihilatio est successio esse rei, ad non esse rei, sed est successio extra subiectum, hinc Scot. in 4. d. 11. q. 4. §. *Ad quæstionem &c.* & quol. 10. art. 3. corruptionem ab annihilatione ex duplici capite distinguit, vnū est, quia aliquid corrupti manet .s. materia, ad annihilationem verò requiritur quòd non solùm totum

totũ cathegorematicè destruatur, sed etiã syncathegorematicè, idest desinat secundum se totum, & quãlibet sui partem; sed quamuis hæc ratio sit sufficiens non est tamen præcisa causa annihilationis, aliter forma, dum in materia desinit, annihilaretur, quia nihil eius remanet, ideoque subiungit Doct. aliud caput ex priori deriuans, quia .s. negatio eã terminans est in subiecto apto nato, ideoq; est vera priuatio, vt cùm aqua V.g. corrũpitur in aerem, corruptio terminatur ad non esse aquæ, quæ negatio non est extra omne genus entis, sed in subiecto apto nato .s. in materia, ex quo capite desitio formæ non est annihilatio, estò nihil eius maneat, quia negatio eius manet in subiecto apto nato, quæ est priuatio, non negatio extra genus.

Thomistæ aliam causam reddere solent, cur corruptio non sit annihilatio, quia .s. eam concomitatur generatio, hoc .n. ipso, quòd desitioni rei adiungitur terminus positiuus, cessat esse annihilatio, quia res in tali casu desinens, non desinit in nihilum; Vndè terminum annihilationis volunt esse nihil, nõ solùm quia desinit totalitèr ipsa res, quæ destruitur, sed etiam quia nullus terminus positiuus illi adiũgitur, qui de nouo fiat; & ratio esse potest, quia terminus annihilationis est negatio extra genus, at eo ipso, quòd desitioni rei succedit terminus positiuus de nouo factus, tunc negatio terminans talem desitionem non est negatio extrà genus, sed in genere; & licèt non sit negatio in subiecto apto nato, nempè in materia, est saltèm negatio in disparato .s. in re de nouo facta, quòd sufficit, vt nõ sit negatio extra genus, & hac ratione aiunt in Eucharistia, panis non annihilatur, licèt totus deperdatur, & desinat esse, quia nempè non desinit in nihilũ, sed in corpus Christi, & negatio esse panis terminat eius desitionem, si non in subiecto apto, saltẽ in disparato sc. in Corpus Christi, & ita est destructio panis per conuersionem, non per annihilationem. Ita Ioannes de S. Thoma quest. 2. art. 1. cum cęteris Thomistis.

Quem modum dicendi Scot. loc. cit. non approbat, sed potius contra eum sic arguit: Ratio per se alicuius, non variatur ex aliquo concurrente per accidens cum eo, sed per accidens est quòd corruptioni coniungatur generatio, & quòd desitioni rei succedat eius loco terminus positiuus, nam per se, & absolutè loquendo integer conceptus corruptionis, & desitionis rei habetur absque successione termini positiui, si .n. hunc respiceret velut per se terminum, tunc esset mutatio positiua, non priuatiua, cùm ergo quælibet mutatio iudicari debeat ex per se terminis eius, non ex concomitantibus & per accidens, asserendum erit, quòd si desitio rei est totalis etiam si succedat illi terminus positiuus, adhuc

hùc rationem annihilationis non subterfugiet, sicut è contrà cùm desitio est partialis, non subterfugit rationem corruptionis, etiam si generatio succedat. Cùm dicebatur annihilationem esse desitionem in nihilum, non desinere autem rem in nihilum cùm aliquid ei succedat, Resp. quòd adhùc per se desinit in nihilum, & solùm per accidens in aliquid, quia per se terminus desitionis semper est nihil, nunquàm aliquid; licèt ergo nó benè diceretur panis iu Eucharistia annihilari, quia conuertitur in Corpus Christi, desitio tamen panis secundum se considerata in ordine ad per se terminum, benè dici potest annihilatio, quia Corpus Christi non est per se terminus illius desitionis; attamen estò in rigore Metaphysico iste modus loquendi sit optimus, vt etiam admittit Hurt. hic disp. 1. sec. 8. §. 86. de facto tamen hic ordo statutus est à Deo, vt ex vi desitionis panis, & Vini incipiat esse Corpus, & Sanguis Christi; Vnde sicut ordo formæ ad subiectum, in quo naturaliter desinit, impedit quòd eius desitio sit annihilatio, ità ordo corporis ad panem, vel sanguinis ad vinum, estò ex natura rei, & absolutè loquendo sit contingens, de facto tamen stante tali ordinatione, quòd incipiat hic esse Corpus Christi ex vi desitionis panis, potest aliquo modo dici per se, & impedire, quin panis, & vini desitio sit annihilatio; sed de hoc fusius in Theolog. si Deus præstabit.

Si verò Corruptio consideretur sub ratione actionis destructiuę, sic definitur: *Est destructio compositi substantialis, remanente materia, seu resolutio compositi in materia.* Ratio est quia sicut solum compositum ponitur ex Arist. proprius generationis terminus in ratione productionis, sic modò è contrà terminus ad quem corruptionis in ratione destructionis erit non esse compositi; Vnde sicut forma non dicitur propriè generari, sed educi de potentia materiæ, sic in proposito neque dici debet corrumpi, sed potius reduci in potentiam materiæ, vnde extracta fuerit, licèt egestate vocabulorum dicamus etiam ipsã corrumpi.

Dubium.

An Corruptio sit naturalis, & per se intenta à natura.

Not. ex Scot. in 4. d. 49. q. 13. *ad 3. principale*, quòd duplex est natura, Vniuersalis vna, particularis altera; Vniuersalis est illa, quæ intendit bonum vniuersi, quod ex varietate rerum constituitur. Natura particularis sunt agentia particularia, quæ tendunt ad proprium & particulare bonum. Item intentio hic non sumitur propriè, & rigorosè pro actu voluntatis tendẽtis in finem, sed solùm translatiuè pro inclinatione in bonum. Item duplex est intentio primaria, & secundaria, illud sub ratione primaria cadit, quod intenditur ratione alterius cum quo nectitur, vel ad q ordi-

ordinatur. Item hic non accipitur naturale, vt à supernaturali, vel artificiali condistinguitur, sic.n. clarum est corruptionem esse naturalem, sed præsertim accipitur, vt opponitur violento, quod est contra naturam. quibus habitis ℞. his propositionibus.

Prima propositio: Corruptio per se intenditur à natura vniuersali, non per se primò, sed per se secundò; Est Scoti pluribus in locis, & D. Thom. 1. p. q. 22. art. 2 ad 2. Pr. quo ad primam partem, natura vniuersalis per se inclinat in varias rerum generationes, & consequenter in varias rerum corruptiones ex illis prouenientes. Tum quia corruptio est conformis eius legibus, non secus ac generatio, quibus sancitum est, vt in hoc mūdo sublunari, quæ generantur, tandem intereant. Tum quia quòd euenit vt in plurimum est per se intentum, sed corruptio euenit vt plurimum, ergo corruptio est per se intenta à natura vniuersali. Neque natura corruptionem moliretur, si nouis generationibus non deseruiret, quib. rerum sublunariū species perpetuantur. Prob. quo ad secundam partem. Tum quia natura per se primò intendit esse rerum naturalium tamquam naturale bonum, sed corruptio intendit in non esse earum, quia tollit esse, ergo natura agens non potest per se primò appetere corruptionem. Tū quia nemo per se primò respiciens ad malum operatur, sed corruptio est malum, ergo non potest per se primo intendi.

Propositio secunda: Probabile est, quòd natura particularis agēs, intendit etiam corruptionem per se secūdò, sicut natura vniuersalis.

Pr. omne naturale, & frequens oportet esse intentum per se, effectus .n. qui sunt per accidens contingūt in paucioribus, vt in mostris patet, sed corruptio est naturalis, & frequens in his inferioribus, & coniūgitur cum generatione, & bono naturæ particularis, ergò corruptio est intenta, per se, & non per accid. à natura agente particulari. Tum quia qui per se intendit finem, intendit media necessaria ad finem, sed corruptio est medium, sine quo talis generatio non esset, ergo per se intenditur à natura particulari. Tum quia, quòd necessariò desideratur ad generationem naturę particularis, non est per accid ad bonum talis naturæ, sed corruptio vnius formæ necessariò desideratur ad generationem alterius naturæ particularis, ergo &c. ma. patet, mi. Pr. materia non potest esse sine aliqua forma, neque duplicem formam habere, ergo necesse est, vt, ad generationem vnius, corrumpatur alia. Vnde quando dicitur, quòd agens particulare intēdit per Accidens corruptionem, intelligi debet largè, prout opponitur ei, quod est primariò, & ratione sui intentum.

Dices. Malum non ordinatur ad bonum per se, vt D. Thom. docet,

1. p. q. 15. art. 9. & Scotus etiam pluribus in locis, sed corruptio est malum, ergo non ordinatur per se ad bonum generationis, sed per accid. ℞. maiorem intelligendam esse de malo culpæ vt sic, non de malo naturæ vt est corruptio, nam hæc potest intendi per se, præsupposito bono communi generationis, cui coniungitur, peccatum verò cùm sit deordinatio ex omni parte à bono, non potest alicui bono coniungi; ratione cuius possit esse volitũ, & amatum à Deo etiam per Accidens, ideoque solùm permittitur à Deo cum sensu interpretatiuo, quòd directè non intendit peccatum, dum ipsum prohibet, & pro ipso pœnas ingentes minatur.

ARTICVLVS QVINTVS.

De subiecto, & termino Generationis.

SCot. resolutionem huius artic. dedit 7. Meth. q. 8. & 10. & in 2. sent. d. 2. q. 7. lit. K. & d. 5. q. 2. lit. E. & alibi; Facilis est quæsiti resolutio, si distinctio supra allata recolatur de generatione in ratione mutationis, & in ratione productionis. Bannez 1. de gen. cap. 1. q. 11. & Ioan. de San. Thom. de gen. q. 1. art. 5. cum aliquib. paucis Thomistis affirmant generationem substãtialem subiectari in toto composito de nouo genito; Cæteri verò Thomistæ cõmuniter in materia prima. Est etiã controuersia de termino tam totali, & completo, appellato terminus *Qui*; quàm de formali, & incõpleto, nũcupato terminus *Quo*. Cõmunis Antiquorum opinio videtur esse, quòd terminus *Quo* formalis, & inadęquat⁹ generationis sit forma; totalis verò *Qui*, & adæquatus Cõpositũ. Aliqui verò Recẽt. potiꝰ assignãt pro termino formali, & *Quo*, vnionem, quia vniendo formam materiæ, cõstituitur compositum, & posset forma inueniri præexistens sicut materia, vt de facto habetur in hominis generatione, vbi generans non producit animam, sed vnionem. Ità Hurt. Moril. Auers. Conimb. Arcs. & Alij; Alij verò vtrumque simul assignant, dicendo vel formam, & vnionem, vel dicendo formam vnitam, vel dicendo formam, vt vnitam, ità vt vnio nõ sit terminus generationis, sed potius applicatio, vel conditio, ità Ruu. Ioan de S. Thom. & alij. Est etiam discrepantia circa terminum adæquatum, & totalem; Nam quidam volunt terminum adęquatum, & totalem esse naturam, suppositum verò esse veluti terminum vltimatum, remotum, & extrinsecum; ità Ruu. & Conimbr. Alij verò cum Ioan. de S. Thom. & Cõplut. affirmant terminum adæquatum, & totalem generationis esse ipsum compositum, non solùm, vt dicit naturam, sed etiam vt dicit suppositum, ità quòd ipsa subsistẽtia spectet ad terminum intrinsecum generationis, non solùm extrinsecum, & resultantem.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. Si generatio in ratione mutationis consideretur, subiectum eius tam inhæsionis, quam denominationis est materia, vel quod gerit vim materiæ (vt corpus pro altera parte in animatis) terminus verò est ipsa forma, quæ de nouo acquiritur, non compositum. Est Scot. loc. cit. & quo ad primã partem, colligitur euidenter ex Arist. 1. de gener. 24. & 8. Meth. t. 5. ℞. Bannez. Arist. verba intelligẽda esse de subiecto, circa quod versatur generatio substantialis, nõ verò de subiecto inhæsionis, & informationis. Non valet, nam verba tex. 1. de gen. 24. sunt clarissima, sic .n. loquitur: *Est autem & materia maximè quidem, & propriè subiectum generationis, & corruptionis susceptibile.* Notate illud ly *susceptibile*, quod significare non potest, nisi subiectum inhæsionis, & receptionis. Tum quia id circa quod motus, & mutatio exercetur est propriè subiectum inhæsionis ex 3. phys. vbi mot' dicitur esse in mobili vt in subiecto, quod actuat, quatenus erat in potentia, sed materia est huiusmodi, ergo &c. Tum quia materia est quæ à priuatione transit ad formam in generatione, vel è contra in corruptione, & quæ dicitur mutari, ergo ipsa est subiectum inhæsionis, hinc Arist. 5. Phy. 12. loquens de mutatione, ait *Cui inest illud mutatum.* Potest etiam probari Conclusio ex alio capite, quod nempè subiectum inhæsionis, non potest esse compositum, quod de nouo generatur, nam dum generatio exercetur, adhuc compositum non est, vel non intelligitur adhuc esse. Tum quia ipsum non permanet sub vtroque termino mutationis. Tum quia ipsum non dicitur mutari, sed produci, ergo statui nequit subiectum generationis, sed sola materia, cui benè relata munera conueniunt.

Quo ad aliam partem, s. quòd sola forma sit terminus ad quem generationis in ratione mutationis, patet ex dictis in phys. & dum compositum dicitur quoq; terminus generationis, hoc intelligi debet de ipso in ratione productionis, non mutationis. Tum quia in quacumq; mutatione alius terminus ad quem requirendus non est præter formam, ad quam subiectũ transit, non .n. transit ad compositum, neque compositum recipit, cùm potius ipsum componat, ergo omninò impertinens est compositum in ratione mutationis, neq; vt subiectũ, neq; vt terminus, sed sub ratione mutationis poni debet, vt subiectum respectu accidentium.

Ob. Pro Ban. & Ioann. de San. Thom. Compositum denominatur generari, non materia, ergo illud est subiectum, non materia, forma .n. denominat subiectum, in quo est. ℞. compositum dicitur generari sumendo generationem sub ratione productionis, materiam verò sub ratione mutationis, materia est .n. quæ mutatur &c.

Dices; solùm compositum per nos, & non materia prima est subiectum accidentium, & generatio etiam substantialis, est accid. dicitur .n. substantialis solùm extrinsecè, & terminatiuè, non entitatiuè, ergo generatio in composito subiectatur. R. ex dictis in phys. etiam materiam primam esse subiectum susceptiuum aliquorum accidentium, non absolutorum, sed relatiuorum, & imperfectorũ, quomodo in casu est generatio. Tũ etiam quia generatio in ratione mutationis consistit in relatione successionis formæ nouæ ad priuationem immediatè præcedentem; & ità prius materia intelligitur informata, & postea immediatè fundare talem relationem generationis, & consequentèr etiam in hoc sensu nõ priùs materia recipiet formam accidentalem, quàm substantialem.

Conclusio Secunda.

Si generatio sumatur in ratione actionis, & productionis, subiectũ eius est generans, terminus totalis adæquatus, & *Qui*, est cõpositũ, vt includit naturã, & singularitatem, nõ subsistẽtiã; terminus tandẽ formalis, & *quo*, est forma de nouo ꝓducta, nõ autẽ vnio. Quo ad primã, partẽ, ꝙ .s. generationis subiectum sub ratione productionis sit generans, patet ex dictis in phys. disp. 9. art. 4. vbi determinauim' omnẽ actionẽ secundum suam præcisam formalitatem nõ subiectari in termino, vel in passo, sed in agente; at quia in præsenti generatio consideratur, vt actio, in agente subiectatur. Confirmatur auct. D. Tho. 2. contra gen. c. 9. vbi ait: *actio quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto*. Patet etiam à simili, nam in Diuinis generatio actiua est in Patre producẽte, non in filio producto, sequitur mordicus ex Receutioribus Pater Lync. lib. 5. phys. tract. 3. cap. 1. fol. 235. Si verò passiuè sumatur pro. 5. respectu geniti ad generans, tunc in termino subiectabitur, nempè in composito de nouo genito; quæ omnia ex dictis in physica loc. cit. apparent.

Quòd terminus totalis, & adæquatus, & *Qui*, sit compositum, est Scoti 7. meth. 9. 10. & pluries in lib. sent. quem sequuntur Anton. Andr. in meth. q. 9. Faber disput. 13. Bassol. in 2. sent. d. 12. q. 2. art. 2. Mastr. & Bell. disp. 5. de gen. & corrupt. q. 2. art. 1. & Scotistæ communiter, & Pr. Ille est terminus totalis, & adæquatus, quem agens simpliciter, & per se intendit, & ad quem actio vltimò tẽdit, sed agens per se, & simpliciter productionem compositi intendit, cætera verò tamquam media in ordine ad illud, ergo, &c. Pr. mi. nam actio generationis vltimò ad totũ producendum refertur, quo producto, ipsa actio desinit, ergo terminus totalis, & adæquatus est compositum.

1. Confirmatur ex varijs nominum notionibus, quibus hic terminus

explicari solet; appellatur enim terminus primus, seu primarius generationis, quia primò à generante intenditur, quod intelligi debet de primitate in ordine intentionis, nam ordine executionis, forma est primus terminus, priusquam .n. compositum resultet, est eductio formæ de potentia materiæ, & eius vnio cum materia. Potest etiam dici primus primitate vniuersalitatis, nam in qualibet generatione totum est, quod accipit esse, partes namque aliquando præexistunt, vt in die Resurrectionis eueniet. Dicitur etiam principalis, quia materia est propter formam, & forma propter compositũ, atque ità singulæ partes sunt propter ipsum, & ex hoc dicitur compositum fieri vt *Quod*, forma vt *Quo*, quia ipsa producitur, vt sit pars formalis illius. Dicitur terminus completus, & adæquatus, natura .n. intendit constituere rem in esse integro, & perfecto, quòd si aliquandò deficiat, actio eius manca, & non integra censetur; tale autem est esse compositi singularis, & existentis, meritòque dicitur terminus totalis, completus, & adæquatus, quia in eo vltimò, & adæquatè generatio sistit. Dicitur tãdèm terminus *Qui*, quia est id, quod simpliciter, & absolutè in recto dicitur fieri, & existere, & perse existens, & in se subsistens, hinc licèt forma verè etiam fiat, & producatur, non tamen in recto dicitur fieri, sed in alio, & cum alio fieri, vt *Quo*, in quo sensu loquitur Arist. 7. meth. 26. & 27. & 1. phys. 64. cùm ait, formam nõ fieri, sed compositum, quatenùs .s. non fit per se, & in se, sed vt in subiecto, vt bene aduertit Mercenarius in suis dilucidationibus.

Diximus, prout includit naturã, & singularitatem, generationes .n. sunt circa singularia 1. meth. 1. & Scot. docet in 3. d. 22. q. vn. ad 1. princ. Nam natura quamuis materia, & forma constans, non est tamẽ idoneus generationis terminus, sed vt in singularibus existit, non enim ignis vt sic generatur, sed hic ignis. Diximus tãdem, vt includit singularitatem, non verò subsistentiam, nam in animatis, corpus pro altera parte compositi terminat vt *quod*, generationem in suo ordine, non tamen est subsistens, cùm sit alteri communicabile vt *quo*, .s. per modum partis. Tùm quia natura singularis, vt sit, subsistentia seclusa, est sufficiẽs generationis terminus, vt de Beatiss. Virgine Maria patet circa humanitatem Christi. Tum quia in magis cõmuni Scotist. sent. subsistentia non dicit modum positiuum, sed negatiuum, & consequẽtèr actio generatiua, quæ positiua est, ad ipsam non extenditur, vt ad terminum suæ attingentiæ, sed ibi sistit, & in productione naturæ singularis consumitur, subsistentia verò resultat ad positionem termini generationis, est eius terminus mediatus tantùm, & extrinsecus.

Item ex Poncio: Illud intelligi debet

debet pro principali termino generationis, sine quo non potest generatio intelligi, sed generatio potest intelligi sine supposito, non autem sine composito, ergo compositum, non suppositũ est terminus *Qui*, generationis. Confirm. Probabile est Phylosophos non habuisse conceptum suppositi, vt distinguitur à natura singulari ante cognitionem Mist. Incarnat. & tamen habuerũt completum conceptum gen. ergo cõceptus suppositi impertinens videtur ad conceptum generationis. Rt. M. Iacob. Brun. q. 1. de gener. art. 4. fol. 27. quòd ipsi asserunt compositum cũ suppositalitate, & existentia esse terminum principalẽ generationis, siuè suppositalitas sit distincta, siuè indistincta, hoc .n. parum refert ad generationis conceptum. Sed bona venia, solutio nõ est in forma. Dicit, quòd Thomist. pro termino gen. intelligũt totum illud aggregatum .s. compositum cum suppositalitate, & existentia, at contra hoc militat argumẽtum, quòd generatio potest intelligi sine supposito, non autem sine composito, ergo hoc, non illud erit terminus *Qui*, generationis, & consequentèr cõceptus suppositi est impertinens ad generationem, cũ fine eo hab[e]ri possit. Minor arg. supponitur probata ex generat. Christi.

Ad co[n]firmat. negat, quòd Phylos. non habuerint conceptum suppositi distincti à natura, nam Aris. 1. meth. tex. 27. ait: *quod generatur non est forma* .s. partialis, nec *quidditas*, id est forma totalis præcisè, sed *compositum*. Sed quid inde pro ipsis? aliud est compositum, aliud suppositum, & Beatiss. Virgo bene genuit compositum physicum ex materia, & forma, non tamen genuit suppositum Diuinum.

Rt. cum Nazario 3. p. q. 17. art. 2. quòd sicut homo generat hominem, non quia producit animam subsistentem, & existentem, sed quia subiectat materiam ad talem animam communicabilem materiæ, ità Beatiss. Virgo dicitur generasse Christum, non quia genuit Deum, vt suppositum Diuinum, sed vt suppositum humanæ naturæ, naturam humanam ponendo sub existentia Verbi Dei, & ita suppositum Verbi dicitur terminus *Qui*, generationis, nõ tamquam terminus productus, sed tamquam terminus vnitus, & communicatus in humanitate subsistens. Discursus est rectus, sed nobis fauet, non ipsis; nos .n. hic loquimur rigorosè de termino generationis, qui per generationem producitur, at Verbum Dei per ipsos non est terminus productus, sed solùm vnitus, & communicatus humanæ naturæ, ergo est impertinẽs, & extraneus à conceptu generationis rigorosę. Confirmatur. Illa vnio Verbi est extrinseca naturę productæ, poterat .n. Verbum naturæ Angelicæ, vel alteri naturæ vniri, sicut etiã illa natura humana vniri potest supposito humano, vel Angelico, ergo vnio suppositi nõ spectat ad terminum intrinsecum genera-

nerationis, sed ad extrinsecum, & mediatum. Tùm quia terminus generationis est ens per se vnus, terminus verò vnionis non est per se vn', sed necessariò multiplex, ergo si Verbũ Dei non est terminus productus, sed tantum vnitus, non potest dici terminus generationis intrinsecus, sed tantùm extrinsecus.

Tandèm, quòd terminus formalis, & *quo*, generationis semper sit forma, nũquam vnio, probat Scot. ex 2. Phys. 14. vbi Arist. docet generationem esse viam in naturam, idest in formam tanquam in terminum formalẽ, vt vbi Interpretes exponunt. Tùm quia terminus formalis, vt etiam Aduersarij concedunt, est ille, in quo generans assimilat sibi genitum, & à quo genitũ specificatur, & hac ratione dicitur terminus *quo*, quia .s. est id, quo terminus totalis cõstituitur in suo esse formali, & specifico, vt Scot. declarat in 1. d. 5. q. 2. §. *Ideo tenendo, &c.* sed hoc forma effecit, non vnio, hæc .n. non est substantia, sed accidẽs, & merus respectus extrinsecus ex dictis in phys. disp. 8. art. 2. neque est de essentia compositi, sed mera conditio, causas intrinsecas applicans ad eius constitutionem, ex dictis ibidem art. 6.

Hinc aduertendum, quòd ad rationem termini formalis in generatione, non est necesse, vt de nouo talis terminus accipiat esse per suã generationem, sed bene dici potest terminus ad quem, etiam quando præexistit, dummodo de nouo in materia inducatur, nam sic adhuc dicitur terminus, ad quem de nouo materia transit, & quem de nouo acquirit, quem prius non habebat; & æquè bene etiam munera termini formalis exercet, nempè constituendi formaliter, specificandi, assimilandi &c. Vndè non constituit denuò compositum, illudque præcisè specificat quia ipsa de nouo educitur, sed quia de nouo inducitur, & materiæ vnitur. Hinc Ruu. hic tract. 1. q. 3. & Ioann. de S. Thom. q. 1. art. 4. bene notant, quòd quando forma non producitur per generationem, sed introducitur, & vnitur, & sola vnio producitur, adhuc talis vnio non producitur, vt constituens formaliter, sed vt communicans, & applicans. Quia igitur forma non exercet sua munera constituendi formaliter, specificandi, assimilandi &c. nisi vnita materiæ, & media vnione constituit compositum, hac ratione vnio dicitur pertinere ad terminum formalem, vt conditio necessariò requisita, non vt ratio terminandi, quã opinionẽ defendit etiam Vasq. 1. p. disp. 162. c. 3.

Obiectiones.

Ob. probando, quòd forma sit terminus qui, & primus in generatione, non compositum. Illud primò, & propiè fit, & generatur, quod secundum se totum generatur, ac fit, at compositum in generatione non fit secundum omnem sui partem, cùm materia præexistat, sed sola forma secundum se tota produci-

ducitur; ergo forma est terminus qui, & primarius in generatione. ℞. cum Scot. loc. cit. rationem concludere de primitate totalitatis, quo aliquid primò alicui competere dicitur, idest secundum omnē sui partem, non de primitate adæquationis, nam sic primò producitur, quod habet rationem totius, non partis, quia ad compositum spectat per se esse, & fieri.

Sed contra. Illud per se primò, & propiè generatur, quod transit de non esse ad esse, sed talis est sola forma, & si composito hoc competit, hoc ratione formæ conuenit, ergo &c. ℞. neg. min. nam id, quod primò primitate intentionis & vniuersalitatis accipit esse in generatione, est totum in sent. Doct. in 3. d. 2. 19. §. *Quantum ad primum*, &c. quandoque, n. ambæ partes præexistere possunt, & tunc solum compositum transit de non esse ad esse; In generationibus autem in quibus forma ex vi generationis transit de non esse ad esse licet loquendo de esse simpliciter, vt primò recedit à non esse, dicatur compositum ratione formæ transire de non esse ad esse, loquendo tamē de esse simpliciter per se, & per modū subsistentis, transit de non esse ad esse, non beneficio formæ, sed secundum suam totalitatem seu ratione formæ totius.

Ob. Ioānes de S. Tho. probādo, q subsistentia pertinet ad terminū intrinsecum generationis: Ille dicitur terminus intrinsecus, qui directè, & per se attingitur ab actione, non secundariò, & mediatè; sed subsistens non potest esse terminus mediatus, & secundarius, supponēs alium primarium productum, nam completum, & integrum esse, ad quod generatio ordinatur, primò, & per se inuenitur in ipso subsistente, ergo res vt subsistens, & ipsa etiam subsistentia ingreditur terminum intrinsecum generationis. ℞. neg. min. quam ipse nō probat, nam etiam seclusa subsistentia, natura singularis, & per se existens est sufficientissimus terminus generationis, vt Theologi communitèr docent de humanitate Christi à Beata Virgine genita; iuxta doctrinam traditam à Scot. in 3. d. 6. q. vn. §. *Contra Conclusionē, &c.* vbi docet, quòd terminus generationis est esse existentiæ, non subsistentiæ nisi secundarius & resultans.

Ob. Complut. ex Diuo Thoma 3. p. q. 17. artic. 2. vbi ait: *Esse pertinet ad naturam, & ad hypostasim, ad hypostasim quidem sicut ad id, quod habet esse, ad naturam sicut ad id, quo habet esse*. Ex quo fundamento sic relati DD. arguunt: forma totalis V. G. equinitas, non est quod, sed vt quo aliud est, suppositum verò habet esse vt quod, ergo natura totalis nō fit, vt quod, sed solùm suppositum. ℞. conced. naturam vt sic V. G. Equinitatem, esse tantùm terminum quo totalem generationis, non autem quod, sed ex hoc non sequitur, quòd singulare antecedenter ad subsistētiam, non pos-

sit

fit fieri, vt quod, & sufficientem esse terminum, & totalem generationis, vt in generatione Christi patet. Neque responsionem illorũ recipimus, quòd Beata Virgo dicatur Mater Dei tantùm secundariò, & per accidés, quatenus eius actio generatiua, ità per sè terminata fuit ad humanitatem, vt per accidens fuerit, quòd personaretur à Verbo Diuino; nam ex Concilijs Ephesino, & Calcedonensi determinatur Beatissimam Virgi. fuisse veram legitimam, ac propriam Matrem Dei, non secus, ac cæteras mulieres respectu suorum filiorũ. Sed de hoc fusius in 3. sentent. Si Domino placuerit.

Ob. quòd terminus formalis, & *Quo*, generationis, non sit forma, sed vnio: oportet assignare pro termino formali generationis, aliquid de nouo factum, aliàs generatio noua non esset, saltem respectu termini formalis; at non semper producitur forma in generatione, vt patet in generatione hominis, vbi anima saltem, vt pars, & causa intrinseca prior est natura ipso composito, & vnione, ergo non potest esse terminus formalis in gen. ipsa forma, sed potius vnio. R. vt supra, non semper opus esse, quòd terminus formalis in generatione producatur; sed sufficit vt de nouo inducatur, seu de nouo vniatur, vt in die Resurrectionis, quo casu generatio bene dicitur noua; ideoque negatur maior in ratione productionis dicitur noua ex termino totali, qui semper de nouo accipit esse; in ratione mutationis dicitur noua ex termino formali, qui saltẽ semper de nouo inducitur in materia.

Ob. Terminus formalis est, quo totalis habetur, sed posita forma, non habetur compositum, si nempè à Deo produceretur extra materiam, at posita vnione habetur, ergo vnio est terminus formalis, non forma. R. quòd posita forma, non quidem absolutè, sed in materia, habetur terminus totalis, scil. compositum beneficio formæ, vt termini formalis, & beneficio vnionis, vt præuiæ conditionis ipsũ formalem terminum applicantis. Vnio igitur in generatione internenit, non vt principium per modũ termini ad quem, quia hoc est forma ex 1. phys. sed vt conditio illum applicans.

Ob. ex sola variatione vnionis, variantur species actionis, vt cùm anima rationalis vnitur per generationem, vel reunitur per resurrectionem, non est variatio penès formam, sed penès diuersam vnionem formæ, ergo sola vnio est terminus formalis actionem specificans. R. cùm Scot. in 4. d. 43. q. 1. ad vlt. princ. lit. H. quòd compositum potest redire idem, licèt non redeat eadem vnio partium, quia illa vnio non est de essentia totius, nec illa vnio est illa entitas totalis, quæ ex partibus resultat, nec forma illius entitatis. Potest etiam probatio assumpti negari, si enim in resurrectione redeunt eædem

par-

partes, redibit quoq; eadem vnio. Neque generatio hominis, & eius resurrectio specie differrent, ex eo quia hæc in instanti fiat, illa verò processu temporis, nam instantaneum, & successiuum non sunt differentiæ essentiales mutationis.

Ob. Cùm applicatur corpus ad hanc superficiem per motum habetur pro termino formali Vbi; & præsentia, non autem corpus, quod fit de nouo præsens, ergo etiam cùm per actionem generatiuam vnitur forma subiecto, non est dicêdum formam vnitam esse terminũ illius actionis, sed ipsam vnionem. ℞. negando, quòd per actionem generatiuam forma vniatur subiecto, sed vnitur per actionem vnitiuam; actio n. vnitiua est omninò distincta ab actione generatiua, licèt hæc sit necessariò cum illa connexa, & habeat alium, & alium terminum; Vndè verum est, quòd agens, quod vnit partes, generet etiam compositum, non formalitèr, quasi per eamdem actionem, sed concomitantèr, quatenùs vna actio est connexa cum alia, & terminus vnius cum termino alterius.

Ob. forma non est terminus generationis, nisi vt vnita materiæ; ergo vnio erit terminus formalis, non forma. ℞. Si ly vt reduplicat rationẽ formalẽ terminandi, negatur anteced. si solam conditionẽ, anteced. est verũ. sed cõsequ. falsa, ita benè Bell. & Mastr. loc. citat.

Arguit Arες. q. 14. sec. 3. probando, quòd terminus formalis generationis non sit forma, sed vnio: Terminus formalis est, qui per ipsam generationem de nouo fit, sed vnio est, quæ de nouo fit in quacunque generat. non forma, quia hæc quãdoque præexistere potest tempore, vel natura; vt patet in hominis gener. ac nutritione, ergo vnio, & non forma est terminus generationis, & hoc argumentũ putat indissolubile. Sed q̃a tota difficultas cõsistit in maiori, q̃ faciliter negatur, eam plurib. rationibus probare conatur; & præsertim, quia omnes concipiunt terminum generationis esse illum, ad quem terminatur generatio, & in hoc generatio differt à motu locali, & cæteris mutationibus, quod istarum termini esse possunt præexistentes, non sic termini generationis, nam generatio est transitus à non esse ad esse, quod autem est, non potest transire à non esse ad esse. ℞. nego ma. nam vt sæpè dictum est, non oportet terminum formalem de nouo produci in sua entitate, sed solùm sufficit quòd de nouo communicetur rei constitutæ, quod in productionibus Diuinis patet, in quibus essentia Diuina ponitur terminus formalis earum & tamen ipsa non producitur, sed solùm termini totales, nempè Filius, & Spiritus Sanctus; adhùc tamen forma dicitur terminus generationis, quia terminat inductionem, & transitum materiæ de priuatione, & de potentia ad ipsam; neque per hoc generatio à cæteris motibus differt, sed ex a-

lijs capitibus, vt doctè loc. cit. nu. 59. Mastr. & Bell. aduertunt, & sequitur M. Iacob. Brun. qu. 1. de gen. art. 4. fol. mihi 28. vbi ait: *Nõ esse de ratione termini formalis generationis, quòd de nouo producatur, sed sufficit, quòd de nouo communicetur, sicut essentia Diuina est terminus formalis Diuinæ generationis, quia in illa assimilatur genitum generanti in principio quo primo, & tamen Diuina essentia in Filio non generatur, neque per se, neque per accid. ex D. Thom. 1. p. q. 36. art. 5. ad 1. vnde anima rationalis est terminus quo humanæ generationis, etiam si secundum suum esse ab homine non producatur, quia sufficit, quòd homo vltimatè disponat materiam, vt illi hæc forma communicetur.*

Vrget ad hanc Ares. ex eius contrario, nempè corruptione: omnes fatentur corruptionem terminari ad non esse, ergo sicut quod est terminus corruptionis, debet post eã non existere, ità quod est terminus generationis, debet ante eam non præexistisse: Nec effugium ait, valere, quòd intelligi debeat de termino totali, non formali, quia si terminus formalis possit præexistere, idem dicendum erit de termino totali, non. n. terminus totalis fit diuersa actione à termino formali, sed per eãdem, posito termino formali etiam ipse totalis resultat, ergo quod ad terminum formalem sufficit, ad terminum quoque totalem sufficiet. R. assumptum intelligi potest de generatione, & corruptione vel in ratione mutationis, vel in ratione productionis, & destructionis; primo modo transitus dicitur de subiecto, & sic transire dicitur materia de nõ esse formæ ad esse formæ, etiam si forma præexistat, dummodò in eam inducatur, sicut transire dicitur materia de esse formæ ad non esse formæ in corruptione; alio modo scil. in ratione productionis dicitur de composito, & de termino totali, non formali, vt dicitur inter arguẽdum, ad cuius probationem negatur paritas, cùm vnus terminus accipiatur in ratione mutationis, alter verò in ratione productionis. Ad probationem negatur terminũ formalem, & totalem eadem actione fieri, licèt enim posito termino formali, totalis necessariò resultet, hoc tamen non tollit diuersitatem actionum, sed solùm necessariam infert connexionem vnius actionis cum alia, ex suppositione alterius; sicut posito assensu præmissarum, intellectus necessitatur ad assẽsum conclusionis, cùm tamen assensus conclusionis sit distinctus actus ab assensu præmissarum.

Hinc not. opus non esse, immò repugnat, quòd quicquid conuenit, vel non conuenit termino formali, conueniat etiam, vel nõ conueniat totali, aliter inter illos nulla esset distinctio, quòd falsum est; terminus igitur totalis tam in generatione substantiali, quàm accidentali semper accipit esse de nouo, seruata tamen proportione, quia in accidentali accipit esse de

nouo

nouo secundum quid, non simpliciter, nam aqua v.g. igni applicata non fit simpliciter, sed fit calida, terminus verò formalis quantum est de se, potest praexistere, nam aqua æquè calida fit per calorē in ipsa de nouo productū, ac per præexistentē in eam nouiter inductū.

Insistit in probatione suę maioris Aref. Si terminus formalis potest ipsi generationi præexistere, non erit ratio, cur etiam materia non dicatur terminus formalis generationis, nam de ęssentia compositi non minus est materia, quàm forma, & ipsa quoque materia assimilat genitum generanti; cur igitur compositum dicetur generari ratione formæ, non ratione materiæ? ℞. neg. sequelam ma. nam materia non ideò non dicitur terminus formalis, quia præexistit, sed quia non specificat; & compositum formalizat, nec ipsum in specie generanti assimilat, sed tantum in genere; hinc Scot. in 1. d. 5. qu. 2. §. *Tertiò principaliter &c.* H. ait, quòd si forma præexisteret, & materia de nouo adueniret, seque illi subijceret adhuc forma exerceret munera formæ, & esset terminus formalis, quia materia terminaret, illam specificando, & formalizando compositum, q̄ non facit materia.

Iterum vrget: quòd non producitur, non terminat actionem, ergo si terminus formalis terminat actionem, debet produci. ℞. quòd etiam quando forma producitur, non attingitur per generationem, sed per aliam actionem distinctam, quæ dicitur eductio, vt actio præuia ad generationem, quandò verò non producitur, quia præexistit, dicitur terminus generationis, quatenus de nouo in materia inducitur, & materia ad ipsam transmutatur, & ità in tali casu, dicitur terminus ad quem generationis, sed præsertim in ratione mutationis.

Arguit Auersa qu. 14. sec. 3. Vnitio est formaliter generatio, cùm productio compositi formaliter consistat in productione vnionis, ergo quod est terminus formalis vnitionis, erit terminus formalis generationis, sed vnio est terminus formalis vnitionis, quia vnitio p se, & formaliter tēdit ad vnionē, ergo idem modus vnionis erit terminus formalis generationis. Probat ma. in qua consistit tota difficultas, sed quia procedit ex falsò illo fundamento, quòd non ponit distinctionem realem inter totum, & partes vnitas, eius rationes vt solutæ in phys. disp. 8. art. 6. & 7. relinquuntur. In forma igitur sui argumenti, negatur ma. Vnitio .n. est actio accidentalis, quia terminatur ad vnionem, quæ est respectus extrinsecus adueniens, generatio verò est actio substantialis, quę terminatur ad entitatem compositi. Eius probationes laborant in æquiuoco vocabulo compositionis, & compositi, vbi nos loc. cit. distinximus, compositio .n. potest dupliciter accipi, vno modo purè grammaticaliter, pro vt sonat

nominis ethymologia, & ita significat simul positionem partium; altero modo philosophicè, & significat intrinsecam partium causalitatem in ordine ad totum; compositio in prima acceptione est respectus extrinsecus adueniens, & versatur inter partes ad inuicem, & cũ vnione confunditur; in secunda verò acceptione est respectus intrinsecus, & versatur inter partes, & totum, & est idem, quòd causalitas totius, actiua ex parte componentium, passiua ex parte totius constituti: Compositio in primo sensu constituit totum, quod dicitur vnitum .s. aggregatum ex materia, & forma: Compositio in secundo sensu cõstituit totum, quod dicitur vnum ex illa aggregatione coalescens, quod propriè, & verè dicitur totum, neque .n. sunt idem vnitum, & vnum; quia esse vnitum est effectus formalis vnionis, receptus in partibus, & dicit plura, at esse vnum est effectus formalis vnitatis receptus in toto, seu composito, vnde dicitur vnum per se, & hoc est quod ex partibus vnitis resultat, de quo loquebatur Arist. cum dicebat, ex potentia, & actu fit vnum per se, vnitum autem non est vnum, semper .n. vnio est inter plura, & ex hac falsa acceptione horum vocabulorũ Aduersarij in conclusione decipiuntur.

Fundamentum igitur nostræ sententiæ est distinctio realis totius essentialis à suis partibus etiam simul vnitis, vt fusè loc. cit. in phys. probauimus, vbi præter Scot. multi etiam Thomistæ citantur, & sent. Fabri de partibus transactis, & non transactis relata, explosa fuit, quem mordicus defendit etiam in 3. sent. disp. 19. cap. 3. & tandem 7. meth. disp. 22. sed reuera in hoc sensu talis distinctio explicata, omnem difficultatem, & controuersiam declinaret, quis enim dubitabit, quòd partes, antequam totum constituant, realitèr ab ipso toto constituendo distinguantur, sed lis cum Auerroistis est, quòd ipsi volunt, partes dum totum actualitèr constituunt, esse idem realitèr cum ipso toto, & sic opinio Fabri cum ista Auerroistarum coincidit, vt doctè notauit Contarenus qu. de distinctione partium à toto. Legatur quæso textus Scoti in 3. sent. dist. 2. qu. 2. B. §. *Sed hic restat.* &c. vbi quinque validissimis rationibus suũ probat intentum, & non possunt intelligi, nisi de partibus etiam transitis in totũ, & hac ratione causæ intrinsecæ dicuntur in facto esse. Legatur etiã Scot. pro nostra sent. in 4. d. 43. q. 1. fol. mihi 270. col. 1.

D V B I V M.

De Subiecto, et termino Corruptionis.

DVbium hoc resoluitur iuxta decisionem articuli præcedentis, nempè distinguendo de corruptione sub ratione mutationis deperditiuæ, & sub ratione actionis destructiuæ, ex qua distinctione facilè inuenientur eius subiectum, & terminus; Si .n. de ipsa loquatur sub ratione mutationis, sic

sic subiectum eius erit materia, in qua vtraque mutatio exercetur ex 1. phys. terminus verò est priuatio formæ, seu non esse formæ, nam sicut per generationem materia trāsit de nō esse formæ, ad esse formæ, ità è contra per corruptionem trāsit de esse formæ ad non esse formę. Si autē sumatur in ratione destructionis, seu destructiuæ actionis, terminus erit non esse compositi, sicut, n. per generationem in ratione productionis solum compositum accipit esse, cū hoc sit quod propriè, & per se generari dicatur, ità compositum est, quod propriè dicitur corrumpi, & per corruptionem desinere; Forma verò sicut propriè non dicitur generari, sed de potentia subiecti educi, ità nec propriè dicitur corrumpi, sed desinere in materia, & in eius potentiam rursus reduci, licèt ob vocabulorum penuriam dicatur etiam forma corrumpi, vnde terminus corruptionis formæ erit non esse, eius in subiecto, terminus corruptionis compositi, erit non esse eius, remanente materia, ità vt terminus corruptionis, siuè formæ, siuè compositi, vt ab annihilatione distinguitur, est negatio in genere.

Dices, dum gr̄a destruitur in anima nostra, iam desinit in subiectum; quia subiectum eius manet .s. anima post eius desitionem, & tamen dicitur annihilari, non corrumpi, sicut è contra, dum incipit in anima, dicitur per creationem incipere, non per eductionem, vel generationem. Tum etiam quia si anima nostra destrueretur, adhuc maneret subiectum .s. corpus, & consequenter in subiectum desineret, & tamen non diceretur corrumpi, sed annihilari, ergo non benè ponitur negatio in subiecto terminus corruptionis formæ. Illi, qui tenent, gratiam incipere per creationem, satis hoc vrgentur argumento, at nos facillimè euadimus, ex dictis in phys. disp. 5. art. 7. vbi determinauimus gratiam educi de potentia animæ, quia fit in subiecto, & ab eo dependentèr, cū sit forma natura sua inhærens, sic in casu desitionem eius in anima dicimus esse corruptionem. Non tamen idem asserendum est de anima, licèt in corpore desineret, quia est forma per se subsistens, hinc sicut in eius inceptione quamuis fiat in corpore, non tamen ob id dicitur educi, vel generari, quia non fit dependentèr à corpore, sed solùm cum eo, ratione suæ subsistentiæ, & independentiæ, ità in eius desitione non esset dicenda corrūpi, vel in subiecto desinere, licèt desineret in corpore, sed annihilari. ità Mastr. & Bell. loc. cit. artic. 2. & est sensus communis Doctorum, quidquid Ferchius reclamet.

ARTICVLVS SEXTVS.

An generatio vnius sit corruptio alterius, & è contra.

Scot. veritatem huius propositionis examinat, & resoluit in

a. d. 1. qu. 3. ad 3. lit. L. & alibi, pro cuius intelligentia notandum, quòd allata propositio, quã Arist. pronunciauit 3. Phys. & 1. de gen. 17. triplicem sensum facere potest, nempè concomitantem, causalem, & formalem; & communis sensus Philos. est allatam propositionem facere sensum concomitantem, quatenus generatio vnius semper alterius corruptioni iuncta reperitur; & è contrà, & quidem in hoc sensu eam Arist. protulit 1. de gen. cit. illam .n. adducit ad eam soluẽdam dubitationem, quomodo generatio perpetuari possit, cum id, ex quo vnumquodque generatur .s. materia, finitum sit, quòd per continuam ablutionem tandem consumi deberet, & consequenter vniuersum defecisse opus esset. Soluit ibi dubitationem dicens ad perpetuitatem generationis sufficere finitam materiam, quia generatio vnius fit ex corruptione alterius, etiam è conuersò, atque adeò licèt materia finita sit, & non infinita, hoc tamen modo perpetua generatio, & corruptio saluatur.

Veritas autem huius propositionis, duobus nititur fundamentis, Primum est, quòd materia ex interna propensione, quam ad formam habet, & ex naturali eius indigentia, non potest iuxta naturæ cursum nuda sine omni forma existere; Secundum est, quia duæ formæ specificæ non possunt simul esse in eadem materia, quia non potest aliqua res esse simul essentialiter in duabus vltimis speciebus, vt simul homo, & leo, aqua, & aer: Ex quibus fundamentis perpetua connexio generationis, & corruptionis necessario infertur; cùm .n. interitus fiat per formæ recessum, necesse est forma recedente, vt alia adueniat, si materia sine forma existere nequit, & quia etiam duæ formæ specificæ incompossibiles sunt, necesse est in vnius aduentu alterã recedere. Ità Zabarell. Mercen. Cont. Complut. Auersa, Arest. Faber. Theor. 20. & Alij.

Ex qua doctrina etiam inferũt, cur talis propositio semper in substantijs veritatem habeat, non autem in accidentibus, vt etiam ibidem Arist. insinuat, quia .s. in accidentalibus hęc duo relata fundamenta locum nõ habent, quia cùm substantia composita essentialiter compleatur per formam substantialem, & non per accidentalem, idcircò potest aliquod accid. à subiecto recedere, absq; alicuius accidentis aduentu, quod experitur in accidentibus, quæ contrarium non habent, vt est lumen, quod ab aere recedens, nullum aliud accid. ei succedit. Possunt etiam plura accidentia specie differentia in eodẽ subiecto inhærere, vt albedo, & dulcedo, ideoque non oportet, vt vno adueniente, aliud recedat; hinc rationabiliter Mercen. aliquos Recentiores arguit, quòd rationes reddentes, cur materia absque forma consistere nequeat, assignant pro causa, quia corruptio vnius, est gene-

generatio alterius, cũ tamen è contra potiùs se habeat .s. quòd ideò vnius corruptio est alterius generatio, quia materia sine forma consistere nequit, & hãc Arist. assignat pro causa æternæ generationis.

Verùm, quia hæc propositio in animatis deficere videtur apud nos, & illos, qui vltra animam, ponunt etiam formam mixtionis, seu corporeitatis, in corruptione .n. animalis iuxta hanc sententiam nihil generatur, nam illa forma cadaueris, est ipsamet forma mixtionis, quæ in viuente præfuit, sicut etiam in generatione animalis nihil corrumpitur, cùm forma embrionis remaneat; hinc Mercen. Zabarell. Cont. Aresf. & Alij explicant, q. etiam talis propositio in hac sent. suam habet veritatem, nam in corruptione animalis corrumpitur vnum totum .s. animal, & generatur nouum totum, quia corpus, quod prius erat pars, tunc fit totum, sicut etiã in generatione animalis, aliud destruitur totum nempè embrio, quia vbi prius erat totum, dũ generatur animal, fit ei' pars, quẽ modum dicendi sequitur Faber, Theor cit. & insinuauit Scotus in 4. d. 11. qu. 1. sed licèt hæc expositio admitti posset pro solutione argumentorum, attamen quia talis generatio, & corruptio in animatis non potest esse simpliciter, sed secundum quid. vt etiam Auth. relati aduertunt. quatenus quod prius gerebat vicem totius, gerit postea vicem partis, aut è contrà, ideo Raguseus disp. 17. cap. 10. negat absolutè talem propositionem in animatis; neque ait, hoc est contra Arist. nam eius intentio fuit, quia materia nunquam esse potest sine forma, ideò opus est generationem semper corruptionem comitari, quotiescumque periculum imminet, ne materia sine forma maneat, quòd periculum non adest in animalis intuitu, cùm materia iam sub forma mixtionis maneat, & consequentèr opus non est propositionem etiam in animatis verificari. Sed licèt hæc expositio etiam admitti possit ad saluandam veritatem propositionis, attamèn quia vt vniuersalitèr vera in substantijs recipitur, vt ipse Aristot. testatur tex. 20. *Est alterius generatio semper in substantijs alterius corruptio, & alterius corruptio alterius generatio*, ideò èt in animatis admitti debet.

Quare licèt connexio corruptionis cum generatione benè ex incõpossibilitate formarum in materia probetur, connexio tamen generationis cum corruptione non præcisè desumenda est ex indigentia materiæ, vel ex causa materiali, sed præsertim ex causa efficiente, quatenus .s. agens naturale ex legibus naturæ ad conseruationem sublunarium nunquã per se aliquid corrũpere intẽdit, sed p accidens corrumpit illud, quod est incompossibile generato, quod per se intendit, vt Scot. docet loc. cit. in 2. quia igitur Arist. hanc propositionem inducit ad æternitatem generatio-

num

num saluandam sine infinita materia, hinc Ant. Andr. 8. meth. q. 3. Tat. hic qu. 1. not. 4. Mast. & Bel. disp. 5. de gen. q. 4. docent propositionem esse vniuersaliter verã in omnibus substantijs immediatè, vel mediate; in mixtis inanimatis immediatè, in animatis verò mediatè, quia tandem cadauer in vermes, & cineres resoluetur.

Vel cum Tromb. 8. meth. q. 2. art. vlt. ad 5. & Bassol. verificatur in omnibus; in generatione, & corruptione completa, vltimata, & totali; non ità corrumpitur animal in morte, cùm adhuc remaneat forma aliqua, quæ fuit de hominis essentia, neque in ortu ità generatur, cùm supponatur forma embrionis. Vel, vt alij exponunt, generatio vnius est corruptio alterius, & è cõtrà, vel in facto esse, vel saltem in fieri, vt in animatis, & colligitur ex Doct. in 4. d. 11. q. 3. vbi docet nullum corpus animabile habere simplicitèr esse perfectum & quietum recedente anima, quia statim est in continua tendentia ad resolutionem sui elementi.

Ob. in morte hominis, in sent. Thomist. generatio formæ cadaueris non est corruptio animæ intellectiuæ, ergo non est vera in omnibus substantialibus propositio. Respondent aliqui Thomistæ distinguendo ant. quo ad esse formæ cõcedo, quo ad in esse, seu quo ad vnionem cum corpore, & quo ad potentias corporis communes, nego. Non valet; Propositio .n. præcipuè verificari debet quo ad substantialia, sed vnio est relatio, & potentiæ per ipsos non sunt substãtiæ, sed accidentia. Rectius respondent Scotistæ, quòd Arist. reuera propositionem illam pronunciauerit de compositis, quorum propiè est generatio, & corruptio, vt manifestè se explicuit tex. 24. non de formis: Si tamen formæ sunt incompossibiles, discessus vnius est accessus alterius, vel è contra, & hoc æquiualet generationi, & corruptioni; & sic in sent. Thomist. si non corrumpitur anima saltem in aduentu formæ cadaueris, discedit à corpore.

Dices, cùm animal nutritur, forma cibi corrumpitur, sed tunc animal nõ generatur, quia iam remanet, quod præfuit, ergo ℞. ad corruptionem vnius sufficere si sequatur generatio simplicitèr, de qua loquimur, vel saltem secundum quid, vt est noua aggeneratio substantialis, tunc .n. ad corruptionẽ formæ alimenti, seù cibi accurrit anima materiam illam informãdo.

Ob. in prima corporum productione nulla præcessit corruptio, & idem etiam contingit quotidiè in nutritione facta per species sacramentales, vbi producitur noua substantia absque alterius corruptione, quæ sub illis speciebus præfuerit. ℞. illa prima productio corporum, in quibus tunc fuit creata materia, non fuit rigorosa generatio, sed creatio saltèm largo modo, vt supra dictum est, quam nec Arist.

cogno-

cognouit, at in propoſito propoſitio intelligitur de generatione, quę eſt productio ex præiacenti materia per tranſmutationem &c. Neque ratio de Euchariſtia vrget, cũ hic fiat ſermo de rerum productione ſecundum communem naturæ curſum, non modo extraordinario, & miraculoſo.

Ob. Si à fonte hauriatur aqua, generatur nouum ſuppoſitum aquæ, quod antea non erat, niſi in potentia, ſed tunc nulla ſubſtantia corrumpitur, ergo non ſemper generatio vni' eſt corruptio alterius. ℞. negãdo, ꝙ in caſu eſſet noua generatio, illa .n. potius eſt totius homogenei diuiſio, quã vera generatio, vt dictũ eſt in phyſ. ideo nihil.

Quò ad ſecundum ſenſum, nempè cauſalem, eſt maior difficultas, dicere .n. ſolemus, formam priorẽ expelli, quia noua aduenit, & nouã aduenire, quia prior recedit; iuxta primam cauſalẽ generatio eſt cauſa corruptionis, eo modo, quo corruptio cauſam habere poteſt, quatenus .ſ. ad eam conſequitur; iuxta ſecundam, corruptio eſt cauſa generationis; ſed quia idem reſpectu eiuſdem non poteſt dici cauſa, & effectus, prius, & poſterius, hinc grauis oritur lis, quæ nam illorum cauſalium ſit abſolutè vera, an ſcil. introductio nouæ formæ, an potius expulſio præcedentis. Neque eſt ſermo de prioritate temporis, ſed naturæ, quæ ad cauſalitatem ſufficit, ſi eſt cum aliqua dependentia.

Circa quam difficultatem videntur tres modi dicendi, duo extremi, & vnus medius; Aliqui antiquiores volunt expulſionem formę præcedentis abſolutè præcedere introductionem nouę, & illam cauſalem eſſe veram: *Noua forma accedit, quia prior recedit*. qui modus dicendi amplectitur à Rubion. in 2. d. 12. qu. 4. art. 2. & ſequuntur Faber Theor. 40. & Merc. & Areſ. 1. de gen. q. 22. præſertim de formis ſubſtãtialibus, quia de accidẽtalibus opppoſitum tenẽt. Recentiores verò magis communitèr totum oppoſitum defendunt .ſ. introductionem nouæ formæ præcedere expulſionem antiquæ, & eſſe eius cauſam, ideò volunt hanc cauſalem eſſe abſolutè veram, nempè: *Ideò forma præcedens expellitur, quia noua introducitur*. ita Suar. Auerſa, Hurt. Arriaga, & Alij. Thomiſtæ mediant, vt videre eſt apud Compluteſes diſp. 3. de Gen. & M. Iacob. Brun. de Gen. q. 2. art. 2. cum D. Thom. 1. 2. q. 113. artic. 4. ad 1. qui diuerſa genera cauſarũ diſtinguentes, nempè efficientis, & materialis, aſſerũt introductionẽ nouę formæ, quæ eſt generatio, priorem eſſe in genere cauſæ efficientis, ꝙ etiam concedunt in genere cauſæ finalis, & formalis; ſed ex parte materiæ, ſeu in ratione cauſæ materialis, aiunt priorem eſſe expulſionem formæ antiquæ, quæ eſt corruptio, & ſequuntur Ruu. 1. de gen. tract. 2. q. 5. Aretinus in 4. d. 16. qu. 2. articul. 4. & Moriſan. diſput. 3. phyſ. 19. & Alij.

Sumus cum secunda sent. quam docuit Scot. in 2. d. 1. q. 3. ad 3. Principale & amplectuntur Mairō. in 4. d. 1. q. 4. Mastr. & Bell. disp. 5. de gen. q. 4. & licèt secundum quamdam imaginationē videatur expulsio formæ præcedentis præcedere introductioni subsequentis, absolutè tamen loquendo, & secundum veritatem, res è contrà se habet, & sola illa causalis est absolutè vera: *quia forma noua introducitur, ideò prior expellitur, & non è conuersò.* Patet discurrendo per singula causarum genera, in genere causæ finalis, generationem, priorem esse corruptione, concedunt etiam Aduersarij, generatio namque intenditur ab agente, corruptio autem non, nisi per accid. In genere causę formalis patet ex dictis, nam expulsio formæ præcedentis est effectus secundarius formæ nouæ, ergo necessariò supponit introductionē eius in materia, & fatetur ferè ab omnibus formam veterem a noua expelli, & ad huius accessum recedere. Ex quo etiam deducitur prioritas in genere causæ efficientis, nā efficiens, non depellit à materia formam veterem, nisi introducendo nouam illi incompossibilem, qua ratione actio generatiua formæ nouæ dicitur virtualiter corruptiua antiquæ, vt diximus supra.

Solùm igitur difficultas est ex parte materiæ, quia .n. materia formam nō recipit nisi denudetur, & expurgetur ab his, quæ receptionē formæ impediunt, & ex his præcipua est ipsa forma vetus, vtique ad præparationem nouæ formæ introducendæ videtur præcedere debere veteris expulsionem, sicuti aliæ dispositiones præcedunt. Cæterùm totum hoc ex sola imaginatione procedit, si autem res bene, & scientificè penetretur, neque ex parte materiæ, seu in genere causæ materialis concedere debemus expulsionem veteris formæ præcedere introductioni nouæ, sed potius è contra. Ratio est, quia hæc ipsamet purgatio materiæ ab impedimento formæ oppositæ fit per informationem, & receptionem formæ nouæ, ergo est effectus eius, & consequenter repugnat eius corruptionem esse priorem, sed omnibus modis eius expulsio semper posterior erit.

Nec illud Commune effugium Thomist. quòd idem esse possit causa, & effectus, prius, & posterius in diuerso genere causæ, licis aliquid suffragatur vt millies impugnatum est; & exemplum, quod adducere solent, quòd V. g. lignum prius est albedine, & lignum album albedine posterius, non valet, lignum .n. quia albedinem præcedit, semper prior est albedine, album verò posterius est albedine, cum per albedinem fiat album; at tunc non est idem lignum, prius, & posterius, sed lignum semper prius erit, dicitur verò posterius, non vt lignum, sed vt album, quæ denominatio cū sit à forma accidentali, posterior est ipsa forma denominante, quæ do-

doctrina non militat in casu de forma substantiali, si enim eius corruptio, & expulsio præcedit, semper præcedet. Concedunt Aduersarij, quòd expulsio veteris formæ sit effectus secundarius nouæ formæ, quomodo ergo præcedit? Nulla causa actualiter causare potest, nisi existat, vt etiam Thomistæ fatentur, ergo si corruptio est causa materialis nouæ formæ, debet tunc existere, ergo quomodo potest denuò esse effectus generationis? ergo existeret, antequam existeret, & esset antequam esset; & idem esset causa sui ipsius, vt bene vrget Arriaga, si .n. corruptio est causa generationis, & generatio est causa corruptionis, à primo ad vltimum, corruptio est causa corruptionis, quod .n. est causa causæ; est causa causati. Tum quia effectus formalis nõ potest præcedere formam, sed corruptio est effectus formalis formæ, quia agens introducendo formam expellit aliam, ergo corruptio non est causa generationis, nec prior illa. Respondent Thomistæ distinguẽdo, nequit præcedere in genere causæ formalis cõcedimus, in genere causæ materialis dispositiuæ, negamus; pcedit posteriori modo, quia purgat, & expellit materiam ab impedimentis, reddendo ipsam capacem pro receptione formæ subsequentis.

Contrà, quando corruptio purgat, & expoliat materiam ab impedimentis, vel existit vel non; si existit, ergo non potest amplius produci à quacumque causa, semper .n. bis produceretur, licèt sit variatio causarum; si corruptio tũc non est, ergo erit eius oppositum, nempè forma, quia ipsa est, quę disponit materiam, & sua præsentia formam veterẽ spoliat à materia.

Ob. contra nostram decisionem Rubion. Non est forma noua, quæ veterem expellit, sed est agens, qui immediatè se ipso illam expellit, & corrumpit, vt subsequenti locum faciat, ergo generatio formæ nouę expulsionem, & corruptionem formæ antiquę præsupponit, non ẽcõtra. Pr. assumptum, quando forma noua introducitur, aut inuenit in materia formam priorem, aut non; si inuenit, ergo non est ei incompossibilis, cùm pro aliquo signo in eadem materia simul existant, si non inuenit, ergo ipsam nõ corrumpit, vel expellit, sed corruptam, & expulsam sopponit, implicat .n. corrumpere quòd non est, & aliquid expellere a subiecto, in quo non existit. Rñt Aliqui, quòd forma noua inuenit in subiecto formam veterem, in eodem instanti, quo introducitur ipsa noua forma, non tamen est compossibilis cum antiqua, quia iã statim ipsam corrumpit, inde asserunt, quòd sunt simul in pugna, & fieri, nunquam tamen in esse quieto, seu in facto esse, ità Fuentes 2. phys. diff. 2. art. 4. & Lorca art. 4. in p. 2. disp. 4. de Gratia §. *Tertiò dico &c.* vbi admittit peccatum, & gratiam simul pro aliquo instanti in eadem

anima, & citat Scot. in 2. d. 37. sed falsò, nā ibi Doct. solùm docet de Potentia Dei absoluta posse gratiā cum peccato simul existere; non de facto, vt patet etiam in 4. d. 1. q. 6. & d. 16. q. 2. quæ solutio suspecta est, nō solùm in Philosophia, (in qua docetur formam, & priuationem pro nullo instanti simul consistere posse, nec permanenter, nec transeunter, propter manifestam implicantiam; sequeretur .n. quòd eadē forma simul esset, & non esset pro eodem signo, cùm semper vna forma priuationem deferat alterius,) sed etiam in Theologia; in qua fatetur pro nullo omnino instāti posse simul esse gratiam & peccatum, odium, & amorem, substantiam panis, & Corpus Christi &c. R. igitur negando antec. agens .n. non alio modo formam veterem à materia expellit, nisi introducendo nouam ei incompossibilem, & in hoc Rubion decipitur, imaginatur .n. quòd agens duplicem habeat actionem, vnam, qua prius natura formam veterem corrumpit; alteram, qua nouam introducit, quod falsum censemus, nàm vt supra dictum est, eadem prorsus actione agens, qua nouam introducit, veterem corrumpit, cùm non detur actio merè corruptiua & destructiua, sed formalitas actionis in eo consistit, quòd sit alicuius productio, non autem mera, & pura destructio. Ad probationem, dicimus, quòd vt forma noua veterem expellat, non oportet vt eam in subiecto reperiat, sed satis est, vt ei coniungatur per successionem, & expulsionem, non per simultatem, ità vt cùm primò ponitur vna forma, primò alia tollatur, & primum esse vnius, sit primum non esse alterius, & ratio huius est, vt in physic. diximus, quia forma non expellit priuationem, aut aliam formam per aliquam actionem, quam in illam exercet, vel per aliquem contactum, sicut clauus trudit clauum, neque pugnant sicut milites in arena, sed in eo hæc pugna, & expulsio consistit, quòd quando noua forma introducitur, in eodem prorsus instanti vetus abeat.

Hinc not. quòd licèt forma vetus corrumpatur, & expellatur formaliter à forma noua, effectiuè tamen expellitur, & corrumpitur ab ipso agente; non potest autem dici agens immediatè se ipso formam præcedentem corrumpere, vt locū subsequenti faciat, nam agens non corrumpit formam præcedentem, nisi nouam generando, cùm habere nequeat actionem, quæ per se primò terminatur ad desitionem formæ prioris. Tùm quia si agens se ipso immediatè formam corrumperet, & non forma noua mediante, hæc non diceretur eam expellere. Tùm quia dici deberet, Deum prius natura ejjcere gratiam, vt locum faciat peccato, quando aliquis iustus à gratia decideret.

Arguit Aref. Quamuis hæc sententia admitti possit in formis cōtrarijs, quarum vna ad ingressum alte-

alterius immediatè expellitur, in substantialibus tamen admitti non debet; & ratio est, quia in his forma præcedens non expellitur virtute formæ subsequentis, sed virtute dispositionum præcedentium, & defectu dispositionum suarum, cū ergo prius corrumpantur dispositiones formæ prioris, quàm posterior introducatur, prius etiam corrumpetur illa, quàm illa generetur. Confirmatur, Si in vltimo instanti præuiæ alterationis nollet Deus concurrere ad eductioné nouæ formæ, adhuc vetus destrui deberet, neque sine miraculo conseruari posset, cum nulla forma conseruari posset naturalitèr sub contrarijs dispositionibus, si autem productio formæ nouæ esset destructiua formæ veteris, nullum esset miraculum tunc eam conseruari, quia iam tunc nullum reperiretur illius destructiuum. Arriag. & Auersa argumentum retorquēt, dicentes: Dispositiones pro forma priori pelluntur, quia inducuntur aliæ nouæ sibi inuicem contrariæ, atque adeò prior est harum introductio, quam illarum expulsio, sed per nouas dispositiones introducitur noua forma, ergo saltē per concomitantiam prior est introductio nouæ formæ, quàm veteris expulsio.

Sed instarent Aduersarij, post introductionem caloris, vt octo V.g. in materia ligni sequitur immediatè expulsio frigoris requisiti pro ligno, & simul etiam forma ligni, & postea forma ignis coalescit, & ità extersio argumenti parum vrget. Argumentum in via Scotist. nihil vrget, quia ipsi negant per alterationem preuiam vsque ad vltimum instās inclusiuè induci gradum incompossibilem formæ præcedenti, quo admisso satis Argum. vrget; Sed per nos qualitas in tali gradu à forma substantiali dimanat statim ac, quod est introducta; & consequenter introductio formæ nouæ semper expulsionem veteris præcedit, & gradus pro ea requisiti; ita eruditè Bell. & Mastr. loc. cit. qui etiam ad confirmationem ex allato principio facilè respondent, quòd cùm alteratio in toto suo periodo nūquam gradum incompossibilem inducit, cùm hoc sit munus substātiæ, si Deus in vltimo instanti suū concursum suspendat ad eductionem nouæ formæ, tunc forma vetus absque miraculo remanebit, & paulatim suo naturali conatu contrarias dispositiones depellendo proprias tandem reassumeret.

Ob. generatio formæ nouæ est finis, corruptio antiquæ se habet vt medium, ergo licèt illa sit prior in intentione, erit tamen posterior in executione. ℞. cum Hurt. disp. 1. de gen. sec. 9 §. 95. quòd generatio non est finis dependens à corruptione tanquam à medio propriè, & in rigore sumpto, sed tanquam à remotione impedimenti, ad hoc autem sufficit, vt forma noua in eius ingressu nō inueniat materiam occupatam ab alia forma

ad

ad quod parum refert, vt forma præcedens prius natura fuerit expulsa, vel quòd tunc primò expellatur, vndè negatur consequentia, nam etiam generatio dependet à dispositionibus consequentibus, quarum est finis, & tamē prius natura est generatio, quam illæ dispositiones. Et sequitur Arriaga, disp. 8. Phys. sec. 1. & Suar. disp. 27. meth. sec. 11. num. 21. ait: impropriè expulsio formæ dicitur causa materialis introductionis alterius formę, nam potius est remotio cuiusdam impedimenti, non tàm antecedens, quā subsequens, vel cōcomitans, & si aliquis est ordo, vel prioritas, magis est secundum nostram considerationem, quàm secundum aliquam causalitatem à parte rei.

Ob. Terminus à quò motus, vt prouueniens ab agēte, prior est termino ad quem, ab illo .n. motum inchoat, vt adhuc tendat, sed expulsio formæ præcedentis est terminus à quo motus prouenientis ab agente, introductio nouæ est terminus ad quem, ergo prior est expulsio formæ, quàm formæ introductio. ℞. distinguendo de ordine prioris, & posterioris inter terminos motus, si .n. concipiatur per modum cuiusdam transitus, vt in argumento assumitur, sic prior occurrit terminus à quo abijciendus, & posterior terminus, ad quē acquirendus; si verò concipiatur p modum cuiusdam aliter habitionis nunc, quam prius, prior erit terminus ad quē, posteà terminus à quo; si autem sermo fiat de termino à quo per se, & primò, sicut est priuatio, sic abiectio termini à quo, nec præcedit, nec subsequitur acquisitionem termini ad quem, sed omnino simul natura sunt, immo volunt Bell. & Mastr. quòd abiectio priuationis sit formalissimè acquisitio formæ. Ratio huius est, quia priuatio, & forma priuatiuè opponuntur, vnde nec per Diuinā potentiam fieri potest formam esse in subiecto, & priuationem non recedere, ideoq; aduentus formæ est formalissimè expulsio priuationis, & è contra; Si verò sermo fiat de termino per accidens, & concomitanti, qualis est forma vetus in materia, equidem huius expulsio distinta est ab introductione termini ad quem, & ratio est, quia hi termini non ita immediatè opponuntur, quasi non esse vnius sit formalissimè esse alterius, vt in priuatiuè oppositis accidit, vbi non esse priuationis tenebræ, est formalissimè esse formæ lucis; hinc Deus cōseruare potest terminum ad quem cū huiusmodi termino à quo, idest formam nouam cum veteri, & non potest terminum ad quem conseruare sine priuatione, & è contra, statim .n. ac est priuatio formæ, repugnat esse formam, & è conuerso. Vnde ad argum. negatur paritas, & consequentia nihil.

Solet ab aliquib. Scotistis afferri Doct. in 4. d. 16. q. 2. in calce. vbi videtur oppositum sentire; sed vt bene

bene asseruant Mastr. & Bell. ex Doct. ibi nihil colligi potest pro Aduersarijs, ibi .n. loquitur de peccato, & gratia, quæ secundũ Ipsum non opponuntur ex natura rei, & in fine quæstionis concludit; quòd gratia, & peccatum secundum causalitatẽ, vel generationẽ nullũ ordinẽ habent prioris, & posterioris.

Quò tandem ad sensum formalem, & identicum, an propositio sit vera, .f. Generatio vnius, est corruptio alterius, &c. distinguendum est vt supra, nempè, quòd generatio, & corruptio accipi possunt, vel in ratione actionis, vel mutationis; si hoc secundo modo sumantur, propositio est falsa, quia generatio, & corruptio diuersas important mutationes, vt supra dictum est. Si primo modo erit vera, corruptio .n. non importat diuersam actionẽ à generatione, eadem namque actione, qua vna forma introducitur, alia expellitur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An Generatio, & corruptio fiant in instanti, vel successiuè.

SCot. decisionem huius dubij dedit in 2. d. 21. q. 9. lit. D. & F. & N. & in 4. d. 43. qu. 5. B. & 8. meth. q. 3. & alibi. Tres referuntur opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema, quæ est magis cõmunis asserit, quòd quælibet formæ substãtialis introductio fit in instanti, licèt subiectum successiuè disponatur. Ita Capreol. Pomponatius, Tolet. Hurt. Arriag. & Alij, quam opinionem sic explicant: Ante generationem alteratur mobile, & quia non omnis pars est æquè propinqua agenti, ideo primo propinquior pars subiecti alteratur, & in vltimo instãti illius alterationis introducitur pars formæ substantialis; deinde, agens aliam partem alterat, in qua similiter agens introducit in instãti terminatiuo aliam partem formæ, & sic deinceps, in quo sensu cõcedunt generationem substantialẽ fieri successiuè, quatenus vnum instans alteri succedit, licèt mediet tempus, in quo tamen non fit generatio, sed tantùm alteratio, hinc Aliqui ex hoc, motum à mutatione distinguũt, qualis est generatio, quod motus fit in tempore, mutatio verò in instanti. Altera extrema affirmat formas substantiales habere latitudinem non solũ extẽsiuam partium, sed etiam intensiuam graduum per intensionem, & remissionem, ità vt successio proueniat nè dũ ab extrinseco, ex parte mobilis, sed etiam ab intrinseco, ex intrinseca .f. latitudine formæ, quæ de se successiuè acquisibilis est, cùm secundum se diuisibilis sit tàm extensiuè, quàm intensiuè. Ita Anton. Andr. lib. de tribus principijs qu. 8. & 11. & libr. 11. Meth. q. vn. Zerb. Rocc. & Alij, citantes pro hac sent. Auerr. & Alexand. & eo fundamento, quia posuerunt formas substantiales præsertim elementorum intensibiles, & remissibiles, & sequuntur illi, qui tenent formas elementorum remanere in

mixto

mixto in esse remisso, & refracto. Tertia opinio mediat, docẽs quòd generatio substantialis inanimatorum (quia de animatis dicetur infra) fiat in tempore, & successiuè cõtra Primã sent. quæ tamẽ successio nõ proueniat ab intrinseca latitudine formæ substãtialis, quaten' successionẽ postulet, cõtra Secũdã, sed ab annexis, & extrinsecis dispositionibus, & hęc censetur magis Peripatetica, & ad mentem Scoti.

Conclusio.

Dicimus generationem, & corruptionem substãtialem inanimatorum successiuè, & in tempore fieri. est ad mentem Scot. loc. cit. & præsertim in 4. d. 43. q. 5. B. vbi docet, agens creatum successiuè inducere formam substantialem, ex quo principio concludit, quòd si forma corporis in resurrectione in instanti introducetur, hoc erit Virtute Diuina, sequitur Lych. in 2. loc. cit. pro Scot. Mastr. & Bell. hic q. 5. art. 1. & Colligitur ex Arist. nam 4. phys. 129. & 7. phys. 37. docet generationem esse velociorem, & tardiorem, & 6. phys. tex. 59. ait: ex præcedentibus in generat. & corrupt. aliquid semper prius factum, vel corruptum esse ante complementum ipsorum, sicut in quolibet motu successiuo, mutari præcedit mutatum esse, & è contra.

Pr. 2. ratione Scoti, deducta ex actione vniformiter difformi agentis naturalis in passum, quotiescũque .n. passum circa quod agens naturale exercetur, est contrarijs dispositionibus affectum, semper agẽs intra sphæram actiuitatis suæ vniformiter difformiter agit, nempè qualitatẽ intẽsiorem producẽdo in partibus sibi proximioribus, & debita proportione remissiorẽ in remotiorib. cuius ratio est, quia maior, vel minor distantia agentis à passo multum iuuat, vel impedit actionem eius, cùm igitur in qualibet generatione præcedant semper præuiæ dispositiones, quæ non nisi in tempore, & successiuè introducuntur, & passum sit in plures partes diuisibiles, non potest secundum omnes esse equaliter agenti approximatum, & consequenter ipsam etiam generationem per cõcomitantiã fieri successiuè, & in tempore. Pr. conseq. vltimas .n. dispositiones naturaliter, & necessariò consequitur introductio formæ substantialis, si ergo illę successiuè introducuntur, nec dari nequit determinata pars, in qua primò, & æqualiter tota introducatur, sed semper in infinitum alia pars est prius disposita, idem vtique de forma substantiali per concomitantiã asserendum erit.

Hinc not. quòd aliqui Scotistæ negant cum Doctore in animatis, & homogeneis terminos paruitatis, & postea asserunt generationẽ eorum fieri in instanti, in quo non rectè, & consequenter loquuntur, sed magis consequenter Aduersarij, vt benè Mastr. & Bell. aduertunt, ipsi .n. asserentes generationem

nem fieri in instanti, concedunt ẽt formam substantialem semper exigere determinatam partem, quam informet, imò ex hoc, quòd singulis formis præscribũt terminos paruitatis, hinc postea deducunt omnem generationem fieri in instanti; quare è cõtra, qui inanimatis tales terminos negant, consequenter negare tenentur generationem in instanti fieri.

Pr. 3. Vt aliqua forma successiuè introducatur, duo ad summum requiruntur, Vnum est, quòd forma habeat aliquam latitudinem, siuè extensiuam, siuè intensiuam. si .n. terminus indiuisibilis est, nequit nisi totus simul acquiri, & deperdi; Alterum est, vt sit impedimentum aliquod, quominus in instanti secundum omnes suas partes ipsa introducatur, vnde lumẽ licèt præfatam habeat latitudinem, quia tamen nullum est contrarium impedimentum, totum simul inducitur, ità ab Arist. colligitur 5. phys. 28. 33. & 39. & Scot. docet in 2. d. 2. q. 9. Z. vbi inquit, radicem omnis successionis sumendam esse ex resistentia medij ad motorem, & mobile, quatenus .s. non potest terminus ad quem à motore intẽtus statim in mobili induci, sed necesse est mobile moueri per media interiacentia inter terminos à quo, & ad quem, per media intelligendo id, quod necessariò præcedit inductionem termini ad quem, vt in phys. diximus; Sed vtraque conditio in generatione substantiali inuenit, nam in primis forma materialis habet latitudinem saltem extensiuam nempe pluralitatem partium, adest etiam impedimentum, quominus omnes eius partes simul introducantur, quia cùm in subiectum contrarijs affectum induci debeant, necesse est prius contrarium expellere, eiusque resistentiam vincere, quod ab agente naturali subitò fieri non potest, sed paulatim per partem post partem.

Dices, hoc impedimentum esse tantùm ab extrinseco, ratione dispositionum, nõ ab intrinseco formæ. Concedimus, sed hoc sufficere, vt successio in generationem ipsam redundet, quia ad successionẽ inducendam, non requiritur, quòd tale impedimẽtum formæ prodeat ab intrinseco, sed illud sufficit vndecumque proueniat.

Pr. 4. licèt inter formas substantiales non versetur illa contrarietas, quæ inter qualitates reperitur, habent tamẽ propriam repugnantiam, & incompossibilitatem in eodem subiecto, ratione cuius, si materia esset sub aliqua forma substantiali sine suis accidentibus connaturalibus, & consequenter non indigeret præuia alteratione ad ea expellenda, adhuc tamen talis generatio successiuè, & in tempore fieret, nam adhuc non reperiret materiam nudam, & sine impedimento, sed forma alia præoccupatam, cum qua incompossibilis est noua forma. Sicut ergo in motu locali sola incompossibilitas diuersorum,

rum Vbi in eodem subiecto sine vera contrarietate, & graduali intentione ad successionem motus localis sufficit, ità quoque in casu sola incompossibilitas duarum formarum substantialium in eadem parte materiæ sufficit ad successionem generationis, etiam contrarietate, & graduali intẽtione præcisa.

Confirmatur, Impedimentum in alteratione, ne tota qualitas simul inducatur, est alia qualitas ei contraria, & incompossibilis, quæ præinuenitur in passo, per quam resistit, quæ cùm partes habeat tota simul vinci, & expelli non potest, ergo etiã in proposito, forma substantialis præcedens in materia suo modo resistentiam causabit propter eius incompossibilitatem cum forma introducenda.

Pr. tandem experientia ignis nõ simul, sed successiuè occupat omnes partes ligni, chartæ &c. Tum quia Multi etiam ex aduersarijs de nutritione id defendunt, ꝙ nempe successiuè, & in tempore fiat, non in instanti, ex quo capite etiam soluere tenentur difficultates omnes, quæ contra nos vrgent.

Obiectiones.

Ob. Hurt. disput. 3. de gen. sect. 3. §. 17. Potest agens naturale materiam aliquam diuisibilẽ, & quantam momento disponere, ergo ex hoc quòd materia sit diuisibilis, nõ sequitur dispositionem, & consequenter generationem successiuè fieri. Probat antec. materia generationis hominis aut alterius viuẽtis tota simul recipit formã ex hoc, quod viuentia terminum paruitatis sibi determinant, ergo tota simul etiam in instanti disponitur. Conseq. patet, quia generatio fit in eodem instanti, in quo completur vltima dispositio in materia. ℞. argum. vrgere negãtes pluralitatem formarum in viuentibus, nobis autem nihil officit, indè negamus antec. ad probationem dicimus, vel in ea fit sermo de anima, & hanc concedimus tota simul ingredi propter rationem ibi allatam; vel de forma mixtionis, seu corporeitatis, & hãc negamus totam simul recipi, sed successiuè introducitur, hinc secundum Arist. lib. 3. de partibus animal. cap. 4. Cor primum generatur; & secundum Medicos Cor, cerebrũ, & iecur ante omnia membra fiunt; quarè dispositio ad formam mixtionis non fit in instãti, sed sola dispositio ad animam, quæ nihil aliud est, quàm completa organizatio corporis, quæ in congerie formarum illarũ consistit, de qua loquitur Scot. in 3. d. 4. q. B. vbi docet, quòd in vltimo instanti alterationis, inducitur forma corporis, qua corpus, est perfectè organicum, & habetur vltima dispositio ad animam, vt ipse Doctor infra se declarat.

Dices, Cur dispositio ad animã fit in instãti, nec in eius inductione dicere valet, ꝙ agens vniformiter difformiter disponit, vt dicitur de dispositione ad formã mixtionis; ℞. cũ Bell. & Mastr. loc. cit. discrimen

men esse, quia cùm dispositio formæ corporis fiat per præuias qualitates contrarium inuenientes in subiecto, ideò agens vniformiter difformiter disponit, nec omnes illas simul inducere valet, dispositio verò animæ nihil est, nisi perfecta corporis organizatio, quæ per varias mixtionis formas habetur, quæ ita introducuntur, vt agēs postquam semel in vna parte materiæ introduxit formam V.g. carnis, ossis, &c. tunc agit in eā introducendo animam. quia anima sibi determinat minimum q̄ fic, & corpus pfectè, & complete organizatum, ac in debita proportione constitutū, quæ perfecta organizatio non habetur per vnicā formā mixtionis, sed cū omnibus, q̄ successiuè acquirūtur, ex quo apparet euidēs disparitas in dispositione ad formā mixtionis, & ad formā animæ.

Ob. Faber 1 r. Meth. disput. 2. eius tamen rationes dirigūntur ad probandum generationem substantialem non fieri successiuè, eo modo, quo Anton. And. pretendebat, cōtra quem ibi disputationem init, in alio .n. sensu Theor. 39. etiam ipse concedit generationem successiuè fieri; Quia tamen quędam eius rationes videtur excludere omnem successionem, eas in medio afferimus. Arguit 1. auct. Scoti in 2. d. 2. q. 9. in solutione ad 2. vbi ex hoc arguit indiuisibile, vt est instans, esse aliquid positiuum, non priuatiuum, quia aliàs sequeretur, quòd generatio substantialis, & aliæ subitæ mutationes, vt illuminatio fierent in nihilo, vel essent nihil, quia eorum mensura, quæ est instans, esset nihil. Item in 4. d. 12. q. 3. non vult, quòd per quęcumque gradum caloris in aqua introductū ab igne, corrumpatur vnus gradus frigoris, & vnus gradus formæ aquæ, & inducatūr vnus gradus ignis, sed docet tunc formam ignis induci, quādo inducti sunt tot gradus caloris, quot sunt incompossibiles formæ aquæ, ergo generatio substantialis secundum Doct. non fit gradatim iuxta successionem alterationis, sed tota simul, alteratione peracta.

℞. ad primam Doct. auth. ibi etiam colligi oppositum, nam manifestè docet, generationem inanimatorum fieri successiuè cum sibi non determinent *minimum quod sic*, dixit autem mensuram generationis esse instans, non tempus, quia reuera mensura per se generationis est instans, tempus autem solùm per accid. & ratio est, quia tota successio, quæ ibi interuenit, non procedit vtique ex intrinseca latitudine formæ, sed ratione præcedentium dispositionum, ex quo solùm deduci potest generationem per se non fieri successiuè, non tamen excludit, quòd saltem ità non fiat per accid. Ad aliam auth. ex 4. admittimus doctrinam ibi à Doct. relatam, sed falsum est opus esse, vt ad quemcumque gradum caloris acquiratur vnus gradus formæ ignis, nam vnus gradus caloris nō

est sufficiens dispositio ad formam ignis, sed in hoc tantùm sensu dicimus generationem fieri successiuè ratione alterationis præcedentis, quatenus agens ob actionem vniformiter difformem, partem remotiorem vltimatè disponit, propinquiorem interim iam dispositam forma substantiali imbuit; & quia talis distributio in infinitum fieri potest per partes proportionales, nunquam ad primam perueniēdo, in qua pars formę tota simul introducta fuerit, hac ratione dicimus generationem fieri successiuè. quæ doctrina Scot. non opponitur, vt bene Bellut. & Mastr. loc. citat. aduertunt.

Arguit ratione: Si generatio est successiua, vel esset ex parte materiæ, vel ex parte formæ, sed neutrū dici potest, ergo &c. maior patet, minor Pr. nam tam materia, quàm forma in se sunt essentialiter indiuisibiles, quia omnis diuisio est à quantitate. Tum quia termini generationis sunt contradictoria, non contraria ex 5. phys. 7. cùm substantiæ nihil sit contrarium. ℞. concedendo vtique successionem attēdi non debere absolute ex parte materiæ, vel formæ, non quia indiuisibiles sunt antecedenter ad quantitatem, vt Faber autumat, cū apud Scot. certissimum sit omnem substātiā materialē, esse entitatiuè diuisibilē, ante quātitatis aduētū, nec qualibet subiecti diuisibilitas inducit successionem, lumen .n. inducitur in aerem diuisibilem in instanti, sed diuisibilitas præsertim subiecti contrarij affecti, ex quibus prouenit resistētia; hinc in proposito dici potest, quòd successio proueniat ex parte materiæ, & ex parte formæ, non vt sic absolutè, sed sub dispositionibus à quibus per se tota generationis successio accipienda est, cùm .n. diuisibilitas subiecti cōtrarijs sit affecta, hæc præsertim causat resistentiam mobilis ad motorem.

Dices, si forma substantialis potest successiuè acquiri, nullum esset discrimen inter formā substantialem, & accidentalem, saltem quātum ad eorum acquisitionem; nec dicere valet per hoc differre, quia substantialis quantum est de se, potest tota simul acquiri, non illa; non valet, nam etiam partes accidentales V.g. caloris cùm sint de genere permanentium possunt omnes simul acquiri, saltem de potentia Dei absoluta. ℞. neg. sequ. nam adhuc lata remanet differentia in vtriusque formæ acquisitione; in accidentalibus .n. vera reperitur contrarietas, in substantialibus verò non nisi per accid. ratione illarum dispositionum, quæ ad ipsam præcedunt. Tum quia formæ accidentales habent intrinsecam graduū latitudinem, ratione cuius suscipiunt magis, & minus, non sic formæ substantiales; Vndè licèt vtriusque acquisitio sit successiua, successio tamen in vna est per se, in altera per accid. Et licèt calor de potētia absoluta possit totus simul indu-

induci secundum omnes gradus, qa tamen natura sua contrarium habet, idcirco connaturalitèr solùm successiuè induci postulat, quòd si aliter eueniret, hoc supra eius naturam esset, quod de forma substātiali dici nequit.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An substantia suscipiat magis, & minus.

SCot. de hac controuersia agit in 2. sent. dis. 2. qu. 4. lit. A. & B. vbi docet, quòd corpora generabilia, & corruptibilia per se non mensurantur tempore, sed tantùm per accid. quia fluxus, & successio partium in ipsis prouenit, vel ex quantitate, vel ex qualitate, & in 1. d. 17. q. 3. negat magis, & minus in forma substantiali, quomodo admittitur in accidentibus, & consequenter ibi negat motum successiuum ad substantiam, sicut in accidentibus reperitur, nempè secundum intensionem, & remissionem, quæ sent. est cōmunis contra Auerroistas. Decisiō patet ex dictis art. præced. vbi innuimus, successionem non esse referendum ad formam ipsam substantialem, sed ad preuias dispositiones, ità quòd si subiectum secundum omnes partes disponi posset, etiā forma substantialis in instanti, ac indiuisibiliter acquireretur.

Conclusio.

1. Dicimus, formas substantiales non suscipere magis, & minus per intensionem, & remissionem. Est etiam euidenter ad mentem Arist. nam cap. de substantia assignauit velut eius proprietatem, vt ab accidentibus distinguatur, non suscipere magis, & minus per intensionem, & remissionem, vt diximus in Logica. Nec glossam Auerrois recipimus, hoc solùm intelligi debere de substantijs perfectis, nempè mixtis, non autem de imperfectis, vt sunt elementa, sed generatio de omnibus substantijs intelligi debet, cùm in etiam elementa, sint species generis substantiæ, omnibus, & singulis talis affectio competere debet, tam perfectis, quàm imperfectis, nam passio generis etiam speciebus conuenit. Hinc postea Arist. 5. phys. 15. ait generationem substantialem indiuisibiliter fieri, quòd dictum in hoc sensu verificatur .s. indiuisibiliter acquireretur forma substantialis quantū est ex se, & per se, licet per accid. & ratione dispositionum successiuè introducatur.

2 Complut. 1. de gen. disp. 4. qu. 3. Ioann. de S. Thom. q. 3. art. 1. ex D. Thom. 1. p. q. 76. art. 4. sic probant: Forma, quæ dat speciem rei, quam actuat, debet in indiuisibili consistere, non verò variationem pati secundum intensionem, & remissionem, quia species sunt sicut numeri ex 8. meth. 10. cùm ergo forma substantialis tribuat speciem substantiæ, non suscipit magis, & minus. Non placet, nam hæc ratio procedit de gradibus essentialibus & quidditatiuis, secundum

dum quos nec etiam forma accidẽtalis suscipit magis, & minus, sed in indiuisibili consistit, & consequenter non suscipere magis, & minus in hoc sensu, non distinguit substatiam ab accidentibus.

Scotistæ alia ratione vtuntur, & videtur Scoti 8. meth. q. 3. scil. Si formæ substãtiales ad remissionem qualitatis remitterẽtur, ergo à mo to contrario remittente, nulla est causa intrinseca redeũdi ad pristinum gradum intensum, & sic aqua calefacta, ab igne amota, nũquam ad pristinam rediret frigiditatem, cùm non possit forma substantialis vltra vires suas agere. Neque hæc valet, alioquin quando videremus formam non posse amplius ad pristinum statum se reducere, deberemus inde remissionem ipsi concludere, vt de vino euaporato patet, vel aqua diluto, quod non amplius euadit perfectum, vt prius ex Arist. 1. de gen. 42.

Melius probant Mastr. & Bell. disp. 5. de generatione q. 5. art. 2. quia s. nequeũt plures formæ substantiales specificæ, & completæ simul esse in eadem materia, saltem naturaliter loquendo, hoc autem contingeret, si formæ substantiales hoc modo magis, & minus susciperent, nam in aqua calefacta vsque ad quartum gradum, haberentur etiam quatuor gradus V. g. formæ ignis, cũ forma substantialis ignis intendatur, sicut sua latitudo qualitatiua, & ità naturalitèr in eadem materia essent simul forma aquæ, & forma ignis; & parum interest, quòd sint simul in gradu intenso, vel remisso, cùm absolutè duæ formæ substantiales sint ad inuicem incompossibiles, & generatio vnius sit naturaliter corruptio alterius, ità vt nec in fieri, nec in facto esse possint simul esse; quæ ratio innuitur à Doct. in 2. d. 15. q. vn. disputans contra Auerroem, & licèt etiã ipsa aliquas patiatur difficultates, censetur tamen alijs melior, & directè contra Auerroistas, qui plures formas substantiales ponunt in mixto, saltem quo ad esse refractũ; sed veritas nostræ assertionis ex solutione argumentorum magis modò patebit.

Obiectiones.

Antonius Andr. loc. in præcedenti art. relatis, sequens Auer. & Alex. sic Arguit: Calor intenditur, & remittitur, ergo, & ignis. Pñ cõsequ. causa naturali similiter se habente, effectus similiter se habet, ergo ex variatione effectus, colligitur variatio causæ, sed calor, est effectus formæ ignis, & remittitur, ergo similiter & ignis remittitur. Rñ. Scot. 8. met. q. 3. ad hoc, & ad omnia arg. quæ relatus Authör contra nostram decisionem congerit, in præsenti negat conseq. cum eius probatione, quæ solùm tenet quando variatio effectus prouenit ab intrinseco causæ, non quãdo prouenit ab extrinseco, & à contrario, vt est in proposito, calor .n. ignis non remittitur à forma ignis, sed à contrario, quo casu

su potest remitti effectus, quamuis non remittatur causa.

Obijcit: Si formæ elementorum non remittuntur ad remissionem suarum qualitatum, possent conseruari in materia sine suis dispositionibus, sed hoc est falsum, ergo, &c. probatur sequela, quia qua ratione duo, vel tres gradus remitti possunt absq; remissione formæ, pariter & omnes, cùm sint eiusdem rationis. Rz. neg. sequ. cum sua probatione; & ratio est, quia quælibet forma substantialis intra quamdam latitudinem sibi determinat peculiares gradus qualitatis ad sui conseruationem, vndè licèt esse possit sine alijs gradibus intra eamdem latitudinem, non tamen sine istis, etsi eiusdem sint rationis, hinc Doct. in 2. d. 15. q. vn. citat. soluendo hanc rationem Auerr. ait quòd sicut non sequitur, hoc corpus potest esse sine hoc loco, & sine illo, ergo pari ratione sine omni, sic in proposito non valet hoc argum quam doctrinam latius declarat Sectr. 2. q. 4. d. 18. q. 3.

Ob. Si non quicumque gradus caloris arguit aliquē gradum formæ ignis, accidens erit naturaliter sine subiecto, sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. sequ. forma accidentalis non subiectatur in materia, nisi mediante forma substantiali, cùm ergo prius gradus caloris in aquā introducitur, quærimus, quā forma mediante subiectetur in materia, non per formam aquæ, quia hæc potius repugnat, non per formam generandam, quia non dum est ibi secundum aliquem gradum, nec per formam generantis, quia hæc non est in materia, ergo sine vllo subiecto. Rz. neg. sequelam, ad probationem, dicimus, quòd calor est in tota aqua, vt in subiecto adæquato, est tamen ibi violenter, quia contra propriam inclinationem, quòd si eius doctrina esset vera, nullus daretur motus violentus, sed omnis esse deberet naturalis, quod falsum est.

Ob. Calor est passio ignis, at propia passio sequitur formam, vt per se causam, ergo cùm propia passio per se intenditur, signum est, quod etiam intendatur forma. Rz. neg. quòd calor sit propia passio ignis, sicut risibilitas est passio hominis, non .n. competit soli igni, sed est qualitas quædam necessariò consequens formam ignis in gradu indeterminato intra determinatā latitudinem, sicut etiam frigiditas respectu aquæ, &c.

Ob. Vnius ignis calor est intensior calore alterius ignis, ergo forma vnius plures gradus habebit, quàm forma alterius, aliter nulla esset ratio, cur hoc indiuiduum ignis plures habeat caloris gradus, quàm aliud. Rz. communiter concedendo gradus indiuiduales formæ substantiali, vt argumentum cōuincit, & solùm negatur eo modo, quo sunt in forma accidentali, quæ talem habet graduum latitudinem, vt paulatim inducantur, vel remittantur, vnde eademq; modò ma-

magis calida, modò minus experitur; non sic forma substantialis, quæ post sufficientem dispositionem tota simul inducitur quo ad omnes suos gradus, & semel inducta non amplius intenditur, & remittitur; & sic argum. conceditur, quòd in generatione vna forma substantialis plures gradus perfectionales recipere potest, quàm alia, non tamen diuisibiliter, & successiuè, sed omnes simul, & indiuisibiliter.

Hæc est cōmunis responsio Scotist. quam etiam plures ex exteris sequuntur Caiet.p. 1. q. 85. art. 7. Bannez. 1. de gen. cap. 4. q. 3. Ru. tract. de pluralit. form. q. 3. Alb. Egid. Capreol. & Alij, quam etiam Scot. ipse probabilem existimauit in meth. loc. cit. Cæterùm neque in hoc sensu formam substantialem magis, & minus suscipere, est satis probabile, & licet Scot. in Meth. circa hanc sentent. problematicus videatur, in lib. tamen sentent. vbi potiori iure est ei tribuenda fides, potius ad oppositum declinat, hinc Scotistæ non inferioris nominis, negant quoque in hoc sensu substātiam magis recipere, vt videre est apud Tatar. cap. de substantia q. 2. dub. 2. Barg. in 1. d. 8. q. 2. §. *Ad aliud de attributione &c.* Maronius. passu 17. Cauell. de anima disput. 1. sec. 10. Mastr. & Bellut. loc. cit. & Alij.

Supponendum est tamen pro maiori intelligentia controuersiæ, quod suscipere magis, & minus in sent. Aduersariorum, est habere plures, vel pauciores gradus perfectionis indiuiduales inuicem compenetratos (Dicimus indiuiduales, nō specificę, quia secundum gradum specificum, esse rerum in indiuisibili consistit) Vnde sicut qualitas tunc intensior, & perfectior dicitur quā plures partes qualitatis intensiuæ sunt in eadem parte subiecti, qui vocantur gradus ad differentiam partium extensionis eiusdem qualitatis; & dicuntur esse quædam portiones perfectionales formæ specificæ extra eius conceptum quidditatiuum, ipsam formam specificam includentes, sicut quodlibet indiuiduum speciem includit; sed quia vniuntur inter se in ordine ad eamdem subiecti partem, ideò constituunt formam perfectiorem intensiuè, sicut partes integrantes extensionis faciunt perfectiorem formam extensiuè; Sic in proposito dicunt illam substantiam perfectiorem esse, quæ plures partes habet eiusdem formæ in eadem parte materiæ vnitas, quæ partes dicuntur gradus formæ substantialis ad differentiam partium entitatiuarū extensionis eiusdem formæ, ratione quorum graduum potest vna substantia perfectiorem operationem elicere, quàm aliam, sicut calidum, vt quinque perfectius calefacit, quàm calidum, vt duo.

Sed quomodocumque doctrina hæc explicetur, adhuc absolutè insistimus asserētes, substantiam non suscipere magis, & minus, & fundamen-

mentum accipimus ab Auth. Arist. non cap. de substantia, quia per eã non probatur absolutè substantiã non suscipere magis, & minus, vt aliqui putant, sed tantùm non suscipere magis, & minus per intensionem, & remissionem ad similitudinem accidentium, vt in logica aduertimus, & manifestè ex ipso textu colligitur, vbi Arist. ait: Sortes non est magis homo nunc, quã prius, quia habet semper idem esse, quod à principio habuit, sed bene est magis modo albus, quàm prius, quia accid. motu continuo intenditur, & remittitur. Neque ex alijs capitibus, quæ ab Aliquib. afferri solent veritatem huius propositionis venamur, sed præsertim ex 3. meth. 11. vbi Philos. docet in indiuiduis eiusdem speciei non dari prius, & posterius, idest magis, & minus perfectum, ait enim *in indiuiduis verò non est hoc quidem prius, illud verò posterius.* non loquitur autem de prioritate temporis, & durationis, sic .n. omnia indiuidua differunt, cùm non sint omnia simul producta, sed loquitur de prioritate, & posterioritate perfectionis, quod ex sequentibus verbis apparet, nam immediatè subdit: *vbicumque aliud melius, aliud deterius est, quod melius est.* Nec loqui potest de inæqualitate accidentali indiuiduorum, nam semper hæc in illis reperitur, vnus .n. homo est altero doctior, robustior &c. sed loquitur de perfectione intrinseca, & entitatiua, quæ in singulis indiuiduis variari non potest.

Nec valet effugium, si dicatur, sensum Arist. esse indiuidua non esse inæqualia in participanda natura specifica. & in perfectione essentiali, & in hoc sensu prius, & posterius inter ea non reperiri. Non valet, nam ità negat ibi prius, & posterius in indiuiduis, sicut admittit in speciebus, sed inter species prius, posterius admittit rõne differentiarum precisè contrahentium, non autem ratione generis, in quo prorsus æquiparantur, ergo talem ordinem negat in indiuiduis, qui ab inęqualitate differentiarum indiuiduantium oriri non potest; ob hanc indiuidualium differentiarum æqualitatem in perfectione intrinseca, & entitatiua remouetur à specie specialissima omnis conceptus analogiæ in sent. Scoti.

Pr. 2. Auth. Scoti in 2. sent. d. 16. q. vn. in fine, vbi negat potentias animę in vno esse perfectiores, quàm in alio; sed vnum esse altero ingeniosiorem, & acutiorem in meliorem organi dispositionem refundit. Et ibidem d. 20. q. 2. docet indiuidua speciei humanæ posse esse indifferenter à quolibet parẽte, sicut etiam in alijs speciebus, quę doctrina sublineri non posset, si omnia indiuidua non essent eiusdem perfectionis indiuidualis, & fundamentum est, quia perfectius non potest ab imperfectiori produci. Item in 4. d. 44. q. 1. supra F. docuit, quòd in nutritione semper impurior, & imperfectior caro

generatur, & subdit: hæc conclusio non asserit formam carnis suscipere magis, & minus, si tamen illud ponebatur, ista impuritas, esset, propter amissionem formæ substãtialis, potest tamen poni præcisè propter imperfectionem qualitatũ naturalium consequentium formam, quæ sunt principium alterãdi nutrimentum, quòd quantò imperfectius alteratur, tãtò ex eo caro impurior generabitur. Ita Scot. ergo eius sent. est quòd si aliqua substantia est altera imperfectior, hoc erit propter imperfectionem qualitatum, non propter remissionem, & formæ substantialis imperfectionem.

Tertiò probatur fundamentaliter, ex hoc, quòd importat suscipere magis, & minus, quod aliud non est, quàm plures portiones eiusdem formæ specificæ inuicem vniri, & compenetrari ad constituendam vnam formam perfectiorem, vt supra diximus, sed talis vnio gradualis nec substantiæ, nec quantitati competere potest, sed solis qualitatibus, ergo nec substantia, nec quantitas magis, & minus suscipere possunt. ma. patet ex modo explicandi propositionẽ mi. Pr. vt bene etiam aduertit Angestus lib. 2. de formæ propietati Quòd si formæ substantiales eiusdẽ speciei simul in eadem materia sese penetrarent, nunquam se intenderent, aut vnam fo. mam constituerent, hinc si duæ animæ V. g. leoninæ simul in eodem tempore penetrentur; adhuc duæ animæ permanerent, non autem vna ex illis perfectior integrata, sicut fit ex duobus caloribus in eodem subiecto penetratis; sic etiam si duæ quãtitates penetrarentur, non facerent vnam quantitatem perfectiorem, sed adhuc duæ quantitates permanerent. Vnio igitur gradualis, quæ est ratio suscipiendi magis, & minus, quantum ex naturis rerum colligere licet, tantùm qualitatib. conuenit, non substantiæ, vel quãtitati, cuius non est alia ratio quærenda; nisi quia hoc est hoc. Vnde experimur, quòd quædam res est intensa tantum, vt accid. animæ rationalis; quædam extensa tãtum; vt materia, & forma corporea; quædam intensa, & extẽsa, vt qualitas corporea, quædam nec extensa, nec intensa, vt Angelus, vel anima rationalis.

Confirmatur: Si ex coniunctione duarum formarum substantialiũ posset fieri vna perfectior, vt in qualitatibus contingit, & non adhuc duæ permanerent, idem quoque de materia asserendum esset, quòd, si vna portio materiæ cum alia vnita, & compenetrata faceret perfectiorem materiam; quòd si dicas, suscipere magis, & minus respicit subiectum, materia autem nullum respicit subiectum, non valet, nam si per impossibile albedo V. g. nullum ordinem ad subiectum diceret, adhuc esset intẽsibilis si plures gradus in se haberet, nam sufficit, vt sint plures portiones eiusdẽ for-

formæ in vnum coniunctæ, & compenetratæ ad faciendam intensionem, & sic daretur vna materia perfectior alia. Tum quia si substãtia potest in hoc sẽsu magis, & minus suscipere, si duo leones in eodem loco se compenetrarent, tunc integraretur ex ipsis vnus leo ambobus perfectior. Dices, hoc repugnare propter quantitatem. Non valet, nam distinctio per quantitatem est extrinseca, & posterior, & consequenter sicut non potest tollere distinctionem entitatiuam, neque vnitatem.

Quartò: Si forma substantialis suscipit magis, & minus propter plures, vel pauciores gradus perfectionales quos contineat, non potest assignari ratio, cur deinde ipsi denegetur intensio, & remissio, quæ conceditur qualitati; illi .n. gradus in forma substãtiali ità sunt realiter distincti, sicut in qualitate, quia sunt plures partes intẽsiuę eiusdem formæ, sicut partes intensiuæ qualitatis; Nec apparet ratio, cur in substãtia debeant omnes, & singuli simul acquiri, vel deperdi, non autem in qualitate, nam semper quæreretur ratio connexionis graduum in substantia, & dissolutionis in qualitate. Tum quia sicut ex perfectiori operatione inter indiuidua eiusdem speciei arguunt Aduersarij latitudinem gradualem inter formas substantiales eiusdem speciei, sic etiam quia ab eodem indiuiduo experimur modò perfectiorem, modò imperfectiorem operationem prodire, licebit etiam nobis intensionem, & remissionem eiusdem formæ substantialis inde colligere.

Tandem hæc inæqualitas in perfectione indiuiduali præsertim admonenta fuit, ob animas rationales ex disparitate effectus, vnus est .n. ingeniosior, alter hebetior, &c. cùm tamen omnes sint eiusdẽ speciei, sed iuxta hunc modum explicandi suscipere magis, & minus non potest inter animas rationales præfata inæqualitas saluari, ergo vel neganda est, vel alio modo explicanda Pr. min. nam suscipere magis, & minus plures gradus, seu portiones formæ in eadem materia supponit, sed anima rationalis est prorsus indiuisibilis, ergo &c.

Obiectiones.

Ob. Auth. D. Aug. 15. de Trinitat. cap. 13. vbi ponere videtur vnum intellectum alio perfectiorẽ, Item extat Articulus parisiẽsis, qui damnat asserentes animam Christi non esse perfectiorem anima Iudæ, Item Arist. in prædic. cap. de substant. ait: primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam; & 2. de anima notauit, quosdam esse ingeniosos, quosdam non, & 2. de gen. animal. cap. 3. ait; sicut anima est perfecta magis, vel minus, ità corpus præparatur; & 8. meth. 10. docet, quòd substantia secundum speciem nõ suscipit magis, & minus, sed si quidem in materia, idest, quatenus est à differentia indiuiduali contracta, Scot. tandem

dem 8. meth. q.3. in hanc inclinat sent. & in 3. d. 15. H. inquit Corpus Christi fuisse optimè complexionatum, sicut anima illius corporis erat perfectissima.

℟. ad D. Aug. ex Scot. in 2. d. 16. cit. ibi S. Doctorem non loqui de intellectu, & potentijs animæ formaliter, sed de potentijs, quæ sunt in secunda specie qualitatis .s. de habitibus ad illis potentijs vtendum, quatenus vnus facilius vtitur intellectu, & facilius apprehendit, quàm alter, propter perfectionem organorum, vt ideò magis, & minus in substantia animæ, potest in qualitate consistere; si nempè carnes sint molliores. Potest etiam in substantijs consistere, quatenus aliquis perfectiori abundat humore, vel spiritus habet vegetiores, quia tamē istæ partes organicæ alterius sunt speciei, nihil contra nos, qui de substantijs eiusdem speciei loquimur.

Ad Art. Parisiensem ℟. communiter parum vrgere, cùm determinatio illa non fuerit à Pontifice approbata. Tatar. tamen resp. intelligi debere de accidentibus spiritualibus, vt sūt ingeniositas, & perspicuitas intelligēdi. Arist. in prædicam. cap. de subst. loquitur de subsant. non in essendo, sed in substando. In 2. de anima loquitur in sensu D. Aug. supra relato. In lib. de gen. animal. intelligitur de animal. diuersæ speciei, vnde perfectius est corpus humanum, quàm equinum ob animam perfectiorē. In meth. Arist. loquitur non absolutè sed conditionatè, ait namque: *Et quemadmodum nec numerus habet magis, & minus, ità neque substantia, quæ secundum formam est, sed si est quidem; ea est, quæ secundum materiam est.* hoc est, si debemus admittere substantiam magis, & minus suscipere, hoc verum erit de substantia indiuiduali non specifica. Scot. in meth. est problematicus, nam concludit nō adesse rationem conuincentem pro, nec contra. In 3. sent. loquitur in sensu Diui August. supra allegati.

Ob. Quia in nutritione propter reactionē alimēti debilitatur virtus nutritiua, semper generatur impurior caro ex Scot. in 2. d. 15. & in 4. d. 44. q. 1. ità quòd caro propter impuritatem fiat tandem improportionata informationi animæ, ergo forma substantialis suscipit magis, & minus. ℟. si hoc argum. valeret, probaret etiam formam carnis suscipere intensionem, & remissionem successiuam, vt euidēter apparet, quod nec Aduersarij concedunt. Dicimus igitur, quòd cùm in nutritione caro agit in alimentum, ab illo repatitur, & consequenter debilitatur, non vtique quo ad formam substantialem, sed quo ad instrumenta, quæ sunt accidentia, quibus alterat alimentum, ex quo sequitur non posse ob refractas vires perfectè alimentum alterare, & in se ipsam conuertere, quin aliquid ex ipso alimento remaneat, & quia ipsum

ali-

alimentum contrarias habeat qualitates, idcirco semper agit in carnem, ita vt vel totaliter ipsam destruit, vel saltem ipsam impedit, ne ad pristinam redeat perfectionem. Affertur exemplum de vino, in quo si admisceatur aqua proportionaliter ipsam in se conuertit, & post conuersionem ad pristinum redit, si tamen aqua in magna quantitate misceatur, satis vinum debilitat, quia non totaliter conuertitur, sed in ipso partes aquæ tenuiores, & subtiliores permanent, & si aquæ infusio continuatur, vinum tādem corrumpitur. (Sed de hoc iterum) Sic ergo in proposito, in nutritione generatur caro impurior, nō propter remissionem formæ substantialis, sed qualitatum, vt Scot. docet in 4. cit. & ob admixtionem partium alimenti à quib. impeditur actio formæ substantialis, quòd si illud impedimentū phormaco auferatur, caro iam proprias vires resumit.

Sed contra argues, Scot. in 2. d. 19. docuit, nunquam carnem post nutritionem ad priorem statum peruenire, immò ab ipso ligno vitæ in Paradiso negat potuisse reduci carnem in pristinam perfectionem, & hoc quia conuersum nequit esse nobilius conuertente; Tū quia ab ipso ligno in agēdo repassa fuisset, ac debilitata, ergo hæc impuritas in substantiali forma reperitur. ℞. ibi Doct. arguebat cōtra ponentes lignum vitę virtutem habuisse conseruandi hominem immortalem. Contra ait Scot. Si conuersum non potest esse nobilius conuertente, & caro conuertens est corruptibilis, & mortalis, ergo nequit caro conuersa, seu generata ex ligno vitæ, vt alimento, esse immortalis, & hanc virtutem priori carni cōmunicare. Addit, quòd caro conuertens debuisset à ligno debilitari, & consequenter vim habere non potuit conseruandi in perpetuum; Non tamen declarat ibi Doctor an ista debilitatio fuisset quo ad formam substantialem, an quo ad accidentalem tantùm, ita quòd post conuersionem ligni in carnem potuisset in pristinum statum se reducere. Sed quicquid sit ibi de mente Doct. certum est debilitationē viriū, quæ nunquam recuperari possunt, aliunde prouenire posse, quàm ex remissione substantialis formæ, nam prouenire potest ex continua præsentia contrarij impedientis, vt patet de vino multa aqua diluto; potest etiam prouenire ex diminutione ipsius substantiæ, vt est de vino euaporato, à quo dilabuntur partes subtiliores, ac magis spiritosæ vini, quæ sunt partes extensiuæ, non intensiuæ; & in hoc sensu poterat Scotus asserere, nunquam carnem post nutritionem ad priorem statum posse peruenire, vt bene Mastr. & Bellut. notant.

Obijc. vnus ignis est altero calidior. Item vnum vinum vehementius agit, & est altero dulcius, & generosius, ergo quia ex operatio-

ne arguimus formam, dabitur vna forma alia perfectior intra eamdẽ speciem, ℞. ad illud de igne, non euenire ratione formæ, sed vel ob densitatem materiæ, vel ob maiorem quantitatem, quæ valdè conferunt ad fortius, & longius agendum. Ad illud de vino non prouenire ex maiori perfectione substantialis formæ, sed talis diuersitas ex alio capite accipienda est, quòd nempè illæ qualitates ab extrinseco illi proueniant, scilicet vel à terra, vel ab aere, vel à stellis &c. ad quæ accidentia forma substantialis est indifferens. Est etiàm aduertendum, quòd in vino sunt partes subtiliores, & crassiores, illæ facilè euanescunt, istæ verò facilè in acetum conuertuntur, vndè non est corpus perfectè homogeneum, sed aliquid habet ætherogeneitatis, est .n. quoddã mixtum diuersas etiam specie substantias in se continens, quod comprobatur ex lambico, vbi videmus partes ejus separare, quarè se habet velut sanguis, in quo etiam partes crassiores, & subtiliores inueniuntur, & hæ spiritus vitales appellantur, & sic ratione hujus compositionis, posset concedi vnum vinum esse perfectius alio etiam quo ad substantiam, sed non est cõtra nos, quia loquimur de substantijs ejusdem speciei, & vinum cõtinet partes specie diuersas. Potest etiam hoc refundi ad vuas, quæ secundum aliquos distinguuntur specie, cùm semper aliquæ vbique, & in diuersis locis eamdem dulcedinẽ, vel acritatem secum ferant, licèt cum aliquali differentia accidentali secundum magis, & minus.

Ob. Agens per se modò inducit perfectiorem, modò imperfectiorem dispositionem in materia, ergo melior dispositio meliorem formã inducit. Pr. consequ. aliter per accid. se haberet illa maior dispositionis perfectio, si forma æquè informaret materiam magis perfectè, & minus perfectè dispositam. Tum quia dispositio ordinatur ad informationẽ formæ, ergo melior dispositio ad meliorem informationẽ, ad quam requiritur melior forma, quia effectus formalis mensuratur ab entitate formæ intrinsecè ℞. agens per se semper intendit pfectiores inducere dispositiones, si impedimentum nõ adsit, & si imperfectiores producit, hoc est per accid. indè negatur consequ. cum sua prima probatione, semper .n. forma respicit materiam perfectè dispositam, quòd si aliquando est imperfectè disposita, hoc est prorsus per accid. & patet experientia, eadem .n. anima quæ prius corpus perfectum informabat, idem postea informat redditum imperfectum per aliquem morbum, vel aliquod accid. Ad aliam probationem negatur etiam consequentia, si sermo fiat de informatione simpliciter, & absolutè, cùm hæc semper eadem sit absolutè, si tamen loquatur de informatione in ordine ad faciliorem, vel difficiliorem sepa-

separationem. Sic conceditur; & nihil contra nos, nam cum maiori difficultate se iungitur forma à materia perfectè disposita, quàm imperfectè; neque ad hoc requiritur melior forma, quia tota hæc perfectio spectat ad vnionem formæ cum materia, non ad ipsam formã. Neque perfectio informationis metiri debet iuxta entitatem formæ, quia formæ inferiores quandoque maiori nexu vniuntur cum sua materia, quàm formæ superiores, vt patet de forma adamantis, vel alterius prætiosæ gemmæ &c.

Ob. Anima dicit ordinem determinatum ad constituendum hoc indiuiduum, ergo determinatè quoque tale corpus respicit sine quo non esset tale indiuiduum, ergo respicere non potest corpus magis & minus perfectum, sed perfectioris corporis, erit perfectior anima. ℞. nego quòd anima dicat ordinem determinatum potius ad hoc, quàm ad illud corpus, non. n. indiuiduat animam per huiusmodi ordinem, vt Thomistæ autumãt, immò asserere, vt benè aduertunt Bell. & Mastr. quòd hæc anima petat tale corpus informare, nempè rectum vel gibbum, esset constituere animas alias gibbosas, alias simas &c. sed translacto antecedente, adhuc negatur conseq. nam experimento constat animam informare idem corpus, siuè perfectè siuè imperfectè dispositum sit.

Hinc aduertendum, quòd licèt Pigmei, monochuli &c. à similib. parentib. videatur generari, & nigros homines à nigris, non tamen id colligi debet ex determinatione animæ ad tale corpus, quia experientia docet etiam Pigmeos & non Pigmeis interdum generari, & primus Pigmeus ab homine perfecto necessariò genitꝰ fuit; quare id potius ad aliquem defectum accidẽtalem corporis refundendum est, & propter paruitatem materiæ, qui tamen defectus processu temporis in dispositionem naturalem corporis verti potuit, virtus autem animæ in se semper eadẽ est, quòd etiam de nigris asserendum erit.

Dices, tanta aliquando est differentia inter operationem vnius intellectus, & alterius, vt nullo modo possit in solas dispositiones referri, ergo ad variationem animarum. ℞. nego antec. nam experiẽtia visum est eundem hominem rudis ingenij interdum acutissimũ euasisse, & è contra, ob organorum mutationem, vt Plinius refert lib. 35. cap. 5. mediante purgatione elleboris albi, quod etiam aliqui affirmant de Caetano, ergo idem affirmare debemus de diuersis hominibus, si talia organa diuersa ab initio accepissent.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum res permanens semel extincta, possit eadem numero reproduci supernaturaliter.

SCOTVS Art. hunc resoluit in 4. d. 43. qu. 1. vbi cum communi resp. affirmatiuè, & controuersia orta fuit ex verbis Arist. qui in fine huius

huius libri docuit dari regressum in idem secundum speciem, nam ex vaporib. fit nubes, ex nube pluuia, ex pluuia terra madefit, sicq; madefacta, iterū emittit vapores, non autem in idem secundum numerum, quòd fuit substantialiter corruptum. Supponendum est, q regressus nihil aliud est, nisi redditus eiusdem formæ ad subiectum in quo fuit, & à quo abiecta fuit: & duplex esse potest redditus, vel ad eamdem formam specificam, vel ad eamdem formam numericā. Non est sermo de reddito ad eamdem formam specificam, nam certum est, quòd materia quæ est sub forma equi, ad formam equi similem per succesiuas transmutationes transire potest, sed de regressu ad eamdem numero formam totaliter amissam, & à subiecto separatam. Tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media.

Prima extrema, quæ Platonicis tribuitur, affirmat, hoc non solùm supernaturaliter possibile esse, sed etiam naturaliter, & ità de facto contingere, non tantùm quo ad eosdem quosdam effectus, sed quo ad omnes, autumantes, quòd omnia huius vniuersi indiuidua, peractis certis annorum periodis, post completam circulationem octauæ sphæræ, per motum naturalem, quę secundum aliquos finitùr triginta sex millibus annis, secundum verò aliquos quadraginta nouem millibus ex tabulis Alphonsinis, iterùm redeant, quam opinionem impugnat Arist. nec non D. Aug. de Ciuitat. Dei cap. 13. D. Hier. in cap. Eccles. Ficinus lib. 11. de Theolog. Platonis, & Alij, quam opinionem Aliqui tribuunt etiam Pythagoricis, qui animarum regressum tandem ad eadem corpora post multas, & varias aliorum corporum informationes admiserunt.

Secunda extrema negat aliquod indiuiduum semel corruptum amplius redire posse idem numero, siuè per potentiam naturalem, siuè supernaturalem (solo homine excepto) ratio est, quia de alijs entibus post eorum corruptionem, nō remanent actu singulæ partes; nam forma prorsus destruitur, anima verò hominis, eiusque materia in actu permanent, ideoque poterit Deus hominem reparare, non verò alia entia, ità Durandus in 4. d. 43. q. 3. Abul. in cap. 22. meth. q. 238. Marsil. 2. de gen. q. 18. & & Ioannnes de Napoli quodl. 21. q. 6. quæ opinio sine exceptione de homine, fuit etiam communis Epicureis, Sadduceis, Stoicis, & alijs Philosophis, qui animam mortalem posuerūt, & resurrectionem hominis impossibilem, vt Tertull. refert de Præscript. Hæret. cap. 7.

Tertia opinio mediat, negat .n. hoc posse contingere naturaliter, admittit tamen supernaturaliter, quæ sent. inter Theologos est cōmunis; remanet tamen altercatio de rebus permanentibus, & succesiuis, quidam .n. vniuersaliter affirmant de omnibus, tam. perma-

nentibus, quàm successiuis; ità Conimb. 2. de gen. Cap. 11. q. 1. art. 3. Suar. disp. 50. meth. sec. 9. Auers. q. 37. sec. 10. Moris. disp. 3. phys. q. 24. Amic. & Alij: Aliqui verò concedunt solùm de permanentib. negantes de successiuis; ità Capreol. Ferrar. Ruu. Compl. Fonsec. Ioann. de S. Thom. Vasq. & Alij.

Conclusio.

Dicimus, in ordine ad potentiã Dei absolutam posse quodcumque ens siuè permanens, siuè successiuũ idem numero reproduci, etiam si antea fuerit nedùm corruptum, sed etiam annihilatum. Est Scot. loc. cit. & communior inter Theologos saltem de permanentibus, cum D. Thom. quodl. 4. art. 5. & 4. cõtra gent. cap. 81. ad 1. & quò ad homines est de fide, & colligitur ex Iob. 9. *quem visurus sum ego, & non alius.* hinc D. Greg. homil. 18. in Euangel. ait: *longè minùs est Deo reparare quod fecit, quàm creare quod non fecit.* Probat Scot. ex D. Aug. 22. de Ciuit. Dei Cap. 20. vbi S. Doc. loquens de carne homini reddenda in resurrectione, ait: & si omnibus perijsset modis, nec vlla eius materia in vllis naturę latebris mãsisset, tamen si vellet, eam repararet Omnipotens.

Probat 2. Scot. ratione ostensiua .s. ex non repugnantia: Nulla ex parte Dei adest repugnantia, quia idem, & immutabilis perseuerat, nec ex parte creaturæ; quia antequam esset, erat creabilis; ergo post annihilationem erit etiam creabilis, antec. patet. Pr. conseq. quia non esse, sequens annihilationem est eiusdem rationis cum non esse, præcedente creationem, ergo si non esse ante creationem non priuabat possibilitate creaturam illã ad esse, nec post annihilationẽ.

Probat 3. Doct. ex absurdis, sequeretur .n. quòd Deus non posset brutum idem numero resuscitare, sed hoc est falsum, & contra experientiam, multi .n. Sancti hoc miraculosè effecerunt, vt legitur de Tauro, quem S. Siluester Romæ resuscitauit, præsentibus Constantino, & Helena tunc nouiter conuersis, & hoc Deo negare, magnæ infidelitatis esset, ait Scot. sequeretur etiam quòd nec Deus in resurrectione hominis posset eamdem numero formam corporis reparare, nec eadem numero accidentia, cùm hæc omnia fuerint corrupta. Item nec humanitas, quia iam per mortem destructa fuit.

Quartò, idem probatur de rebus succesiuis, est .n. idem terminus à quo, & terminus ad quem in creatione, seù productione, quod in recreatione, & reproductione; nam per annihilationem, vel corruptionem, res reducitur ad eamdem nihilitatem, quam prius habebat ante recreationem, vel productionẽ, non maiorem, siuè res illa sit permanens, siuè successiua; Tum quia sicut res permanens non est, quò ad sui productionem certo tempori alligata, sed à Deo produci potuis

tuit multò antea, vel post illud tẽpus, in quo iam producta est, ità similiter dicendum de motu; nam qualis contradictio est, vt reuolutio Cœli hodierna anticipetur à Deo triginta, vel quinquagita annis? quòd si res ità se habet, poterit eadem facilitate illam repetere post transactum tempus, & sic de omni motu dicendum erit. Tum quia ratio successionis non ponit in eis specialem implicãtiam, quia successio formaliter aliud non dicit, nisi ordinem prioris, & posterioris inter partes rei successiuæ, ità vt sub tali relatione simul existere nequeant in eodem temporis spatio, sed vna necessariò accipiatur post aliam, sed totum hoc haberetur iu productione rei successiuæ, nam non reproducerẽtur omnes eius partes simul, sed vna post aliam, eodem seruato ordine ad inuicem, quem in prima productione habuerunt, ergo &c.

Probatur tandem Conclusio ex Rubion. de quocumque ente tam permanenti, quàm successiuo. Si nullum horum postquam corruptum est, potest amplius reparari, hoc erit, vel quia non existit, vel quia præcessit, vel quia corruptum fuit, non primum, quia nec ante primam productionem existebat; Non secundum, quia multæ res existunt, quæ præfuerunt; Neque tertium, quia quando primò non existebat res, erat possibilis esse, ergo etiam modò post corruptionem. Tum quia quod est Deo possibile, per nullam actionem causæ secundæ fieri potest illi incompossibile, ergo nullum ens possibile productum, si postea per actionem causæ secundæ destruatur, potest fieri Deo incõpossibile. Tum quia nulla implicantia ex hoc apparet, vt ex solutione obiectionum constabit.

Obiectiones.

Ob. primò vniuersaliter de quocumque ente, quod semel destructum non possit amplius reparari: Ad præteritum non est potentia ex communi axiomate, qua ratione approbatur dictũ Agatonis, quòd s. hoc solo priuatur Deus, ingenita facere quæ facta sunt, at si faceret præsens, quod præterijt, illud denuo producendo, præteritum faceret nõ præteritum, quia quod est præsens, non est præteritum, ergo &c. R. ad præteritum non dari potentiam reduplicatiuè, vt præteritũ est, quasi fieri possit, vt id quod fuit, non fuerit, in quo sensu verificatur dictum Agatonis, datur tamen potentia ad præteritum specificatiuè, vt nempè iterum fit, quod iam fuit, eo modo, quo dicere solemus album fieri posse nigrum, nõ reduplicatiuè, sed specificatiuè, in quo sensu negatur minor, licèt. n. id, quod est presens secundum coexistentiam, quam modo habet ad moram, seu tempus imaginarium præsens, non possit dici prete itum, potest tamen tale dici secundum aliam coexistentiam, quam antea habuit.

Ob. sequeretur ex hac sent. quòd res bis esset, & consequenter duplicem haberet durationem, & existētiam, tunc .n. duobus distinctis tēporibus coexisteret, sed hoc est falsum, quia tunc non esset eadem res. R. neg. secundam sequelam ma. ratio est, quia si res bis existeret, non ideo duplex esse haberet, sed idem esse bis productum, vnde nō duplicem existentiam, ac durationem intrinsecam haberet, sed eamdem bis repetitam, & solùm geminaretur coexistētia ad duplex tempus extrinsecum reale, vel imaginarium interruptum, quod declarari solet exemplo corporis in pluribus locis replicati &c. si .n. idem corpus in duob. locis, poneretur, non duplex esse, & existentiam haberet, sed solùm duplicem presentialitatem ad duplicem locum.

Ob. Iteratio, & reditio repugnat idētitati, & vnitati, quia ponit numerum, quem negat identitas, ergo implicat eamdem rem redire. R. quòd iteratio quo modo ponit numerum, ità quoque repugnat vnitati; si ponit numerum rerum, repugnat vnitati rei, si ponit numerum non rerum, sed coexistentiarū eiusdem rei ad diuersa tempora, siue realia, siue imaginaria, in hoc sensu non repugnat vnitati rei, sed vnitati coexistentiæ, & in casu geminaretur coexistētia, nō res, quemodo dicimus de eodem corpore in pluribus locis replicato &c.

Ob. Identitas effectus pendet ex identitate actionis, actiones .n. distinguuntur per terminos, & è contra, cùm actio, & terminus identificētur ex 3. phys. sed nec Deus potest eamdem actionem rursus edere, quia nec eumdem motum, nec tempus potest, à quorum vnitate pendet actionis vnitas ex 5. phys. ergo &c. Respondent & benè Bell. & Mastr. negando ma. & mi. maioinem, quia absolutè loquendo potest idem effectus esse terminus diuersarum actionum, immò, & agentium disiunctim, hinc Scot. in 4. d. 43. q. 1. §. *Aliter ponitur, &c.* ait esse fallaciam consequentis ex distinctione actionum, & mutationum inferre distinctionem terminorum, licèt benè ex distinctione terminorum arguatur alietas actionum, non tamen è contra, quià idem terminus duplici via acquiri potest, vt idem Vbi motu obliquo, & motu recto, & eadem rana per generationem vniuocam, & æquiuocam, & cùm Arist. ait terminum, & actionem identificari, loquitur de actione pro re acta ex Doct. in 4. d. 13. q. 1. Potest etiam negari minor, nam eadem ipsa actio replicari potest, sicut de facto eadem sub ratione conseruationis toto tempore sequenti perseuerat, & licèt aliqua difficultas versetur de actione successiua ratione motus, & temporis, non tamen de actione illa, quæ indiuisibiliter exercetur.

Ob. Data hac sent. res non inciperet in sua reproductione; per primum esse, quia antea iam habuit esse, nec per vltimum non

 esse,

esse, ob eamdē rationem: R. quòd tunc res inciperet per primum sui esse, vel vltimum non esse, non simpliciter, & absolutè, vt in prima productione, sed relatè tantùm, comparãdo nimirum hoc primum esse reproductionis, non ad totum non esse prçteritum, sed ad nō esse immediatè præcedens.

Hinc nota, quòd sicut idem corpus pluribus in locis replicatum dicitur à se diuisum, non entitatiue, sed localiter, ità eadem res reproducta diuideretur à se ipsa, non entitatiuè, sed temporaliter, non. n. illa diuisio cadit super existentiam rei absolutè, sed potius super coexistētiam ad diuersa tempora.

Arguitur specialiter de entibus successiuis Pro D. Thom. quodl. 4. art. 5. & pluribus Thomist. De ratione successiui est, vt habeat partes suas in continuo fluxu, cum certo ordine prioris, & posterioris, atque ità transeat, vt amplius existere nequeat, & præsertim eius vnitas ex continuitate dependet, vt docet Arist. 5. phys. 39. sed hæc omnia repugnant cum eius reproductione, ergo &c. Prob. min. si .n. interrumpitur, iam continuitas soluitur. Si reproducitur, non transit irreuocabiliter. Si idem motus repetitur, pars, quæ erat prior, efficietur posterior eadem parte posteriori prius elapsa, & tandem ità assiduò reproduci poterit, vt non sit fluxus, sed semper idem motus permaneat. R. cum Mastr. & Bellut. concedendo de ratione entis successiui esse, quòd suas partes habeat continuò fluentes vnam post aliam, non tamen cum certo tali ordine, vt hæc post illam fluat adeo necessariò, vt neque à Deo talis ordo inuerti possit; & quando etiam talis necessitas adesset, adhuc talis ordo conseruari posset in reproductione totius illius entis successiui, quia vna pars iterata deberet ad aliam comparari quatenus iteratam, & non iam præteritam; Neque etiam de eius ratione est ità trãsire, vt amplius redire nequeat, sed transire diuisibiliter, & successiuè, quæ diuisibilitas, & successio semper remaneret incolumis quãtumcumq; assiduò reproducatur, quia semper repararetur cum eodem partium fluxu, & eo casu semper permanere diceretur idem motus, quomodo dicimus perseuerare per horam secundùm conditionem suæ naturæ fluentis. Haberet tamen eo casu continuitatem ad eius vnitatem requisitam, quia iam reproduceretur cum omnibus, & singulis eius partibus inuicem continuatis, nec alia continuitas ad eius vnitatem requiritur, sic etiam dicimus quòd eadem quantitas continua permaneret etiam si in pluribus locis distinctis replicaretur à Deo.

Ob. Minus est successiuum conseruare, quàm corruptum restituere, sed Deus non potest successiuū conseruare ne corrumpatur, idest, ne transeat, aliter ens successiuum, faceret permanens, ergo nec poterit illud reparare, ergo dispar est

ratio

ratio de ente permanente, & successiuo. R. maiorem esse veram quando ex conseruatione non sequitur destructio naturę ipsius entis, quomodo esset in casu, nam conseruatio partium simul, directè aduersantur naturæ successiuorum.

Ob. Sequeretur idem esse simul prius & posterius, nam prior pars motus iam producti, si denuo reproduceretur, iam subsequeretur partem posteriorem motus primò producti, sed hoc repugnat, ergo &c. R. tunc idem esset prius, & posterius, sed non secundum idem, quia esset prius, vt coextitit vni tempori priori, & posterius, vt alteri tempori posteriori coexistit, in quo casu non repugnant.

Ex his infertur contra Rub. & Fonsecam, quòd dependentia motus ad tempus extrinsecum quò ad suam vnitatem est prorsus accidentalis, & à posteriori, vt diximus in phys. vnde Arist. 5. phys. c. 36. att. quod si esset idem mobile, & eadem rediret sanitas, rediret quoque eadem mutatio, licèt in alio tempore; & cum Arist. ait vnitatē motus pendere ab vnitate temporis, non loquitur de vnitate indiuiduationis, quasi in ordine ad hoc tempus indiuiduatur hic motus, sed de vnitate continuitatis, quia vt motus dicatur vnus, nulla intercedere debet interruptio inter eius partes, & consequenter benè poterit vnus, & idem motus continuus secundum eamdem suam continuitatem replicari in alio & alio tempore pariter continuo; & sic quantū ex sua entitate, motus non magis est alligatus vni certo tempori imaginario, quàm corpus vni certo loco in ordine ad potentiam supernaturalem. Tum quia falsum est entitatē realem motus indiuiduari per respectum ad durationem imaginariam, qui est respectus rationis, si .n. indiuiduum est reale, etiam per quid reale indiuiduari debet.

Ob. Si tempus, seu duratio motus Cœli, quo res sublunares mensurantur, posset à Deo reproduci, possent redire omnes anni, qui fluxerunt à mundo condito, & si hanc replicationem inciperet ab vltimo anno elapso, & sic deinceps vsque ad mundi initium, tunc annus natiuitatis Domini præcederet annū natiuitatis Abrahæ. Supponimus pro solutione cū Mairone in 4. d. 44. q. 3. quòd cùm agitur de possibilitate productionis, vel reproductibilis alicuius rei, non oportet, vt illa omnibus modis excogitabilibus esse possit, sed sufficit, si sit aliquo modo producibilis, etiā si alijs modis implicet, ex quo principio multæ Aduersariorum rationes diluuntur, non enim directè probant implicare absolutè reproductionem temporis, sed cum tali circumstantia, vel tali modo, quam doctrinam amplectuntur Conimb. Inde concedimus ad Argum. posse reproduci omnes annos elapsos ordine retrogrado, nam de successiuorum ratione est, quòd habeāt

partes priores, & posteriores, quæcumque sit prior, vel posterior, q. n. de facto hæc sit prior, illa posterior, est de per accidens, quare si ordo inuerteretur, nihil spectans ad integritatem entis successiui deperiret; & sic in reproductione annus natiuitatis Domini præcederet annum natalis Abrahæ, non secundum eamdem coexistentiam ad tempus imaginarium, sed diuersam, quod non repugnat. Et dato etiam quòd hoc ordine inuerso anni elapsi reuocari non possent, non hinc simpliciter inferendum esset, nullatenus reuocari posse, sed non tali modo, sed alio, eo nempè ordine, quo pridem producti fuerunt. qua doctrina possunt etiam aliæ rationes in oppositum facilè dissolui.

ARTICVLVS DECIMVS.

An res corrupta possit denuò reparari naturaliter.

SCot. decisionem huius dubij venauit in 4. sent. d. 43. q. 3. §. *Quantum ad istum articulum &c.* fuit sent. Platonicorum, vt diximus art. præcedēti, quod non solùm eadem res virib. naturæ redire possit, sed etiam de facto reditura post completam circulationē octauæ sphæræ, imò infinities redijsse, supposita mūdi æternitate, contra quā arguit D. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 13 vt Scot. loc. cit. refert, & cōprobatur ex Thessalonic. 4. *semper cū Domino erimus*, & psal. 11. v. *Tu Domine seruabis nos, & custodies à generatione hac in æternum*. Vnde de sic opinantibus bene subdit Psal. ait D. Aug. In circuitu impij ambulant, idest admittunt reditiones circulares. Reprobat etiam S. Doctor hanc fabulam per rationē deductā ex Beatitudine, secundum .n. hāc circulationē, nulla esset vera beatitudo, nam dato casu, anima beata reditura esset ad miserias, quas prius habuit, & ita dum beata est, aut credit se nunquam redituram, & sic falsa opinione beata est, aut credit se reditura, & tunc timeret, & per cōsequens beata non esset.

Hoc figmentum refellitur etiam à Scoto alijs rationibus, falso .n. innititur fundamento, nam ratio eorum erat, quia redeunte causa eadem, idem redibit effectus, completa vero circulatione octauæ sphæræ, omnia corpora Cœlestia redibūt ad eumdem situm, & eumdem numero motum repetent, quē prius fecerunt, & cōsequenter eosdem numero effectus reproducent, quod fundamentum est falsum ait Doct. dato .n. quòd octaua sphæra reditura sit tādem post completam suam circulationem ad idem punctum, à quo moueri cæpit, falsum tamen est, quòd reliqui orbes Cœlestes ad idem etiam pūctum redirent, à quo moueri cæperunt, vt Astrologi contra Platonem euidētibus concludunt demonstrationibus, quia motus orbrum Cœlestiū adeo inter se varij sunt, vt incommensurabiles censeantur, ità vt nūquam omnes coniunctim ad eum-

dem

dem situm, & aspectum, quem antea habuerunt redire valeant, vt Clauius aduertit in cap. 1. sphæræ §. *De periodis motuum Cœlestium &c.*

Refellit etiam ex absurdis, quæ saltem in specie humana sequerentur, nam ex parte intellectus sequitur, quòd addiscere non sit, nisi quoddam reminisci, vt Arist. infert 1. post. & inconueniens est nobilissimos habit' esse in nobis, & latere nos, vt probat in fine secundi post. Ex parte etiā voluntatis tollit omnes actus liberos, si .n. redituri sunt idē omnino effectus, ergo necesse erit in eadem peccata relabi in hoc sæculo, quæ in superiori patrata fuerunt; Nec liberum erit cuicumque in Cœlibatu permanere, vel vxorem ducere, cùm ad eumdem statum vitæ redire cogatur in hoc sæculo, quem in elapsis annis habuit; & eisdem ferè rationibus, Pythagoreorum opinio de animarum Circulatione euertitur. Profligatis igitur circulationibus tam Platonicis, quā Pythagoricis quomodocumque ponātur, itā quæsitum resoluimus.

Conclusio.

Dicimus, in ordine ad potentiā naturalem de facto, & iuxta communē naturæ cursum, nec omnes, nec aliquos effectus numero redire, nullam tamen intrinsecam potentiam assignari posse ex parte causarum naturalium, sed solùm extrinsecum impedimentum. Est Scot. loc. cit. vbi non ait de facto aliquos effectus redire viribus naturæ, vt passim ei à Thomistis, & ab aliquibus Scotistis imponitur, sed tantùm de possibili, vt benè ponderant Bassolius q. 2. artic. 3. Mastr. & Bell. disp. 5. de gen. q. 7. art. 2. & sequuntur Riccard. in 4. d. 43. art. 3. q. 1. Ocham q. 10. Bas. cit. Faber 5. meth. disp. 6. Cap. 2. Rada in 4. contr. 15. art. 3. Trom. 8. meth. qu. 4. & multi etiam ex Neuthericis. Conclusio igitur sic intellecta, probatur quò ad singulas partes. Et primò, quòd viribus naturæ non redeant effectus omnes, probatum remanet ex dictis cōtra Platonem; Quod etiam nec redeant aliqui, indè patet, quia impedimētum quod obstat reparationi vnius obstat quoq; reparationi aliorum, vt infra patebit; Quod tandem assignari non possit ratio repugnantiæ ex parte causarum naturalium, sed tantùm impedimentum ab extrinseco, ità Pr. Ratio præcisa, cur causa creata V. g. ignis indifferenter se habens ad producēdū hunc, vel illum calorem in hoc subiecto, producat hic, & nunc illum, & non istum, est determinatio procedens à prima causa, per quā potius ad hūc singularē effectū determinatur, quā ad aliū ex multis, & quasi infinitis, quos habet in sua potestate, quatenus .s. non vult Deus cum ea concurrere ad illum effectum, nisi semel, vt etiam diximus in physic. ergo impedimentum, ne idem redeat effectus, omnino ab extrinseco procedit, nimirum ex sola Dei voluntate, non ab intrinseca impo-

tentia

tentia causarum naturalium, ità diffusè Rubion. Bassol. Tatar. in post prædicam. cap. de oppositis. §. *Tertiò sciendum, &c.* & ex exteris Suar. disp. 6. meth. sec. 3. num. 7. Hurt. disp. 10. phys. sec. 4. cum pluribus Recentioribus.

Instabis, vel hoc Dei decretum de non concurrendo pluries ad eũdem effectum, sed semel tantùm procedit ex mero Dei beneplacito; vel factum est iuxta exigentiam causarum secundarum; aut intuitu boni toti⁹ vniuersi, quod pulchrius ex varietate indiuiduorum appareret, quàm ex continua repetitione eorumdem. Si primum, est dictum omnino voluntarium, nam liberum Dei decretum non potest nobis innotescere, nisi ex Diuina reuelatione, vel aliquo effectu; sed per nullam reuelationem, constat, quòd Deus nolit concurrere, nisi ad nouos effectus; Neque ex aliquo effectu; hic .n. potius refunderetur ad causam naturalem, quòd non potest natura sua producere effectus semel corruptos. Si secundum dicatur, sic repugnantia, & causa impossibilitatis, ex natura intrinseca causarum petenda est. Si Tertiũ, similiter repugnantia accipi debet à natura intrinseca causarum, si nõ in particulari, saltem in vniuersali, & pro vt ad decorem vniuersi spectat. Rº. quòd tale decretum ex omnibus relatis capitibus concedi posset. Procedit ex Dei beneplacito, quatenus mera sua liberalitate vult existentiam rerum ad plures effectus se extẽdere, quàm ad paucos solùm repetitos. Procedit etiã ex indigentia causarum, cùm enim sint de se indeterminatæ ad plures, & plures numero effectus, exigunt determinari ad hunc potius numero effectum, quàm ad alium à Deo, vt auferatur eorum perplexitas in agendo. Procedit tandem ex bono totius vniuersi, cùm hic modus cõcurrendi semper ad nouos effectus ostendat magis rerum copiam, naturæ fœcũditatem, specierum amplitudinem in suis indiuiduis, & Dei largitatẽ in nobis; Nullã tamẽ ex relatis capitibus intrinsecam arguit impotentiam in causis secundis ad eos effectus repetendos, quãtum ex parte sua est. Non primum, vt patet. Neque secundum, nam illa indeterminatio causæ secundæ ad plures effectus in indiuiduo, non ex eius sterilitate procedit; sed potius ex maxima eius fœcunditate, cui illud axioma adaptari potest: *inopem me copia fecit.* quia ingens copia effectuũ ab ipsa producibiliũ, ipsam reddit indigentem determinatione causæ primæ. Non tandem ex tertio capite hæc repugnantia reduci potest, si .n. aliquãdo idem calor, idem lumen, idem ignis numero repararetur, quid inordinati, vel detrimenti in vniuerso accideret? Quod deinde de tali decreto nulla extat reuelatio, parum refert, sufficit .n. nobis vt suppetat rationabilis causa, vt ad talia decreta recurramus, quando in naturalib. claudicamus.

Obiectiones.

Ob. Contra primam partem cõclusionis probando, quòd omnes, vel saltem aliqui effectus secũdum communem naturæ cursum de facto redeant, & præsertim Ecclesiastes cap. 1. circulationi Platonicæ fauere videtur, dum ait: *Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est, iam .n. præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*. ℞. D. Aug. à Scoto relatus, hoc non intelligendum esse de identitate numerali, sed aut specifica, aut generica, vel vt præcesserunt cognita ab intellectu Diuino.

Ob. ratione: Identitas numerica effectus pendet ex eadem combinatione causarum, hinc Arist. 8. meth. 11. docet, quòd si eadem materia, idemque agens perseuerant, eumdem effectum producent, sed aliquando eædem causarum combinationes redeunt cum eisdem circumstantijs, excepta circumstantia temporis, quæ ad identitatem effectus non spectat, ergo &c. ℞. neg. ma. quia adhuc tota combinatio causarum est indeterminata ad plures effectus numero, & consequenter à Deo determinari petit; Arist. verò de identitate specifica loquitur. Qui autẽ maiorem concederet, minorem negare deberet.

Ob. Cùm aqua diuisa reunitur, eadem singularis aqua reparatur, nam cum eisdem partibus non nisi idem totum coalescit, ergo &c. ℞. argumentum vrget illos præsertim, qui totum integrale realiter à partibus distinguunt, sicut essentiale, quod nos in physic. negamus. Conimb. Amic. & alij gratis concedunt, quòd quæ corrumpuntur præcisè per dissolutionem partium sine vlla alteratione physica, quomodo totum integrale destruitur, possunt secundum communem naturæ cursum eadem numero redire, & solùm de illis negant, quæ ꝓpriè corrũpuntur, & physicè per separationem formæ à materia, quæ responsio est conformis nostræ doctrinæ, quia totum hoc asserimus de toto essentiali, non de toto integrali.

Ob. experientijs, Tum de auricula, vel nasu, qui interdum homini abscinditur, & deinde eisdem partibus corporis reunitus informatur eadem anima rationali; Tũ de musca, quæ suffocata in aqua, dummodo non sit in organis læsa, si postea soli exponatur, aut in cinere tepido sepeliatur, breui tempore reuiuiscit. Nec valet effugium cum quibusdam, quòd musca illa non fuerit mortua, sed tantùm cõsopita, nam experimur illam esse omni sensu destitutam, nec sine tali industria reuiuiscere.

℞. ad primam, non habere difficultatem in brutis, quia habent animam diuisibilem, atque ideò auricula denuò aglutinata, non informatur eadem parte animæ, quà prius, sed alia noua, & consequẽter nõ redit idẽ numero compositum; at in homine, quia anima

est indiuisibilis, & eadem ad informandam partem denuò aglutinatã extenditur, asserimus redire idem compositum quòd prius, & ratio est; quia in abscissione illius partis, nec materia, nec forma desijt, impossibilitas verò reproductionis, quæ per causas naturales contingit, est desitio animæ in tota materia sibi adæquata. Ad secundum, si experiẽtia est vera. ℞. non eamdem resurgere muscam, sed aliam, ratio est, quia non eadem numero reparatur in illo cadauere anima sensitiua, sed alia de nouo producitur, nec mirum esse debet ex eodẽ cadauere extincto de recenti formam muscæ educi ab agente vniuersali, cum iam ex putri materia tot animalia, vt etiam muscæ ipsæ producãtur: Sed mirum quidem est, & arcanum, cur id in muscis cõtingat, & non etiam alijs animalibus ex putri genitis.

Ob. Tandem: Deus tenetur de facto concursum causis secundis præstare ad effectus eius connaturales, & ad quos potentiam sufficientem habent, & completam in ordine suo, sic .n. Deus causas secundas administrat, vt suos motus agere sinat, ergo si nulla est repugnantia intrinseca ex parte causarum, vt eosdem effectus iam productos repetant, & ad eos naturaliter habent potentiam, equidem etiam de facto illos producẽt, quia de lege ordinaria talis concursus est ei debitus, & ità vanum est asserere impedimentum prodire ex sola denegatione Diuini concursus, qui nunquam denegatur, cùm rerũ naturis debitus sit. Pulchrum arg. Sed pulchior solutio. ℞. igitur, quod illa propositio in antecedenti non est immediata, sed deducitur ex hoc, quòd nulla potentia naturalis est frustratoria, ac proinde, vt in actib. suis exerceatur, à Deo adiuuatur concursu generali; vt autem potentia naturalis non sit frustra, satis est, vt aliquãdo fuerit ad actũ reducta, & consequenter non amplius opus est, vt habeat cõcursum Dei paratum ad eumdem actum. Vnde in proposito, licèt causa naturalis post aliquem effectum productum, retineat adhuc integram potentiam ad illum reproducendum, non tamen petit concursum Dei ad illum repetendum, quia potentia ad illum effectum iam ad actum reducta est, & magis congruit Deum prestare concursum ad alium numero effectum producendum ex dictis. Deus igitur est debitor, vt Author naturæ ad effectum producẽdum, vbi deficit causalitas agentis naturalis, non tamẽ ad eumdem reproducendum.

Obiectiones contra secundam partem.

Obijciunt Thomistæ plurib. rationibus adducẽdo repugnantiam ex natura causarum naturalium. Vnde sic primo arguunt: Idem numero effectus requirit eamdem numero actionem, nám actio importat rem ipsam in fieri, vnde si fieri est diuersum, non potest terminus esse idem, sed actio præterita

rita agentis naturalis non potest eadem numero redire, quia nec idē numero motus, & tempus à cuius continuitate, & vnitate dependet eius vnitas, ergo non potest idem numero effectus naturaliter redire. ℞. neg. ma. potest .n. idem effectus diuersis actionibus produci disiunctim. Minor petit principiū, eadem .n. est quæstio de effectu, & actione, an possint eadem numero redire, vt benè Bassol. aduertit. falsum est etiam vnitatem actionis ex vnitate, & identitate temporis pendere, videmus .n. eamdem actionem pro diuersis instantibus durare, & dum in posterioribus durat, non dependet à seipsa, vt existente in prioribus instantibus, signum, quòd actio secundum suam essentiam non indiuiduatur à substantia temporis, sed indifferenter exerceri potest in vno tempore, ac in alio. Tum quia etiam de ipso tēpore, & motu controuersia agitatur, an possint eadem redire.

Ob. 2. Quod nunquam fit, in naturæ repugnantiam referendum est, at nunquam naturaliter effectus corruptus reproducitur, ergo hoc non erit, nisi quia id repugnat ex natura rei. ℞. neg. ma. multa .n. sunt naturaliter possibilia, quæ nunquam erunt. Neque minorem ipsi probare possent, si quis obstinatè assereret calorem, vel frigus, quod hodie sentimus esse idem numero cum eo, quod heri sentiebamus, & semper in arguendo, vel peteretur principium, vel respondens negaret paritatem de alijs effectibus adductis &c.

Ob. 3. Indiuiduatio effectus pēdet ex concursu, & combinatione plurium causarum superiorum, & inferiorum, vt subsitat omnibus circumstantijs temporis, applicationis, & similium, sed corrupto effectu redire non possunt omnes illæ causæ cum eisdem circumstantijs naturaliter, quia saltem non eadem influentia, non idem tempus, ergo &c. ℞. neg. ma. nam adhuc tota illa combinatio causarum manet indeterminata ad plures effectus numero, quinimmo si hæc doctrina vera esset, probaret, quòd nec etiam per Dei potentiam posset effectus corruptus denuo redire, nec .n. Deus facere potest rem eamdē numero sine eadem numero indiuiduatione, & quia idē numero tēpus, & motus nequeunt à Deo repeti secundum Thomistas, neque poterit à Deo ens permanēs idem numero restitui. Minor est etiam falsa, nam interdum idem agens materiæ eidem denuò approximatur, & de facto idem Cælum hodiè mouetur ab eodem Angelo à quo heri, & super idem spatium, & tamen non fit idem motus, aliàs omnes dies forent vnus solus dies, ergo falsum est, quòd indiuiduatio effectus pendeat a relatis circumstantijs. Neque recursus ad tempus imaginariū, quod indiuiduat motum hodiernum, & hesternum aliquid valet, nam indiuiduatio realis à re imaginaria, & nihilo

pendere nequit.

Ob. 4. Resurrectio mortuorum est miraculosa, & non alia causa, nisi quia est reproductio rei antea corruptæ, ergo forma corrupta naturaliter reproduci nequit. R. cum Hurt. disp. 2. phys. §. 41. resurrectionem mortuorum esse naturalem quo ad substantiam, vt dici solet de visu cæco restituto, quia tota essentia hominis resurgentis est naturalis, dicitur verò supernaturalis, quo ad modum, quia scil. tot millia hominum in ictu oculi sine concursu maris, & fæminæ resurgent, & sine præuijs dispositionibus naturalibus; & tandem ex eo capite supernaturalis, & miraculosa dicitur, quia cum solo homine hanc legem sanciuit de eo reproducendo, non cum alijs rebus, quã doctrinam amplectitur etiam Arriaga. disp. 11. Physi. 45. & innuitur à Scot. in 4. cit. art. 2. Notat .n. Doct. quòd etiam si viribus naturæ post hominis interitum repararí posset forma mixtionis cum cæteris dispositionibus, adhuc tamen animationem eius attingere non posset, nam sicut eam non attingit in prima productione, ità neque in secunda, nam eiusdem rationis esset hæc reproductio, ac prima productio.

Ob. 5. In omni corruptione materia diuiditur, ita vt non ex tota materia, quæ in corrupto præfuit, genitum generatur, ergo cùm non adsit eadem numero materia, sequitur, quòd nec idem numero viribus naturæ produci poterit. R. quòd sicut aliqua pars materiæ remanet, ità aliqua pars corrupti reparari poterit. Posset etiam saltem Deus, vel Angelus totam materiã reunire, & agenti applicare quod proprijs viribus eumdem effectum reproduceret; & si ignis in aliquo vase seruatus totus conuerteretur in aerem, tunc nulla esset diuisio materiæ ait Scot. & consequenter nulla implicantia, vt naturaliter reproducatur.

Cùm igitur ait Arist. à priuatione ad habitum non fieri regressum naturaliter, tale axioma intelligendum est de reditione immediata, secundum .n. communem naturæ cursum post corruptionem vnius formæ, non succedit forma præcedens corrupta, sed alia, & alia; non intelligitur autem de reditione etiam mediata, quæ post multas transmutationes cõtingere potest. Vel quòd Arist. negat factum, non possibilitatem; Nec valet dicere agens naturale potest hoc, ergo aliquando facit, nam multa possibilia sunt naturaliter, quæ non fiunt; Nec etiam sequitur, ergo talis potentia esset frustra, nam cùm impedimentum ab extrinseco Decreto procedat, & non ab intrinseco, dici non debet frustratoria. Assignat rationem Rubion, quia scilic. non magis distat priuatio sequens priuationem formæ ab habitu scil. ab ipsa forma, quàm priuatio antecedens eius generationem, ergo si naturaliter fieri potuit progres-

ſus à priuatione antecedēti ad formam, cur non etiam ab eadem ſubſequenti.

Ob. Entia finita determinatum modum agendi, vel præfinitam operandi potentiam ab Authore naturæ habent, hæc autem potentia ad actum ordinatur, vnius ergo actus, vnica eſt potentia, & ſic habito actu, potentia amplius non exiſtit, remota verò potentia, nec aliquid ſecundum ipſam poſſibile eſt produci, atque ità a primo ad vltimum cauſa naturalis, & finita non poteſt eumdem effectum reproducere. ℞. ex Doct. 4. d. 43. q. 3. cit. lit. H. falſum eſſe in aduentu actus, corrumpi potentiam, ſed potius perfici. Potentia obiectiua eſt, quæ in aduentu actus euaneſcit, non potentia actiua, vel ſubiectiua, & patet experientia, dùm .n. quis intelligit, non dicitur admittere potētiam ad illum actum, ſed ſolùm ordinem admittit, quem habebat potentia prioritatis ad actum in duratione, in quo caſu non præcedit actum, ſed eſt ſimul cum actu. Falſum eſt etiam, quòd vnius actus, vnica ſit potentia, vna enim, & eadem potētia plures actus inadæquatos, & partiales reſpicere poteſt. Vnde potentia calefactiua ignis reſpicit hunc, & illum calorē; Potentia intellectiua reſpicit hāc, & illam intellectionem, & ſic de quolibet agenti naturali erit aſſerendum. Verum eſt etiam Agēs naturale determinatum agendi modum habere, & præfinitam potentiam, non tamen quia limitetur ad vnum numero actum, ſed ad vnum ſpecie, iuxta illud 2. phyſ. *natura determinatur ad vnum.* ideſt ad vnum agendi modum, vt ignis ad calefaciendum, frigus ad infrigidandum.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An res adhuc exiſtens poſſit ſaltem Diuina virtute reproduci.

SCot. in 1. d. 2. qu. 3. B. negat eumdem effectum poſſe à duabus cauſis totalibus procedere, ſicut in propoſito contingeret. Item in 4. d. 10. q. 2. concedit idem corpus poſſe à Deo replicari in pluribus locis, negat tamen id fieri per reproductionem eius ſubſtātialem, & d. 11. q. 3. N. negat dari poſſe actionem aliquam productiuam ad ſubſtantiam præexiſtētem. quibus verbis in eius ſentent. apparet Articuli deciſio. Quamplures Recentiores partem tuentur affirmatiuam, ità Coninch. de Sacrament. q. 75. art. 4. dub. 3. Moriſ. diſp. 3. phyſ. q. 23. & alij, qui etiam volunt non alia ratione, nec alio modo eamdem rem poſſe ſimul, & ſemel à Deo in pluribus locis replicari, niſi per reproductionem ſubſtantialem eiuſdem in pluribus locis; Imò Aliqui aſſerunt idem poſſe ſe ipſum denuò reproducere, cùm antea iam exiſteret, & ità de facto ait Suar. Chriſtum Dominum exiſtentem adæquatè per primam actionem à Solo Deo ſe ipſum denuò producere phyſicè ſub ſpecie-

bus

bus sacramentalibus, sic docet in 3. p. tom. 3. disput. 49. sec. 1. & disp. 50. sec. 4. & in meth. disput. 26. sec. 5. & probabilem putant Amic. & Arriag. in phys. Vnde hæc sent. de possibilitate reproductionis eiusdem rei iam præexistentis videtur communis Doctoribus asserentibus transubstantiationem in Eucharist. non esse adductiuam tantùm Corporis Christi, sed productiuam.

Conclusio.

Dicimus, esse simpliciter, & absolute impossibile etiam per potẽtiam Dei absolutam posse eumdem numero eff. ctũ semel productũ, & adhuc existentem denuò reproduci, est communior, & verior, quam Scot. docuit loc. cit. & fusius in 1. d. 36. contra Henricum. Probatur ratione: Quælibet generatio, seu productio substantialis est à non esse simpliciter ad esse simpliciter, ex suo intrinseco, & formali conceptu, nam habet pro terminis à quo, & ad quem priuationem formæ substantialis, & formam substantialem, ergo non potest effectus dum adhuc actu existit reproduci, quia materia illa non haberet priuationem formæ in se. Solent Aduersarij ad argumenta eludenda distinguere de duplici productione, prima, & secunda, & similiter de duplici esse substantiali primo, & secundo, sed quàm insufficienter, videatur in Phys. disp. 11. art. 2. de distinctione inter causam, & effectum, &c.

Confirmatur ex alio principio eadem disp. art. 6. vbi demonstratur non posse eumdem numero effectum à pluribus causis totalibus dependere, nec duplici productione totali produci, vel conseruari, sed ita in casu contingeret, si enim idem numero effectus cùm iam existat, reproducitur, tunc vel ab illa eadem causa reproduceretur, à qua primo productus fuerat, vel ab alia; si primum, dependeret ab ipsa duabus dependentijs totalibus, vt sunt generatio, & regeneratio; Si secundum, haberet etiam duas dependentias totales ad duas totales causas. Tum quia, si idem Petrus posset substantialiter reproduci, ita vt prorsus independens esset à prima productione, tunc idem posset esse viuens, & non viuens, ergo, &c. Probatur sequela, nam per vtramque accipit esse totaliter, & accipit esse per vnam omnino independenter ab alia, quælibet enim actio cùm sit totalis, eumdem effectum independenter ab alia attingit, poterit igitur ex defectu vnius actionis mori, & altera perseuerante adhuc viuere, atq; ideo simul, & semel erit viuens, & non viuens.

Rñt Coninch. & Moris. nihil horum absurdum esse, quia opposita non insunt eidem omnino secundũ idem, sed solùm secundum idem esse, pluries replicatum, & iteratũ, sicut eidem Diuinæ essentiæ insunt opposita in diuersis psonis, & eidẽ animæ secundum diuersas corporis

ris partes, quas informat, eadem .n. rationalis anima annihilari potest secundum entitatem, qua manum informat, & conseruari secũdum eamdem, qua informat cætera membra, quia est veluti virtualiter multiplex; Vnde concedunt posse eumdem numero effectum plures productiones totales terminare, quando est virtualiter multiplex, vt in proposito esset de effectu pluries reproducto.

2 Non valet, nam contradictio secundum esse, & non esse, quæ prima est in toto entiũ ordine, infert inter extrema, de quib. enunciatur realem distinctionem, & actualem rerum multiplicitatem, nõ virtualem tantùm; & si sola virtualis pluralitas sufficeret ad contradictionẽ saluandam secundum esse, & non esse, omnis via indagandi realem distinctionem inter entia præcluderetur, semper enim dici poterit hæc, & similia opposita prædicata inferre tantùm virtualem rerum pluralitatem, & distinctionem non actualem. Allata exempla nõ sunt ad rem, de essentia .n. Diuina in diuersis personis considerata, non enunciantur prædicata contradictoria secundum esse, & non esse, quæ distinctionem realem inferãt eius a personis, sed talia tantùm, quæ distinctionem formalẽ ex natura rei inferant inter essentiam, & personas. Falsum est etiam, quòd cùm anima desinit informare manum præcisam, vel aridam, perseuerante informatione aliarum partium, tunc desinat entitas animæ in manu, & eadẽ in cæteris partib. conseruetur, nã solũ desinit animæ vnio cum tali parte, perseuerante vnione ad alias partes, si autem in manu annihilaretur ipsa animę entitas, equidẽ in alijs partib. remanere non posset, cùm in omnib. partib. eadem sit prorsus, & indiuisibilis entitas.

Tum quia falsum est fundamentum Coninch. & Moris. nimirũ non posse idẽ corpus in duob. locis poni, nisi per reproductionẽ substantialem, ad hoc .n. sufficit productio nouæ præsẽtiæ, vt diximus in phys. disp. 14. art. 11. Tum quia sicut Angelus cùm se dilatat in sua sphæra locali, suamque præsentiam dilatat, hoc sane fit absque vlla eiusdẽ reproductione substantiali, per solam acquisitionem nouæ vbicationis, sicut etiam contingit de anima cùm extenditur ad nouas materiæ partes informandas, ita similiter cẽsendũ erit de corpore, si simul, & semel in pluribus locis poneretur. Tum quia etiam admissa hac substãtiali reproductione eiusdem rei, adhuc impertinens est ad eam collocandam in pluribus locis, nam ex vi talis productionis vt sic, nõ magis poneretur corpus hic, quàm alibi, ergo vt in pluribus collocaretur, vltra hanc substantialem reproductionẽ, adhuc admitti debet peculiaris, & distincta actio præsentiæ productiua, quòd si hæc concedatur, illa omnino superflua erit.

Fal-

Falsum est etiam idem posse à semetipso reproduci, iam prius productò ab alia distincta causa, quia inter producēs, & productum, causam, & causatum indispensabiliter distinctio cadit realis, vt fusè in phys. ostendimus; & sanè ex ipsis terminis manifestum est producēs, & productum esse correlatiua, & consequenter necessariò distingui debere, & totum hoc concedit Arriag. disp. 7. phys. sec. 9. num. 113. licèt adhuc iudicet probabilius esse oppositum, cùm non videat nullam rationem cogentem, qua producens, & productum realiter distingui debere. Non valet, euidentissimum .n. est, non posse idem seipsum producere. Tum quia si hoc ipsum est ex terminis notum, vt etiam ipse concedit, nulla est necessaria ratio ad id probandum, quod patet ex 1. post. vbi Arist. ait principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus, aliter omnia prima principia negare possemus, cùm non sit ratio à priori, qua demonstrari possent, quo etiam semel negato, non apparet vnde probari posset distinctio realis inter Diuinas Personas, vt rectè vrgent Bell. & Mastr.

Obiectiones.

Ob. 1. experientia, nam Corpus Christi adhuc in Cælis existens sæpius reproducitur, dum accipit esse modo sacramentali per consecrationem, ergo nulla apparet implicantia. Pr. antec. non ponitur sub speciebus per adductionem, nā noua adductio nō potest dici actio substantialis, & transubstantialis, cùm terminus illius sit modus accidentalis, scilicet Vbi, ergo per reproductionem substantialem. ℞. negan. antec. cum sua probatione, probabilius enim est transubstantiationem Eucharisticam esse adductiuam tantū Corporis Christi sub speciebus, nō productiuam, vt Scot. docet in 4. d. 11. q. 3. N. & quol. 10. H. quomodo autem adhuc conuersio panis in Corpus Christi sit substantialis, & verè trāsubstantiatio dici poterit, patet ex disp. 14. Phys. art. 12.

Ob. Verba consecrationis vim sufficientem habent producendi Corpus Christi, ergo de facto producunt, quia causa non impedita suum effectum producit. ℞. talia verba non habere directè, nisi virtutem verificandi orationem consecratiuam, quam componunt, quę bene verificatur eo ipso, quòd ponitur Corpus Christi sub speciebus panis, siuè hoc fiat per nouam eius productionem, siuè per simplicem adductionem; Vnde solùm indirectè verba consecrationis virtutem habent producendi Corpus Christi sub speciebus, quatenus si Corpus Christi non esset in rerum natura, ad prolationem verborum produceretur, sed quia modò præexistit, talis virtus impeditur, ita Mastr. & Bell. qui citant Camerar. parte 3. disp. Phil. q. 20. vbi multa absurda deducit ex positione Aduersariorum .s. quòd in dies renouaretur Chri-

Christi incarnatio, & nouo modo, quã prius facta fuerit in vtero Virginis. Item, quòd Christus Dominus vt est in Hostia consecrata, non esset filius B. Mariæ, quia ad talem substantialem reproductionem, ipsa nullo modo concurreret. Item, quòd in dies Christum destrueremus, imò, & annihilaremus, si corruptis speciebus sacramentalibus substantialiter desinit, & alia consimilia absurda sequerentur, quæ in nostra sententia facillimè vitantur.

Ob. si Deus Benedictus poneret animam separatam Romæ, & Neapoli, postea solùm Romæ corpus organicum animæ applicaret, tunc Romæ solùm homo produceretur, non Neapoli, quia ibi solùm est corpus organicum; si deinde corpus replicaret Neapoli, ipsumque animæ applicaret, reproduceretur idem homo, quia adest eadem numero anima, & idem numero corpus, sed quia adest etiam noua informatio corporis, ideò ex ea necessario resultare debet idem compositum iteratum. Responsio patet ex dictis in phys. disp. 14. cito conclus. 2. vbi conclusimus, quòd nec forma replicari potest sine subiecto, quod alibi informat, nec è cõtra subiectum sine forma, loquendo de formis absolutis, & ratio est, quia huiusmodi formæ nec in sua entitate, nec in modo informandi à loco, & à determinata præsentia pendẽt, ideoque si corpus aliquod esset animatum Romæ, erit quoq; animatũ Neapoli, & è contra, neq; ex hoc, quòd idem corpus Romæ, & Neapoli simul informatur ab anima, adest eiusdem compositi duplex productio, nam est eadem anima, & idem corpus, & consequenter eadem productio, & idem compositum vnica productione productum.

Ob. Coninch. probando, quòd non est possibile corpus replicari in pluribus locis per solam adductionem, sed necessariò exigitur reproductio substantialis. Probat sic: si Deus velit Petrum Romæ existentem replicare Venetijs per solam productionem vbi Veneti in ipso, vel tale Vbi producit in eo existente Romæ, vel Venetijs, non primum, quia vbi Venetum poneretur Romæ, quod repugnat, nam indispensabiliter spatio Veneto alligatum est; Sed neque secundum rectè asseri potest, quia ante productionem illius Vbi, iam Petrus Venetijs existeret, restat ergo, vt replicetur Venetijs per veram reproductionem substantialem eius ibidem. R. ex Scot. quol. 11. cit. quòd Vbi est respectus extrinsecus aduenniens, qui cùm natura sua extremorum approximationem præexigat, vt producatur prærequirit approximationem corporis ad superficiem ambientem, vt in eo formaliter vbicatum dicatur, & sic reuera totalis vbicatio producitur in corpore existente in tali spatio, sed in illo priori naturæ sic in spatio existens, non dicitur ibi formaliter vbicatum, sed fundamentali-

ter tantùm, sicut à pari respectus vnionis inter materiam, & formam non resultat, nisi prius forma supponatur recepta in materia, in illo tamen priori naturæ non dicuntur vnita formaliter, sed fundamentaliter tantùm, nam formalitas denominationis relatiuæ à respectib. expectatur in posteriori signo resultantibus, quia ad hoc respectus, & modi assignantur, vt per eos res denominentur tales formaliter, quod sane commune est omnibus extremis relationis, vt antecedenter ad illas dicantur talia fundamentaliter, formaliter verò per ipsas relationes inde resultantes, vt fusè diximus in logica disp. de relatione; Vnde in casu allato Petrus Romæ existens, replicaretur Venetijs per productionem Vbicationis prius natura existente Venetijs fundamentaliter, non formaliter.

Ob. Concedit Scot. quòd corpus in duobus locis existens habere potest, ac debet eadem numero accidentia absoluta; ergo idem existens reproduci potest. Pr. consequentia, quia calor Romæ ab igne productus in corpore ibi existente, producitur etiam Venetijs in eodem corpore ibi existente, non ab igne, cùm debita approximatio desit, ergo per aliam productionem factam à Deo. R. neg. conseq. ad probationem cōcedimus calorem ab igne productum in corpore Romæ replicari à Deo in eodem corpore existente Venetijs, nō vtique reproducendo eumdem calorem Venetijs, sed producendo solùm aliam præsentiam localem talis caloris, ex suppositione siquidem præcedentis miraculi, quòd idem corpus existat Romæ, & Venetijs, necessariò sequitur hoc aliud miraculum, quòd accidentia absoluta, quæ in vno loco habentur, in alio etiam habeantur; hinc calor ille Venetijs existens, productus est à solo igne Romæ existente, non à Deo per nouam productionem, quod tamen nō intelligi debet reduplicatiuè, ità vt ignis Romæ existens Venetijs calorem producat, quia ad tantam distantiam agere non potest, sed intelligitur specificatiuè, vt sensus sit, ignis Romæ existens producit calorem, qui est Venetijs, quia sicut est idem corpus Romæ existens, ac etiam Venetijs, ità est idem calor, qui in eo Romæ producitur, & à Deo Venetijs replicatur, & hoc est quod Scot. docuit in 4. d. 10. q. 2. nempe Corpus Romæ existens calefit ab igne sibi ibidem applicato, alibi verò non calefit, quia calefactio ibi solùm exercetur, vbi facta est debita applicatio, calidum tamen est per eumdem calorem s. à Deo replicatum in alijs locis distinctis, in quibus reperitur idem corpus, quod est dicere in fieri pendent tātùm ab vnico loco, at in facto esse reperiri potest in pluribus locis.

Dices, Idem numero effectus latet infinities in potentia infinita Creatoris, ergo sæpius reproduci potest, etiam quando in rerum ex-

tae natura, actualis .n. eius existentia, nec omnipotentiam Dei exhaurit, nec rei impossibilitatem essendi affert. R. neg. consequ. effectus .n. latet infinities in potentia Creatoris quatenus infinities potest illos destruere, & rursus eosdem reparare, non autem quòd possit eos sepè reproducere, quando adhuc existunt, & hoc propter implicantiam in probatione conclusionis assignatam. Poncio non placet illa responsio ad 4. Argum. quod est Coninch. cum illa distinctione de Vbicatione formali, & fundamentali; quæ tamen doctrina communis est inter Scotistas à quibus recedere non licet. Videant Curiosi in Appendice altercationes, quæ versantur inter Ponc. Mastr. & Bell. in lib. de gen. disp. 5. q. 8.

Solùm sufficit pro modo repetere, quæ diximus in phys. disp. 14. art. 11. & 12. ad satisfaciendum Poncio, Arriag. & Ouiedo, quòd de formis à loco dependentib. benè saluatur cotradictio per diuersitatem locorum, non autem de formis absolutis, quæ à loco non dependent. Ita docuit Scot. in 4. d. 10. q. 2. lit. S. in fine quæstionis, & in 2. d. 2. q. 7. ad 4. princ. R. tamen Ouied. quòd corpus esse album, & non esse album est vtique independenter à loco, esse tamē album Matriti, dicit formaliter albedinē, & præsentiam, ex vi cuius Matriti cōstituitur, & esse albū Toleti formaliter dicit præsentiā albedinis.

Sed contra, falsum est corpus esse album Toleti per solam albedinis præsentiam, corpus .n. non denominatur album ex sola albedinis præsentia, sed ab eius vnione informatiua; nam si albedo esset intimè præsens corpori, & ei non inhæreret, nunquam album diceretur; cùm igitur vnio informatiua præscindat à quolibet determinato loco, & indifferenter esse possit vnita corpori siuè Matriti existenti, siuè Toleti, sanè ex tali locorum diuersitate, non potest tolli contradictio, quòd sit Matriti album, & non Toleti; huiusmodi .n. præsentiæ non sunt ratio cur in vno loco corpori cōueniat affirmatio albedinis, & in alio negatio, & in hoc consistit vis argumenti Scoti. Itē petimus ab Ouiedo, quomodo Deus Petrum existentem Matriti, cum albedine replicaret Toleti sine albedine? R. hoc fieri quia albedo habet præsentiam distinctam à præsentia corporis, & consequenter potest replicare corpus Toleti per aliam præsentiam superadditam, non replicando illam præsentiam in albedine, quo casu corpus erit album Matriti, & non erit album Toleti, quia non esse album Toleti nihil aliud est, quàm albedinem non habere præsentiam Toleti, & ita Corpus non erit album Toleti, non quia corpus absolutè non habeat, sed quia non habet albedinem præsentem Toleti.

Non placet, nam corpus non denominatur album ex sola præsentia albedinis, sed ab eius vnione

informatiuâ, vt iam dictum est; & euidenter apparet; & consequenter si corpus non est album Toleti, hoc erit, quia ibi nõ habet vnitam albedinem, sed si non habet vnitam albedinem Toleti, nec eam habebit vnitam Matriti, ergo neque hic, neque ibi erit album. Pr. min. quia est eadem prorsus vnio, quam habet albedo cum corpore Matriti, & quam haberet etiam Toleti, cum sint eadem extrema, ergo deficiente vnione Toleti, deficiet quoque Matriti, atque ideò nec hic, neque ibi album erit.

Dices, Ideo non esse album Toleti, quia ibi non est replicata vnio albedinis cum corpore, quare non solùm deficiet præsentia albedinis, sed etiam vnionis. Non valet, modus .n. vnionis non habet distinctã præsentiam à suo subiecto, vt etiam ipse Ouiedus fatetur, ergo si albedo non denominat corpus album Matriti, hoc non erit propter defectum præsentiæ vnionis in tali loco, sed absolutè per desitionem vnionis; Hinc consequentia illa, Corpus est album Matriti, & non est albũ Toleti, ergo absolutè corpus est albũ, & nõ est albũ, est bona si rectè cõsideretur. Neq; hoc est arguere à minus amplo ad magis amplũ, seu à secũdũ quid ad simpliciter, vt Ouied. contendit, diuersæ .n. illæ præsentiæ non sunt rationes, quibus Petro conueniat Matriti esse album, & Toleti non esse album, nam præsentia albedinis formaliter solùm cõstituit albedinem Matriti præsentem, non autem facit formaliter Petrum ibi album, sed est formaliter albus per albedinem sibi inhærentem. ità Mastr. & Bell. occasione delumpta respondendi ad Poncium in Appendice Apologica fol. 199. num. 268. qui discursus est singularis, & satis in hac materia Doctrinæ Scoticæ cõformis.

DISPVTATIO II.

DE PRIMIS QVALITATIBVS.

NAturæ ordo expostulabat, vt post generationẽ substantialem, de augmentatione, quæ motus est ad quantitatem ageremus, quatenus quantitas est substantiæ propinquior, & qua mediante alia accidentia in substantia recipiuntur. Attamen quia Arist. disputationem instituit contra antiquos, qui alterationem idem esse cum generatione autumabant, ideo oportuit prius hunc errorem euertere, & consequenter ordine doctrinę prius examinanda venit natura alterationis, quàm aliorum accidentium. Cæterum quia alteratio inter primas qualitates præsertim exercetur, ratio postu-

postulat, vt prius de his disputatio instituatur, ac etiam de quibusdam alijs annexis, sine quibus alteratio non coalescit. Præsens igitur disputatio erit de primis qualitatib. quæ communiter censentur calor, frigus, siccitas, & humiditas.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Calor, Frigus, Siccitas, & Humiditas sint formæ positiuæ, à rebus ipsis calidis, frigidis, siccis, &c. distinctæ.

SCot. partem affirmatiuam huius dubij supponit in 2. d. 15. & in 4. d. 49. q. 13. & vbicumque de primis qualitatibus loquitur cũ sent. communi Peripat. Cardanus tamen lib. 2. de subtil. affirmat solum calorem, & humiditates esse formas positiuas, frigus verò, & siccitatem esse tantùm priuationes, & defectus, nempe frigus esse priuationem caloris, siccitatem verò esse priuationem humiditatis, quæ fuit sent. quorumdam Antiquorum vt Plutarcus refert; & quo ad siccitatem ex Recentiorib. sequuntur Aquilonius, & Arriaga, quibus etiam fauere videtur Diu. Thom. 3. Cœli tex. 23. vbi inquit: Siccitas aliud non est, quàm humiditatis priuatio, & licèt Arriaga concedat humiditatem esse quid positiuum in humidis corporibus, addit tamen non esse quid ab ipsis distinctum, sed esse ipsammet substantiam fluidam, siccitatem verò esse carentiam talium corporum fluidorum, seu corpora sicca esse corpora non fluida.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. Primas omnes qualitates esse formas positiuas, est Arist. 2. de gen. c. 1. 2. & 3. & 2. de an. text. 107. & 117. & 118. cum tota sua Schola, quem Scot. sequitur loc. cit. & patet euidenter ex relatis locis, vbi Arist. asserit omnes has qualitates esse tangibiles, sed priuationes nõ cadunt sub sensu, ergo &c. Pr. ratione: Successio in motu ex contrarietate terminorum positiua prouenit, hinc quia lux non habet formam positiuam contrariam, sed tantùm priuationem, introducitur in instanti, in subiecto etiam extenso, ergo cùm istæ qualitates omnes, & singulæ successiuè introducantur, sequitur formas eis oppositas esse positiuas, & non puras priuationes. Tum quia experimur frigidum in calidũ agere, & calorem corrumpere, q fieri non posset si frigus non esset forma positiua. Tum quia non tantùm calor sentitur, sed etiam frigus. & sensus immutat, in quib. etiam dolorem causat, ergo. Tum quia nullum agens per se corruptionem in agendo intendit, ergo frigidum in calidum agendo non solùm corruptionem caloris intendit, sed frigoris productionem; & tandem eodem modo, quo Cardanus affirmat, frigus non esse nisi defectum caloris, & coalescere ex solo agentis calidi recessu, etiam nos è contra dicemus calorem esse

defe-

defectum frigoris, &c.

Licèt autem relatæ rationes euidentius intentum probent de calore, & frigore propter sẽsibiliorem, ac sensuum immutationem, quàm de humiditate, & siccitate, quia sunt longè minus actiuæ & sensuũ immutatiuæ, attamen quia nec etiam ipsæ omni prorsus actione, & sensatione priuantur, idcircò rationes allatæ etiam de ipsis sufficienter probant. Patet etiam experiẽtia, siccitas .n. coagulat, & corpora exiccat, quod est agere, & è contra sal liquescit, & humectatur ab aere, & glacies ab aqua, & carnes in locis valdè humidis computrescunt actione humiditatis corrumpentis; & Medici morbis humidis sicca applicant, humida siccis, Auster calidus, & humidus corpora humectat, Boreas frigidus, & siccus corpora exiccat, & aliæ plures experientiæ adduci solent, quæ breuitatis gratia relinquũtur.

Arriag. disput. 4. de gen. sec. 2. negat has qualitates esse actiuas, & productiuas alterius consimilis qualitatis; sed res non humectari, nisi per ingressum substantiæ fluidæ, & non exiccari, nisi per expulsionem substantiæ siccæ, nõ autem per productionem alicuius qualitatis in corporibus humectatis, vel exiccatis. Qui tantùm modus humectandi refellitur à Scoto in 4. d. 49. q. 16. lit. E. §. *Alius est intellectus &c.* vbi loquens de pane vino imbibito, & humectato docet, quòd corpora omnia partes aliquas habent porosas, & alias solidas, & licèt porosæ humectari possint præfato modo per ingressum substantiæ fluidæ, solidæ tamen nequaquam, nisi admittatur penetratio corporum, sed humectantur, tum per humiditatem corporis fluidi eis in partibus porosis recepti, tum per aliam humiditatem in ipsis de nouo productam. Ait. Arriag. num. 13. aquam non aliter corpus humectare, quàm eo modo, quo illud permeat. Non valet, nam panis in aqua immersus, licèt non totaliter, humiditate aliquando perfunditur etiam quo ad minimas particulas, vbi non peruenit aqua, alioquin daretur pentratio dimensionum. Falsum est etiam, quòd corpora humida non exiccantur, nisi præcisè per extractionem humorum, non autem per productionem siccitatis in ipso, nã videmus Boream, lutum constringere, & exiccare, non tamen vapores, & humores extrahendo, sed siccitatem in eo producendo, hinc quando postea à Sole vehementer percutitur, rursus mollescit, & vapores, qui ad interiores partes se receperant, tenuiter exhalant, quod non esset si illud exiccasset per extractionem omnium vaporum; oppositum verò contingit cùm lutum exiccatur actione Solis, vel ignis, tunc .n. extrahũtur vapores, quod apparet dũ lutum à principio humidius apparet, quod contingit propter exitum vaporum, ergo corpora exiccari possunt nõ solùm

per

per extractionem vaporum ab ipsis, sed etiam per realem, ac physicam productionem siccitatis in eis. & si humores expelluntur, hoc erit per siccitatis introductionem.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. humiditatem, & siccitatem non solùm formas esse positiuas, sed etiam à corporibus humidis, & siccis reuera distinctas. Est communis apud Peripat. & ratio patet ex dictis, habent .n. proprias actiones accidentales. Tum quia sunt sensibilia propria tactus, quod cùm nec substantiæ, nec priuationi conueniat, consequens est, quòd nec humor, nec siccitas substantiæ sint. Hinc D. Thom. 1. p. q. 67. art. 3. duas huius conclusionis assignat rationes. Prima est, *quia nulla forma substantialis est per se sensibilis, quia quod quid est, obiectum intellectus est 3. de anima* text. 26. sed primæ qualitates sunt sensibiles; ergo sunt accidentia. Secunda ratio: *Impossibile est vt id, quod est forma substantialis in vno, sit forma accidentalis in alio; quia formæ substantiali per se competit constituere in specie, vnde semper & in omnibus inest ei*: sed primæ qualitates sunt tales sine quibus conseruantur substantiæ, ergo non sunt formæ substantiales, sed virtutes, & qualitates. Arriaga negat humiditatem, & siccitatem sensu percipi, & ait quòd cùm tangitur aqua, sentitur vtique eius calor, vel frigus non tamen humiditas.

Non placet, est .n. negare sensũ, nam cùm quis digitum in aquam immergit, non solùm aquæ frigus sentit, sed etiam ipsam aquæ fluiditatem, sentit enim ipsam comprimenti cedere, & circa digitum circumfundi, quod non contingeret si manum admoueret alij corpori solido in eodem gradu frigiditatis. Ostenditur etiam euidenter ex Misterio Eucharistiæ, vbi remanet vini humor, non autem substantia; ergo alia res est humor, alia res est substantia.

REt. Arriag. ibi non manere humorem, sed partes accidentis cum ea fluxibilitate, quam haberent, si ibi essent substantiales partes vini, vnde illæ partes accidentales non aliter humectant ibi, quàm se applicando corpori humectato. En quomodo manifestè arripit fugã, negat manere humorem, & concedit accidentia vini manere cum fluxibilitate, & humectare digitum eius applicatum. Sanè quid aliud est fluxibilitas illa, nisi humor ipse qui in tali fluiditate consistit? Et quomodo partes illæ accidẽtis humectare possunt, si non habent humorem? Si igitur accidentia illa sunt fluida, & humectant vtique, erit ibi humor vini, & tamen substantia vini non adest.

Obiectiones.

Ob. quòd frigus, & siccitas non sint formæ positiuæ, sed solæ priuationes, nam per solum recessum agentis calidi V. g. solis, vel ignis alia frigescunt, & per solum recessum humoris exiccantur, & fauet

Arist.

Arist. 12. meth. tex. 22. vbi frigus appellat priuationem caloris, ergo &c. ℞. neg. assumptum, frigus .n. non oritur ex absentia caloris, sicut cæcitas ex absentia visiuæ virtutis, vt modò infra explicabitur. Arist. locutus fuit impropriè, quatenus ex duabus formis contrarijs, vna solet esse perfectior, & excellentior altera, ac propterea ob suam imperfectionem, modum inducit priuationis, si conferatur ad illam, & quia calor est qualitas frigore excellentior, hac tantum ratione aliquando priuatio caloris appellatur. Neque sequitur corpora solo abscessu caloris formaliter frigefieri, sed solùm tunc sequitur neque frigida, neque calida fieri, vt bene Magist. Lerma aduertit libr. 2. q. 4. ad 4.

Ob. non alia ratione in hieme omnia frigore rigent, nisi propter solis distantiam, qui priùs sua propinquitate calefaciebat. Sic etiam frigus, quod nos in febri aggreditur, aliunde non oritur, quàm ex spirituum absentia, qui antea sua præsentia membra fouebant, ergo. ℞. neg. antec. nam causa positiua frigoris in hieme sunt terra, aqua, & quædam astra, quorum actio in æstate eximia Solis propinquitate impediebatur, quare absentia Solis non est causa illius frigoris, nisi per accid. quatenus calorem conseruare desinit. Sic etiam ad illud de febri dicimus; Causa .n. positiua illius frigoris sunt humores frigidi qui propriam actionem exercent in partibus exterioribus dum spiritus calidi ad interiora se recipiunt, qui sua præsentia eorum actionem prohibebãt, vel remittebant, vnde sunt causa frigoris solùm per acid. cui etiam opitulatur forma mixtionis, in qua elementum terræ prædominatur, quæ est natura sua frigefactiua.

Ob. Arriaga probando, quòd humiditas, & siccitas non sint formæ distinctæ à corporib. humidis, & siccis, & hoc ex illo principio, quia nullum est fundamentum, & necessitas ponendi eas à corporib. distinctas. Probat hoc, qa illæ qualitates non sint operatiuæ, nec percipiuntur in se, nec aliunde ergo, &c. quòd non sint operatiuæ, patet, quia corpora humida non aliter humectant, nisi seipsa applicando alteri corpori, efficienter autem nũquam. ℞. neg. assumptum cum sua probatione, probatum est .n. humiditatem, & siccitatẽ propriã habere sensationem, & actionem, licèt in actione non tantùm pollere sicut frigus, & calorem ad quorum comparationem dici solent qualitates passiuæ, qua etiam ratione indigent proxima, & intima applicatione ad passum, vt in illud agant, vt patet cùm carnes sale exiccantur, & panis vino humectatur; & estò substantia talis sicca in partes carnis porosas, & substãtia vini humida in partes panis se insinuent, alias tamen partes proximas solidiores efficienter humectant, & exiccãt per humiditatem, & sic-

& ſiccitatem diſtinctas.

Ad exemplũ, quod affert de tota Oceani aqua manui approximata ſolo vitro interiecto, quod nunquã illam humectaret. ℞. id euenire ex debilitate actionis in humiditate, & ob vehementem ſiccitatis vitri reſiſtentiam, abſolutè tamen negatur, nunquam manum fore humectandum; & fortè fecit ipſe de hoc irrefragibile experimentum. Imò ſi nos poneremus phialam vitream ſale plenam in aqua, non poſt multum temporis, experiremur ſal humectari, licèt phiala ex omni parte eſſet occluſa; eodem modo probat de ſiccitate, quòd .ſ. non alio modo corpus exiccatur, niſi quando ab eo expelluntur corpora humida &c. ſic ignis exiccat ſuo calore lutum, vapores extrahendo &c. At ℞. vt ſupra, negando exiccationem fieri per ſolam extractionem humorum à corpore, & non etiam per inductionem ſiccitatis in eo; hinc notat Angeſtus l. 2. de formæ proprietat. fol. 45. quòd duplex eſt exiccatio, vna ſubſtantialis, quæ fit per riſolutionem partium ſubtilium humidarũ, terreſtribus manentibus, & in hoc ſenſu calor ignis, vel ſolis exiccat, quod eſt exiccare per accid. quatenus actione caloris non producitur aliqua noua ſiccitas, ſed tantũ corpus rarefit, in quod agit calor, vnde facilius euaporat ſubſtantia humida, & remanet ſola ſubſtantia ſicca, quæ propter ſeparationem à contrario magis ex inde ſentitur. Alia eſt exiccatio propriè dicta, nempè qualitatiua, quæ fit per realem, & nouam productionem ſiccitatis, & iſta non fit à caliditate, ſed eſt propria ſiccitatis; An autem primus exiccandi modus exerceri poſſit ſine ſecundo, ad partem negatiuam inclinãt Maſtr. & Bellut. Quòd etiam humiditas, & ſiccitas propriam faciunt ſenſationem, patet ex dictis, & conſtat experientia, nam bene ſentitur, an veſtis, vel tela ſicca ſit, an madida, & humectata &c.

Dices, ſi ex re madida totus humor auferetur, nulla addita qualitate, maneret res illa ſicca, & talis ſentiretur, ergo ſiccitas eſt ſola priuatio humiditatis. ℞. negando anteced. cùm idem argum. fieri poſſet de frigore, ſed in caſu res illa neque eſſet humida, nec ſicca; & ſicut ablato calore, ſubiectum non tantum afficeret ſenſum, ſicut afficit frigus, quia affectio frigoris eſt vera actio, ità ablato humore, non ità ſubiectum afficeret sẽſum, ſicut afficit introducta ſiccitate, quamuis reuera ſenſibilius experiatur in corporibus frigus, quàm ſiccitas.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An calor, & frigus, humiditas, & ſiccitas ſint in omnibus corporibus formæ accidentales, an potius in quibuſdam ſubſtantiales.

Scot. vbicumque de his qualitatibus agit, ſemper ſupponere videtur eſſe in omnibus formas

accidentales, vt videre est in 2. d. 2. qu. 6. N. & O. & d. 15. q. vn. & in 4. d. 12. qu. 3. & sæpè alibi, & hæc semper fuit perpetua, & constans sent. Peripat. omnium latinorum. Excepta sent. Grecorum, Alex. Thomist. Simpl. Philos. Ammon. & aliorum, qui in elementis eas posuerant velut formas eorum substantiales, & substantialiter cõstitutiuas, quos ex latinis Mordicus sequitur Cremonius, non est tñ à communi sent. recedẽdum, ideò.

Conclusio.

Dicimus, huiusmodi primas qualitates esse in omnibus corporibus formas accidentales, est Scoti loc. cit. & communis inter latinos. Pr. 1. pluribus Arist. testimonijs. 7. phys. 11. enumerat primas qualitates inter passiones sensibiles, & lib. 2. de gen. 54. & 55. Antiquos carpit, ex hoc quia solas elementorum qualitates agnouerint, non eorum formas substantiales. lib. de sensu, & sensil. ait ignem agere, non quatenus ignem, sed quatenus calidum, quibus verbis manifestè secernit calorem ab ipsa forma substantiali ignis 2. de partibus animal. ab initio docet qualitates non esse de essentia elementorum, sed esse illorum virtutes. 5. meth. 19. & 7. meth. 17. & 8. meth. 5. clarissimis verbis ostendit primas qualitates non esse substantias, sed accidentia. Deinde patet ex varijs Arist. Principijs, p. s. substantia non habet contrariũ, non suscipit magis, & minus, non est per se immediatè sensibilis, non terminat alterationem, sed generationem, & alia huiusmodi, quorum opposita qualitatibus elemẽtorum conueniunt.

Cremoninus ad hæc Arist. testimonia eludenda, plura diuerticula adinuenit, quæ cùm sint effugia manifesta, & nullius momenti, ab omnibus ferè spernuntur. Pr. etiam ratione in ipso Arist. fundata 1. phys. 27. & 30. & 3. meth. 7. ex quibus locis suam rationem Diu. Thom. accepit: nempè, quòd vni est accidens, alteri non potest esse substantia, & maximè in his, quæ vniuocè dicuntur, sed relatæ qualitates vniuocè conueniunt omnibus corporibus, tàm mixtis, quàm simplicibus & in illis sunt accidentia, ergo similiter in illis. Tum quia forma substantialis dat esse simpliciter, accidentalis secundùm quid, modo in physic. explicato. Minor principalis argumenti conceditur ab Aduersarijs, & patet experientia, nam videmus mixta calefieri, & frigefieri absque aliqua mutatione substãtiali, & recedente substantia panis in Eucharistia, videmus illas formas accidentales remanere, ergo &c.

Rñ. Cremon. maiorem argumẽti non esse absolutè veram, nam intellectio in Deo est substantia, in homine est accid. Figura rotunda Cœlo est substantialis, inferioribus corporibus accidentalis. Forma substantialis dicitur accidens respectu materiæ, quia ei accidit, & sub-

substātia respectu compositi, quod substantialiter constituit. Concedit igitur, quòd forma, quæ vni accidentalis est, non potest esse alteri substantialis, si eodem modo ab vtroque participetur, falsum verò si participetur diuersimodè; hinc quia calor in mixto non perfectè participatur ab ipso, nec calor in eo est ad illum gradum progressus, vt possit substantialiter determinare, ideo est accidens, at à materia ignis perfectè participatur, itā vt substātialiter possit determinare, & consequenter erit substantia.

Sed allatæ instantiæ maiorem argumenti non infirmant. Non prima de intellectione Dei, alijsque eius attributis creaturæ communibus, hæc .n. non præseferunt aliquā realitatē adæquatā ei substratā, sed purum conceptū, naturæ vero prædicamentales, veluti sunt substantia, & accidens, important realitates genericas, vel specificas, verè per differentias contrahibiles alterius, & alterius rationis, nam diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, ac differentiæ per secundam regulam ante prædicamentalem, ac propterea implicat omnino realitatē de prædicamento substantiæ commigrare in realitatem de prædicamento accidentis, aut è contra.

Neque instantia de figura Cœli ei suffragatur, quia licèt talis figura sit ab ipso Cœlo naturaliter inseparabilis, atque ideo physica necessitate ei necessariò connexa, nō tamen sequitur qn sit accid. logicè, & methaphysicè, vnde de ipso non prædicatur in primo modo dicendi per se, vt ipse Cremon. autumat. Neque Tertia instantia vrget de forma respectu materiæ, nā aliud est loqui de accidente prædicabili, aliud vero de accidente prædicamentali; forma respectu materiæ est tantum accidens prædicabile, non autē prædicamentale, de quo loquimur, bene .n. potest substantia induere rationem accidentis prædicabilis, non autem prædicamentalis, vt diximus in Logica. Nec tandem vrget quarta, nā calores illi quomodocumque participentur à subiecto eiusdem sunt rationis, & consequenter eiusdem speciei, ergo non possun t esse substantia, & accidens, quæ nō solùm specie, sed prædicamento differunt, & quia specie, & prædicamento differunt, debēt etiam diuersis nominibus appellari, vt confusio in scholis euitetur.

Pr. adhuc, nam experimur aquā calefactam, ab igne remotam, pristinam frigiditatem in se reparare, signū quod in ipsa reperiatur principium frigiditatem anteuertens, in quod talis operatio referri debet, non .n. sufficienter referri potest in ipsam frigiditatem remissā, cùm vniuersaliter nulla qualitas possit se ipsam in suo subiecto intendere, vt infra patebit. Tum tandem, quia in Eucharistia videmus has qualitates remanere, vbi tamen

men omnis substantia perit, vnde Cremon. opinio videtur ex hoc Misterio saltem valdè temeraria. Absolutè igitur, & secundum veritatem sentiendum est, quòd sicut mixta propria substantiali forma constituuntur substantialiter, & inde à tota natura constituta peculiares emanant affectiones, & accidentia, sic constituto elemento per propriam formam substãtialē, statim ab eius substantiali forma oritur peculiaris qualitas, tamquã innata eius affectio, & talis est caliditas in igne, frigiditas in aqua, humiditas in aere, & siccitas in terra, vt inferius latius explicabitur.

Obiectiones.

Cremoninus Latinos carpēs ait, quòd nec vnum locum adducere possunt Arist. vbi elementorum qualitates accidentales appellauerit. Sed bona venia, sicut laudabile non est, nullam authoritatem in probanda conclusione adducere, ita intolerabilis error est, in sola authoritate alicuius veritatem stabilire, rationem spernendo. Vnde quidam Doctor cuidam sic Philosophanti argutè ait: *Hic vir est multæ Authoritatis, sed modicæ rationis, seu homo sine ratione*. & Hieron. ab Angesto Scotista præclarus lib. 2. de propietate formarum, loquens de auctoritatibus etiam Aristot. ait: quas sine experientia, vel ratione in philosophia nō libenter recipio. Vnde verus, & genuinus philosophandi modus est non soli Aristot. authoritati acquiescere, sed etiam rationem inuestigare; Sic etiam in proposito nos egimus, qui & Authoritates, & simul rationes pro nostra conclusione attulimus.

Obijcit igitur pluribus Arist. testimonijs, quibus docere videtur formas elementorum esse primas qualitates. Prima est 2. de gen. tex. 7. vbi docet contrarietates, seu contrarias qualitates simul cum materia esse principia, & formas quibus elementa constituuntur, & idem habet 2. de an. 117. Secunda est ex eodem 2. de gen. 24. vbi docet elementa esse inuicem contraria, quia eorum differentiæ sunt contrariæ, & loquitur de differentijs specificis, quia hinc colligit elementa in se transmutari, quod contingere nequit nisi per differētias specificas; & 1. de gen. tex. 18. distinguit ignem, & terram per calidum, & frigidum, tamquam per differentias. Tertia ex 2. de gener. text. 49. ait: elementa ignem, & aquam esse inuicem substantialiter contraria, ità vt substantia substantiæ contrarietur, sed non sunt contraria, nisi per qualitates, ergo qualitates sunt substãtiæ. alias adhuc cumulat authoritates, sed istæ sufficiunt, ex quorum explicatione facilè aliæ diluentur.

℞. ad has omnes communiter maxima facilitate, vt videre est apud Thomist. & Scotist. ad 1. qualitates dicuntur formæ substantiales elementorum, non quatenus elementa sunt substantialiter, sed quatenus sensibilia sunt, & actiua, & pas-

& passiua in rerum omnium generatione; Vnde Arist. tunc vel elementa cõsiderat in ordine ad mixtionem, vel naturas elementorum circumscriptiuè explicat per passiones, tamquam per aliquid notius, vel vocat principia elementorum qualitates radicaliter, non formaliter, sæpè .n. Arist. ob penuriam vocabulorum substantias indicat vocabulis accidentium, quia notiora sunt, & sensui familiaria. Vnde D. Thom. ibi ait qualitates primas dici principia constitutiua elemẽtorum quo ad nos, qui sensibus non percipimus elementorum substantias, sed solùm eorum propria accidẽtia. Ad 2. vel loquitur de elementis non quatenus substantiæ sunt, sed quatenus principia mixtionum actiua, & passiua, ita .n. per qualitates constituuntur; vel si de ipsis loquitur vt substantiæ sunt, nomine primarum qualitatum nobis circumscribunt differentias eorum specificas, quæ sunt nobis ignotæ. Ad 3. non ait ibi Arist. ignem, & aquam substantialiter oppponi, sed tantùm opponi eo modo, vt contingit substantiam substãtiæ esse contrariam .s. medijs accidentibus, quibus affecta sunt. Potest etiam admitti eorum substantias radicaliter, & virtualiter contrariari, quatenus contraria producere possunt.

Cremon. has solutiones infingere nititur, sed in cassum laborat. Hinc sciendum, quòd cùm dicimus elementa constitui principia mixtorum per qualitates, hoc non intelligimus de principio principali, nam tale est sola forma substantialis elementorum, cui etiam competit immediatè actio generatiua, & substantialis, sed tantùm loquimur de principio instrumentali, cui solùm conuenit actio dispositiua, quæ merè acccidentalis est, & quãdo Arist. lib. 2. de partib. animalium cap. 1. ait, qualitates, & virtutes elementares esse materiam mixti, hoc intelligi debet quatenus mixtum ex qualitatum temperie coalescit, & materia mixtorum dicuntur, quatenus sunt materialis dispositio ad formam.

Arguit ratione: Forma non agnoscitur nisi ex præuijs actionib. sed in elemẽtis præter proprias actiones qualitatum, quæ sunt calefactio, frigefactio &c. nulla alia deprehenditur actio, ergo nulla alia est ibi forma. ℞. neg. mi. actio .n. reducendi se ad pristinum statum, cùm ab eo res dictæ fuerint, & generandi alias substantias, vel elementares, vel mixtas rectè indicat aliam formam priorem ipsis qualitatibus, cùm nulla istarum actionum possit ipsis qualitatibus ascribi; non prima, quia vt diximus nulla qualitas potest se ipsam intendere; neque secunda quia calor V. g. ignis, potest vtique calefacere, non antem ignire, quia hoc cõpetit formæ substantiali ignis.

Ob. Illud est de substantia rei, quo sublato aufertur res, ex 2. de an. 9. sed sublatis primis qualitatibus

tibus aufertur elementum, ergo &c. ℞. cum Auerroe 8. methaph. com. 5. negando ma. cùm .n. proprietates identificentur realiter, ipsis sublatis, substantiæ depereūt, at hoc est solùm concomitanter, nō quòd sint de substantia, & essentia rerum. Illud igitur, quo sublato, res per se primò formaliter, & immediatè tollitur, est sanè de substantia rei, illud verò quo sublato non nisi consequenter, & concomitanter tollitur essentia rei, est solùm proprietas.

Ob. Forma substantialis alicuius rei est illa, per quam potest sibi simile producere, sed elementa per qualitates actiuas producunt sibi similia ergo, &c. ℞. ma. esse verā de ratione prima, & principali producendi simile, qualitates actiuæ elementorū sunt illis rationes producendi simile dispositiuè tantùm, & instrumentaliter.

Ob. Elementorum formæ sunt contrariæ, aliàs incorruptibiles essent, nam 1. de gen. 50. quicquid corrumpitur, à suo contrario corrumpitur, ergo formæ elementorū sunt ipsæmet qualitates primæ. ℞. neg. conseq. nā vt tales formæ corrumpantur, sufficit, quod dispositionib. contrarijs sint affectæ, quæ dum à subiecto se expellunt, consequenter ipsæ formæ elementares deficiunt, & sic intelligēdus est textus, quicquid corrūpitur à suo contrario corrumpitur, .s. vel per se primò & immediatè, vt ipsæ qualitates corrumpuntur, vel per accid. concomitanter, & mediatè, quomodo formæ substantiales elementorum corrumpuntur. Accedit, q. formæ substantiales elementorum, vltra generalem illam incompossibilitatem, quam formæ omnes substantiales habent in eodem subiecto, sunt saltem virtualiter, & radicaliter contrariæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid sint primæ qualitates alteratiuæ.

ARist. 2. de gen. tex. 8. & 9. primas qualitates in particulari definiuit in cōcreto dicens: Calidū est, *quod congregat homogenea, & segregat heterogenea*. frigidū, *quod congregat homogenea, et heterogenea simul*: Humidū *quòd facilè terminatur termino alieno, sed nō proprio*: Siccū, *quòd facilè terminatur termino proprio, sed nō alieno*. Et licèt Conimb. asserēt allatas definitiones, poti' ex Antiquorū placitis, quàm ex proprio marte Arist. attulerit, communis tamen sent. Philosophorum defendit fuisse ipsius Arist. nam ab initio libri eas assignans, nullam de Antiquis mentionem facit, & quando etiam has definitiones Veterum testimonio firmasset, non inde deduci debet de eius mente non esse, sed potius ipsum cū Antiquis in hoc conuenire, cùm eas nullibi reijciat, vt facere solebat; quare potius ad rectum sensum eas trahere debemus, quàm negare eas Arist. esse, & maximè quia vt tales communiter à Peripat. recipiuntur, vt videre est apud Zabarel. Mercen. Contar. A-

uerſ. Hurt. & alios.

Concluſio.

Dicimus allatas definitiones eſſe rectè, & ſatis rationabiliter traditas, & ſic eſſe intelligẽdas. *Calor eſt qualitas, cuius virtute homogenea, & quæ eiuſdẽ ſunt rationis adunantur, quæ verò alterius ſunt rationis, diſſoluũtur*; quod euidenter colligitur ex liquefactione metallorũ ceræ, &c. Aurũ .n. purgatur igne, quia omnes partes eiuſdem rationis ſimul vniũtur, & diſſimiles ſeparantur, vt ſcoria, & partes impuriores à puriorib. Item ſi cera in ſe lapides habeat, & paleas ſimul concretas, quando liqueſcit, lapides ſubſident in fundo, paleę ſupernatant, pura cera in medio remanẽdo; Cuiꝰ ratio eſt, quia calor liquefaciendo virtutẽ habet relaxandi, & rarefaciendi, & conſequenter eius actione, & caloris beneficio, quæ ſunt eiuſdem rationis, & conditionis adunantur, diſſimilia verò ſeparantur, quodlibet proprium petens locum; ſi .n. res illæ diſſimiles ſunt, diſſimilia quoque petũt loca, & quia per liquefactionem omne impedimẽtum tollitur, vnũquodq; ad proprium locum naturaliter tendit.

Frigus è cõtra, eſt qualitas promiſcuè congregans *homogenea*, ac *heterogenea ſimul*; quod oſtenditur in aquę congelatione, vbi videmus ſimul vniri omnia in ea reperta, cuiuſcumque ſint generis, & conditionis, quod euenit, quia frigus frigefaciendo habet vim condenſandi, & conſtringendi, ac conſequenter quæ ibi reperit, ſimul condenſat, & conſtringit.

Humiditas, *eſt qualitas reddens corpus difficile proprio termino terminabile, facile alieno*; humiditas .n. affert corpori fluxibilitatem quamdam, quæ cauſa eſt, vt corpus difficulter proprios terminos, & figuram retineat, ſed faciliter figuræ corporis continentis accomodatur, vt patet in aqua, in aere, & liquoribus reſpectu vaſis.

Siccitas, *eſt qualitas reddens corpus facile terminabile termino proprio, difficile alieno*, vt patet de lapide, ferro, terra, &c. & ratio eſt, quia ſiccitas quandam duritiem, & conſiſtentiam corporis affert, per quam reſiſtit, vt alienæ figuræ accommodetur, & faciliter propriã retinet.

Obiectiones.

Obijcies, Definitio vniuerſaliter per priora dari debet, non poſteriora, & ſi per poſteriora, ſaltem per ea, quæ proxima ſunt, quare ergo volens Ariſt. has qualitates definire, non definiuit per priora, ſed per effectus? & ſi per effectus, cur non potius per primarios, & proximos, quales ſunt calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare, ſed per remotos, & ſecundarios ex primis procedentes. ℞. quòd primæ qualitates ſecundum ſe, verè & abſolutè conſideratæ, vtique per ſuas cauſas definiendæ eſſent, & eſſentialiter definiuntur, at in lib. de gen. non ità conſiderantur, ſed vt principia mixtorum, quomodo etiam elementa definiuit ad

expe-

exprimendum vniuscuiusque munus, per effectus, non quidem primarios, & proximos, per eos enim non exprimitur proprium eorum munus in generatione mixtorum, cùm illos quoque causent in generatione simplicium, sed per secundarios, & remotos, & nõ per quoscumque, sed præcisè per illos, qui in generatione mixtorum præcipuè exercentur, ad generationem .n. mixti requiritur simplicium mixtio, quæ propriè fit à primis qualitatibus per effectus relatos, nam in vnoquoque corpore requiritur mixtio, & condensatio, non summa, ideoque partes aliquid habere debent fluiditatis, & aliquid consistentiæ, hoc autem ex cõgressu humidi, & sicci coalescit, quatenus terminabilia, vel interminabilia sunt, quod fieri nequit, nisi illæ partes, quæ cõdensatæ improportionabiliter erant, segregentur, & quæ improportionabiliter fluidæ congregentur; Quare rectè Arist. huiusmodi qualitates per effectus definiuit, quia earum consideratio in istis libris relatiua est in ordine .s. admixta, non absoluta; Rectè etiã per relatos effectus definiuit, & non per alios, siuè priores, siuè posteriores, vt sunt calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare, item rarefacere, & condensare, per has .n. actiones, & operationes non limitantur admixtorum generationem, cùm promiscuè exerceantur tàm in generatione mixtorum, quàm simplicium.

Deinde obijci solet contrà singulas definitiones in particulari; & primò contra definitionem caloris, nam falsum videtur, calorem heterogenea segregare, actione .n. ignis calefacientis, cera, & pix, stamnum, & plumbum si simul liquefiant, ità miscentur, vt amplius separari non possint; quod etiam euidenter apparet in pharmaco, vbi plures, ac diuersi liquores caloris virtute commiscuntur, & idẽ de luto virtute caloris solaris indurato exprimitur. Item actione caloris vitalis in ventriculo diuersa alimenta per concoctionem in chilum vniuntur, sicut, & multi humores cum sanguine, qui postea frigefacto sanguine emisso, separati subsident, & alia millia exempla adduci possunt, qua ratione Arist. 3. Cœli 74. ait calori per se conuenire, vt congregat, per accidens verò vt disgreget.

Respondent Aliqui concedẽdo calorem etiam aliquando heterogenea congregare, & aiunt definitionem calidi datam ab Aris. intelligendam esse vt in plurib. quam etiam vt magis expeditã Conimb. recipiunt. Sed licèt hoc admitti possit, attamen, quia vbicumque Arist. loquitur de calido, & frigido eis præfatas ascribit affectiones, vt præsertim patet 4. meth. contex. 1. ideò præstat non communem relinquere expositionem, quòd .s. sicut calor habet per se calefacere, & tamen interdũ refrigerat ex accidenti, vt in antiparistasi contingit,

git, sic calor habet per se heterogenea separare, sed qa aliquę restant, quæ liquefactæ maximè assimilantur in quibusdam affectionib. fluxibilitatis, liquabilitatis, &c. hinc ita cōmiscentur, vt separari nequeant, talia sunt pix, cera, stamnum, plūbum, &c. & aliqui liquores; Vnde dicere possumus cum Aliquib. Philos. quòd per homogenea Aris. non intellexerit, quæ vnius naturæ sunt substantialis præcisè, sed quæ in liquabilitate, & etiam grauitate, vel leuitate, aut alia simili complexione cōueniunt, quamuis diuersæ sint naturæ, Per heterogenea verò, quæ in his discrepant, estò eiusdem sint naturæ, vt sunt exalatio terrestris, & terra, vapor aqueus, & aqua; qua doctrina concessa huiusmodi congregatio, & concretio potius fiet à calore per se, quàm per accid. quia vt homogenea congregarentur, nō & heterogenea. Potest etiam sustineri hoc esse merè per accid. nam intentio caloris est separare picem à cera, sed eius actio impeditur ab humore glutinoso, & tenaci illorū corporum, ratione cuius ex se ipsis connectuntur, licèt caloris actio illa segregare nitatur.

Potest etiā alio modo calor per accid. heterogenea congregare, nempe tenuiores partes resoluēdo, vnde sequitur, vt partes, quæ remanent, licèt heterogeneæ, segreganti tamen resistāt ob crassitiem, & duritiem eius communem, quomodo etiam contingit in luto calore solis durescente. Calor vitalis non ex se diuersos illos humores vnit, sed virtute animæ, quod est agens principale; vel propter venarum angustiam, in quibus humores illi conclusi detinentur, vnde experimur, quòd sanguis postquam è venis deductus est, tunc calor ei innatus separat omnes humores illos, quod non accideret, si à maximo frigore statim condensetur; Et tandem, ideò Aris. 3. cæli, ait calori per accidens conuenire, quòd disgreget, quia scopus eius præcipuus est homogenea congregare, & ad hunc finem heterogenea dissoluit, vt homogenea vniantur.

Ob. contra definitionem frigoris, quòd non omnia congreget, nā in hieme vasa, & interdum saxa disrumpit, lacrimas ab oculis exprimit, & pituitam à cerebro per nares effluit, & alia similia, ergo non bene ei adaptatur, quòd congregare debet. Tum quia contrariarum causarum, contrarij sunt effectus, ergo cū actio congregandi adscribatur calori nō poterit eadem frigori cōuenire, quod est caloris cōtrarium. ℞. eodem modo quo supra diximus, calorem posse per accid. etiam heterogenea congregare; sic in proposito è contra dicimus posse frigus eadem disgregare, quomodo cōtingit in exemplis allatis, per accid. vasa, & saxa dirumpere, quatenus per se condensans, & constringens quasdam partes, illæ ab alijs scinduntur, dùm eas secū agglutinatas trahere nequeunt. Lacrimæ ab oculis exprimuntur, &

pituita à cerebro, quia dum partes crassiores, & solidiores per congelationem, & densationem comprimuntur, tunc tenuiores partes cõpressionem non patientes, exeunt; qua etiam ratione soli vapores cõstipantur in media aeris regione, exhalationes verò compressionem refugientes, exeunt, quas etiam frigus quantum ex se est constipare, & condensare intẽdit. Ad aliud ℞. breuiter, negando eumdem esse effectum, homogenea tantùm congregare, quod soli conuenit calori, & congregare homogenea, & heterogenea simul, quod frigori conuenit, vt euidenter patet.

Ob. tandem contra definitiones humidi, & sicci, multa .n. sicca facile alieno terminantur termino, difficile proprio, vt flamma apud nos, quę difficile se ipsa terminatur, sed configurationem recipit ex continente .i. à fornace, puluis, & cinis, quæ sicca sunt difficile proprio termino terminantur, facillimè alieno; E contra verò multa humida difficilè alieno terminantur termino, facile proprio, quod experientia comprobatur, nam aqua facilè effluit, & funditur; aquæ gutta in orbem natura sua cõglobatur, signum, quod proprium habeat terminũ, quod adhuc euidentius patet de ipsa aqua in glaciem concreta.

℞. quòd per facilè terminabile termino alieno intelligitur id, quod sponte sua, & quasi ab intrinseco figuram alterius rei cõtinentis suscipit, eiq; se accomodat, hinc quod ægrè eam recipit, & ab extrinseco quasi coactè, dici non debet facilè terminabile, sic lana, stuppa, & similia si in aliquo vase comprimantur, terminis illius vtiq; terminabuntur, nò tamen spontè terminos illos sequentes, sed coactè ab extrinseco; sic etiam terminatur flãma ignis à fornace, vel ab alio continente, huc .n. & illuc discurrit, vt foras erumpat, & si os clibani occludatur, statim extinguitur. Humidum verò spontè se accõmodat figuræ continentis, & in eo cõquiescit, vt de aqua in vase constat. Ad id quod de cinere, puluere, & arena afferebatur. ℞. faciliter, non .n. sunt vnum corpus continuum, sed congeries quędam plurium corpusculorum, vndè propriè non dicũtur fluere, sed potius labi propter materiæ exiguitatem, & discretionem, vnde si vnumquodq; illorum per se sumatur, tunc propriam habebit figuram, nec terminationem ab alio reciperet.

Aqua, oleum, &c. licet sint valdè fluida, adhuc tamen facilè in vase detinentur, vel alio continente, cuius figurationi se statim accommodãt. Gutta aquæ aliquando in orbem conglobatur per accid. ob contrarij obsistentiam, vt ab eo se tueatur; & dum est in glacie concreta, adhuc terminabilitatem in actu primo retinet, vnde si iterum soluatur, statim in actum secundum exibit.

AR-

ARTICVLVS QVARTVS.

An huiusmodi qualitates sint omnino primæ.

SCot. resolutionem huius dubij affert in 2. d. 16. & in 4. d. 12. q. 3. lit. E. & alibi. Sciendum est pro quæsiti intelligentia, quòd dū quærimus an præfatæ qualitates sint omnium primæ, non intelligitur absolutè in omni genere, nam non fit comparatio cum qualitatibus spiritualibus, quia nullam habent cum istis affinitatem, vel connexionem, sed cum qualitatibus corporeijs, & naturalibus; sed neque cum omnibus materialibus, quia non cum cœlestibus, nam lux, & aliæ qualitates cœlestes sunt illis priores, à quibus qualitates primæ maximè pendent, quare harum primitatem inquirimus tantùm in ordine qualitatum materialium, & corruptibilium, in quo sensu loquitur Arist. de illarum primitate 2. de gen. tex. 7. & seq. Quarum qualitatum quædam sunt per se, seu in se ipsis sensibiles, ideoque dicuntur formales, vt sunt calor, sapor, odor, &c. quædam verò tantùm in suis effectibus, ac proinde virtuales dicuntur, vt est virtus in succino, trahēdi paleas, in magnete trahendi ferrum, & plures virtutes, quas lapides habent, & plura medicamenta ad varios producendos effectus &c. Dubium mouetur de primitate harum qualitatum in ordine ad oēs siuè formales sint, siuè virtuales, scilicet an istæ quatuor qualitates sint primæ respectu omnium qualitatum sensibilium, generabilium, & corruptibilium, ità vt omnes huiusmodi qualitates tàm virtuales, quàm formales ab ipsis proueniant, an verò aliquæ sint ab ipsis independentes, & priores, & quæstio procedit de primitate causalitatis, & originis, non perfectionis.

Aliqui, quos citat Marsilius 2. de gen. qu. 5. tribuunt elementis qualitates quasdam virtuales, quibus qualitates proprias producūt, non vtique in externo subiecto, quia in ipsum agunt per qualitates formales, sed in se ipsis, & est cùm elementa suas reparant formales qualitates ab agente contrario remissas, vnde in singulis elementis duas ponunt qualitates virtuales, correspondentes duabus actualib. ità in igne duplicem geminat caliditatem, & siccitatem, vnā actualem, alteram virtualem, & quia actuales dependent à virtualibus in esse, & non è contra; idcirco cōsequenter volunt quatuor præfatas qualitates non posse dici primas respectu virtualium qualitatum, sed respectu tātùm aliarum actualium, quam opinionem deinde ex Recentioribus suscitarunt Roccus, & Auersa, qui addit quatuor præfatas qualitates dici primas inter sensibiles, præsertim per sensum tactus, & ità colligitur ex Arist. 2. de gen. tex. 7. & sequ. quod non obstat qualitatibus virtualib. qui nō cadūt per se sub sensu. Andreas

Cæsalpinus l. 4. Peripat. qq. q. 1. negat etiam intra sphæram qualitatum formalium, & per se sensibilium illas quatuor posse propriè, & in rigore dici primas, nam vult siccitatem, & humiditatem ex caliditate prouenire. Communis tamē sent. defendit illas quatuor esse primas inter oēs qualitates sublunares, siue formales, siue virtuales, ità quòd non fiant ex alijs in eodem genere, neque ex se inuicē, sed omnes aliæ illius generis ab ipsis dependeant, eo ferè modo, quo 1. phys. materia, forma, & priuatio dicebantur prima principia rerum naturalium in fieri, ita Tatar. Angest. cum cæteris Scotist. Ruu. Conimb. Aref. Bannes, Ioannes de S. Thom. & Galen. 1. method. c. 2. & testatur hanc fuisse prius traditam ab Hiproc. l. de hominis natura &c.

Conclusio Prima.

Negamus absolutè in elementis qualitates quasdam virtuales, à quibus illæ quatuor nobis notæ proximè oriantur, est Scot. loc. cit. & sequuntur Tatar. Angest. Mastr. Bell. Conimbr. Capreol. Sot. Soncin. Egid. Auic. 1. suff. c. 5. & Alij: & manifestè deducitur ex Arist. 2. de gen. cap. 2. & 3. vbi qualitates elementares actuales, & formales absolutè primas in elementis vocat, nec uerbum vnum de virtualibus qualitatibus fecit, à quibus istæ formales oriantur.

Ratio fundamentalis à Scot. adducitur loc. cit. quia sine euidenti necessitate non est ponenda pluralitas, sed nulla necessitas harum qualitatum virtualium apparet in elemētis præter actuales, ergo &c. Pr. min. nam vel ponuntur ex hoc, quòd substantia immediatè agere nequit, sed medio instrumento; Vel quia qualitates formales sunt variabiles, atque ideò dandæ erunt aliquæ inuariabiles in elementis, quarum actione aliæ reparentur, cùm fuerint à contrario erutæ, vel debilitatæ. Non propter primum; nam quando illud concederetur de actione transeunti in externum subiectum, non necesse erit illud admittere etiam in immanenti. Tum quia adhuc querendum manet de istis qualitatib. virtualibus, à quo producantur, vel .n. à substantia immediatè, vel mediante alio accidente; Si primum, iam admittitur actio immediata in substantia, & sic idem asserere præstabit de qualitatibus formalibus, quòd .s. immediatè proueniant à forma substantiali absque alio medio; Si secundū, daretur processus in infinitum. Tum quia iam stabilitum est in phys. substantiam esse principium actiuum immediatum aliquorum effectuum contra Thomistas. Neque ob secundum, quia cū forma substantialis inuariabilior sit, quàm ista virtus, ait Doct. sufficiet, vt variabilitas qualitatum formalium in inuariabilitatem formæ substantialis reducatur. Tum quia vinum calefactum ad pristinam frigiditatem se reducit, &

tamen

tamē in eo poni nō potest qualitas virtualis frigefactiua, si .n. talem frigiditatem virtualem vinum haberet, non magis deberet ventriculum calefacere, quàm frigefacere, & in vino essent qualitates virtuales oppositæ, nempè caliditas virtualis, quam in ipso omnes concedunt, vt frigiditas virtualis.

Obiectiones.

Ob. Pro Marsilio: Non potest assignari ratio à quo aqua calefacta ad pristinam frigiditatem reducatur, nam non ab humiditate aquæ, quia hæc non contrariatur calori, neque à forma substantiali, quia hæc sine instrumento nō agit, ergo à frigiditate virtuali. ℞. ex dictis in phys. neg. anteced. reductio .n. illa fit à forma substantiali, quæ ad actionem saltem immanentem nullo indiget instrumēto; & illa caliditas corrūpitur formaliter à frigiditate, quæ de nouo producitur à forma substantiali ipsius aquæ, effectiuè verò à forma substantiali aquæ, ità communiter Scotistæ.

Ob. Pro Auersa: Accidentia variabilia, quamuis interna, videntur produci mediantibus alijs fixis, & inuariabilibus, & hoc etiam ex misterio Eucharistiæ manifestè colligitur, vbi naturali substantia remota, adhuc eadem virtus reparādi connaturalem frigiditatem apparet, quando indebitus calor ab aliquo externo agente inductus fuerit, ergo independenter etiam à substantia qualitates virtuales admittēdæ erunt in elementis. Responsio patet ex dictis in probatione conclusionis, sufficit .n. substantia pro inuariabili fulcimento accid. Reductio specierum vini in Eucharist. ad pristinam frigiditatē fit immediatè à Deo, qui in eo Misterio quascumque substantiæ vices supplet ad occultandum miraculum, multa namque à Deo fiunt ex vi antecedentis miraculi, & etiā Auersa fateri debet, nisi admittere velit in vino cū virtuali caliditate, virtualem quoque frigiditatem.

Ob. Constat dari multas virtuales qualitates in mixtis, vt piperi vim calefaciendi ventriculum &c. ergo similiter etiam in elementis. Negant Aliqui etiam in mixtis virtuales qualitates, & omnia per formales, & actuales saluare conantur, sed quām insulsum, videant Docti. Nos concedimus qualitates virtuales in mixtis, vt Scot. supponere videtur in 1. d. 17. q. 1. & in 4. d. 3. q. 3. ad 2. & alibi, & communissima est inter Medicos, & patet experientia, videntur .n. res aliquæ virtutem habentes attrahendi aliqua corpora ad se, quæ tractio non fit ab aliqua sensibili qualitate, vt euidens est, inde negamus consequentiam, & paritatē, quam ipsi non probant, & ratio assignabitur modò respondendo ad Aresium, qui disp. 1. qu. 7. sec. 3. putat superuacaneas esse huiusmodi virtuales qualitates, & ratio est, quia quicquid ab ipsis petimus, per ipsas formas substantiales haberi

potest

potest, sicut .n. dicimus ab aquæ substantia produci immediatè frigus, sic pariter dicere poterimus à forma substantiali piperis prodire immediatè calorem. Non valet, nã huiusmodi effectus nõ possunt immediatè formæ substantiali tribui, cùm actione transeunte producantur, non .n. piper seipsum calefacit. sed stomachum, ad quam actionem secundum communiorem opinionem forma substantialis non concurrit nisi medio instrumento. Tum quia tales virtutes sunt remissibiles vt in pipere antiquato, & similibus constat, forma autem substantialis non remittitur. Tum quia experimur magnetem ferrum non attrahere si allio sit affricata, quod si talis actio à forma substantiali immediatè prodiret, non equidem impediretur, quia substantiæ nihil est contrarium. Nec sequitur, quòd talis qualitas virtualis, aliam sibi similem producat, quia est agens æquiuocum, non vniuocum, sicut patet de grauitate, quòd non aliam grauitatem producit, sed motũ, & impetum impressum.

Dices, Causa ex se productiua alicuius qualitatis siue vniuocè, siue æquiuocè, si applicatur passo capaci talis qualitatis, suum effectum præstabit, cùm igitur omnia mixta capacia sint primarum qualitatum piper, vinum, & similia, easdem qualitates in omnibus producerent, si eis applicentur, quod tamen non apparet, ergo si postea cùm sũt in stomacho calorem causant, dicendum erit non prouenire ab ipsis qualitatibus virtualib. sed potius à calore stomachi principaliter, tamquam excitante, & adiuuante calorem formalem piperis, vini, &c. R. quòd vt qualitas virtualis producatur in aliquo passo non sufficit, vt sit illius capax, sed sit etiam proportionatum tali agẽti, vt ab ipso eam recipiat, quia nõ quodlibet agere potest in quodlibet, vndè vnum agens habet virtutem causandi aliquem effectum in vno passo, quem non habet in alio, licèt eumdem specie effectum recipere possit; hinc experimur aliqua animalia ex aliquo veneno frigido interire, non alia, quamuis eiusdem frigoris sint capacia. Palea est capax attractionis, sed à succino ei imprimitur, non à magnete. Sunt & aliqua agentia, quæ licet causatiua sint alicuius effectus, illũ tamen producere non possunt, nisi cum alio corpore vniantur, sic est piper, & vinum respectu stomachi. Vnde cõcedim' calorẽ stomachi iuuare aliquo modo, & quasi excitare virtualem calorem piperis, & vini, estò talis excitatio nõ in omnibus mixtis sẽper necessaria sit, nam videmus piperem etiam in ore, imò & in olla calorẽ producere, & iuuat ad carnium concottionem &c.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Inter qualitates corporum sublunarium sensibiles, & caducas, illa quatuor esse omnium primas. Est Scoti, & communis, quam

quam Arist. docet in hoc 2. à tex. 9. vsque ad 15. vbi probat ex professo has qualitates esse primas corporum caducorum, & tex. 15. concludit, manifestum est, quòd omnes aliæ differentiæ ad quatuor primas reducantur. Solet autem ab omnibus hac ratione probari, quia definiuntur ad modum principiorum, s. *quæ non fiunt ex alijs prioribus, & simplicibus qualitatibus; nec ex alterutris, sed ex ipsis omnes qualitates fiunt, siuè actiuæ, siuè passiuæ.* Quæ tamen ratio si in toto rigore sumatur, nequit omnimodam proportionem cum illa primorum principiorum naturalium seruare, vt alij autumant; Non prima, nam qualitates mixtorum à virtualibus qualitatibus producuntur, piper enim producit calorem, quædam venena frigus, &c. Nec in eodem rigore eis competit secunda cõditio, quia in antiparistasi calor producit frigus, & frigus calorem, vt de aquis putealibus contingit in æstate, & de calore stomachi in hyeme; potest etiam calor producere siccitatem, vel humiditatem, vt patet de induratione luti, & liquefactione ceræ; hinc Arist. 4. meteor. in principio ait: calorem, & frigus humectare, exiccare, indurare, & emollire, quòd si dicas hoc esse per accidens, adhuc habetur intẽtum, quia principia rerum naturalium nec etiam per accid. dicuntur fieri ex se inuicem, quod sufficit, ne currat omnimoda proportio in hac secũda conditione inter prima principia rerum naturalium, & primas qualitates. Neque tandem tertia conditio in rigore eis cõuenit, plures .n. sunt qualitates, quæ immediatè ex forma substantiali proueniunt, nam si formæ elementorum, quæ imperfectissimæ sũt, proprias habent qualitates ab ipsis prouenientes, hoc rationabilius de formis mixtorum longè perfectioribus asserendum erit.

Conditiones igitur illæ primorũ principiorum, *quod non fiunt ex alijs &c*, non ad primas qualitates absolutè, & simpliciter referri debent, sed proportione seruata, & per analogiam quamdam, quatenus communius alias qualitates præcedũt, licèt in particulari quãdoque eueniat aliquam primarum qualitatum ab alijs produci, & hoc sufficit ad primam conditionem. Dicuntur primæ ex secũda conditione, quia non habent ad inuicem illam necessariam dependentiam, qualem qualitates secundæ ab ipsis habent, quæ semper primas supponant, nam nulla istarum, alterã necessariò supponit, siccitas .n. esse potest sine calore, vel frigore, & quælibet alia sine vnaquaque earũ esse potest, & itá quoad hoc sunt omnes, & singulæ æquè primæ ex Arist. 2. de gen. 14. Tertia tandem conditio in hoc sensu ei adaptari debet, vt omnes aliæ qualitases in caducis corporibus ab eis aliquo modo dependeant, nimirum proximè, vel remotè, ac dispositiuè, quod itá inductione probari potest

nam

nam qualitates sensibiles, vel pertinet ad sensum tactus, vt sunt graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum, asperum, lene, crassum, & tenue; Item calidum, frigidum, humidum, & siccum, euidens autem est, quòd omnes illæ ab istis quatuor vltimis proueniunt, vel .s. ex permixtione istarum quatenus vna prædenominans est V.g. molle, lubricum, leue, & tenue ex humido prædenominante. Durum, aridum, asperum, & crassum, ex sicco prædominante. Graue ex frigido denominante, leue ex calido. ita Arist. docet 2. de gen. 8.

Vel spectant ad sensum gustus, vt sapores, & hæ quoque ex ipsis primis oriuntur ex Arist. cap. 4. de sensu, & sensilib', vbi dulcedinem refert ad calorem prædominātem, acritatem verò ad frigus. Vel pertinent ad olfactum, vt odores, & istæ etiam ex prædominio calidi, & humidi oriuntur ex Arist. ibidem c. 5. & secundo de an. 9. vel attinent ad auditum, & hę licèt immediatè ex primis non oriantur, quia tamen depēdent ex alijs qualitatibus ab illis quatuor causatis, & præsertim à duritie, ideò saltē mediatè pendent ab ipsis, vt Arist. docet sec. 11. problem. Vel tandē pertinent ad visum, vt colores, & lux, & vtiq; colores ab ipsis proueniūt, vt Scot. docet in 4. d. 49. q. 15. lit. A Philos. sec. vlt. problem. albedinem reduxit ad frigus, nigredinem verò ad calorem, lux verò licèt in sua communitate ab istis qualitatibus abstrahat quatenus etiam in corporibus Cœlestibus reperitur, vt tamen in sublunaribus existit sanè saltem remotè ab istis originē trahit, quatenus in certa temperie ad formam substantialem requiritur. Item qualitates virtuales mixtorum, quamuis proximè à forma dimanent, attamē quia forma substantialis has qualitates prærequirit, idcirco ad illas aliquam dependentiam habent; quæ tamen depēdentia à primis non adeò in omnibus essentialis est, vt etiam non dependeant ab alijs, & quòd sine ipsis produci non possint, complures .n. à Cœlo produci possunt; Multa etiam sunt, in quibus primæ qualitates eodem modo attemperatæ manentes contrarias tamen habent qualitates secundas, nam multa frigida, quæ non sunt alba, & multa calida, quæ non sunt nigra, quod signum est nō semper ex sola commixtione, & attemperatione primarum qualitatum secundas prouenire.

Dices; Motus est causa caloris est 2. Cœli tex. 42. ergo calor non est prima qualitas. ℟. dist. antec. per se, nego, per accidens concedo, motus .n. propriè inducit raritatem distrahendo partes Corporis, cuius comes est calor, aliquando etiam inducit frigiditatem, vt cum flatus ferbentes ollas refrigerat, quo casu flato mutatur aer cōtingens, & magis infrigidat.

Ob. Motus localis, qui fit per grauitatem, & leuitatem est prior

alteratione, quæ fit per calorem, & frigus ex Arist. 8. phyſ. tex. 58. ergo grauitas, & leuitas ſunt qualitates primæ, & his enumeratis priores. ℞. neg. ant. & Philoſophus, vt ibi D. Tho. exponit lec. 14. vel loquitur de mente Antiquorum, vel de motu locali Cælorum. ℞. 2. ſi ſermo fiat de prima productione primarum qualitatũ, quando Deus Cęlum, & prima corpora ſublunaria creauit, negat. ant. ſi verò loquatur de ſecunda productione earumdem qualitatũ, conceditur ant. nam quando primò productæ fuerunt primæ qualitates, prius natura, & in genere cauſæ materialis productæ fuerunt in ſubiectis, grauitas autẽ & leuitas, & cęterę potẽtiæ vegetatiua, & generatiua ſemper ſupponunt in ſubiecto temperamentum primarum qualitatũ; in ſecunda verò productione ipſarũ, cùm V. g. ignis producit calorem in ligno, prior eſt motus localis, & potentia motiua quàm calor, quia neceſſariò agens moueri debet, & paſſo approximari, vt illud alteret, & in hoc ſẽſu Ariſt. loquitur, quod non tollit, quin ſimpliciter primę qualitates priores dicantur.

Ob. Figura non oritur ex primis qualitatib. nam immediatè quantitatẽ ſequitur, quæ omnib. qualitatib. prior eſt, tamquam eorum ſubiectum, ergo, &c. ℞. figura non eſt qualitas propriá corporum caducorum, & mixtorum, cùm etiam Cælo conueniat, ſicut de luce affirmamus, ideò mirum nõ eſt, ſi à primis qualitatib. non procedat.

ARTICVLVS QVINTVS.

An primis qualitatibus conueniat actiuitas, & reſiſtentia.

SCot. Art. hunc reſoluit in 2. ſent. d. 2. q. 9. Z. & in 4. d. 1. q. 5. F. & d. 49. q. 16. §. *Alius eſt intellectus &c.* Pro quæſiti reſolutione declarandum eſt, quid ſint actiuitas, & reſiſtentia, & quomodo differunt. Actiuitas vt in phyſica diximus, nõ eſt, niſi virtus agentis, quá efficienter aliquem effectũ producit. Difficilius eſt explicare quid ſit reſiſtentia, de qua fusè Recentiores agunt, vt videre eſt apud Suar. Ruu. Aref. Auerſ. & Alios. Nos breuiter ſic explicamus, reſiſtentia eſt, qua impeditur, vel retardatur actio contrarij, ne fiat, vel totaliter, vel non tam citò, aut tanta intenſione, aut perfectione; & duplex eſt, vna actiua, altera formalis, quæ ab alijs dicitur paſſiua: Actiua, quæ tamẽ propriè, & rigorosè non dicitur reſiſtentia, eſt ipſamet actio agentis, ſicut potentia reſiſtitiua actiua eſt ipſamet actiua potentia agentis in quantũ contrarium impedit debilitando actiuam virtutem ipſius, ne in idem agens reagat, vel non tanta velocitate, & intenſione, vt ignis calore tamquam potentia, & calefactione tamquam actione, non ſolùm aquã calefacit, ſed etiam virtutem aquæ debilitat, ne in ipſum ignẽ reagat, aut non tam citò, & intensè, quod ſolùm qualitatib. actiuis conuenit.

Resistentia formalis, quæ propriè est resistentia, vt ex Scoto loc. cit. colligitur, non est quædam actio, cùm etiam reb. non actiuis conueniat, vt V.g. cùm lapis duritie resistit, ne diuidatur, & grauitate ne moueatur. Vnde aliud est reagere, aliud resistere, hoc .n. sine illo fieri potest, & est quædam à contrario pura defensio. Nec propriè est passio, vt bene Mastr. & Bell. hic aduertũt, imò potius est negatio passionis, nam impassibilitas ex Doct. in 4. cit. d. 49. non est nisi negatio posse pati, & resistentia: Vnde illud dicitur resistere agenti, quod non patitur ab ipso. Hinc actualis resistentia formalis dupliciter explicari potest, nempè per negationẽ, vel per affirmationem, primo modo explicatur à Doct. in 4. §. cit. quòd sit negatio actionis ab agente, & passionis in subiecto, vel totalis, vel non tam intensæ, & velocis, & ità connotat applicationem agentis resistentis, & oppugnantis; Secundo modo explicatur à Doct. in 4. d. 1. q. 5. cit. quòd sit quædam manentia, seu persistẽtia à proprio statu, tunc .n. res actu resistit, quando quærit durare, & persistere ad præsentiam contrarij oppugnantis in eodem statu, quæ duratio propriè dicit rei existentiam; sic frigus aquæ V.g. resistit igni, ne subitò calorem in eam inducat, & hoc sua præsentia, & inexistentia in aqua. Aer nullo modo resistit luminoso, quia hoc statim in aere formam inducit, lapis sua grauitate resistit motori ne ab illo loco moueatur, vel non tanta facilitate; quia igitur hæc formalis resistentia aliud non est, quàm duratio rei in suo statu ne ab agente oppugnante deturbetur, cuicumque formæ, siuè actiuè, siuè passiuè conueniet. Potentia verò resistitiua formalis erit ipsamet entitas rei persistentis, hinc Arist. in prædic. cap. de Qualitate, ait: durũ significare potentiam, quia obstat, quò minus facilè secari possit, quare non videtur necessaria aliqua alia distincta potentia ad resistendum, à quacumq; .n. virtute præscindendo, ad huc frigus in aqua existendo caloris actionem impediret, cùm ex se propriam conseruationem, & existentiam appetat. Si tamen hæc potentia distincta ab ipsa entitate rei ponatur, vt Arist. ibi velle videtur, libenter admittimus, nec aliquid contra nos inde deducitur.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. *Singulas has qualitates habere potentiam actiuam vniuocam ad agendum in cõtrariam cum tali ordine, vt magis actiuus sit calor omnibus alijs, deinde frigus, postea humiditas, vltimò siccitas.* Est cõmunis quo ad vtramq; partem; & quãtum ad actiuitatem attinet, iam hucusque probatum est, addimus *in contrariam*, quia in aliam non contrariam non agit per se, & directè, pugna namque inter contraria versatur, sed tantũ indirectè, & per accidens.

Quo ad ordinem actiuitatis assigna-

gnatum; inde probatur, quia illud agens actiuus censetur, quod in maiori distantia suam protrahit actionem, & citius, sed calor est huiusmodi, nam in maiori distantia actionem suam protrahit, & citius quàm frigus; & vehementius humidum, quàm siccum, ergo &c. minor patet experientia, nam minus detineri potest manus in corpore calido, quàm in frigido; & minus in frigido, quàm in humido; Citius etiam humidum humectat, quàm siccum exiccat, hinc in locis humidis habitantes citius, & facilius humiditatem contrahunt, quàm in locis siccis degentes siccitatem.

Dices Arist. 2. de gen. 8. & meteor. c. 1. calorem tantùm, & frigus vocat qualitates actiuas, humiditatem verò, & siccitatem passiuas. R. ex Angest. Marf. Saxon. Tatar. Alijs, caliditatem, & frigiditatem dici actiuas, cæteras verò passiuas, non quia singulæ non sint actiuæ, & etiam suo modo similiũ productiuæ, sed quia illæ vehemẽtius, velocius & sensibilius agunt, istæ autem minus, atque ideò illæ per excellentiam actiuæ vocantur, istæ verò passiuæ, quatenus parum actiuæ. Tum quia humiditas, & siccitas plus resistunt, quàm illæ, & resistentia est conditio passi, ideò, &c. Tum quia subiecta harum duarum, vt talia dicuntur potius passiua, quàm actiua, nam humidum benè dicitur terminabile termino alieno, & malè termino proprio; Siccũ è contrà dicitur benè terminabile termino proprio, malè autẽ alieno, terminari autẽ est pati sicut è contra cõgregare, & disgregare, quod calori, & frigori conuenit est quoddam agere ità Mercen. Tolet. Auersa, & Alij, & fuit clara expositio D. Thom. 4. meteor. lec. 1. vbi ait: Cùm Arist. dicit, quòd duę qualitates sint actiuæ, & duæ passiuæ. *Intelligi debet quantum ad victoriam vnius supra alteram in corpore mixto, quia secundum se quælibet sunt actiuæ, & quælibet passiuæ, cùm sint contraria ad inuicem.*

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. *formalis resistentia conuenit omnibus illis qualitatib. ordine tamen opposito*, ità vt quæ est minus actiuæ sit magis resistens, & quæ magis actiua, minùs resistens. vnde sicut in actiuitate primum locum tenet calor 2. frigus, 3. humiditas, & 4. siccitas; in resistentia ex opposito primum locum obtinet siccitas, 2. humiditas, 3. frigus, 4. caliditas; Est communior cum Marf. Saxon. Tolet. Conimb. Angest. Ruu. Auerf. Aref. Mercen. Zabarell. Mastr. & Bellut. contra Valles. controu. 11. & alios, qui volunt resistentiam his qualitatib. competere eo ordine, quo eis ascribitur actiuitas.

Diximus, *resistentia formalis, non* actiua, quia hæc resistentia non est ab ipsa actione diuersa, vt diximꝰ, ideoque potẽtia resistitiua eodem omnino modo, & ordine eis conuenit, ac ipsa potentia actiua. Pr.

quo ad primam partem, quod scil. hæc resistentia formalis omnibus conueniat, nam quælibet forma dum est in subiecto, sua informatione, & existentia impedit, nè alia incompossibilis forma introducatur, ergo multo magis formæ contrariæ, vt sunt calor, & frigus ad inuicem, humiditas, & siccitas. Pr. quo ad aliam partem de ordine in resistendo, s. n. resistentia actiuior, esset quoque magis resistitiua, nunquam posset à contraria vinci, imò actiuior totaliter alias destrueret, quod est contra ordinem vniuersi, ergo quia omnia à Deo facta sunt in pondere, numero & mensura, debet aliquid esse in minus actiua, per quod possit actiuiori resistere, & excessum actiuitatis compensare, quæ est doctrina Scoti in 4. d. 49. qu. 13. B. vbi docet, quòd estò in elementis sit contrarietas, est tamen proportionata æqualitas hinc inde in agendo, & resistēdo: *Quare. n. ignis non comburit omnia elementa cùm sit maioris actiuitatis? non videtur ratio, ait Doctor, nisi ex proportione, & adæquatione aliorum in resistendo virtuti suæ in agendo*. Quæ est ratio à posteriori deducta ex legib. Diuinæ prouidentiæ.

Dices, non benè colligitur maior resistentia in minus actiuis, ex eo namq; quòd calor difficilè vincat frigus, non magis colligitur resistentia ex parte frigoris, quàm modica agendi virtus ex parte caloris, nam ex vtroque capite tarditas actionis oriri potest. ℞. optimè colligi, nam cùm experientia constet calorem esse frigore actiuiorem, cùm deinde videmus calorem difficilè ab aqua frigus expellere, hoc non rectè modicæ actiuitati ignis tribui debet, in actione. n. in alia constat actiuissimum esse, sed potius in resistentiam frigoris reduci debet. Multa alia hic à DD. afferri solent, quæ vt parui momenti, & inutilia consultò à nobis relinquuntur.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Contraria possint simul coexistere in eodem subiecto in gradibus remissis.

Scot. ℞t. affirmatiuè vt videri potest in 1. d. 17. q. 3. & in 2. d. 2. qu. 9. O. Not. pro exacta intelligentia, quòd qualitates latitudinem graduum habent; quæ numerum octo graduum naturaliter excedere non possunt, quæ tamen doctrina non ex natura rei est, sed voluntaria, ad hoc à Philosophis inuenta, vt clarius, & distinctius in scholis de qualitatibus disputari possit. Per qualitatem igitur intensam vt octo, intelligimus summam qualitatem in rerum natura naturaliter productam; Hinc quia videmus summum calorem solùm igni conuenire, & summam frigiditatem aquæ, inde deducimus summū calorem esse intensum vt octo; & similiter de summo frigido; & quia omnia à Deo in pondere, & mensura facta sunt, sicut naturaliter non est dabilis qualitas intensa, nisi vt octo, ità nec dabile est subiectum aliquod, cui naturaliter conueniat

qua-

qualitas octo gradus excedens, vnde capacitas subiecti in ordine ad potentiam naturalem non se extēdit, nisi ad octo gradus qualitatis; Illi gradus qui medietatem excedunt, V. g. quintus, sextus, &c. dicuntur intensi, illi verò qui sunt citra quartum gradum, nempè tertius, secundus &c. dicuntur remissi. Quæritur igitur in presenti, an qualitates primæ possint se naturaliter compati in eodem subiecto in gradibus remissis, & saltem supernaturaliter in gradibus intensis.

Variæ sunt opiniones, Prima negat vniuersaliter contrarias qualitates esse compossibiles in eodem subiecto, tàm in gradibus intensis, quàm remissis, & in ordine ad quācumq; potētiam, tàm naturalem, quàm supernaturalem. Ità Greg. Durand. Soncin. Tromb. Anton. Andr. 10. meth. & Faber ibidem disp. 7. vbi post longam disputationem, & perplexitatem, ettò in fine Cap. 2. concedat contraria in esse remisso posse simul esse in pugna, & infieri, quod accepisse videtur à D. Thom. q. 8. de veritate art. 14. vbi ait *quando sunt formæ in fieri, possunt esse simul, vt dum aliquis dealbatur, adhuc est in nigredine*. Tandem in fine cap. 3. concludit, non solùm in gradu intenso, sed nec etiam in remisso posse qualitates simul consistere in esse quieto, neq; etiam per potentiam Dei absolutam, sic etiam sentit Lychet. in 2. d. 2. q. 9. conclus. 8. de gradibus intensis per potentiam Dei, in ordine verò ad potētiam naturalem, concedit de remissis si sint inæquales, si V.g. sint quinque vnius, tres alterius, vel quatuor vnius, duo alterius, non verò si sint æquales. Secunda sent. est qualitates contrarias etiam in gradibus intensis, posse simul coexistere de potentia Dei absoluta, in remissis autem siuè inæqualibus, siuè æqualib. posse coexistere simul naturaliter, & est communis inter Recentiores, vt videre est apud Suar. Conimbr. Ruu. Aref. Auers. Ioann. de S. Th. & Alios. Protestantur tamen hoc non extēdi debere ad omnes prorsus qualitates contrarias, sunt .n. aliquæ, quæ ob specialem repugnantiā, nec in gradibus remissis, nec per Dei potētiā possunt simul esse, vt Amor, & odiū, gaudium, & tristitia in voluntate; assensus, & dissensus in intellectu; quare allata sent. procedit dumtaxat de qualitatibus corporeis naturalibus, & Soto hoc solùm cōcedit de primis qualitatibus actiuis, non de passiuis, vt albedo, nigredo &c.

Conclusio.

Dicimus, *posse contraria simul coexistere naturaliter in gradibus remissis*. est Scoti loc. cit. quam de eius mente amplectuntur Bassol. in 3. d. 15. q. vn. art. 1. Tatar. in post Prædicam. q. vn. not. 2. & 2. de an. q. 2. dub. 3. Angest. l. 2. de propriet. fórm. propriet. 8. Bell. & Mastr. disp. 1. de Primis Qualit. q. 5. art. 1. & sequuntur Doctores Cita-

Citati, & ex Antiquis Héric. Marsil. Maior. Argētina, & Alij, quam D. Aug. docuit lib. de nat. & gratia cùm ait: contraria contemperata non inuicem aduersarij. fuit etiam expressa sent. Arist. 3. Top. cap. 4. & 5. phys. 19. vbi ait: aliquid esse plus, vel minus tale, quod plus minusue habet de admixtione contrarij, & 1. de gen. cap. de mixtione pluries docet elementa secūdum virtutes manere in mixto secundum qualitates elementares, & idem repetit 2. de gen. 48. sed certum est non manere in gradib. intensis, ergo in remissis. Id verò q̄ ait Gregor. in mixto non manere qualitates elementares, sed quasdam virtuales, falsum, & chimericum est, vt infra patebit.

Pr. ratione euidētissima ex Scoto deducta loc. cit. qua deinde vtuntur Bassolius. Angestus. & Alij, Quando aqua calefit, non sanè illicò, & totaliter aquæ frigus corrūpitur, sed successiuè, & paulatim remittitur per aliam qualitatem, quæ pariter successiuè introducitur, & paulatim intenditur, sed hæc alia esse non potest, nisi calor paulatim frigus expellens, ergo toto illo tempore, quo exercentur motus intensionis, & remissionis, calor, & frigus in gradibus remissis simul manent. Pr. ma. si .n. ab initio totum frigus periret, statim totus possibilis calor introduci deberet, nam successio in motu ex resistentia contrarij potissimum prouenit, non ex diuisibilitate formæ, aut mobilis, aut limitata virtute motoris adæquatè, vt in phys. diximus, quod de illuminatione medij constat, quæ in instanti fit, quatenus lux in eo nullum contrarium expellendum inuenit, quamuis adsit diuisibilitas formæ, mobilis, & virtus finita agentis. Tum quia si ab initio totum frigus abit, non diceretur mobile partim esse in termino à quo, partim in termino ad quem, vt Philos. asserebat 6. ph. 32. de illo, quod successiuè mouetur, ergo cùm motus intensionis, & remissionis fiat inter formas cōtrarias, vtique necesse est, vt frigus pedetentim expellatur, & calor introducatur. Pr. min. si .n. manus tunc temporis aquæ immittatur, nulla alia qualitas sentitur, nisi calor. Tum quia saltem ab initio alterationis, non diceretur aqua calefieri, cū non introduceretur calor, sed alia qualitas. Tū tandem, quia si frigus non expellitur à calore, sed ab alia qualitate, iam tolleretur contrarietas inter illa, nam de ratione contrariorum est, vt ab eodem subiecto se inuicem expellant.

Durand. ℞t. neg. min. dicens, quòd quando subiectum in statu medio videtur participare contrariam qualitatem, non esse reuera ambo contraria simul, sed tunc ex contrarijs fieri vnam simplicem qualitatem solùm virtute illa continentem, vt de medijs coloribus docet Scot. in 2. d. 15. q. vn. quæ in proposito esset tepiditas. Quam doctriinam Tromb. explicans ait: cùm

cùm calidum incipit alterare frigus, non est intelligendum, quod introducatur aliquis gradus caliditatis, sed introducitur forma media; nempè tepiditas, quæ licèt sit æquè simplex, sicut extremæ, habet tamen aliquid de vtroque extremo, quia participat rationem vtriusque virtualiter.

Non valet, & patet ex dictis in probatione minoris. Tum quia dum aqua calefit, ab initio & in progressu sẽtimus in ea formalem, & actualem calorem, non virtualẽ in aliqua qualitate contentum, nam solus calor formalis est qualitas tangibilis, non calor virtualis, aliter quia lux secundum aliquos est calor virtualis, per tactum sentiri deberet. Tum quia qualitas illa tepiditatis, vel produceretur ab igne, vel ab aqua, vel ab vtroq; simul, & cùm virtualiter contineat frigus, & calorem, sequeretur, quod aqua produceret calorem, & ignis frigiditatem saltem virtualiter. Tũ quia cùm aqua ad pristinam frigiditatem rediret, depellendo à se tepiditatem, non solùm calorem secum depelleret, sed etiam frigiditatem in illa virtualiter contentam, quod absurdissimum est, cùm talis frigiditas sit accidens aquæ connaturale. Tum quia Aduersarij fatentur hanc tertiã qualitatem tepiditatis generari ex contrarijs corruptis, in eis virtualiter manẽtibus, vt dicuntur elementa manere in mixto; sed bona pace, quomodo ex illis generari potuit, si nullus gradus caloris fuit in aqua introductus, cùm talis tepor producitur? Tum tandem quia vt benè Mastr. & Bell. arguunt, nec etiã Aduersarij per hanc qualitatem mediam difficultatem effugiunt, nam si tepiditas expellit frigus ab aqua, iam erit illi contraria, cùm talis expulsio non fiat, nisi inter contrarias formas ob formalem eorum repugnantiam in eodem subiecto, & quia non expellit illud totum simul, sed paulatim secundum aliquos gradus, & secundũ alios remissiores stat cũ eo, ergo velint nolint in eodẽ subiecto cõtraria admittunt in gradibus remissis.

Licèt igitur Scot. loc. cit. dicat colores medios importare simplicem quamdam qualitatem virtute tantùm extrema continentem, quatenus non sic opponitur extremis, quomodo extrema ipsa opponũtur inter se, nõ tamẽ inde deducere debemus vniuersalem consequentiam, quòd ex duobus contrarijs in esse remisso, semper fiat vna simplex qualitas tertia, talis enim mixtio non semper fieri potest in omnibus contrarijs, sed aliquando solùm imperfectè per formalem coniunctionem vtriusque contrarij in esse remisso, vt rectè Suar. docuit, quod manifestè apparet in habitibus animæ, quia ex vitio, & virtute in esse remisso, non resultat habitus medius simplex; quæ diuersitas, vt quædam contraria habeant medium simplex, virtute continens extrema, vt sunt colores

medij

medij, alia verò non, nisi per imperfectam coniunctionem vtriusq; in gradu remisso, vt in casu, prouenit ex proprijs rationibus qualitatum diuersarum.

Aliter ꝑt. Gregor. in 1. d. 17. q. 3. art. 2. nimirum, contraria ad agendum, ità se habere, vt fortius per solam suam præsentiam corrumpat debilius sine productione alicuius gradus propriæ formæ, corrupto autem debiliori ad præsentiam validioris, statim hoc incipit propriam formam subiecto imprimere; & ità aqua calefit, sed destructa prius eius frigiditate; subdit tamen non idcircò statim, & in instanti calorem introduci, frigore depulso, quia successio prouenire potest etiam ex repugnantia virtuali, & ideò quia aqua saltem virtualiter opponitur calori, aliquo modo resistit, ne subitò calor introducatur.

Non valet, agens .n. non alia actione formam veterē à subiecto expellit, quàm nouam introducēdo ei incompossibilem, vt supra dictum est, cùm non detur actio merè destructiua, & corruptiua, nā formalitas actionis consistit in eò, quòd sit alicuius productio, non autem mera, & pura destructio. Tū quia experimur pari passu introduci calorē, cùm paulatim frigus recedit, non autem post totam frigoris destructionem, quare si durante frigoris remissione manū frigidam immittamus in aquam, sentimus calorē vera actione ignis indutum. Tum quia hæc doctrinā cōcedit, aquam naturaliter existere posse sine omni gradu frigiditatis, quod est impossibile, statim .n. ac forma substantialis proprijs expoliatur dispositionib. ab agente contrario destruitur. Tum tandē, quia hæc responsio nō sufficienter successionem saluat per illam resistentiam virtualem, nam quando se reducit aqua ad pristinam frigiditatem post caloris expulsionem, in istanti se reducere deberet, cùm tunc nulla interueniat virtualis resistentia, hoc autem falsum est, quia huiusmodi qualitates successiuè acquiruntur, & deperduntur; ergo successio prouenit ex formali resistentia vnius qualitatis ad aliā.

Neq, limitanda est doctrina, vt Lychet. loc. cit. ad solos gradus inęquales; sed indifferenter coexistere possunt tā in gradib. inæqualib. quā æqualib. & clarissimè colligitur ex Scot. in 2. d. 2. q. 9 O. vbi, docet, quòd à principio frigidum agit in calidum, quousq; totaliter calorem expellat; ergo si iste motus est continuus, & successiuus, vt ibi vult Doct. necessariò dari debet aliquod instans, in quo qualitates illæ sint ad medium reductæ. Neq; etiam refert, vt Lych. ait, quòd cōtraria in gradib. æqualib. nunquam inuicem agāt, nam hoc potius nobis, quàm ipsi fauet, nam sic in maiori concordia simul stare poterūt. Tum etiam quia illa sequela vana esset, licèt .n. sint æqualia in gradib. esse tamen possunt inæqualia

in

in actiuitate, & resistentia, & sic agere.

Nec etiam Fabri limitatio valet, quòd gradus remissi contrariarum qualitatum coexistunt in fieri, & in pugna; non autem in esse quieto, quæstio .n. est in esse quieto, & nos affirmamus; quamuis .n. in esse remisso adhuc grad' illi sint contrarij, nullum tamen ad inuicem hostilitatis actum exercent propter capacitatem, & illimitationem subiecti, cùm qualitates illæ in tali gradu eius latitudinē non excedant, vt infra patebit. Tū quia quæcumq; Deus conseruare potest simul pro aliquo instanti in eodem subiecto, potest etiam conseruare deinceps, cùm in tempore sequenti non sit Dei potentia diminuta, vnde si pro illo primo instanti cōtrariorum repugnantiam superauit, valebit quoq; deinceps superare. Tum quia secundum probabiliorē sent. Phylosophorum, mixtorum tempetamentum non est vna simplex qualitas, sed mixtio, seu collectio primarum qualitatum in esse remisso cum certa proportione. Tum tandem, quia formæ pugnantes in nullo instanti sunt simul in eodem subiecto, quia non pugnant sicut milites in arena, nec se expellunt, vt clauus clauum trudit, sed ità quòd primum esse vnius, sit primum non esse alterius, & è contra.

Nec tādem valet limitatio Soti, conclusionem coarctantis ad solas qualitates actiuas, nam contraria non actiua, vt dulce, & amarum eadem latitudinem gradualem habēt, quam habent actiua, & in omnib. motus successiuus exercetur, vt in 4. Topic. cap. 4. loco 9. patere potest, & 7. phys. 11. ergo etiam huiusmodi qualitates permisceri possunt in quodam esse remisso, vt cōstat de saporib. medijs. &c. Tum quia minus videtur posse qualitates actiuas simul coexistere propter earum actimoniam in agendo, si igitur illis conuenit, etiam non actiuis conuenire poterit.

Ex allata doctrina infertur, q esto motus contrarij ad contrarias qualitates in gradib. intensis, simul exerceri nequeant circa idē subiectum, non tamen repugnat posse simul fieri ad qualitates in gradib. remissis, & est manifesta sent. Doct. in 2. d. 2. q. 7. ad vlt. & in 4. d. 10. q. 2. N. quam inde probat, quia motus contrarij eamdem incompossibilitatem habent, quā habent termini, vnde cùm qualitates contrariæ sint compossibiles secundum gradus remissos, poterunt etiam in eodem subiecto simul naturaliter exerceri alterationes ad illas in eisdem gradib. Nec obstat Auctoritas Arist. 2. de an. 147. apertè negātis posse idem simul moueri motib. contrarijs, talis .n. doctrina intelligi debet de motib. ad formas incompossibiles terminatis, vt sunt termini motus localis, quia nō potest naturaliter idem corpus plura vbi simul, & semel habere.

Obiectiones.

Ob. 1. Auct. Arist. nam 2. de gen.

gen. 16. ait: qualitates contrarias in eodem subiecto copulari non posse, & cap. de subst. inquit: substantia esse contrariorum susceptibilem, non simul, sed successiuè. Item D. Aug. in Enchirid. c. 17. ait: *nullus cibus, aut potus simul dulcis est, & amarus, nullum corpus simul vbi albũ, ibi nigrum, nullum simul vbi difforme, ibi formosum*. ℞. ibi Philosophum loqui de contrarijs ad constitutionem elementorum concurrentib. quo casu in gradib. intensis esse debent, & ideò rectè ait, non posse tunc simul coniungi, sed postea loquẽs tex. 48. de ipsis, vt ad mixtionem cõcurrunt, docet simul copulari in gradib. remissis; & in hoc etiam sensu intelligendus est cap. de subst. D. Aug. loquitur etiam de relatis in gradib. intensis, non remissis, vt apparet in lib. de natura, & gratia; hoc tamen non militat de pulchritudine; & difformitate ob rationem modo assignandam.

Ob. ratione, & est potissimum fundamentum Aduersariorum, & procedit ex definitione, & natura contrariorum, contraria .n. sunt illa, quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt ex Arist. sed qualitates istæ etiam in gradib. remissis sunt contrariæ, ergo vt sic se mutuò expellunt. ℞. Tatar. qualitates non habere repugnantiam formalem ex præcisis entitatib. essentialib. sed tantum quo ad latitudinem, seu excessum intensionis, inde negat expulsionem conuenire qualitatib. in gradib. remissis, sed solùm in gradib. intensis, & idem sentire videtur Suar.

Non placet, quia album etiam vt vnum, verè nigro vt vno opponitur, & contrariantur, & sic de cæteris; Vnde melius Bell. & Mastr. soluunt, nempè, quòd expulsio tãtùm aptitudinalis est per se effect. contrarietatis, actualis expulsio est accid. per accid. separabile, & aliquando de facto separari ob aliquod impedimẽtum extrinsecum; & tale in casu est subiecti illimitatio, quia .n. subiectum est capax octo graduum qualitatis, ob hanc latitudinem, & illimitationem possunt in eo simul coexistere quatuor gradus frigoris, ac totidem caloris, vel tres frigoris, & quinq; caloris &c. dummodò octauus numerus non excedatur. Habent igitur calor, & frigus semper contrarietatem in quocumque gradu, sed actus secundus contrarietatis, seu actualis expulsio ex latitudine subiecti impediri potest, quæ si semel excedatur, statim alter alterum impellit. Neque hoc est inconueniens, cùm subiectum ad illas qualitates in tali latitudine existens se habeat, vt quid illimitatum; Vnde ad formam argumenti, maior intelligi debet de expulsione aptitudinali, non verò de actuali, nisi in gradibus intensis, ac proinde negatur conseq. ita Mastr. & Bellut. quam solutionem recipiunt Ruu. lib. 2. de gen. q. 5. & 6. & M. Iac. Brun. q. 9. de Gen. Art. 3. vbi cõcludit, quòd qualitates contrariæ

in gradib. remissis mutuò se expellunt non in actu secundo, sed in actu primo, & radicaliter; & contra Tatar. & Suar. est, quòd si qualitates, contrariæ essent ex vi intensionis, solùm per accid. contrariarentur, cùm intensio sit accid. earum, & non ex propria natura.

Eodem modo ℞. ad Scot. qui in 1. d. 43. qu. vn. ait: album, & nigrum, & quæcumque contraria ex suis rationibus formalibus contrariari, & repugnare, & incompossibilia esse; Et idem repetit in 4. d. 1. q. 5. F. & d. 49. q. 16. supra C. vbi ex hoc quòd talis repugnantia non est inter duo corpora in eodem loco, infert posse saltem de potentia Dei absoluta esse simul, ergo nullo modo contraria possunt simul esse. Ad quod dicimus, vt in Logica, q in Scoti doctrina, multiplex repugnantia formalis reperitur, & repugnantia contrariorum est talis, vt ex ea solùm expulsio aptitudinalis sequatur, nō semper actualis.

Ob. Si subiectū esset capax plusquam octo graduum, possent vtraq; qualitates contrariæ vltra hanc latitudinem in ipso recipi, inde sequitur non esse ex se ipsis contrarias, sed potius ex incapacitate subiecti. ℞. admittendo primam sequelam, dummodò tamen non excederent maiorem illam capacitatem, sed altera negatur, quòd .n. talem habeant aptitudinem sese expellēdi, id ex suis rationibus formalib. oritur, cuius signum est, quòd qualitates disparatæ, non tantùm in gradibus remissis, sed etiam in intensis in subiecto eodem recipiuntur, quod sanè non esset si tota ratio incompossibilitatis à subiecto proueniret; licèt verum sit, quòd ratio, cur qualitates possint simul esse, ex capacitate subiecti oriatur.

Ob. ex similitudine aliorum contrariorum, vt nec etiam in gradib. remissis simul esse possint, sic se habent, actus erroris, & scientia; lætitia, & dolor; Amor, & odium; si sint de eadem re, ex Doct. in 3. d. 5. qu. vn. sic etiam se habent sanitas, & ægritudo; difformitas, & pulchritudo &c. ergo idem de istis qualitatibus dicendum erit. ℞. & benè cùm Bellut. & Mastr. quòd actus illi, & passiones non possunt simul coexistere propter contradictionem, quam ex parte obiectorū includūt, quatenus vnus actus formale obiectum alterius destruit, per actum .n. scientiæ concipitur homo risibilis, per actum verò erroris concipitur irrisibilis, Obiectū delectationis, & amoris est bonum; doloris, & odij est malum, quia igitur huiusmodi actus habent rationes obiectiuas omnino repugnantes, non possunt intellectus, & voluntas simul illos habere, quia q vnus affirmat, alter negat, & quod vnus ponit, alter tollit; Vnde hæc repugnantia, & actualis expulsio talibus actibus conuenit, non ex generali ratione contrarietatis, sed ex speciali eorum ratione, quatenus vitales sunt, vt Angelt. notauit lib. 2. de propriet. form. prop. 8. & nos

8. & non latius explicabimus in lib. de an. Ad illud de formositate, & egritudine, diximus in Log. non esse propriè species qualitatis, sed relationes, licèt habeant modū denominandi qualitates, imò ex Scoto in 2. d. 15. ad 4. priuatiuè opponuntur. Sanitas .n. dicit debitam proportionem humorum, ęgritudo verò carentiam talis proportionis; Pulchritudo dicit debitam aggregationem partium ex Doct. in 1. d. 17. qu. 2. O. deformitàs verò in eiusdem cārentiā cōsistit, quod etiam de bonitate, & malitia Doct. affirmat; Nos autem in præsenti loquimur de qualitatibus oppositis contrarietate physica, & positiua, non de oppositis priuatiuè, quam responsionem amplectitur etiā M. Iacob. Brun. l. cit.

Ob. magis pugnant albedo, & nigredo, quàm magis album, & minus album, quia illa essentialiter, & specie differunt, non autem ista, sed idem subiectum non potest esse magis, & minus album, quia vnum dicit immediatè negationem alterius, ergo nec etiam idem esse poterit simul album, & nigrū. ℞. magis opponuntur albedo, & nigredo, quam màgis album, & minus album, quantum ad suas essentias, non verò per ordinem ad subiectū, vel magis opponuntur extensiuè, non intensiuè, nam minus album dicit priuationem magis albi, oppositio autem priuatiua hō admittit latitudinem, ideoq; nequit idē subiectum esse simul magis, & minus album, benè verò album, & nigrum remisse. Hinc in log. notauimus ex Doct. in 1. d. 7. q. vn. L. q. ad contrarietatem formarum non est attendenda maior, vel minor conuenientia in specie, & natura, nam minus conueniunt homo, & albū, quam album, & nigrum, & tamen homo, & albūm non dicuntur contraria, sed attendi debet repugnantia, & incompossibilitas respectu eiusdem subiecti, quæ maior est inter magis album, & minus album, cùm vnum habeat annexam negationem alterius.

Ob. minus repugnāt duæ dimēsiones formaliter, quā duo contraria, & tamē illæ naturaliter nequeūt simul esse in eodem loco; Sic etiā duæ formæ substantiales disparatæ minus repugnare videntur, & tamē in eadem materia esse nequeunt, ergo à fortiori nec duo contraria in eodem subiecto. ℞. neg. paritatem, nam vt Scot. docet in 4. d. 49. q. 16. quælibet dimensio respicit suum locum adæquatè, qualitates verò non excedentes octo graduū latitudinem, seu in gradib. remissis coexistentes, non respiciunt subiectum adæquatè, nec totam potentiam adæquant, & ideò naturaliter simul esse possunt. Formæ substantiales, quamuis singulæ sint actus inadæquati materiæ, adhuc tamen naturaliter non possunt simul esse, nam dispositiones requirunt contrarias. Tum etiam quia huiusmodi formæ dant esse simpliciter, & specificum, non secundum quid, vt dant

dant accidentia; vnius autem rei vnicum est esse simpliciter, & specificum. Tum quia formæ substantiales non sunt intensibiles, & remissibiles, vt simul esse possint in gradib. remissis. Tum tandē, quia generatio vnius est in ipsis corruptio alterius, ad varietatem indiuiduorum perpetuandum, quæ ratio non militat de accidentib.

Ob. Si duæ qualitates simul esse possunt in eodem subiecto, denominabitur ab vtroque, & dicetur simul calidum, & frigidum, sed calidum idem est ac non frigidum, ergo de eodem duo prædicata cōtradictoria verificātur. Rȝ. cū Tatar. quem omnes alij sequuntur, quod secūdum vulgarem vsum loquendi, semper denominatio fit à prædenominante qualitate, si vna excedit, vel si sint æquales, denominatio fit aliquo simplici termino talem æqualitatem explicante, vt est tepiditas, vel termino composito, vt talis res est calida, & humida in æquali gradu, vel inæquali; vnde Aliqui Medici dicūt, quòd Iuniperus est calid' vt quatuor, & humidus vt vnus; nec cōtraria inferunt cōtradictoria formaliter, vt Aris. docet 4. meth. 27. & Tatar. 2. de an. q. 2. dub. 3. nisi in summo, naturaliter loquendo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An contraria possint simul coexistere in gradib. intensis, saltem supernaturaliter.

SCot. licèt aliquib. in locis, dubius de hac quæstione mansisse videatur, in 4. tamen d. 49. q. 3. art. 4 expresè affirmatiuè Resp. nam cum in 3. art. docuisset ignem inferni non agere in corpora damnatorum actione reali, sed tantùm intentionali, quia probabilius est ponere minora miracula, quàm plura, & maiora, quatenus non videtur posse saluari damnatos cruciari simul summo calore, & summo frigore reali actione propter incompossibilitatem formarum caloris, & frigoris in summo, species verò intentionales contrariorū non sunt ità incompossibiles; postea tamen art. 4. subiungit, non necessariò negari debere istam actionem realē, quia *quæcumq; arguuntur in 3. art. si ascribantur miraculo, non possunt improbari*. quib. verbis disertè concedit posse dānatos simul pati miraculosè calorem, & frigus in summo; nec in 3. id negauit, quia hoc absolutè impossibile iudicaret, sed ne admitteret maiora, & plura miracula, quàm opus esset: ità Bell. & Mastr. loc. cit. art. 2. pro defensione Scoti in hac controuersia.

Conclusio.

Dicimus, *posse contraria simul coexistere in gradib. intensis per potentiam Dei in eodem subiecto*. Est ad mentem Scoti, vt diximus, & sequuntur Bassol. Tatar. Mastr. & Bell. & Recentiores ferè omnes. Pr. 1. ex illo Iob. c. 24. ab aquis niuium trāsibunt ad calorem nimiū, vbi Glossa significat, & Bassol. aduertit, quod corpora damnatorū

patien-

patientur simul frigus, & calorem in gradib. intensis.

Pr. etiam ratione, nam nulla pôt in hoc repugnantia assignari, quæ à potentia Diuina superari non possit, non ex parte subiecti, cuius capacitas est limitata, nam licèt limitata sit in ordine ad agens naturale, nõ tamen in ordine ad supernaturale, à quo formas recipit, nõ per potentiam passiuam naturalẽ, sed obedientialẽ, quæ respectu talis agentis non est determinata; qua etiam ratione asserimus posse idem corpus plura vbi simul, & semel à Deo suscipere, quamuis ab agente naturali, non nisi vnum tantum Vbi habere possit. Neq; repugnantia assignari potest ex formali repugnantia ipsorum contrariorũ in gradib. intensis, nam ex dictis in phys. formæ oppositæ circa subiectum duplicem solent exercere effectum in gen. causę formalis, vnus est informare subiectum, illudque denominare, & reddere formaliter tale, qui proinde effectus appellatur primarius, & per se; alter est mediante informatione ab eodem subiecto oppositam expellere formam, qui proinde dicitur secundarius, & veluti consecutiuus; licèt igitur effectus primi generis sit à Deo inimpedibilis, ac prorsus indispensabilis; cùm implicet formã esse in subiecto, & non denominare illud formaliter tale, bene tamẽ impedire potest, ac suspendere effectum formalem secundi generis s. actualem expulsionem, sicut facit in duab. quantitatib. natis se ab eodem loco expellere. Inde Bassol. sic arguit: non habent maiorem incompossibilitatem duo cõtraria respectu eiusdem subiecti, quàm duo corpora respectu eiusdem loci, ideò .n. ambo incompossibilia sunt, quia vnum expellit aliud, sed per potentiam Dei ità vnum corpus potest esse in loco, quod non expellat aliud, ergo, &c.

Obiectiones.

Ob. Authorit. Aris. 4. meth. tex. 27. vbi ex hoc, quòd contradictoria per nullam potentiam possunt simul esse, deducit, quòd neq; contraria in summo, quia ad ipsa in tali gradu sequuntur contradictoria. Rc. Intentum Aris. ibi non esse eodem modo de contradictorijs, & cõtrarijs arguere quo ad exclusionem vnius per aliud; cùm .n. contradictoria oppositio fiat per affirmationem, & negationem, vnũ immediatè excluditur per aliud, & per locum ab intrinseco sequitur, quòd si vnum contradictorium est in subiecto, non est ibi alterum, q. ratio formalis vnius formalissimè imbibit alterius exclusionem, non ità est in contrarijs, nam eorũ oppositio est positiua, & consequẽter conceptus formalis vnius non cõsistit in actuali exclusione alterius, cùm ambo sint conceptus positiui, ac proinde non sequitur per locum ab intrinseco, est vnum contrariũ in subiecto, ergo non est alterũ, sed solũ mediatè, & ab extrinseco, nẽpè ratione suorum effectuum incom-

compossibilium; quatenus ad positionem vnius consequitur exclusio alterius in gradib. intensis; quare contraria in summo oppositionem includunt contradictoriam, non primò, & per se, sed consecutiuè, & secundariò, quod consistit in expulsione, non in informatione.

Sed contra, Informatio vnius contrarij est actualis exclusio alterius, nam in eodem subiecto in genere causæ formalis se expellunt, non effectiuè, ità vt ipsamet informatio est exclusio, ergo ex effectu primario vnius, sequitur exclusio alterius, & contradictio. R. neg. ant. licèt n. formæ in subiecto se inuicem expellant in genere causæ formalis, expulsio tamen, & informatio non sunt idem effectus formalis, Sed diuersi, nam vnus circa subiectum exercetur, alter aduersus formam contrariam, & vnus est primarius, alter secundarius, quarè informatio vnius contrarij, non est alterius exclusio formaliter, & per se, sed consecutiuè tantùm, & secundariò, sunt igitur ambo effectus causæ formalis, sed vnus primarius, alter secundarius &c. & in hoc sensu Bassol. & Tatar. Aristot. explicant 4. met. cit.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quòd idem subiectum esset simpliciter calidum, & simpliciter frigidum; sed quod est simpliciter calidum, nullo modo est frigidum, & & quod est simpliciter frigidum, nullo modo est calidum, ergo falsa conclusio. R. min. esse veram de lege ordinaria, & secundum naturæ cursum regulariter, sed per potentiam Dei absolutam non est repugnantia, vndè in casu idem subiectum esset simpliciter calidum, & simpliciter frigidum; s. vtrumque in summo; Nec sequitur absolutè esse simul calidum, & non calidum; vt benè Bassol. aduertit, nam subiectum non dicitur non calidum formaliter per aliquod positiuum, quod sit frigidum, sed per negationem calidi quæ vtique negatio in subiecto non esset, ex hypothesi quod sit caliditas.

Contra, Vnum contrarium habet essentialiter annexam negationem alterius, ac proinde omnino ab ea inseparabilem, ergo prorsus implicat, vt possint simul esse. R. vel assumptum intelligitur de negatione identitatis, quatenus vnũ non est aliud, nec esse potest aliud; vel de negatione compossibilitatis, quatenus vnum conseruari nõ potest in eodem subiecto, de prima negatione conced. assumptum, sed conseq. est falsa, & patet in lacte, vbi dulcedo habet essentialiter annexam negationem albedinis, sicut sunt vniuersaliter omnes aliæ formæ disparatæ; de altera verò negatione, assumptum est falsum, & cõtra experientiam allatam in lacte, & petit principium.

Colligitur ergò ex allata doctrina, quòd effectus formalis primarius nõ potest æquidem à Deo impediri, bene tamen secundarius, & ratio est, quia ille immediatè per se pro-

se procedit à forma inhęrente, & hac de causa vocatur intrinsecus, vnde implicat formam informare subiectum, & ipsũ non denominare tale, esse enim album, aliud non est quam albedinem habere; alter verò effectus non immediatè procedit ab ipsa forma, sed mediante effectu primario, ac propterea habetur veluti secundarius, & extrinsecus, & consequenter à Deo impedibilis.

Ob. Si idem obiectum esset simul album, & nigrum, idem cibus dulcis, & amarus &c. esset tunc sensibile vtique, quia haberent qualitates sensibiles, insensibile autem, quia non apparet, quo sensu percipi posset, angustu, vel visu, seu tactu. ℞. neg. sequ. allatas; in ordine .n. ad sensum tactus, gustus, & odoratus illą contraria agerent ad sensationem mediam ex vtrisque permixtam, vt modò experimur de liquoribus contrarijs permixtis; de visu verò asserimus, quòd vel vna forma tantùm ageret, quæ nempe validior esset ad sensum mouendum, vel si formæ æquales essent, quæ agere deberet determinaretur à Deo, vel ambo mouerent, nec implicantia est videre idem obiectum simul album, & nigrum, sicut non implicat plura simul videre, quorũ vnum sit album, aliud nigrum.

Ob. Eadem est potentia receptiua contrariorum in eodem subiecto, non diuersa, sed illa potentia terminatur, & actuatur per vnum contrarium, ergo illo stante, non potest inesse alterum. ℞. quòd estò potentia receptiua in subiecto sit vna, quantum tamen est de se, ad vtrumque indeterminata est, & singula, vt actus inadæquatos respicit, vt de potentia materiæ dicitur ad omnes formas substantiales, in quo sensu minor est falsa, supponit .n. quòd tota capacitas subiecti expleatur adæquatè, & inde consequentia est nulla.

Ob. ex hac opinione sequeretur, quòd plures quoque substantiales formæ disparatæ possent esse in eadem materia, nam minorem videntur inter se habere repugnantiam, quàm contraria. ℞. Bassol. neg. paritatem, & ratio est quia forma substantialis dat esse simpliciter, eiusdem autem rei nequeunt esse duo esse simpliciter, ideoque duæ formæ substantiales inuicem non subordinatæ eamdem materiã informare non possunt, contraria verò cùm sint accidentia, non dant esse simpliciter, sed secũdum quid, & inconueniens non est eiusdem rei esse plura secundum quid. Sed licèt hæc responsio soluat argumẽtum in sent. Aliquorum non tamẽ apud nos, quia disp. 7. phys. art. 7. concl. 2. determinau mus dari posse de potẽtia Dei absoluta plures formas substantiales nõ subordinatas in eodem subiecto in sent. Scoti in 4. d. 10. q. 2. P. & magis cõmunis est apud Philosophos; & ratio ibi assignata fuit, quòd licèt materia sit vna, non tamen limitata ad hanc, vel illam formam, sed

ad omnes illimitata, & indeterminata; & cùm vnam recipit, adhuc capacitatem ad aliam retinet, non potest tamen aliam simul, & semel recipere, quia naturaliter vna forma disparata aliam expellit, vndè impedimentum, quo materia non possit informari simul, & semel duab. formis disparatio, non procedit ex natura illius ab intrinseco, sed ex parte formarum, quarũ sicut effectus primarius est informare, ità effectus secundarius est vnam expellere aliam, sed effectus secũdarius impediri potest à Deo, sicut in gen. quantitatis, ponendo duas dimensiones in eodem loco, ergo similiter duas formas disparatas in eodem subiecto.

Vrget Lychet.& affert pro se auth. Scoti in 1. d. 17. q. 3. l. Vu. vbi ait: contaria impossibilia esse in summo, non in gradu remisso. Et in 4. d. 44. q. 3. F. docet, non posse probabiliter saluari idem simul realiter pati à cõtrarijs in summo, etiam per potentiam Dei. Et lit. G. inquit si ponatur calorem induci in summo in corporibus damnatorum, & adhuc qualitatem illam mixti permanere, videtur manifesta repugnantia, ergo saltem in sent. Doct. conclusio est falsa. ℞. Ad primum locum, Scotum loqui manifestè de agente creato. Ad aliam ex 4. non vrgere, nám postea subdit Doct. non posse oppositum improbari. Ad lit. G. cùm ait, esse formaliter repugnantiam calorem in summo reperiri cum qualitate mixti, non loquitur de formis contrarijs, sed de eodem calore, & benè discurrit, repugnat .n. quòd in mixto sit calor ipsi connaturaliter conueniens, qui est medius, & remissus, & calor in sũmo, hinc subdit *Sicut si medium, & extremum fieret in eodem*, nam si calor est remissus, non est intensus.plus .n. repugnant in eodem subiecto magis, & minus eiusdem formæ,quam ipsæmet formæ contrariæ vt diximus.

Magister Iacob. Brun. q. 9. art. 3. fol. mihi 254. probabile putat, quòd de potentia Dei absoluta duo contraria in summo non possint simul esse in eodem subiecto; & putat etiam probabile, ꝙ esse possint per potentiam Dei, vnde fatetur in hoc ancipitẽ remanere, & ad neutram partem se determinare propter rationes, hinc inde probabiles. Quod Deus non possit, mouetur ex quibusdam D. Thom. auctoritatibus. Sed bona venia tanti Magistri, poterat ipse sicut Lisbonensis, & Ioannes Martin. Sanctum Doct. glosare, & communiorem, & & probabiliorem cũ Philosophis, & Theologis amplecti, rationibus pro altera parte problematis insistendo, quæ sunt optimæ, & validissimæ & eædem cum nostris in conclusione relatæ.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Quænam ex his qualitatibus elementis conueniant.

SCot. de his expresè discurrit in 2. sent. d. 15. q. vn. & in 4. d.

49 q.13. & vbicumque de elementis sermonē instituit. Protestamur, quòd hic loquimur de elementis in sua puritate, ac naturali dispositione, non vt modò pro bono vniuersi disposita sunt, sic .n. vnumquodque secundum plures partes qualitates habet extraneas, & aduentitias; & de elementis sic purè consideratis supponimus vnumquque proprias, ac connaturales sibi vendicare qualitates, contra aliquos, qui de aere affirmarunt esse natura sua omnis qualitatis expertem, sed indifferenter esse cuiuscūque susceptiuum. Pura imaginatio; nam quælibet forma proprias requirit dispositiones, aliter cum alijs elementis concurrere non posset ad mixti constitutionem, quia qualitatem contrariam non haberet, cuius ope cum alijs confligari possit, nec in aliud elementum cōuerti, nec vnquam corrumpi, quod enim corrumpitur à suo contrario corrumpitur.

Clarum est etiam, quòd vnumquodque elementum non omnes illas quatuor qualitates possideat, quia nec ignis de se frigidus est, nec aqua sicca; sed nec tantùm vnum, vt Valles. de aere opinatus est, qui solam humiditatem ei connaturalē facit, sed cuilibet binæ assignari solent, vt fecit Arist. 2. de gen. 16. & sequ. & ratio huius cōnexionis duplicis qualitatis in quolibet elemento est, quia vt docuit Philop. 2. de gen. com. 23. duo sunt præcipua munera ipsorum elementorum in hoc Vniuerso, vnum est, quòd inuicem transmutentur pro mixtorum constitutione; alterum, vt tanquam partes integrales vniuersi itá disponātur, vt vnum sit alterius locus proportionatus; ad primum munus sanè opus erat, vt vnumquodque aliquā haberet qualitatem, per quam esset alteri contraria, vt V. g. si aer est calidus, aqua sit frigida, si ignis est siccus, aer sit humidus &c. omnis .n. transmutatio fit ratione cōtrarij; Ad alterum munus, debebat vnumquodque aliam qualitatē habere, per quam conueniret cum alio elemento sibi contiguo. V. G. quia ignis est locus aeris cum eo in calore cōmunicari deberet, & aer continēs aquam, in humiditate &c. locus .n. est conseruatiuus locati ex 4. phys. conseruatio autem nequit à contrario fieri, sed solùm ab aliquo simili, ex quibus elementis sic cōstitutis illa concordia discors oritur, quæ mundi concentus appellatur.

Ex dictis colligitur, cuilibet elemento duas qualitates necessarias esse, nempè vnam communem cum elemento proximo, per quam sese inuicem conseruare possint, alteram contrariam, vt secum altercādo ad alterationē, & constitutionē mixtorum concurrere possint; qua de causa Aristot. ita in singulis elemētis qualitates distribuit, vt terra sit frigida, & sicca, aqua frigida, & humida, aer calid⁹, & humid⁹. ignis calidus & siccus. Telesius tamen

nouæ

nouæ doctrinæ inuentor lib. 1. de rerum natura cap. 2 g. constituit aquam ex natura sua potius calidam, quàm frigidam, & c. 25. posuit ignem potius humidum quàm siccum. Arriaga verò disp. de gen. num. 19. terram asserit natura sua potius calidam esse, quàm frigidã. Alij statuunt aerem esse suaptè natura frigidum, & fuit opinio Stoicor. quos modò sequuntur Card. Arriag. & Aref. qui adhuc addunt non solùm esse frigidum, sed etiam siccum, & quod aer sit frigidus, fuit etiam sentent. Galeni lib. 8. de vsu part. vbi Arist. reprehendit, quòd aerem calidum posuerit.

Conclusio.

Dicimus *secũdum communem sent. Peripat. & Scoti ignem esse calidum, & siccum; aerem calidum, & humidum; aquam frigidam, & humidam; terram frigidam & siccam; & colligitur ex recta dispositione, & consonantia vniuersi, & fine ipsorum elementorum*; Pr. de Singulis. Primò, de igne, quòd sit calidus, patet experientia, quòd si proteruiando aliquis id negaret, igni exponi deberet, quousque esse calidum fateretur. De siccitate Pr. nam ignis extinguitur ab aqua, certò calida esset, ex quo deducitur aquam ei aduersari ne dum in frigiditate, sed etiam in humiditate, ac consequenter ignem esse calidũ, & siccum. Tum quia ignis, & aqua sunt elementa valde opposita, & dissimbola, ergo non tantùm in vna, sed in ambabus qualitatibus opponuntur, & consequenter cùm aqua sit humida, & frigida, ignis erit calidus, & siccus. Tum quia ponendo cum Telesio ignem humidum, cum ex alia parte sit calidus, vt ipse admittit, vtique in eius sent. ignis in nulla qualitate erit aquæ contrarius, quæ apud ipsum est calida, & humida. Tum quia, quo magis corpus siccum est, eo facilius ignem concipit, vt de ligno arido experimur, signum quòd forma ignis postulet siccitatem, vt suã connaturalem dispositionem. Tum tandem, quia ignis maditas vestes, & lutum exiccat; nec Resp. iuuat, id præstare per calorem, experimur .n. carnes cum olla feruenti elixãtur, vtique calefieri, non tamen exiccari; cum verò assantur, etiam exiccari, ergo siccitas non prouenit solùm à calore ignis, sed etiam directè ab ipsius siccitate.

Pr. 2. aerem esse calidum, & humidum, & quòd sit humidus, negari non potest, nisi negando definitionem humidi ab Arist. traditam, quòd .s. facilè figuratur termino alieno, nullum retinens proprium; & si reuera proprius effectus humiditatis est subiectum reddere fluidum, & liquidum, ità vt res humidæ ità è manibus elabantur, vt vix retineri possint, quid aere fluidius? Aut igitur definitio humidi neganda est, vel aer humidus asseri debet. Tandem, si aer ponitur siccus, cùm ex alia parte sit calidus, ab igne non differret, vel si ponatur frigidus, & siccus non differret à terra

nam diuersa qualitatum combinatio, diuersitatem quoque formarũ substantialium à posteriori in elementis ostendit, quod sine rationabili fundamento Aresius negat.

Deinde probatur, quòd aer sit calidus, non frigidus. Primò, quia actione frigoris aer corrumpitur, & in aquam vertitur, vt in aquarũ generatione in cauernis terræ patet; & in fenestris vitreis hyeme rorātibus cùm aer extrinsecus adhærescens in aquam abit; E contra verò aer calore generatur, quod constat dum actione caloris resoluitur in vaporem, & deinde in aerem. Tum 2. quia frigus condensat, & aggrauat, vt de terra, & aqua cõstat, quæ propter eorum frigiditatem sunt corpora densa, & grauia, è contra verò calor rarefacit, & leuiuificat, & quia aer non grauitat, ergo &c. Tum 3. quia oleum, & mel quæ sunt mixta aerea sunt in prædominio calida, ergo similiter & aer. R̸t. Aref. 2. de gen. qu. 10. ad hæc argum. ad 1. quòd cùm aer in aquam conuertitur, & corrumpitur, non à frigore corrumpitur, sed ab humiditate, & densitate, vndè flante Austro videmus parietes madidos, & marmora rorantia, quod non prouenit à frigore, cùm ille ventus sit calidus, sed ab humiditate, & densitate eiusdem; sic etiam è contra ait, cùm aqua in aerem vertitur, id non fit actione caloris, sed raritatis, & siccitatis, ab aqua .n. eleuātur prius partes subtiliores, & rariores valdè humidæ deinde emittunt illam humiditatē, & magis etiam rarefiunt, & conuertuntur in aerem; non ergo calori per se generatio hæc tribuenda est, sed raritati & siccitati. Non valet; nam raritas, & siccitas non sunt tantæ actiuitatis, vt eis principaliter destructio aquæ, & generatio aeris sit tribuenda, in bona .n. phylosophia elementorum pugna in mutua transmutatione exercetur principaliter per primas qualitates, & præcipuè per actiuiores, quales sunt calor, & frigus, irrationabiliter ergo elementorum generatio, & corruptio siccitati, & humiditati adscribitur principaliter. Illa desudatio parietum, & saxorum, Austro flante, oritur ex copia vaporum, quos ventus ille defert, qui vapores ad parietem, & ad marmora impingentes ope eorum frigoris resoluũtur in aquam.

Ad 2. Rt. negando calorem esse causam raritatis, & frigus densitatis absolutè loquendo, & solũ verificari cæteris parib. & iuxta proportionem subiecti, & ideò aer cũ non sit capax magnæ condensationis, licèt frigidissimus sit, semper rarus erit; & sic etiam discurrit de leuitate, & grauitate, vndè nix frigidissima est, & tamen est etiam leuis, & è contra aurum est grauissimum, nec tamen in frigore multa mixta excedit, quæ ipso sunt leuiora. Non placet, & est directè contra communem, & Arif. ipsum, qui 2. de gen. 27. manifestè ait: calidi est rarefacere, & frigoris condensare,

re,& hoc illis competit per se, non per accid. ratione subiecti, vt ex eorum definitionib. supra allatis colligitur. Sic etiam calidi per se est leuificare, frigoris aggrauare, vt etiã ex plurib. locis Aris. colligitur, vt videre est 2. de gen. animal. cap. 1. & 2. de plãtis c. 1. & probl. 5. sec. 13. probl. 19. sec. 24. & probl. 18. sec. 23. fuit etiam sent. Plutar. l. de primo frigido, vbi sic ait: *quòd leue, & sursum tendens, nihil est eorum, quæ sunt frigida, & quòd nubes frigore recepto, deorsum tendunt, ac versa vice calore eis insidente sursum feruntur*. Non rectè igitur Ares. principia illa vniuersalia negat, nec bene viam præcludit vestigãdi qualitates primas ex secundis, illæ .n. ideò secundæ appellantur, quia aliquo modo ab illis dependent, cùm igitur experimur aerem esse rarum, & leuẽ, scrutari licet à qua, vel à quib. primarũ qualitatum in aere proueniant; & cùm oriri à frigiditate nequeant, neq; à siccitate, terra namque, quæ est valde sicca grauissima, & densissima est, clarè sequitur aerem nec frigidum, nec siccum esse, vt Ares. autumat, sed potius calidum, cùm raritas, & leuitas à calore regulariter procedant. Nix non est leuis, quia frigida, sed propter copiam aeris in eius poris inclusi, quibus vndiq; scatet.

Ad 3. negat in oleo, & melle prædominari aerem, asserẽs id colligi non posse ex eo, q aquæ supernatant, quia è contra argumentari possemus prædominari aquam, q a in aere descendunt. Petit deinde, cùm dicimus mixta illa esse calida, vel loquimur de calore actuali, vel virtuali; non de actuali, quia potius frigida sunt, & facilè congelãtur; si de virtuali longè maiorem calorem virtualem reperiemus in rebus, quibus aqua, vel terra prædominatur, in vino .n. non prædominatur aer, nam aquæ non supereminet, & tamen vinum calidissimum est, & sic de alijs. Non quadrat, omnes .n. fatentur oleum esse naturæ aereæ, quia supernatat aquæ, quòd sanè non esset, si in eo aqua prædominium haberet; & q sit calidæ cõplessionis, inde patet, quia vulnera lenit, & calore suo fouet, quod si frigidum esset, potius exacerbaret; Facillimè etiam accenditur, & inflammatur, licèt sit etiam actu humidum; & Medici docent, tàm oleum, quàm mel in animalium corporibus effectus habere caloris; nec rectè ex facilitate cõgelationis eius frigiditas arguitur, aliter mel esset aqua frigidius, sed hoc oritur ex illius corporis crassitie, & viscositate; hinc Galen. 2. de facult. simplic. medicam. ait oleum propriè non congelari, sed potius consistere, ac incrassari; & quidem æquum non est, principia quædam philosophica ab omnib. concessa relinquere, vt peculiaria placita tueantur.

Confirmatur, quia si aer esset frigidus in summo, vt ipsi autumant, iam extingueret ignem, sicut efficit aqua, quod falsum est: Nèc

dicere valet, non extinguit, quia ignis est etiam siccus, non valet, licèt enim aqua etiam per humiditatem ignem extinguat, id tamen principaliter per frigiditatem efficit, quę semper in ea in aliquo gradu permanet, quantumcũq; ab extrinseco calefiat. Tum quia ex Arist. 4. Meteor. cap. 1. & Problem. 33. part. 1. calor, & humiditas sunt causæ putredinis, sicut è contra frigus, & siccitas præseruant à putredine; hinc experimur diutius carnes conseruari in hyeme, quàm in æstate, & facilius putrescunt Austro flante, qui est ventus calidus, & humidus, quàm Aquilone spirante, qui est frigidus, & siccus, ergo cùm ex Arist. loc. cit. aer ad corruptionem, & putredinem valdè disponat, erit suaptè natura calidus, & humidus, non frigidus; & siccus, & Tandem experimur in hyeme calorem aeris innatum ad subterranea se recipientem à frigore correptum aquam aliqualiter calefacere & c.

Tertiò, ostenditur aquam esse frigidam, & humidam, & sanè vtrumq; sensuum testimonio comprobatur, & de humiditate est expressa authoritas Sacr. Script. quę huic elemento fontem omnis humiditatis tribuit, vt est illud Iob. c. 12. *si continuerit aquas omnia siccabuntur*. Ex quibus verbis Aresi. arripuit ansam negandi aeri humiditatem, sed immeritò, sensus. n. Script. est, solum per elementum aquæ hinc inde excurrentis terram infundi, & irrigari, quæ sine aquarum decursu statim vtique sicca, & arida euaderet, quod aer quamuis humidus præstare non potest, ob sui tenuitatem, & raritatem.

Quòd etiam sit frigida, non minus sensibus obuia est, in fontibus .n. in mari, fluminibus, & puteis, semper aquã frigidam experimur, & in æstate, ambiente calido in puteis, & cisternis, aqua frigida reperitur, quod agenti extrinseco ascribi non potest, cùm sit calidum. Neque dicas hanc frigiditatem à terra mutuare, nam frigiditas aquę intẽsior experitur, quàm ipsius terræ frigiditas. Confirmatur, cùm aqua ab extrinseco calorem recipit, illo iam remoto, absque vllo extrinseco infrigidante, ad pristinam frigiditatem se reducit, quod indiciũ est, huiusmodi qualitatem à propria indole sibi vendicare, non ab extrinseco. Item pisces in hoc elemento degentes naturæ sunt frigidioris; & nimis epota dolores in ventriculo causat, & cruditates, dẽtes labefactat, & similes effectus sua frigiditate producit, qui remediis, & pannis calidis sedantur, & Telesius qua temeritate negauit aquam esse frigidam, eadem poterat quoque negare ignem esse calidum.

Pr. tandem 4. Terram siccam esse, & de siccitate adeò exploratũ est, vt in principio suæ creationis arida appellata fuerit; vt in sac. gen. legitur, cui etiam sicci definitio euidenter applicatur, si. n. siccũ est, quod facilè proprio termino

coer-

coercetur, nec alieno indiget, terra vtique sicca extimari debet, cùm in se consistat, & sponte proprijs terminis se contineat; Vnde terra, quando aqua irrigatur, & perfunditur, vi siccitatis suæ humorem absumit, sed paulatim deinde ad innatam redit siccitatem; Quod etiam sit frigida, inde patet, quòd estò partes eius extimæ, & superiores radijs solis expositæ calidæ sentiantur, in eius tamen visceribus, ac subterraneis cauernis, vbi Solis calor non peruenit, ingens sentitur frigus. Suadetur etiam ex hoc, quòd lapides, & metalla, quæ corpora valdè terrestria sunt, frigiditate pollent, & tandem ex eius grauitate, & densitate, quæ vt diximus à frigore deriuantur, sicut leuitas, & raritas à calore.

Quæres, vnde elementa huiusmodi qualitates eis connaturales participent? Zabarell. affirmat eas participari totaliter à Cælo mediante motu, & immobilitate, nam mouens Cælum vertigine sua etiam elementis eis calorem imprimit, & quia elementa aliqua ab ea circulatione, vel nullo modo, vel satis lentè pertinguntur; consequenter in eis frigiditatem causat, quæ doctrina fuisse videtur Aris. 1. meteor. c. 4. vbi ait, quia circulo fertur Cælum, ideò pars orbis inferioris illi proxima accenditur, & calida fit, quæ verò procul à Cælo, in medio mundi sita sunt, & propter immobilitatem grauissima, & frigidissima sūt. Nō placet, nam propriæ qualitates singulis elementis ab intrinseco conueniunt, qua ratione Aris. vbi de ipsis qualitatib. loquitur, passiones elementorum appellat; passio verò ab essētia sui subiecti emanat; ergo non totaliter ab extrinseco eis conueniunt, aliter essent elementis extrinsecæ, & aduentitiæ; & licèt hæc sent. aliquam apparentiā habeat de calore, & frigore, nō tamen de alijs qualitatib. nam quare aer est humidus, & humiditatem à Cælo recipiat, non autem siccitatē? & cur terra est sicca, & nō humida? sin. motus est causa caloris in igne, & siccitatis, ergo terra non deberet esse sicca, licèt frigida sit. Tùm quia immobilitas, cùm sit priuatio, non potest per se esse causa alicuius positiui, sicuti est frigus, ergo frigiditas terræ nequit ab immobilitate prouenire, sed à propria eius forma substantiali. Tum quia etiam ignis noster est calidus, & tamen non à Cælo circulariter fertur, & è contra aqua calida, dum mouetur refrigeratur, ergo nec calor à motu, nec frigus ab immobilitate per se deriuantur, sed potius ab elementorum substantijs, vt bene Bell. & Mastr. deducūt. Aris. verò tunc loquebatur de conseruatione quadā, ac proportione locali, quatenus. s. terræ globus veluti à Cælo remotissimus frigore, & grauitate deprimatur, ignis verò vt Cælo proximus leuitate, & calore polleat; non negans ibi elementa concurrere ad productionem suarum qualitatū sed assignans etiam Cælum vt causam

sam

ſam vniuerſalem.

Obiectiones.

Ob. Pro Teleſianis probando, quod ignis ſit humidus; ſi .n. ſuper flammam manus imponatur, illam deinde retrahendo, nedum calefactã, ſed etiam humectatam experimur, ergo, &c. ℞. quòd flãma apud nos deficit à debita puritate ignis, ſed ex lignis ſemper aliquid humiditatis ſecum trahit, quæ facilè illi admiſcetur, & hæc eſt in cauſa, vt man' aliqualiter humectata videatur.

Ob. Videm' metalla igne liquefieri, ſignum, quòd naturæ ſit humidæ, omne .n. agens in agendo paſſum ſibi aſſimilare intendit. ℞. metalla non liquantur ab igne, quia eſt humidus, aliter melius ab aere liquarentur, qui humidior eſt, ſed ſoluuntur ab eius calore, nam materia metallorum eſt humida, aquea, vnctuoſa, & viſcoſa, virtute frigoris perfectè mixta, ac addenſata cũ ſubtili terreo, vt Angeſt. docet de form. propr. fol. 89. hinc eſt, quòd ſtatim ac frigus illa cõnectens ſuperatur à calore ignis, ſtatim liquefiunt, & humida euadunt, defectu .n. frigoris non poteſt ſiccum terreum amplius fluxibilitatem humidi aquei cohibere.

Ob. Docent Medici carnes aſſas eſſe humidiores, quã elixatas, quod oriri non poteſt, niſi virtute humectatiua ignis. ℞. per hoc Medici ſolùm ſignificare volunt, quòd plus de ſubſtantia, & ſucco carnis remanet in carne aſſa, quã in elixata, nã per illam concoctionem ſubſtantia carnis per caliditatem aquæ magis diffluit, quàm per aſſum.

Ob. Cum Stoicis, probando aerem eſſe frigidum, quib. non ſatis fauet Areſ. plura argum. ingenioſè congerens, quæ tamen non minus ſcitè à Maſtr. & Bell. diluuntur. Nã talis eſt aer in natura ſua, qualis eſt, vbi maximè à ſuis cõtrarijs recedit, ſed ibi eſt frigus, vt conſtat in media aeris regione, vbi hac ratione pluuiæ, niues, grandines, &c. generantur, ergo, &c. Nec dicas frigus ibi cõtingere ex vaporib. illuc continuò aſcendentib. ibi .n. aer eſt ſereniſſimus, & ab omni impuritate defęcatus, vt in ſummitate montium conſtat; etiam Vapores illuc calidi perueniunt, quia virtute caloris ſurſum eleuantur, & conſequenter potius eam regionem calefacere, quã infrigidare deberet. Hoc eſt vnum ex præcipuis fundamentis aduerſariorum, difficile .n. eſt reuera mediæ regioni aſſignare rationem, vnde tanta, adeoq; diuturna frigiditas obueniat. Perer. lib. in Geneſ. cap. 1. ait initio mundi inditum fuiſſe à Diuina Prouidentia frigus illud ſecundæ aeris regionis, propter vniuerſi commoditatem, vt .ſ. ibi vapores concreſcerent in nubes, & pluuias ad terram fœcundandam. Bona ſolutio, ſed non ad rem, nos .n. contendimus hic cum Philoſophis cauſam naturalem talis frigoris veſtigare, ſi aſſignari poteſt. Alij pro cauſa aſſignant influxum Cæli, qui in illam plagam directus, illuc frigiditatem

tatem imprimit. Non placet, nam vt vrget Angest. illi influxus etiam supremam aeris regionem refrigerare deberet, & magis quã mediã, quia est ei propinquior; & actio in propinquum est vehementior. Alij assignant distantiam mediæ regionis ab igne, & à cœlesti motu, item & à reflexione caloris, & luminis solis in terra facta, quia .n. istæ sunt causæ caloris in alijs duab. regionibus, & aer mediæ regionis, est vtraq; causa destitutus, idcirco perpetuò frigidus permanet, quæ doctrina innuitur ab Arist. 1. meteor. cap. 4. Sed neq; hæc ratio satisfacit, quam sic Zabarel. cõfutat: effectus positiuus causam habere debet positiuam, non priuatiuam tantũ, sed frigus non est mera priuatio caloris, sed qualitas positiua, ideòque causam aliquam positiuam habere debet, quam isti non assignant. Tũ quia defectus illarum causarum ad summum regionem illam non calidam ostendit, sed adhuc oportet ostendere causam à qua etiam frigida reddatur. Aresius affirmans aerem esse natura sua frigidum, ait in media regione, vbi est magis à contrarijs liber, quàm in alijs, ex sua natura ad propriam frigiditatem redire, sed hanc opinionem esse falsam ostendimus supra.

Scot. in 2. d. 17. q. 2. docet talis frigoris in media aeris regione duplicem esse causam; vna est positiua, & sunt vapores aquei frigore prædicti, ex quibus nubes, & pluuiæ fiunt, ibique aliquandiu manere solent, inde suum frigus continuò illi parti aeris impertiendo, eã cæteris frigidiorem reddunt; Altera causa est priuatiua, & duplex est, nempè distantia ab ignis feruore, & cœlesti motu ex parte superiori; & distantia à reflexione caloris, & luminis solaris ex parte inferiori; Quibus etiam annectitur antiparistasis, quia aer ex prædictis causis refrigeratus, cùm obsideatur calido ex vtraque parte superiori, & inferiori per antiparistasim adhuc magis algescit, & est communis Resp. Peripat.

Ad formam igitur argum. dicimus frigus illud prouenire aeri ab extrinseco .s. à vaporib. aqueis admixtis exhalationib. terreis, quæ in ea regione materiam præbent nubibus, & pluuijs, ità quòd cùm ad connaturalem frigoris statum se reducunt totam illam aeris regionem infrigidant. Ad impugnationem resp. verum esse vapores ascẽdere actu calidos calore eius impresso à sole, vel alio sidere eleuante, esse etiam aerem natura sua calidum, Illi verò vapores cùm sint substantialiter aqua, virtute propria natiuam frigiditatem acquirunt, nec aer mediæ regionis illam dimanationem impedire valebit, nam vires suas valdè habet refractas cùm per præuios vapores frigefactus reperiatur, ac consequenter potius ad infrigidandum alios illuc successiuè ascẽdentes confert. Sed de hoc dubio iterum redibit sermo disp. de Elementis.

Ob. Dieb. æstiuis aer, licèt perferuidus sit, nocte tamen frigescit, non alia ratione, nisi quia aer recedente sole ad proprium, & connaturale frigus se reducit; ergo &c. Nec denuò ad vapores, & habitus terrestres recurras, tunc aerem inuadentes, quia isti, vt diximus sunt saltem ab extrinseco calidi, nec facilè possent ad statum naturalem se reducere in sent. aerem calidum ponente, nam calor aeris id impediret; Imò aer frigidior est cum est purus, & limpidus, quàm quando vaporibus infectus est, quod signũ est, non ex vaporibus, sed ex natiua aeris cõditione frigus illud prouenire; & confirmatur, quia loca clausa in æstate frigidiora sunt; cũ tamen non sint ibi vapores, nec aliud agens extrinsecum infrigidãs. ℞. quòd aer infimus hic sole abscedente frigeratur, tum actione terræ, & aquæ infrigidantium, quam actionem non amplius præsentia solis retundit, quare frigidior sentitur in mari, quàm in terra; tum actione vaporum, qui à sole in aere relicti noctu se ad frigiditatem innatam se reducunt, aerem frigefacientes. Neque talem effectum calor aeris impedire potest cùm hic non sit summus, & cum plurib. hostibus decertare debeat, .s. cum frigore terræ, aquæ, & ipsorum vaporum. Tum quia resistẽtia vaporum maior est, quàm sit actiuitas caloris aeris, nam vapores sunt crassiores, aer verò tenuior, quæ raritas, & tenuitas satis actioné remittit. Neq; regulariter verum est aerem esse frigidiorem, quia purior est, & serenior, sed hoc aliquando euenit, quia spirans Aquilo nubes dissipat, & Cœlum serenans interim virtute sua aerem frigefacit; Sicut è contrà Auster aerem nubibus inficiens, sua vi calidum reddit. In æstate aer in cubiculis clausus frigidior est, quia non est tũc ita solis actioni expositus, sicut extra, ad quod etiam frigus aliqualiter concurrit frigiditas parietum.

Ob. Aer institutus est ad refrigerationem animalium per respirationem, ergo nequit esse natura sua calidus, sic.n. ad tale officium valdè ineptus esset. ℞. aerem comparatione cordis esse lõge frigidiorem, nam cor animalis adeò feruet, vt ab Aristot. sæpè ignis appellatur, ac ignitum, vt videre est lib. de respiratione cap. 2. 8. & 10. ac propterea satis ad respirationem idoneus est; Hinc Aliqui referunt in altissimis quibusdam montibus ob nimiam aeris raritatem non esse idoneum ad respirationem; & eodem modo resp. ad illud de flabello moto vultum refrigerante, cùm calore æstuamur, calor enim aeris frigidior est corpore animalis, quia tamen faciei circumfusus per tenuissimos halitus ab ea procedentes, statim incalescit, necesse est assiduè aerem illum permutare, & flabello agitare.

Ob. Cùm homo patitur colicã, qui est dolor intestinus, aer intus inclusus suo frigore hominem tor-

torquet, nec nisi rerum calidarum applicatione talis calor sedatur, ergo &c. ℞. id, quod colicam generat, ac intestina diuexat, non esse simplicem aerem, sed flatum quemdam frigidum ex indigestione subortum, alterius rationis ab aere. Potest etiam admitti, quòd aer ob nimium frigus extrinsecè acceptum aliquãdo interiora torqueat, cùm in intestinis inclusum iam exitum quærit, quem vtique facilius applicatione rerum calidarum inuenit, nam tali adminiculo magis adhuc rarescit, pori attenuantur, & euaporat.

Ob. Cætera elementa cùm priuantur, propria qualitate, vel intereunt, aut saltem maximam iacturam patiuntur, aer verò calefaciente remoto frigescit, & per totam hyemem ità integer seruatur, imò ex frigidissimo vento boreali valdè expurgatur, & serenior apparet. ℞. argumentum vrgere pro vtraque parte, nam sicut aer toto hyeme friget, nec tamen corrumpitur, ità tota æstate feruet sine sui corruptione; admittimus igitur, quod hyemale frigus valdè aerem à suo connaturali statu deturbet, non tamen omninò deijciat, & duplici ratione; Prima, quia adhuc aliquis gradus caloris in aere à sole, & à Cœlestibus influxib. conseruatur; Secunda, quia in eo alia qualitas illesa conseruatur, nempè humiditas, quòd sufficit ad formam substantialem aeris in materia retinẽdam; & facilius aer calorem amittit, quam humiditatem. Dicitur tandem aer vento boreali purificari, non quia frigus ab eo delatum aeri consentaneum sit, sed quia nubes dissipat, & ab eo crassos expellit vapores, ex quorum mixtione, eius innata serenitas, & perspicuitas valde inquinatur.

Ob. Admittendo cum communi sphæram ignis infra lunam, opus erat aerem illi coniunctum esse summè frigidum, vt ignis acrimoniam cohiberet, ac temperaret. ℞. ratione ad oppositum, admittendo sphæram ignis sub concauo lunæ, quæ sit veluti aeris locus, opus fuit, vt haberet aliquam qualitatem aeri consimilem, nam locus est conseruatiuus locati; & quia non communicat secum in siccitate, cum aer sit humidus, sequitur hanc esse calorem. Ratio autem cur ignis omnia elementa non comburat, est illa, quam assignat Scot. in 4. dist. 49. q. 13. B. .f. ob proportionem, & adæquationem aliorum in resistendo virtuti eius in agendo, concurrente tamen cœlo cum influxibus suis.

Ob. Ventus est aer commotus, & regulariter, & per se est frigidus, ergo &c. ℞. neg. assumptum, ventus .n. esse potest calidus, vt Auster, & frigidus, vt Aquilo, si ergò ventus est aer commotus, tunc erit frigidus, quando frigus aer agitatur; tunc erit calidus, quando calidus aer cietur; ideò argum. nil concludit, sed de hac materia exactius infra.

Ob. Aer citius frigescit, quàm aqua calida, quod signum est non minus aerem sibi frigus vendicare, quàm ipsam aquam. ℞. rationem esse ad vtramque partem, nam etiã aer facilè frigus amittit, sicuti etiã facilè amittit calorem, quod totũ oritur ex raritate, & subtilitate cum humiditate coniuncta, vndè magis alienis impressionibus obnoxius est, quàm cætera elementa; hinc Arist. sec. 14. problem. 9. docet aerem propter suam tenuitatẽ facilè à propinquis agentibus alterari, ac de vna in aliam qualitatem mutari.

Ob. Aer congelat aquam, à puteis .n. hausta statim refrigescit, & hyemali tempore glaciatur; ergo, &c. ℞. neg. assumptum, alioquin saltem seipsum condensare posset, & aquam vel semper, vel saltem vt in plurib. congelaret; quia ergo id non efficit, nisi cum ingenti frigore imbuta est, vt in hyeme, causa talis congelationis, non in aerem ipsum, sed in frigus accidẽtale ambiens refundi debet. Aqua non in puteo, sed à puteo egressa glaciatur, quia in hyeme innatus aeris calor à frigore superueniente correptus, ad subterranea quodã modo refugiens, aquam ibi glaciari non permittit, vnde Antiparistasis resultat. Hæc est vera, & germana. Aris. sent. huc vsq; à Perip. amplexa quicquid Aresius reclamet; & licèt aliquando Aris. aerem frigidum appellauerit, vt in 3. phys. 44. & 1. de gen. 24. vel locutus est in aliorum opinione, vel de frigiditate accidentali, & aduentitia, quòd si ab Arist. sent. recedere velimus sine vrgenti necessitate, magis opinio Valesij placeret, ponentis solũ humiditatem ei naturalem, calorẽ verò, vel frigus tantùm ab extrinseco ei imprimi, sic .n. melius difficultates soluerentur.

Deinde arguitur pro aeris siccitate; Quando .n. aer est purus per ipsum omnia exiccãtur, vt in æstate contingit, & in summo gelu; q; si aliquando videatur humidus id ei ab extrinseco contingit nempe à vaporib. & pluuijs, quę se facilè aeri immiscent ob eius tenuitatem. ℞. negando, quòd cùm aere sereno, vestes, & alia exiccantur, hoc ab aeris qualitate innata fieri, sed ab aliqua qualitate ei extrinsecus iniecta, vel ab aliqua influentia Cæli desiccatiua, vel à Sole, vel à vento aliquo vrente in ipso aere puro seruato, vel quia in ipso aere puro plures excurrere solẽt subtiles exalationes, quæ cùm suapte natura exiccæ sint, omnia exiccant.

Dices, Aris. c. de gen. 49. ex omnibus elementis solam aquam ait esse facilè terminabilem, & sec. 25. problem. 10. negat aerem esse humidum, & 1. meteor. cap. 4. docet aerem esse siccum. ergo &c. ℞. in primis duob. locis non loquitur directè de humiditate, sed potius de madefactione, & irrigatione, humidum .n. aqueum, quia reperitur in materia crassiori, & densiori, facilius corporibus adhæret, eaque hume-

humectat, & madefacit; qualis effectus non potest ab humido aereo præstari, quia cùm in materia sit valdè rara, & subtilis facilè diffluit, & dilabitur. Ad alium de meteor. non loquitur absolutè de aere, sed comparat aerem supremum cum infimo, & inquit hunc esse vaporosū, & humidum, illum verò ob ignis propinquitatem aliqualiter siccum.

Ob. Calor, & humiditas in aere nihil ad vniuersi bonum deseruiūt, nam pro calore sufficit Cęlestis calor, pro humiditate pluuiæ; frigus verò, & siccitas in aere multum deseruiunt, nam temperant cælestes calores, subleuatos vapores cogūt in pluuiam, & post pluuiam iterum siccitatem inducunt, ergo &c. ℞. neg. antec. eius, n. calor solari calore fultus, immane frigus aquæ, & terræ cōtemperat, & mitigat, temperiem necessariam efficiens pro conseruatione mixtorum, & viuētium præsertim: Humiditas etiam in aere ita fluxibilis valde necessaria erat pro ipsorum viuentium respiratione; attamen quia aer in ea temperie humiditatem non habet, vt madefacere, & irrigare possit, necessariæ sunt pluuiæ de Cœlo; immò ex opposito frigus, & siccitas in aere ad nihil deseruiunt, sed potius officerent, nam tria tunc haberentur elemēta frigida, & tria sicca, quod debitam Symetriam elementorum destrueret.

Arguitur, quòd aqua sit suaptè natura calida, & patet ex Arist. 5. de gen. animal. c. 3. vbi ait, nullū humorem esse sine calore. Tum quia aqua ex vaporibus calidis generatur, vt in distillatorio patet; & aqua generatur ex terra actione solis illam immutantis, vt Aristot. docet 2. de gen. in fine, si ergo aqua calore generatur, tamquam præuia dispositione, de se calida erit, è contra verò, vt in terram conuertatur, debet prius mediante frigore addensari, & sic frigore corrumpitur. ℞. ad primum, ibi Aristot. loquitur de humido mixtorum, quorum humidum etiam mixtum est, nulla autem mixtio sine calore est; quòd verò de tali humido loquatur, indè patet, quia ex instituto docet quomodo in animalibus durescāt pili, pennæ, & similia, asserens hæc omnia fieri ex humore, qui deinde durescit, in alijs quidem frigore, in alijs verò calore, in illis quidem à frigore, quia exprimitur humor, cum quo calor exit, nunquam .n. humor est sine calore, sic exponunt Bellut. & Mastr. disp. 1. de Primis Qualitat. q. 4. art. 1. Ad 2. ℞. neg. assumptum, numquam .n. vapores in aquam conuertuntur, nisi prius refrigerentur; quare semper in summitate stillicidij aliquis pānus madefactus ponitur ad illos vapores refrigerandos. Nubes sunt in media regione aeris, vbi aer est frigidus & in causa est vt vapores in aquam conuertantur. Sol etiam vt causa vniuersalis concurrit ad generationem aquæ ex terra, con-

cursu

cursu ad talem effectum accommodato, non præcisè per calorem, vt Arist. ibi intendit; Idcircò autem debet aqua addensari, vt in terram conuertatur, quia debet exiccari, & ex illa siccitate cum frigore cõiuncta, densitas ad formam terræ prærequisita coalescit.

Ob. Omnia salsa calida sunt, sed aqua maris est salsa, ergo &c. ℞. admin. quòd salsedo illa, & adustio maris nõ prouenit ex natura ipsius aquæ, sed ab exalationibus admixtis, & alijs causis, vt infra dicetur, ideò nihil.

Ob. Animalia calido conseruãtur, sed in aquis multa animalia viuunt, ergo aqua est natura sua calida, ℞. aquam circa nos esse permixtam cõtrarijs, & Solis calore præsertim eo modo calefit, sicut variæ naturæ piscium, & animaliũ consentaneum est.

Ob. Effectus aquæ ostẽdunt potius esse calidam, quam frigidam, nam temperatè Epota non lædit animal, læderet autem, si valde frigida foret. ℞. quòd sicut nimia aquæ quantitas Epota posset calorem naturalem extinguere, ità aliqua portio aquæ frigidissimæ posset saltem animal lædere, temperamentum .n. animalis in contemperata symetria consistit. Hinc Galenus lib. de rerum affectibus cap. de aqua, monet, ne aqua frigida præsertim niuata vtantur, nisi qui aut multæ corporis exercitationi incumbunt, at supra modum calida sit corporis temperatura, aut qui à pueritia assueti sunt, alijs verò incurabiles morbos ex illa prouenire.

Ob. Sapores inouũt primas qualitates liquorum, sed sapor aquæ secundum Medicos est medius inter sapores dilatantes, & constringentes, ergo aqua non est frigida, quia omne frigidum linguam animalis, & sensorium tactus cõstringit, sicut calidum dilatat. ℞. Argumentum esse ad vtrumq; ex hoc .n. colligitur neq; calidam esse, neque frigidam, nam si esset calida, eius sapor deberet sensorium dilatare; hinc malè ex sapore de aqua elementari iudicium fertur, cùm omni sapore destituta sit; & fuit doctrina Galeni lib. cit. vbi ait aquam dignosci quidem gustu, odoratu, & visu, sed negatiuè, nam vera, & sincera aqua, neq; colorem, neq; odorem, neq; saporem vllum obtinere debet, idemq; confirmat com. 3. de victus ratione in morbis acutis §. *neq; incidendo; &c.*

Dices hyemali tempore cernitur è puteis aliquos vapores euaporari ad instar fumi, quod calidi vaporis proprium est. ℞. tunc aqua euaporat propter calorem ei violenter coniectum, tàm ab exalationib. calidis, quæ in locis subterraneis recluduntur, quàm ab aere, qui in illis locis adhuc natiuum suum calorem seruat.

Ob. Arriaga probando, quòd terra sit calida, ex eo præsertim, q a ad generationem plantarum, arborum, &c. ad quam natura sua ordinatur, aptior est calor, quàm frigus,

gus; ac etiam quia non est experientia probans eam esse frigidam. Sed bona pace, eadem ratione poterat Arriag. deducere terram esse etiam natura sua humidam, quatenus aptior est humor ad generationem plantarum, quàm siccitas; Quare sicut natura prouidit, vt terra culturæ deseruiens humida esset beneficio aquarum huc, & illuc descurrentium, sic etiam prouidit, vt calore Solis, & aliarum Cælestium influentium ope partes terræ superiores tantùm incalescerent, quantùm ad culturam sufficerent. Adest etiam experiẽtia, nam in cauernis, & subterraneis specubus, quo actio solis calefacientis non peruenit, maximum viget frigus; deducitur etiam ex eius grauitate, & densitate, quæ à frigore deriuantur, sicut raritas, & leuitas à calore. Poncius pugnam init pro Aresio, Arriaga, & aliquib. Recentiorib. sed quàm feliciter iudicent Docti, mihi solũ in hoc displicet, quòd Magistrum sine vrgente necessitate tàm facilè relinquat.

ARTICVLVS NONVS.

Quomodo intensiò qualitatum singulis elementis conueniat.

SCot. ex relatis locis, vbi de elementis agitur, semper sentent. Arist. ad amussim sequi videtur, sicuti etiam in præsenti art. verùm quia resolutio pendet ex iudicio sensus, qui in hac materia valde est erroribus expositus, cùm apud nos elementa non inueniantur pura, sed vnum qualitates alterius recipit, & ex varijs cælorum influentijs multipliciter variãtur, inde determinatio satis dubia, & perplexa redditur, vnde nos illam tantùm opinionem selegimus, quæ cõmunior, & magis Peripat. censetur.

Conclusio.

Dicimus, *aliquam qualitatem singulis elementis conuenire in summo, nẽpe calorem igni, humiditatem aeri, frigiditatem aquæ, & siccitatem terræ*, & colligitur ex Aris. 2. de gen. tex. 23. vbi ait: *Terra est sicci magis, quàm frigidi: Aqua autem frigidi magis, quàm humidi: Aer autem humidi magis, quàm calidi: ignis autem calidi magis, quàm sicci.* Et D. Tho. ibidem lec. 3. inquit: *in vnoquoq; elemento dominatur vna qualitas, nam in terra magis dominatur siccitas, quàm frigiditas, in aqua magis frigiditas, quàm humiditas, in aere magis humiditas, quàm caliditas, in igne verò magis dominatur caliditas, quàm siccitas.* Pr. autem experientia, nam videmus, remotis contrarijs, singula se reducere ad aliquam qualitatem in summo, ergo hæc illis conuenit. Tum quia quælibet qualitas primarum habere debet in aliquo subiecto omnem perfectionem sibi naturaliter debitam; sed quia tale subiectum non potest esse mixtum, vbi qalitates cõtemperatæ sunt, sequitur esse aliquod elementum. Tum quia in vnoquoque genere datur solùm vnũ, quod sit caput, & causa omnium, ergo in gen. calidorum vnum datur, quod

sit summè calidum, & sic in genere frigidorum, humidorum, & siccorũ. Secũdò, q talis sit calor in igne, patet etiam experientia; nullum .n. aliud sublunare agens, adeò calidum, & æstuosum est sicut ignis. Tertiò, q talis sit humiditas in aere, ex humidi definitione deducitur, cũ aer sit facillimè alieno terminabilis, nec aliquem terminum proprium retinere potest. Tum quia aer fluidior est omnibus elementis, nam vndequaque labitur, & sese in tenuissimos etiam poros se insinuat, in quos aqua se introducere non potest. Quartò, q talis sit frigiditas in aqua, inde constat, quia nullum elementum ità frigidum sentitur, sicut aqua; & etiam ipsa terra, quæ frigida est, frigidior apparet, cùm aqua imbuitur, & respergitur. Tandem quòd talis sit siccitas in terra, cõprobatur ex definitione siccitatis, quæ maximè præ ceteris elementis terræ adaptatur; & colligitur etiã ex Sacra Script. quæ hac ratione in Genes. 2. *vocauit Deus aridam terram*, & in psal. *et siccam*, idest terram, *manus eius formauerunt*. Patet etiam ex effectu, quia aqua deficiẽte, rimas terra aperit, & in puluerem dissoluitur.

Obiectiones.

Primò obijci solet, quòd ignis sit siccus in summo, nam plus exiccat ignis, quàm terra, ergo ignis, & non terra est summè siccus. Confirmatur, siccum in summo omnem humiditatem excludit, sed terra nõ est huiusmodi, quia est continua, ergo, &c. R. dist. ant. pl' ignis exiccat per se ratione maioris siccitatis neg. per accid. ratione caloris humidas partes extenuantis, & resoluentis con. & conf. est nulla, nam terra vocatur arida, non ab alio extrinseco, sed quia in ea viget siccitas, vt præcipua proprietas, & hoc ostendit maxima eius soliditas, & durities, maximè si à frigiditate cõdensante adiuuetur. Ad confirmationem neg. min. nam licèt in mixtis siccitas sit causa discontinuationis, vt puluis, tamen in elementis compatitur siccitas cum continuitate, vt in igne, & terra patet.

Ob. quòd aer non sit humidus in summo, sed potius hoc competit aquæ, & probant experientia, nam aqua magis humectat, quàm aer, in tantum, quòd humectat, etiam ipsum aerem, vt tempore pluuiæ cõstat. At quia communiter resp. id non euenire ob intensiorem humiditatem in aqua, sed propter maiorem dẽsitatem, quæ actionem fortificat, vt hic amplectitur Tatar. qua ratione etiam ferrum cãdens magis calefacit, quàm ignis, & tamen maiorem non habet calorem. Contra hanc solutionem multipliciter insurgit Arriag. licèt .n. densitas ad agendum iuuat, nequit tamen esse causa tanti excessus, vt aqua valde humectet, & nihil, vel ferè nihil aer. Tum quia nimis humidus cõuertitur in aquam, vt experientia patet, ergo humor in sũmo non est proprius aeri, sed aquæ, addens

addens nos tenere sententiam, cuius nullam habemus experientiam, vel rationem.

℞. cum Bell. & Mastr. totam hanc pugnam oriri ex varia humiditatis acceptione, vel .n. humiditatem accipimus ad sensum vulgi, apud quod illud dicitur humidum, quod irrigat, & madefacit corpora eis adhærendo ratione humidi aquei, & vaporosi, quod crassum est, & aliquid viscositatis habens ob facilem adhærētiam; vel ad sensum Phylosop. apud quos illud sonat humidum, quod est de se fluidum, & proprijs terminis contineri nequit, facilè tamen alienis terminatur, vt supra dictum est; si in primo sensu de humiditate loquamur, aqua humidior est aere; at si secundo sensu spectetur, aer longè humilior est aqua. Effectus humiditatis vulgariter acceptæ, est etiā irrigare, & madefacere corpora circa quæ funditur, talis .n. humiditas est vaporosa. Quicquid ergo sit de responsione illa communi ad primum, & principale argumentū, quam nec etiam benè Arriaga impugnat, dicendum est; illud tantū concludere de humiditate communiter dicta iuxta sensum vulgi, non de humiditate strictè, & rigorosè accepta, nā sic aer adhuc humidior est aqua; hinc admittimus, aquam interdum aerem humectare, sed loquendo de humiditate pro madefactione, quatenus illi aqueos vapores impingit, quibus imbutus humidus apparet, & madidus; falsum tamen asserimus, loquendo de humectatione propriè dicta. Ad aliam rationem occurritur ex eodē dem fundamento, tunc .n. aer in aqua conuertitur, cùm multum de aere vaporoso imbibit, quod proprium est humiditatis aquæ. Falsū est, etiam nos non habere pro nostrā sent. rationes, & experientias, nā semel concesso, humidum esse, quod alieno termino facilè terminatur, difficilè proprio, satis euidenter constat & ratione, & experientia aerem esse aqua humidiorem.

Ob. Complut. disp. 10. de elementis, qu. 4. Humiditas aquæ est coniuncta cum frigiditate, humiditas verò aeris cum caliditate, at frigiditas est aptior dispositio ad humiditatem, quàm caliditas, quia frigiditas iuuat ad tenaciorem adhæsionem humiditatis, è contra verò caliditas facit euaporare humiditatem. Conf. de aquatibilibus, quib. maior conuenit humiditas, quam volatilibus, at his prædominatur aer, illis aqua. ergo Tū quia cùm pisces sint maximè phlegmatici; & phlegma sit inter omnes humores vincentis humidissimum, signum est aquam esse humidissimā.

℞. conced. frigiditatem esse aptiorem dispositionem ad humiditatem communiter dictam, nempe vaporosām, qualis est aquea, cùm aliquo modo illum humorem constringit, ne ità diffluat, & iuuat eius adhærescentiam, quod non facit calor, sic etiam calor euapora-

re dicitur humiditatem, nō quamlibet, sed vaporosam, qualis est aquea, & in aere existens nihil de eius humiditate euaporat, quia non est vaporosa: Per quod etiam ℞. ad Conf. nam pisces petunt maiorem humiditatem vaporosam quā aquę, & in eodem sensu phlegma dicitur cæteris humoribus humidius, sicut etiam in hoc sensu explicari debent Medici, & Aristot. cùm aliquando dicunt aquam esse humidiorem aere, loquuntur .n. de humiditate vaporosa, & madefactiua, vt à vulgo accipitur, estò re uera vaporositas illa, & adhærescentia non sit de ratione humiditatis vt sic, vt de metallis fusis, & liquefactis patet, quæ humida sunt nec tamē humectāt corpora tāgētia. Ex quo fundamento pluria alia argumēta in hac materia diluūtur.

Ob. Quod est summè humidum non potest exiccare, sed aer suo afflatu terram exiccat, ergo &c. Cōfirmatur, aer est per se medium inter aquam frigidam, & ignem, ergo per se participat siccitatem, & consequenter nō est summè humidus. ℞. dist. min. formaliter, & immediatè, seu ex natura sua, neg. per accid. & ratione alterius .s. medio calore faciente euaporare humiditatem, & ratione exhalationum, quæ per ipsum aerem sparsæ sunt, vel ratione frigoris subsequētis, & partes humidas constringētis, conc. sed negatur consequ. nos .n. loquimur de naturā ipsius aeris in se, & secundum proprietatem, quæ ei inest ab intrinseco, non secundum ea, quæ ab extrinseco accidunt. Ad Conf. aer mediat inter aquam, & ignem quo ad situm, nō quo ad qualitates summas, quæ aquæ, & igni natę sunt conuenire.

Ob. 3. quòd aqua nō sit in summo frigida, nam experimur aquā magis, & magis infrigidari, & niuem esse ipsa aqua frigidiorem, & quando quidam fontes valde frigidissimi sunt, pro miraculo à vulgo tenetur, at quod iuxta naturam est, miraculosum censeri nō debet. ℞. quòd aqua circa nos valde impura est ac multis exhalationibus permixta, si autem in suo statu naturali poneretur, non posset frigefieri, neque nix esset ea frigidior; & hac ratione, fontes frigidissimi, in quibus aquæ satis suæ puritatis habent pro miraculo habentur, quia nos non experimur aquas nisi mixtas, & impuras, ideoque consequ. nulla.

Ob. Humiditas difficilius remouetur ab aqua, quàm frigiditas, ergo videtur esse magis humida, quàm frigida. ℞. facilius ab aqua remouetur frigus, quàm humiditas, non quia in ipsa remissius sit, sed quia minoris est resistentiæ, quàm humiditas, estò maioris sit actiuitatis, ideo nihil.

Ob. Si aqua esset natura sua frigida, inepta esset piscibus, quia eam vt propriam regionem habēt, inepta esset etiam hominibus, vt eam biberent, & irrigationi plantarum. ℞. aqua marina tempera-

tur

tur calore cæleſti, & ſalſedine, quantum ſufficit ad piſces alēdos, ſic etiam aqua dulcis propter mixtionem cum terreſtrib. axalationib. apta redditur ad anguillas & ſimilia aquatilia ſeruanda, & ſine damno epotari poſſit, & eadem ratione ad irrigationem plantarum accomodata. Et hinc oritur, vt quidam fontes ex penitiſſimis terræ latebris erumpentes, quo ſolaris calor non pertingit noxij ſint, & ad potationem valde nociui.

Ob. Magis à Cęlo, & ab igne terra diſtat, eſtq; corpus magis denſū, & graue, quàm aqua, ergo terra eſt frigidior aqua; cùm hæc omnia à frigiditate proueniāt, ergo, &c. ℞. Elementa nō habent qualitates eis connaturales à Cælo, ſed à propria forma. Denſitas, & immobilitas non ſequuntur ad ſolum frigus, ſed ad frigus cum ſiccitate permixtū, quam mixtionem præ cæteris elementis poſſidet terra; ita etiam ſicut ſumma leuitas nō ſequitur ſimplicem calorem, ſed ſummæ raritati coniunctum, & alijs qualitatibus, quæ in igne coadunantur, ſic ſumma grauitas non ſolum frigus ſequitur, ſed coniunctum cum ſumma denſitate, & alijs qualitatib. terræ conuenientib.

Ob. Manus caleſiunt cōtactu niuis, ergo aqua potius calida eſt quam frigida. Tum quia terra pingueſcit niue, ergo nix, quæ eſt eſſentialiter aqua calida eſt, nam frigus potius adurit. ℞. ad 1. ant. eſſe verum, non quia nix ſit calida, ſed quia ſtatim cōcurrit ſanguis ad manus, cupiens inimicum expellere, ideò nil. ad 2. terra pingueſcit ratione exhalationum, quas nix ſecum affert; & etiam quia nix ſupra terrā poſita impedit exitus exhalationū, quas terra continet, ex quib. mediantib. pingueſcit.

Hinc colligendum, quòd cauſa adæquata congelationis nō eſt ſolum frigus, & conſtat experientia, nam aqua in vitro, vel æneo vaſo incluſa, & niue circumfuſa quātumuis infrigidata, nunquam glaciatur; concurrit igitur ad congelationem etiam aliqua exiccatio, nām ſiccitas iuuat ad reddendūm corpus ſolidum, & durum, vnde videmus niuem ex ſalis aſperſione glaciari. Concurrit etiam admixtio terreſtrium exhalationum, quæ conuerſæ in quemdam humorem, & ſuccum, ſunt veluti coagulum ad aquam congelandam; & inde eſt, quòd glacies aquæ ſupernatat, quia nimirū permixtū habet etiam vaporem aereūm, qui ſuper aquam eam attollit.

Ob. Tandem, quòd terra non ſit ſummè ſicca. Ad continuitatem requiritur aliqua humiditas, nam ſiccum puluerizatur ex Ariſ. 2. de gen. 49. ſed terra eſt continua, ergo &c. ℞. ma. eſſe veram de continuitate mixtorum, & de hac ibi loquitur Ariſ. vt ex ipſo contextu patet, in qua plura elementa concurrere debent, & ſine aliquo humore non poſſent ad inuicem continuari, hoc autem neceſſarium non eſt de om-

ni continuitate; Admittimus tamē, quòd terra in sua naturali dispositione propter summam eius siccitatem non habeat partes inter se benè compactas, & cohærentes, sed potius esse corpus comminutum, & friabile; Sed quia etiam ex alio capite habet frigiditatem excellētem, & frigoris est coadunare, & constringere, concedendum est ex hoc capite eius partes habere aliquam consistentiam; Quare benè Angest. ait, quòd alia est continuitas, alia partium tenacitas; ad primam nō requiritur humiditas, benè verum ad secundam.

Ex his colligitur, nec aerem esse in summo calidum, neq; aquam in summo humidam. Quoad primū patet experientia, aer enim non est ità calidus sicut ignis; Neq; ità facilè frigus reciperet; Neq; ad respirandum idoneus esset. Pr. Altera pars; magis est fluidus aer, quàm aqua; ergo est magis humidus, conseq. tenet ex propria definitione, nam ex hac proprietate æstimanda est humiditas, non ex irrigatione; vt diximus antèc. cōstat experientia, quia aer etiam tenuissimos poros penetrat. Tum quia aqua interdū proprijs terminis continetur, quod patet cùm in puluerem labitur, nā tunc globosam, & sphæricam figuram assumit, non sic aer; sic etiā cùm glaciatur propriam retinet figuram, quod nunquam aeri contingere potest.

Sed contra hanc doctrinam insurgunt illi Doctores, qui volunt ambas qualitates in summo in elementis reperiri, & sic arguunt: Cū Elementum Symbolum generatur ex Symbolo, communis qualitas eadem manet in genito, quæ præfuit in corrupto ex Arist. 1. de gen. 24. & lib. 2. 26. & altera tantum corrumpitur, generetur ergo aqua ex aere, tunc in materiam aeris opus non est introducere, nisi frigiditatem, & quia hæc exigitur in summo à forma aquæ, & ex alia parte humiditas aeris, quæ eadem perseuerat sit summa, tunc in aqua genita simul erunt summa frigiditas, & summa humiditas. R. neg. assumptum, vt infra cōstabit, & quando etiam concederetur, nō concluderet, nam tunc dicendum esset cum Auer. 2. de gener. com. 29. quòd dum ex aere generatur aqua, tunc eadem numero humiditas manet in aqua, quam præfuit in aere, at non in eodem gradu, quo in aere erat, sed remittitur quantum sufficit pro constitutione aquæ.

Ob. Et est præcipuum fundamētū huius opinionis: Si aliqua qualitas alicui elemento conuenit in gradu remisso, vel conuenit ei sine admixtione, vel cum illa, neutrum dici potest, ergo &c. Pr. min. quoad 1. partem, nam qualitas remissa habens contrarium, non aliter remittitur, quàm per admixtionē contrarij ex 5. phys. 19. nec alius inuenitur modus intensionis, & remissionis inter qualitates. Tum, quia posset qualitas illa remissa intendi,

tendi vsq; ad summum in instanti, nam tunc nulla erit resistentia ex parte passi, cum hæc præsertim ex contrario attendatur. Pr. mi. quo ad aliam partem, quia tunc quodlibet elemẽtum haberet duas qualitates cõtrarias inuicem contemperatas, quod est proprium mixtorum, & directè cum constitutione simplicis elementi pugnat. In solut. huius argumenti diuisi sunt DD. Aliqui .n. volunt qualitatem excellentem elemento conuenientem impleri vsque ad totam latitudinem per admixtionem cõtrariæ qualitatis. Alij verò negant sed neutra tollit difficultates in oppositum.

Nos melius respondendum putamus cum Mastr. & Bell. loc. cit. quòd sicut lumen minus produci potest a luminoso minori sine admixtione contrarij, ità potest ab aliqua forma elementari profluere calor minus intensus, quàm ab alia forma, qui præcisè fit ideò remissus, quia habet pauciores gradus caloris; & non quia habeat admixtos alios frigoris. Dicendum igitur, quòd elementum naturaliter non habeat latitudinem octo graduum ad qualitatem, quam postulat propè summum, & hoc quia talis est naturæ, & sic cessant omnes instantiæ factæ, & quæ contra decisionem fieri possunt, non enim opus est quærere per quid impleatur latitudo remanens vsque ad octauum gradum, quia negamus vllam talem latitudinem remanere; Si verò talem latitudinem concedere velimus, tunc negandum esset, quòd talis latitudo semper expleta sit vsque ad octauum gradum, & absolutè concedendum posse dari qualitatem remissam sine admixtione contrarij. Et ad Arist. 5. Phys. resp. ipsum loqui casu, quo qualitas habens contrarium remittatur per actionem contrarij; non si aliter remittatur, vt in proposito, vbi qualitas elementaris ideò remittitur, quia in tali gradu à sua forma dimanat, nec in intensiori produci potest. Concedi etiã potest alterationem in eo casu fieri in instanti, nec inde sequi, vt aliqui putant corruptionem illius elemẽti, & generationem alterius in instanti futuram, nam præter illam qualitatem habet aliam in summo successiuè expellendam; Potest etiam negari fieri illam alterationẽ in instanti, licèt .n. V. g. in aere non sit qualitas per se, & directè summo calori resistens, adest tamẽ humiditas, quæ indirectè resistit, quatenus repugnat in aere cum summo calore.

Ex his infertur, quòd colligens Arist. distinctionem, & numerum elementorum combinatione qualitatum, illas partitus est per gradus intensos, & excellentes, non autem per remissos; & cùm nos in præsenti dicimus, aerem non esse in summo calidum, nec aquam in summo humidam, non adscribimus eis qualitates in gradu remisso, sed in excellenti; & prope summum.

AR-

ARTICVLVS DECIMVS.

An Qualitates Symbolæ elementorum, aliorumque corporum sint eiusdem speciei.

SCot. ꝛet. affirmatiuè, vt videre est in 2. d. 18. qu. vn. lit. K. & ibidem d. 15. ad 4. Princ. vbi ait, calorem medicinæ coadiuuare calorem naturalem, quod verum non esset, si essent diuersæ speciei, & pluribus in locis docet genita ex putri, & ex semine esse eiusdem speciei, & consequenter easdem specie qualitates habere, licèt hæ sint à diuersis specie agentibus inductæ. Supponimus pro Articuli Decisione, quòd qualitates symbolæ dicuntur illæ, quæ eodem nomine appellantur, vt calor ignis, & calor aeris, frigus terræ, & frigus aquæ &c. sub hoc quæsito cōprehenduntur etiam consimiles qualitates aliorum corporum, nimirum calorem cælestem, ac etiam vitalem, & quæritur an omnes, & singulæ huiusmodi qualitates sint eiusdem speciei, vel potius diuersæ. Prima opinio distinguit ipsas species, & Alij loquuntur vniuersaliter tam de qualitatibus elemētorum, quàm mistorū, ità Alexan. Simpl. Auerr. cū alijs. Alij verò loquuntur in specie de calore vitali, seu animali, quam distinguunt ab elementari, ità Fernel. Suessanus, Dandin. Picus. Mirand. Altera opinio quæ est communis affirmat vniuersaliter qualitates oēs symbolas in quibuscumque corporib. esse eiusdem speciei, ità Zabarell. Contar. Conimb. Tolet. Mars. Saxon. Ruu. Aref. Auers. Hurt. Arriag. & Alij. Angest. verò vtramque opinionem putat probabilem, licèt secūdam putet probabiliorē.

Conclusio.

Dicimus *cum communi Symbolas omnes qualitates in quibuscumque corporibus, siuè simplicibus, siuè mixtis esse eiusdem speciei specialissimæ.* Est ad mētem Scoti, vt ex ralatis locis patet, licèt aliqui Scotistæ in hoc dubitauerint de mente Doctorisis, patet etiam ex 4. sent. dis. 44. qu. 3. lit. G. vbi loquens de igne inferni ponit plures modos, quibus dici potest illum torquere damnatos, & vltimus est, quòd corpora damnatorum non retineant proprium tēperamentum, sed ignem inducere summum calorem, & tunc vita remaneret per miraculum absque proportionata mixtione qualitatum. Subdens, *quòd si ponatur calorem induci in summo, & tamen qualitatem illam mixti stare in eodem, videtur quod formaliter repugnantia sit, sicut si medium, & extrema simul fierent in eodem.* Ex quibus verbis manifestè colligitur de mente Scoti calorem mixti, & ignis esse eiusdem speciei, si .n. diuersæ forent, posset quidem per potentiam Dei manere mixtio qualitatum requisitarum ad temperamentum mixti cum summo calore ignis, nec tunc contradictio sequeretur, quia non esset verè medium, sed bene sequitur contradictio si sunt eiusdem speciei, nam im-

implicat, quod idem sit simul intensè, & remissè eodem specifico calore, at non implicat esse idem secundum vnum calorem remissè calidum, & secundum alium specie distinctum intensè calidum. ità eruditè Mastr. & Bellut. relatum locum Doctoris exponunt, quòd colligunt etiam ex qu. vltim. Vniuers. ad 1. princip. vbi vt de mente Scoti idem defendit Mauritius, & Tatar. 2. de Gener. q. 1. §. *Quartò sciendum, &c.* & quamplures Scotistæ. Conlusio duas habet partes. Prima, quòd qualitates symbolicæ elementorum sint eiusdem speciei, quam docuit etiam D. Thom. q. de spirit. creat. art. 2. ad 19. dicens, *idē specie calor est in igne, & aere.* Albert. Magn. lib. de animalib. tract. 2. Caiet. 1. p. q. 118. art. 1. ad 3. & multi ex Thomistis. Pr. clarè Arist. testimon. 1. de gener. 24. & lib. 2. 25. vbi docet in mutua elementorum transmutatione easdem qualitates symbolas remanere, quòd omnes explicant, vel de identitate numerali, vel saltem de specifica. Pr. etiam ratione, nam qualitates istę se mutuò intendunt, calor .n. ignis intendit calorem aeris; quia illum calefacit non destruendo calorem eius; sed augendo, nam calori solùm frigus opponitur, ergo eiusdem sunt speciei, quæ .n. diuersæ sunt speciei, non possunt se intendere, & idem constituere indiuiduum. Confirmatur, Qualitates ad formam disponentes sunt eiusdem speciei cum qualitatibus eamdem conseruantibus, & absurdum est eamdem formam substantialem diuersas specie qualitates exigere pro eius introductione, & conseruatione, sed ignis aquam conuertendo in aerem, per calorem disponit materiam, ergo calor ignis disponens, non erit diuersæ speciei à calore in aere producto, & ipsum aerem in tali esse conseruante; & de facto, quomodo vnum elementum esset alteri symbolum, si in qualitatib. in quibus deberent symbolizare essent speciei diuersæ. Tum quia qualitates symbolæ elementorum solùm habent differentiam per esse magis, & minus intensas in vno elemento, quàm in alio, ergo non distinguuntur specie.

Secunda pars, comparādo qualitates elementorum. cum qualitatibus mixtorum, probatur ijsdem rationibus, nam frigus V.g. in manu productum à ferro, vel lapide adhuc ab aqua intenditur. Tum quia omnes albedines, omnes dulcedines &c. eiusdem sunt speciei in quantumque diuersis subiectis reperiantur, ergo similiter omes calores, omnes frigiditates &c. siuè in elementis, siuè in mixtis sint. Tum quia vnicuique calori siuè elementi, siuè mixti adæquatur eadem definitiò caloris (licèt per differentiam secundum magis, & minus) quia .f. homogenea congregat, heterogenea disgregat, & sic de singulis qualitatibus, ergo omnes symbolæ sunt eiusdem speciei.

Pr. 3.

Pr. 3. de qualitatib. à cælo prodeũtib. ex Arif. 2. Cæli 41. & 1. Meteor. vbi docet per motum Cæli mortalia calefieri, incendi, ac in ignem conuerti; Indè Auer. 2. de Cęlo com. 41. ait, ignem vt ab igne, ità à Cælo gigni posse, quod experientia comprobatur, dum per radios solis ex speculo concauo, palea incenditur, ergo ille calor est eiusdem speciei cum calore igneo. Tum quia eodem modo lapides, & ligna calefiunt à calore solis, aut ignis paulisper distantis, ità vt sensus tactus discernere nequeat qualis sit ille calor, an à sole, vel ab igne productus.

Item frigus elementare eodem modo opponitur vni, & alteri calori, cum eodem modo refrigeretur manus, dum aquæ immergitur, siuè ab igne, siuè à sole calefacta fuerit, vnum autem non nisi vni contrariatur ex 1. Cæli tex. 10. Tũ tandem, quia isti calores se inuicẽ intendunt, manus .n. ardore solis calefacta, si approximetur igni, adhuc magis incalescit, nõ priori calore corrupto, quia ille non impellitur, nisi à frigore, vel affirmandũ erit, vnum calorem esse alteri contrarium, sicut sunt calor, & frigus, quod falsum est.

Quartò Pr. idem de calore vitali, seu animali, quòd .s. sit eiusdem speciei cum dictis caloribus & fuit expressa sent. Arist. lib. de Iuuent. cap. 1. vbi appellat animam ignitã, idest ignis calore præditam; & lib. de resp. cap. 7. ait concoctionem sine calore fieri non posse, quia omnia cibum conficiunt, & in 2. de an. 130. inquit sensib. nostris inesse ignem; .s. igneum calorem, quia nihil sine tali calore sensitiuum est, & 1. de an. tex. 4. & lib. 2. de partib. animal. cap. 3. concedit animam esse causam præcipuam nutritionis, & accretionis, sed addit, ignẽ, seu calorem igneum esse instrumẽtum, quod etiam plurib. alijs in locis docet, ergo Aris. non distinxit specie calorem vitalem, & animalem à calore igneo, & elementari.

Cõfirmatur rationib. allatis pro alijs calorib. omnes .n. huiusmodi calores vniuersaliter se inuicem intendunt, & coadiuuant, si .n. manus in sinu calefacta soli exponatur, amplius incalescit, & adhuc magis si approximetur igni, & si quis cibis vescitur calidiorib. & lintea calida calore solis, vel ignis stomaco apponatur sentitur calor augeri, & operationes adiuuari. Nec huiusmodi calores expelluntur, nisi per frigus; Nec sensus vnũ calorem ab alio discernit. Item Calor ignis cælestis, vel alterius causæ, inseruit ad generationem animalium, non secus ac si esset vitalis calor, quod colligitur in genitis ex putri materia, & cùm ex cinerib. calidis, vel clibano temperato, aut fimo ex ouis pulli generãtur, non aliter quàm si eis gallina incubasset. Pr. tandem, quia licèt rerum specie differentium, debeãt esse diuersæ proprietates specificæ consequentes formas ipsas substãtiales,

tiales,non tamen oportet, vt talia in nulla prorsus qualitate specifica conueniant, alioquin potentia videndi hominis,& bouis non esset eiusdem speciei,quod falsum putat Doctor in 2. d. 1. q. 6. D. Vbi scitè satis se examplificat de passionib. entis, dicens: *Sicut passiones entis cõtinentur per identitatem in entib. quantumcumq; distinctis; & tamen illæ passiones in eis non distinguuntur specie, vnitas .n. lapidis, & vnitas hominis; non ità distinguuntur formaliter specie, sicut homo, & lapis.* Concludendũ est igitur,quòd calor,& quæcumq; alia qualitas in quibuscumq; subiectis reperiatur eiusdem sit speciei,& nõ differre nisi secundũ magis, & minus, & penès alia varia accidentia eis connexa, & hoc fortè Auctores primæ sent. innuere voluerunt.

Obiectiones.

Ob. 1. quòd Symbolæ qualitates elementorum specie ab inuicem differant. Diuersa specie subiecta diuersas habent proprietates, sed elementa differunt specie,& primę qualitates sunt eorum passiones, ergo, &c. R. cum Scot. q. vlt. vniuers. ad 1. Princ. negando primas qualitates esse proprietates elemẽtorum, sed potius esse accidentia ab elementis realiter distincta, & plurib. conuenientia, possunt tamẽ dici proprietates, quatenus in certo gradu determinatè vni elemento,& non alteri conueniunt, in quo sensu sunt accidentia ab eis inseparabilia, &c. & quando etiam essent veræ proprietates. R. vt supra ex Doctrina Scoti se exemplificantis de passionib. entis, &c.

Ob. ab effectu: Qualitates Symbolæ in elementis producunt effectus specie diuersos; ergo distinguuntur specie. Pr. conseq. nam effectus distincti specie non possũt à causis omnino eiusdem speciei prouenire. Pr. antec. nam humiditas aerea, vt in oleo patet, in quo prædominatur aer, fouet, & nutrit ignem; humiditas verò aquea extinguit, & non ratione frigiditatis illum extinguit, quia quantumuis calefacta adhuc ipsum extinguit. R. neg. antec. si de effectib. per se, & immediatis loquamur, nam tales semper ijdem sunt in quibuscumq; elementis Symbolis, quod patet discurrendo per omnes, cuiuscumque .n. caloris primarius, & per se effectus est calefacere, humiditas est humectare, & sic de reliquis; Quod si aliquando diuersas edant operationes, & secundarios effectus, non ex diuersa essentia illarũ qualitatum prouenit, sed ex diuersa dispositione subiecti, & varia aliorum accidentium mixtione, quæ illarum qualitatum operationes diuersimodè modificant, & accidentaliter variant, vt etiam in secundis qualitatib. apparet, nam dulce cum vno sapore coniunctum diuerso modo sensum afficit, ac cũ alio; sic itaq; in proposito. Quòd aqua non extinguat ignem ratione frigiditatis, falsum est, sed cum humiditate, etiam frigiditas suo modo concurrit, semper .n. aqua ali-

quem gradum frigiditatis retinet quantumuis calida sit, quandiu aqua est, cui igni resistere nõ potest, debet tamen frigiditas coniuncta esse cum humido vaporoso, vt tale opus efficiat, cuius defectu aer quãtumcumque frigidus ignem non extinguit, nisi sit aliquo vapore respersus; Vnde humiditas ignem extinguit per modum suffocationis, vt Tatar. & Angest. aduertunt, nam ignis continuè generatur, & cõseruatur per eductionem subtilis exalationis è poris, quos aqua superinfusa ob eius densitatem statim claudit, & ità ignis deficit; quæ fuit doctrina Aris. 4. Meteor. sum. 3. cap. 2. humiditas verò aerea non impedit huiusmodi generationem, cùm ob suam tenuitatem facilè fit permeabilis.

Sed Contra obijcies, oleum est crassius aqua, & tamen ignem non extinguit, imò nec sub cinerib. quæ crassiores sunt, suffocatur, sed conseruatur, ergo allata ratio extinsionis ignis non est rectè assignata. ℞. eadem ratione, si oleum in magna copia super ignem effundatur, ipsũ extingueret, leuiter verò effusum ignem nutrit, & in flammam conuertitur; causa est, quia cum tali crassitie multam habet pinguedinẽ cum aliqua siccitate admixtam, ratione cuius admixtionis facilè calorem igneum concipit, in tenuem transit exhalationem, & inflammatur. Cinis opertum ignem conseruat, & quia siccissima est, & quia de se est valdè friabilis, & cõminuta, & consequenter facilè transpirationem admittit.

Ob. caliditas ignis contrariatur humiditati aeris, quia illã absumit, non autem ipsa caliditas aeris, cùm stent simul, ergo specie differunt. ℞. neg. cõseq. igneus. n. calor ideò vrit, & omnem consumit humiditatem, quia summus est, non ità calor aereus; tum quia annexam habet siccitatem, quæ directè humiditati opponitur.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quòd aqua calefacta esset aer, nam est calida, & humida; aer refrigeratus esset aqua, quia tunc esset frigidus, & humidus, terra calefacta esset ignis, cùm tunc esset calida, & sicca, ℞. neg. consequ. & ratio est, quia ad constitutionem aeris non sufficit quælibet caliditas, & humiditas, sed in certo gradu, in quo determinatè procedunt à forma substantiali aeris, quod in aqua calida non contingit, & sic de alijs.

Ob. Siccitas terræ sibi determinat intensam frigiditatem, & densitatem, siccitas verò ignis summã raritatem, & caliditatem, ergo differunt specie. ℞. neg. antec. Siccitas. n. in se simpliciter, & absolutè cõsiderata nec frigus, nec calorem sibi determinat, sed est ad vtrumq; indifferens; Forma verò terræ, vel ignis est, quæ exigit siccitatem cum frigore, vel calore coniuncta, sicut albedo non magis exigit coniungi cum dulcedine, quàm cum amaritudine, sed solùm vt in lacte, vel talimixto reperitur. &c.

Ob. Tandem Virtutes motiuæ elementorum, licèt Symbolæ sint, inter se tamen specie differunt, vt in lib. de Cœlo patebit, népè grauitas terræ, & aquæ; leuitas ignis, & aeris, ergo sic etiam qualitates actiuæ, cùm illæ ab istis procedant .s. grauitas à frigore, & leuitas à calore. ℞. neg. conseq. nam leuitas, & grauitas sequuntur mixtionem plurium primarum qualitatũ, & nõ à solo calore, vel frigore procedunt. Cur verò virtutes illæ motiuæ inter se specie differunt, videbitur infra.

Quoniam D. Thomas 2. L. Gentil. cap. 73. vult, quòd calor seminis, animalis, & Cœli, & ignis differant specie, hinc M. Iacob. Brun. hic qu. 9. art. 3. fol. 250. sic quæstionem resoluit: illas qualitates symbolas differre specie, & petere effectus diuersos specie, non in ratione qualitatis sensibilis, sed in ratione proprietatum ex Bannez. cap. 3. q. 4. Non valet, nam inter proprium quarto modo sumptum, & qualitatem in genere qualitatis non datur medium, cùm sit vna simplex entitas; quomodò ergo vocat hanc entitatem, & qualitatem, & proprietatem; & ratione qualitatis non differunt specie, ratione verò proprietatis differunt specie. Si qualitates symbolæ sunt proprietates in 4. modo, & conuertibiles cum suis subiectis specificis, semper sic erunt, & quia subiecta specie distinguuntur, sic etiam & huiusmodi proprietates, nã proprietas quæ conuenit homini, non potest leoni competere; quia sic non conueniret omni, soli, & semper, quomodo deinde in ratione qualitatum non differunt specie? Iam concedunt Thomistæ quod Prædicamenta sunt impermixta, & in alio prædicamento est qualitas, in alio prædicamento est proprietas, nec ad libitum distinctionibus vti debemus ad argumenta illudéda. Vna est veritas, & quia nos tenemus has qualitates esse accidentia communia, quamuis inseparabilia in elemẽtis, inde discurrimus huiusmodi qualitates non differre specie. Vel dicendum cum Scoto, vt de passionib. entis, &c.

Secundò arguitur, quòd qualitates symbolæ mixtorum differant specie ab elementaribus, & præsertim Pr. auth. Scoti pluribus in locis, sed præcipuè in 2. d. 15. q. vni. ad 2. princ. lit. F. & d. 19. q. vnic. lit. A. vbi inter qualitates mixtorum, & elementorum symbolas, specificam infert differẽtiam propter diuersitatem operationum. Ex quibus locis Aliqui Scotist. ad oppositum defluxerunt, Alij verò de mente Doctoris ancipites remanserunt. Sed de mente Scoti nullatenus dubitandum est, vt ex locis supracitatis in conclusione clarè colligitur. Nec ex locis modo allatis oppositum deducitur, ibi enim Scotum excludere intẽdit identitatem numericã, ex ratione ductus, quia nec elementa, nec eorum qualitates manent in mixto formaliter, nõ

tamen specificā excludit, immò ibi manifestè docet qualitates symbolas mixtorum, & elementorum esse consimiles, quod de identitate specifica necessariò intelligendum est, alioquin potius dissimiles forent, cùm specifica diuersitas dissimilitudinem inducat, locus verò in 2. d. 15. cit. vbi Doct. diuersitatem specificam insinuare videtur, non est fidelis Doctoris textus, sed extranea additio, & vt talis à Marginistis notata, & quando etiam ibi, vel alibi haberetur; exponendum est non de distinctione specifica, & essentiali, sed de accidentali tantùm. Ità Mastr. & Bell. fideliter Doct. exponunt.

Tertiò ob. quòd calor Cœlestis sit specie diuers' à sublunari, quod facile Pr. ex diuersis eorum attributis, nam Calor Cœlestis dicitur temperatus, salutaris, beneficus, cuius beneficio omnia gignuntur, aluntur, & conseruantur. Vndè Arist. 2. phys. ait Sol, & homo generant hominem, è contra verò igneus calor dicitur adustiuus, noxius, & lethificus, nam vrit, & exiccat, ac omnia in cineres reducit. Patet etiam experientia, hi .n. calores non se inuicem fouent, & intendunt, sed potius vnus alterum destruit, nam parua candela extinguitur æstate à solaribus radijs, qui tunc temporis ardentissimi sunt. R. quòd etiam calor cælestis cùm est nimis vehemens necat, hinc Iudit. cap. 8. vir eius Manasses hac de causa interijsse dicitur, & è contra igneus calor moderatus satis confert, & delectat, vt hyemali tempore patet. Licèt igitur regulariter loquendo calor cælestis sit magis salutaris, & proficuus ex cōsortio aliarum influentiarum, quàm elementaris, hoc tamen inter eos specificam, & essentialem diuersitatem non inducit, sed tantùm accidentalē. Experiētia assignata, vel nihil probat, vel probat etiam vnū ignem elementarem ab alio elemētari specie differre, nam fax exiguam candelam sibi oppositam extinguit; Sicut igitur id non oritur ex oppositione illarum flammarū, sed aliundè .s. quia aer vehementi flamma rarefit, & cōmouetur, ex qua commotione parua flāma extinguitur, qua etiā de causa experimur non posse extrahi candelam accensam per mediam flammam, sed ex latere accenditur, ità in proposito dicendum, quòd nempe cādela accensa solaribus radijs exposita restinguitur ob commotionē aeris ex æstu radiorum productam.

Arguitur tādem, quòd calor vitalis, seu animalis specie ab elementari, seu igneo distinguatur, & primò ex varia operationum diuersitate, nam in corpore animato per caloem vitalem fit nutritio, attractio, expulsio, segregatio, & elementi distributio, quæ nunquā virt' caloris elemētaris attingere potest, R. cū distinctione, solet .n. calor naturalis vno modo accipi substantialiter, .s. pro virtute nutritiua, siuè generatiua, quæ est animæ

facul-

facultas quædam omnibus viuentibus communis, & appellatur nomine caloris accidentalis, quia ipso vtitur veluti instrumento ad suas operationes exercendas; alio modo sumitur accidentaliter pro ipso calore, qui in ipso animali immediatè sentitur, talique virtuti animasticæ veluti instrumento famulatur, vndè vitalis dicitur ab agente principali, cui inseruit, quod est vitale; Vitales operationes in argumento relatæ perficiuntur à calore vitali primo modo accepto, non secundo modo, nisi instrumentaliter, & consequenter ratio concludit solùm specificam distinctionem inter calorem elementarem, & calorem vitalem pro facultate animastica acceptum.

Ob. Medici hac ratione calorem febrilem, qui est igneæ naturæ, specie distinguunt à calore natiuo in animali, quia ille cùm augetur hûc dissipat, & disperdit, ac propterea ab eis ille appellatur innaturalis, ac naturæ inimicus; naturale autē, & innaturale eiusdem speciei esse nequeunt. R. ex Angest. Aliqui Medici tenent, calorem naturalem, & febrilem esse quasdam substantias subtiles specie differentes, licèt & cum hoc asserant earum calores, non nisi penès intensum, & remissum differre; Alij verò absolutè negant specie differre, sed tantùm penès intensum, & remissum, vndè febrim definiunt, quòd sit calor naturalis accēsus in igneū, quæ est doctrina conformis dicto Galeni, quòd si innatus calor aliūde nimium augescat in febrim euadit; & iuxta hanc diuersitatem accidentalem benè saluatur (ait Angest.) quòd vnus calor sit naturalis, alius minimè, & vnus promoueat operationes naturales, alter verò impediat, ideò nihil.

Ob. Galen. lib. 8. de Hyppoc. & Plat. decretis cap. 7. notat, ventres hyeme, & vere calidissimos esse, è contra verò æstate esse frigidiores, cùm tamen alementaris calor æstate magis vigeat, ergo huiusmodi calores differunt specie. R. neg. consequ. nam etiam hyemali tempore aqua putealis calidior est, quam æstiuo, nec tamen inde sequitur calorem aquæ esse specie diuersum ab aeris calore, cur autē venter calidior sit hyeme, & frigidior æstate, patebit infra.

Ob. Calor vitalis, & calor elementaris se inuicem interimunt, in animali.n.ægroto calor extraneus, qui igneus est, vitalem calorem dissipat, & extinguit, iuxta doctrinā Arist.4.meteor.cap.2. vbi docet, calorem internum, & natiuum animalis interire per calorem externum, & aduentitium, ergo. R. quod calor vitalis accidentaliter sumptus consistit in quadam Symmetria, & proportione, quam cum alijs qualitatibus habet, vndè temperamentum, & complexio animalis resultat, licèt ergo secundum se sit eiusdem speciei cum calore extraneo, ex sola tamen additione istius tam vehementer intenditur,

vt cum alijs qualitatibus proportionem excedat, ex quo excessu animalis temperamentum deordinatur, & dilabitur, atque ità externus calor internum destruit, non agendo velut in contrarium, sed nimium illud augendo, quomodo in causa est, vt dissoluto temperamento recedat.

Contrà, Si calor vitalis eiusdem speciei est cum extraneo, ergo ex eius additione potius perfici deberet, quam lædi. ℞. neg. consequ. nam talis calor, vt vitalis est consistit in proportione cum cæteris qualitatib. ideoque ex minima suiipsius intensione turbatur; & fuit doctrina Galeni 2. aphoris. 48. vbi ait: calor vitalis agitatione, vel defectu respirationis adauctus in febrim euadit.

Ob. Remanet in cadauere calor elementaris, recedente vitali; & calor mortui disponit ad putrefactionem, calor viui præseruat, ergo non possunt esse eiusdem speciei. ℞. ex Angest. neg. conseq. talis .n. diuersitas non oritur ex differentia specifica calorum viui, & mortui, sed ex varietate formarum substantialium, cum quibus illi calores connexi sunt; Vnde calor naturalis in subiecto, cui conuenit, vt in viuo, præseruat à putrefactione; in subiecto cui disconuenit, vt in cadauere, disponit ad putrefactionē.

Ob. Omne animal viuit per calorem ex Arist. lib. de respiratione cap. 7. sed talis non est calor elementaris, plura namque sine tali calore viuunt, vt de multis herbis, & plantis patet, quæ adeo frigida sunt, vt incurabilia venena sint, & de Salamandra traditur tanto frigore imbutam esse, vt igne aliquādiu viuat. ℞. cum Mastr. & Bellut. neg. min. necesse est .n. vt in quolibet viuēte aliquis calor elemētaris, saltē exilis reperiatur; & ratio est, quia quodlibet animal quatuor elementis constat, atq; ideò quælibet elementares qualitates, vel alias eiusdem rationis cum eis habere debet. Tum quia hic calor in animalibus exigitur, vt peculiare animæ instrumentum ad eius operationes exercendas. Tum quia quodlibet animal etiam frigidissimum, ex alio intensiori frigore perimitur, ex quo deducitur, quòd talis calor sit eiusdē rationis cum elementari, cū etiam ipse à frigore elementari destruatur.

Ob. Dandinus ex Arist. 2. de gen. animal. cap. 3. vbi distinguit calorem vitalem ab igneo, dicens, calorem vitalem, neque ignem esse, neque ab igne originem ducere, & ratio est, quia vt idem Arist. docet lib. de long. & breuit. vitæ, calor vitalis humidus esse debet, nam vita humore calido continetur, calor verò igneus est siccus, ergo specie differunt. ℞. quòd ibi Arist. calorem vitalem sumit substantialiter pro peculiari facultate animæ, vel si accipit accidentaliter, ipsum distinguit ab igneo calore ratione intensionis, aliarumque dispositionum, quas secum coniunctas habet

inde

inde concedimus calorē vitalē humidum esse, nempe cum humiditate coniunctum, sed hinc non sequitur esse diuersę speciei; alias calor in aqua ab igne productus, esset à calore ignis, specie diuersus; & frigus aquæ, quia est cum humiditate coniunctum, differret specie à frigore terræ, vbi est cum siccitate, quod nec ipse Dand. concederet.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An detur resolutio vsque ad materiam primam.

SCot. dubium hoc resoluit in 4. sent. d. 11. q. 3. vb. in viuētibus statuit pluralitatem formarum; & in 2. d. 3. q. 4. & d. 12. q. 2. & pluribus alijs in locis, vbi pro subiecto accidētium, statuit corpus, seu cōpositum, non materiam primam. Præmittimus Titulum quæstionis non esse, an in corruptione alicuius sic ad materiam primam deueniatur, vt nuda maneat absque omni forma substantiali, hoc .n. naturaliter impossibile est, vt in phys. diximus, sed sensus est, an cùm res corrumpitur, in re de nouo genita reperiatur aliquis actus siue substantialis, siue accidētalis, qui præfuit in re corrupta. Quare hæc cōtrouersia in quantum ad formas substantiales spectat, coincidit cū illa, an in composito substātiali dari possent plures formæ substantiales subordinatæ, ita quod aliqua earum in re genita seruari possit, quæ in corrupto præfuit. In quantum verò ad formas attinet accidētales, coincidit cum illa, an eadem numero accidentia, quæ præfuerūt in corrupto, permaneant in genito.

In hac celebri controuersia tres extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema est Thomist. qui ex duobus principijs in eorum schola receptissimis .s. implicare pluralitatem formarū substantialium in composito, & immediatum subiectum accidentium non esse materiam primam, sed cōpositum, consequenter affirmant in omni generatione, & corruptione, tam in formis substantialibus, quā in accidentalibus, fieri resolutionē vsque ad materiam primam, ita D. Tho. 1. p. q. 76. art. 6. & in lib. de gen. lect. 10. hanc proponit difficultatem, & resp. *Dicendum ergo, quòd non manet idem numero accidens in genito, & in corrupto, sed id, quod prius erat, corrumpitur corruptione subiecti, recedente forma, & aduenit simile accidens consequens formam denuo aduenientem*; & quòd liber gen. cit. fuerit D. Tho. omnes Thomistæ fatentur, vt videre est apud D. Antoninum, Castillo, & Alios, quidquid dicat Auersa. Item D. Tho. quodl. 1. art. 6. sic ait: *Formæ verò accidentales, quæ prius inerant disponentes ad animam, corrumpuntur quidem, non per se, sed per accidens ad corruptionem subiecti, vnde manent eadem specie, sed non eadē numero.* & q. vnica de anima art. 3. ad 19. inquit: *Cùm ergo ex hoc aere fit ignis, calor manet idem specie, sed augmentatur, non tamen idem numero, quia non*

non manet idem subiectum. Euidentissimum est igitur hanc fuisse D. Tho.sent.licèt aliqui Thomistæ affirment S. Doctorem oppositum tenuisse probabile, sed postea contrariam sententiam omnino tradidisse, cùm inuenit pro illa rationes non plenè solubiles.

Altera extrema est Auerroist. qui ex duobus principijs ex diametro oppositis Thomist.principijs.s. dari pluralitatem formarum substantialium in eodem composito; & subiectũ immediatum accidentium, præsertim quantitatis esse materiam primã,consequenter volunt in omni generatione, & corruptione non fieri resolutionem vsq; ad materiam primam,nec quò ad formas substãtiales, nec quò ad accidentales, ità Auerroes 1. de gen.com.24.Auic.Zimar. Niphus, Mercen. Zabarel. Piccolom. Philop.& Alij, cum quibusdam Nominalibus.

Tertia tandem sent. media est Scotist. qui cum Thomistis in vno tantùm principio cõueniunt, nempè non fieri resolutionem vsque ad materiam primam in accidẽtibus, cùm compositum sit proprium subiectum accidentium,& in hoc differunt cum Auerroistis, cum quib. tamen conueniunt, quòd .s. detur pluralitas formarum substãtialium saltem in viuentibus.& consequenter media via incedunt, asserentes in quibusdam corruptionibus scil. viuentium non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, quia in cadauere remanet forma mixti cum accidentibus eam consequentibus, in cæteris verò fieri vsque ad materiam primam, ità vt nulla prorsus forma, nec substantialis, nec accidentalis permaneat in genito, quæ fuerit in corrupto. ità Scot. loc. citat. quem Scotistæ communiter sequuntur.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. in viuentium interitu nõ fieri resolutionem in materiam primam. Pr. Nàm in viuentibus vltra animam, datur forma mixtionis, quæ forma corporeitatis dici solet, quatenus per diuersas formas partiales carnis, ossis, nerui, &c. dat illis illud esse corporeum, & dissimilare, quod est proprium perfectibile animæ, quæ forma remanet adhuc per aliquod interuallum post dissolutionem animę à corpore, quo tẽporis spatio dicitur forma cadaueris. sicut ante animam dicebatur embrio; remanent etiam cùm illa quamplura accidentia, quæ erant in viuente, ergo in viuentibus non fit statim, & immediatè resolutio vsque ad materiam primam. hæc conclusio est contra Thomistas, sed eam validissimè defendunt, nõ solùm Scotistę omnes, sed etiam Auerroistæ, Nominales, Bonauenturistæ nobilioris notæ, vt videre est apud Carpenedulum nostrum, cum multis alijs Philosophis in phys. relatis; Vnde rationabiliter ait Bannes, *Quot quot Theologi, & Physici, & Methaphysici sunt, contra D. Thom. coniurasse videntur,*

Pro-

Probationes huius conclusionis, cũ responsionibus, replicis videantur in phys. disp. 3. artic. 8. fol. mihi 102. vbi fusè controuersia hæc agitatur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. in alijs compositis, in quibus vna tantùm reperitur substantialis forma, fieri in eorum interitu, statim, & immediatè resolutionem vsque ad materiam primam, tam quò ad formas substantiales, quàm ad accidentales. est Scot. loc. cit. & Scotist. & quò ad primam partem ità facilè probatur: in compositis non viuentibus vna tantùm forma substantialis datur, ergo cùm corrumpuntur, fit resolutio vsq; ad materiam primam. Pr. conseq. nullam .n. aliam habent formam substantialem, vt de animatis dicebamus, quæ post eorum interitũ maneat; Vnde quantùm ad hãc partem nulla est difficultas, sed controuersia vrget de formis accidentalibus, quæ tãtùm sic probatur illo vnico fundamẽto vtriusque scholæ: Adæquatum, & proximum subiectum accidentiũ est cõpositum, non materia prima, ergo etiam in formis accidentalibus fit resolutio vsq; ad materiam primã, consequentia est euidens, si .n. cõpositum est subiectum accidentiũ, sequitur ad eius interitum omnia etiam accidentia interire, quæ in eo subiectabantur. anteced. patet ex illa cælebri quæst. an subiectum primum, adæquatum, & immediatum accidentium sit materia prima, vel compositum, quæ latè probatur in phys. disp. 5. art. 1. ex Doct. in 2. sent. d. 3. q. 4. lit. M. & in 4. d. 12. q. 3. quam prius D. Tho. loc. cit. docuerat, & quia Scotus semper ad indagandam veritatem insudabat, dum hic video ipsum Angelici Doctoris sequacem, magnam vim ad ità credendum arripio; est etiam hæc sent. D. Bonau. in 4. d. 12. p. 1. art. 2. q. 3. ad 1. vbi illud probat illo axiomate: *corruptis nobis, corrumpũtur omnia, quæ sunt in nobis*, vt de eius mente defendit etiam Marcus Baudunius noster disp. 1. de gen. sec. 6. fol. mihi 564. & ex Scriptoribus Societatis complures sunt, qui nostrã sent. probabilem putant, vt Suar. disp. 4. Meth. sec. 2. Tolet. q. 7. conclus. 4. & absolutè eam amplectitur Fõseca 8. met. cap. 1. q. 2. Conimb. 2. de gen. cap. 4. q. 18. Ruu. hic, & Vasq 1. p. q. 187. nu. 22. hanc sentẽtiam appellat *veram, certissimam, antiquam, & communem scholæ sententiam*, & nouissimè Bernardinus Mazziocta in quęst. selectis q 9. per totam.

Confirmatur nostra Conclusio: Ideò in animatis non fit resolutio vsque ad materiam primam in accidentibus, sed aliqua in corpore mortuo remanent, quia ibi duo erant composita, vnum completum, alterum incompletum, quod erat pars illius, & vnumquodq; propria habebat accidentia; illud .f. animatum, seu completum, consequentia animam; incompletum autem consequentia formam mixti, & ideò licèt pereunte corpore viuen-

te, pereant etiam accidentia, quorum erat subiectum, non tamen alia pereunt, quæ formam corporeitatis, seu mixti comitantur, quia hæc habebant pro subiecto corpus pro altera parte, non autem viuens, ac consequenter cùm illud remaneat etiam post animæ separationem, meritò ipsa quoque accidentia conseruantur; At quia composita inanimata constituuntur immediatè ex materia prima, & forma inanimata, sequitur, quòd ipsis intereuntibus omnia quoq; eorum accidentia intereant, nec vllum prorsus accidens, quod erat in corrupto, in genito permaneat.

Roboratur etiam omnibus illis auctoritatibus quibus probari solet compositum, & non materiam esse immediatum susceptiuum subiectum accidentium, nam ex cap. de subst. prima substantia primò substat accidentibus, & ea corrupta nihil remanet, & 5. de gen. 23. distinguit Arist. generationem ab alterationem, quia subiectum alterationis est ens actu, & sensibile, s. compositum, generationis autem est ens in potentia, & 7. meth. tex. 8. ait: Materiã priùs recipere formas substãtiales, postea accidẽtales; & ergò per eas non sufficienter concludatur compositum esse proprium subiectum accidentium, & non materiam, quia Auerroistæ instant illas authoritates concludere tãtùm formam substantialem esse veluti conditionem materiæ ad recipiendum accidentia, ita quod materia sit vtique semper subiectum inhæsionis accidentium, non tamen nuda, sed dependenter à forma substantiali, attamen sufficienter ostenditur nullum accidens remanere in genito, quod fuerit in corrupto, quia materia ea fouebat dependenter à forma antiqua, quod autem ab aliquo pendet, illo deficiente, destruitur: ergo quia in corruptione, forma antiqua deficit, necesse est, vt accidentia præcedentis compositi etiam pereant, quæ ab ea forma pendebant, vel in genere causæ finalis, vel efficientis, vel vt à conditione necessaria, qua de causa Zabarell. Conimb. & alij licèt asserant materiam primam esse subiectũ accidentium, quia tamen tenent accidentia foueri in ea dependẽter ab vnione cum forma, hinc consequenter affirmant, nullum accidens in genito remanere, quod in corrupto præfuerit.

Aliqui tamen quamuis cum Zabarel. teneant materiam non esse subiectum accidentium, nisi dependenter à forma substantiali veluti à conditione necessaria pro eorum receptione, non quia ipsa forma accidentibus subijciatur, sed quia, aliquo modo materiam fulcit ad ea sustentanda, adhuc tamen sustinere nituntur posse eadem accidentia, quæ in corrupto erant, remanere in genito; Ad quod sustinendum, dupliciter accidentia cõsiderant, s. vel terminata tam secũdum extensionem molis, quàm intensionem gradus; vel vt interminata,

nata, primo modo vtique dependent à subiecto forma prædictum, à qua solùm, & à materia terminatio procedit; at secundo modo, bene ex materia dependent, & ab ea educi poterunt. Vnde sic discurrũt: primò est materia, mox accidentia in ea interminata, deindè forma substantialis, & tandem accidentia terminis prædita; qua data distinctione, omnibus allatis auctoritatibus occurrunt, dicentes Arist. in illis locis locutum fuisse de accidẽtibus suos terminos habentibus, quæ non nisi in substantia composita, actuali, & sensibili ex munere formæ deriuantur, qua destructa, ipsa quoque accidentia quo ad esse terminatum pereunt.

Non valet, falsum .n. est accidẽs aliquod etiam quantitatem in materia præcedere formam substantialem in esse quodam interminato, vt diximus disp. 3. phys. artic. 19. Tum quia in augmentatione, & alteratione nunquam noua quãtitas, & qualitas acquirerentur, sed solùm earum termini; qui etiam cũ sint indiuisibiles, non in tempore, sed instanti acquirerentur, quod nec ipsi concedunt. Tũ quia quandiu forma in materia reperitur, omnia accidentia terminata sunt iuxta eius exigentiam, ergo vel nũquam materia cum accidentibus interminatis dabitur, cùm in nullo instanti detur materia sine forma, vel in aliquo instanti erit materia ponenda sine omni forma, vt eius accidentia interminata dicantur; & licèt aliqua accidentia interminata dicantur respectu formæ venturæ, quia terminari debent iuxta illius exigentiam, sunt tamen terminata respectu formæ habitæ, & quia materia semper, & in quocũque instanti est sub forma, à qua terminatio procedit, nunquam cũ accidentibus interminatis erit. Et si aliquod accidens interminatum in materia admitti deberet, hoc ad summum de sola quantitate concedi deberet, in hoc .n. sensu Auerroistæ de terminatione, & interminatione distinguunt, non de alijs accidentibus, ergo nimis licentiosè Aliqui Recentiores ad alia accidentia hoc ampliant. Tum tandem, quia per hanc distinctionem non bene satisfit auctoritatibus allatis, quòd nempe subiectum alterationis est ens actu, & sensibile, non generationis; Quòd compositũ per se, præcedit cõpositum per accid. Quòd destructis primis substantijs, impossibile est aliquid illorum remanere &c. Si .n. in corruptione rerum remaneant accidentia corrupti, siuè in esse terminato, siue interminato maneant, semper sequitur subiectum generationis esse ens sensibile, & compositum per accidens præcedere compositum per se, at destructis primis substantijs, aliquid illorum remanere .s. accidentia, quia iam quò ad suum esse absolutum remanent, licèt interminatum, & cum eis vnũ per accidens constituit. Ex his deducitur, quòd non solùm, qui com-

positum agnoscunt pro immediato subiecto accidētium, sed etiam qui ponunt materiam primam aliquo modo dependenter à forma, velut à conditione necessaria, vt consequenter loquantur, fateri debent in corruptionibus præsertim inanimatorum, dari resolutionem vsque ad materiam primam.

Obiectiones.

Ob. Auctorit. 1. de gen. 24 vbi Arist. docet in mutatione aquæ in aerem seruari eamdem perspicuitatem, & humiditatem, ergo expresse concedit idem accidēs sensibile, quod fuerit in corrupto, in re genita remanere. Nec communis responsio valet, accidentia illa communia remanere in vtroque eadem, non quidem numero, sed tantùm specie, & in hoc sensu ibi Arist. loqui, nam sequeretur tunc otiosè locutum fuisse Philosophū, quia non poterat esse dubiū, saltē specie eamdem esse humiditatem, & perspicuitatem in aqua, & aere.

Tum quia ex 5. phys. semper mutatio fit ex contrario in contrariū, nec vnquam obseruatum est, vt fiat transmutatio vnius indiuidui in alterum eiusdem speciei, vt talis responsio supponit. ℞. nihil ex tali auth. pro Aduersarijs deduci, nam vt bene aduertit Raguseus Aris. ibi nō loquitur absolutè, sed cōditionatè, ait .n. *in h s autem si aliqua maneat passio eadem contrarietatis in genito, & corrupto.* imò ex illo tex. aliquī oppositum deducūt, ait .n. inferius: *quando autem nihil permanet, cuius altera passio est, & accidens, omnino generatio, huius autem corruptio.* Sed his omnibus omissis, resp. vt in argumento, qualitates illas cōmunes in genito, & corrupto remanere easdem, non numero, sed specie, nec propterea otiosè locutus fuit Aris. nam poterat esse dubius, an qualitates, in quibus elementa conueniunt, essent eiusdem speciei, nec ne, cùm non desint, qui oppositum doceāt, vt ex dictis patet. Ad aliud quòd mutatio semper fit ex contrario in contrarium, quia terminus *ad quem*, semper fit ex termino à *quo* opposito, hoc intelligendum est de his, quæ per se fiunt, & propria acquisitione acquiruntur, non verò de illis, quæ consequenter ad alia fiunt, vt Complut. aduertunt disp. 3. q. 6. nu. 64. ideo nihil.

Sed fortius vigent alia auct. ex 2. de gen. 25 vbi Aris. docet inter elementa symbola faciliorem esse trāsitum, nam vna sola qualitas est permutanda, alteram verò permanere. Nec suffragatur aiunt cōmunis respōsio, alteram qualitatē manere eamdem specie, non numero, & quòd adhuc facilior sit conuersio inter symbola elementa, quatenus vna tantùm ex illis qualitatibus, quæ est contraria resistit, altera verò, idest Symbola facilè cedit, & sine pugna; Non valet inquiunt, nam Aris. causam assignans talis facilioris conuersionis, non ait id esse, quia vnica, vel plures qualitates resistunt, sed tantùm, quia vna sola qualitas est permutanda. ℞. vt su-

vt supra, & sufficere solutionē inter arguendum allatam; Vnde cùm Arist. dixit in elementis Symbolis faciliorem esse conuersionem, quā in dissimbolis, quia hic duæ, ibi verò vna tantùm qualitas mutatur, loquitur de mutatione propriè dicta, quæ fit de contrario in contrarium, qua mutatione in Symbolis vna tantùm permutatur qualitas, non verò de illa mutatione, seu variatione, quæ fit per solam consecutionem V.g. cùm ex aqua, generatur aer, quia aqua est frigida, & aer est calidus, tunc fit mutatio ex contrario in contrarium; at quia etiam aer est humidus, non fit quo ad hanc qualitatē mutatio de cōtrario in contrarium, quia humiditas aquæ, & humiditas aeris iam specie conueniunt; sed solùm corrupto indiuiduo humiditatis aquę generatur aliud indiuiduum humiditatis aeris, consequenter, & consecutiuè, quatenus ad productionē talis substantiæ .s. aeris, producitur etiam suū connaturale accidēs.

Sed cōtra hanc doctrinam obijcies id, quod nos contra Thomistas obijcere solemus; .s. quòd in animatis non statim fit resolutio vsq; ad materiam primam, ex eo quia in cadauere manēt quantitas, cicatrix, neuus, & alia quamplura accidentia, quæ fuerant in viuo, & ipsi respondent remanere eadem accidentia specie, non numero; & nos contra eos instantes voces attollimus, quòd negant experimentum, & sensum &c. sic in proposito contra nos obijcere possunt Auerroistę dum in generatione aeris ex aqua, vel aceti ex vino, asserimus esse eadem accidentia specie, non numero, aut ergo hæc responsio Thomistis quoque admittenda est in interitu animatorū, aut certè neq; hic, neque illic est admittenda, cū vtraque sit cōtra experientiā, & sensū.

℞. neg. sequelam, adest .n. manifesta disparitas; nam cùm interit homo, tota accidentium collectio, quæ erat in corpore animato, remanent in eodem exanimato, nullo penitus excepto ex illis, quæ formam mixti insequebantur; at quia assignari nequit causa sufficiens, à qua de nouo producantur, indè deducimus esse prorsus eadem numero, quæ priùs, vt diximꝰ in phy. disp. 3. art. 8. hoc autem non contingit in corruptione inanimatorum, nam cùm aqua conuertitur in aerem, non eadem accidentium collectio apparet; aliqua .n. penitus mutantur, vt frigiditas, imò humiditas, & perspicuitas ipsa adeò variantur, vt etiam sensu pateat non esse easdem numero, quia intensiores sunt in aere, quàm in aqua. Tum quia ex dictis in physi. disp. 5. art. 3. qualitates omnes in quantitate fundantur, sed quantitas in aqua corrupta, & aere genito variatur, ego similiter saltem numeraliter qualitates omnes variantur.

Minor est ipsius Zabarellæ, quātitatis interminatæ propugnator acerrimus lib. de gener. & interitu

cap.

Pr. 3. de qualitatib. à cælo prodeũtib. ex Aris. 2. Cæli 41. & 1. Meteor. vbi docet per motum Cæli mortalia calefieri, incendi, ac in ignem conuerti; Indè Auer. 2. de Cęlo com. 41. ait, ignem vt ab igne, ità à Cælo gigni posse, quod experientia comprobatur, dum per radios solis ex speculo concauo, palea incenditur, ergo ille calor est eiusdem speciei cum calore igneo. Tum quia eodem modo lapides, & ligna calefiunt à calore solis, aut ignis paulisper distantis, ità vt sensus tactus discernere nequeat qualis sit ille calor, an à sole, vel ab igne productus.

Item frigus elementare eodem modo opponitur vni, & alteri calori, cum eodem modo refrigeretur manus, dum aquæ immergitur, siuè ab igne, siuè à sole calefacta fuerit, vnum autem non nisi vni contrariatur ex 1. Cæli tex. 10. Tũ tandem, quia isti calores se inuicẽ intendunt, manus .n. ardore solis calefacta, si approximetur igni, adhuc magis incalescit, nõ priori calore corrupto, quia ille non impellitur, nisi à frigore; vel affirmandũ erit, vnum calorem esse alteri contrarium, sicut sunt calor, & frigus, quod falsum est.

Quartò Pr. idem de calore vitali, seu animali, quòd .s. sit eiusdem speciei cum dictis calorib. & fuit expressa sent. Arist. lib. de Iuuent. cap. 1. vbi appellat animam ignitã, idest ignis calore prædịtam; & lib. de resp. cap. 7. ait concoctionem sine calore fieri non posse, quia omnia cibum conficiunt, & in 2. de an. 130. inquit sensib. nostris inesse ignem; .s. igneum calorem, quia nihil sine tali calore sensitiuum est; & 1. de an. tex. 4. & lib. 2. de partib. animal. cap. 3. concedit animam esse causam præcipuam nutritionis, & accretionis, sed addit, ignẽ, seu calorem igneum esse instrumẽtum, quod etiam plurib. alijs in locis docet, ergo Aris. non distinxit specie calorem vitalem, & animalem à calore igneo, & elementari.

Cõfirmatur rationib. allatis pro alijs calorib. omnes .n. huiusmodi calores vniuersaliter se inuicem intendunt, & coadiuuant, si .n. manus in sinu calefacta soli exponatur, amplius incalescit, & adhuc magis si approximetur igni, & si quis cibis vescitur calidiorib. & lintea calida calore solis, vel ignis stomaco apponatur sentitur calor augeri, & operationes adiuuari. Nec huiusmodi calores expelluntur, nisi per frigus; Nec sensus vnũ calorem ab alio discernit. Item Calor ignis cælestis, vel alterius causæ, inseruit ad generationem animalium, non secus ac si esset vitalis calor, quod colligitur in genitis ex putri materia, & cùm ex cinerib. calidis, vel clibano temperato, aut fimo ex ouis pulli generãtur, non aliter quàm si eis gallina incubasset. Pr. tandem, quia licèt rerum specie differentium, debeãt esse diuersæ proprietates specificæ consequentes formas ipsas substãtiales,

Pr. 5.

tiales, non tamen oportet, vt talia in nulla prorsus qualitate specifica conueniant, alioquin potentia videndi hominis, & bouis non esset eiusdem speciei, quod falsum putat Doctor in 2. d. 1. q. 6. D. Vbi scitè satis se examplificat de passionib. entis, dicens: *Sicut passiones entis cōtinentur per identitatem in entib. quantumcumq; distinctis, & tamen illæ passiones in eis non distinguuntur specie, vnitas .n. lapidis, & vnitas hominis, non ita distinguuntur formaliter specie, sicut homo, & lapis.* Concludendū est igitur, quòd calor, & quæcumq; alia qualitas in quibuscumq; subiectis reperiatur eiusdem sit speciei, & nō differre nisi secundū magis, & minus, & penès alia varia accidentia eis connexa, & hoc fortè Auctores primæ sent. innuere voluerunt.

Obiectiones.

Ob. 1. quòd Symbolæ qualitates elementorum specie ab inuicem differant. Diuersa specie subiecta diuersas habent proprietates, sed elementa differunt specie, & primę qualitates sunt eorum passiones, ergo, &c. ℞. cum Scot. q. vlt. vniuers. ad 1. Princ. negando primas qualitates esse proprietates elemētorum, sed potius esse accidentia ab elementis realiter distincta, & plurib. conuenientia, possunt tamē dici proprietates, quatenus in certo gradu determinatè vni elemento, & non alteri conueniunt, in quo sensu sunt accidentia ab eis inseparabilia, &c. & quando etiam essent veræ proprietates. ℞. vt supra ex Doctrina Scoti se exemplificantis de passionib. entis, &c.

Ob. ab effectu: Qualitates Symbolæ in elementis producunt effectus specie diuersos; ergo distinguuntur specie. Pr. conseq. nam effectus distincti specie non possūt à causis omnino eiusdem speciei prouenire. Pr. antec. nam humiditas aerea, vt in oleo patet, in quo prædominatur aer, fouet, & nutrit ignem; humiditas verò aquea extinguit, & non ratione frigiditatis illum extinguit, quia quantumuis calefacta adhuc ipsum extinguit. ℞. neg. antec. si de effectib. per se, & immediatis loquamur, nam tales semper ijdem sunt in quibuscumq; elementis Symbolis, quod patet discurrendo per omnes, cuiuscumque .n. caloris primarius, & per se effectus est calefacere, humiditas est humectare, & sic de reliquis; Quod si aliquando diuersas edant operationes, & secundarios effectus, non ex diuersa essentia illarū qualitatum prouenit, sed ex diuersa dispositione subiecti, & varia aliorum accidentium mixtione, quæ illarum qualitatum operationes diuersimodè modificant, & accidentaliter variant, vt etiam in secundis qualitatib. apparet, nam dulce cum vno sapore coniunctum diuerso modo sensum afficit, ac cū alio; sic itaq; in proposito. Quòd aqua non extinguat ignem ratione frigiditatis, falsum est, sed cum humiditate, etiam frigiditas suo modo concurrit, semper .n. aqua ali-

quem gradum frigiditatis retinet quantumuis calida sit, quandiu aqua est, cui igni resistere nõ potest, debet tamen frigiditas coniuncta esse cum humido vaporoso, vt tale opus efficiat, cuius defectu aer quãtumcumque frigidus ignem non extinguit, nisi sit aliquo vapore respersus; Vnde humiditas ignem extinguit per modum suffocationis, vt Tatar. & Angest. aduertunt, nam ignis continuè generatur, & cõseruatur per eductionem subtilis exalationis è poris, quos aqua superinfusa ob eius densitatem statim claudit, & ità ignis deficit; quæ fuit doctrina Arist. 4. Meteor. sum. 3. cap. 2. humiditas verò aerea non impedit huiusmodi generationem, cùm ob suam tenuitatem facilè fit permeabilis.

Sed Contra obijcies, oleum est crassius aqua, & tamen ignem non extinguit, imò nec sub cineribus, quæ crassiores sunt, suffocatur, sed conseruatur, ergo allata ratio extinsionis ignis non est rectè assignata. ℞. eadem ratione, si oleum in magna copia super ignem effundatur, ipsũ extingueret, leuiter verò effusum ignem nutrit, & in flammam conuertitur; causa est, quia cum tali crassitie multam habet pinguedinẽ cum aliqua siccitate admixtam, ratione cuius admixtionis facilè calorem igneum concipit, in tenuem transit exhalationem, & inflammatur. Cinis opertum ignem conseruat, & quia siccissima est, & quia de se est valdè friabilis, & cõminuta, & consequenter facilè transpirationem admittit.

Ob. caliditas ignis contrariatur humiditati aeris, quia illã absumit, non autem ipsa caliditas aeris, cùm stent simul, ergo specie differunt. ℞. neg. cõseq. igneus .n. calor ideò vrit, & omnem consumit humiditatem, quia summus est, non ità calor aereus; tum quia annexam habet siccitatem, quæ directè humiditati opponitur.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quòd aqua calefacta esset aer, nam est calida, & humida; aer refrigeratus esset aqua, quia tunc esset frigidus, & humidus, terra calefacta esset ignis, cùm tunc esset calida, & sicca, ℞. neg. consequ. & ratio est, quia ad constitutionem aeris non sufficit qualibet caliditas, & humiditas, sed in certo gradu, in quo determinatè procedunt à forma substantiali aeris, quod in aqua calida non contingit, & sic de alijs.

Ob. Siccitas terræ sibi determinat intensam frigiditatem, & densitatem, siccitas verò ignis summã raritatem, & caliditatem, ergo differunt specie. ℞. neg. antec. Siccitas .n. in se simpliciter, & absolutè cõsiderata nec frigus, nec calorem sibi determinat, sed est ad vtrumq; indifferens; Forma verò terræ, vel ignis est, quę exigit siccitatem cum frigore, vel calore coniuncta, sicut albedo non magis exigit coniungi cum dulcedine, quàm cum amaritudine, sed solùm vt in lacte, vel tali mixto reperitur, &c.

Ob. Tan-

Ob. Tandem Virtutes motiuæ elementorum, licèt Symbolæ sint, inter se tamen specie differunt, vt in lib. de Cœlo patebit, nēpè grauitas terræ, & aquæ; leuitas ignis, & aeris, ergo sic etiam qualitates actiuæ, cùm illæ ab istis procedant .s. grauitas à frigore, & leuitas à calore. ℞. neg. conseq. nam leuitas, & grauitas sequuntur mixtionem plurium primarum qualitatū, & nō à solo calore, vel frigore procedunt. Cur verò virtutes illæ motiuæ inter se specie differunt, videbitur infra.

Quoniam D. Thomas 2. L. Geren. cap. 73. vult, quòd calor seminis, animalis, & Cœli, & ignis differant specie, hinc M. Iacob. Brun. hic qu. 9. art. 3. fol. 250. sic quæstionem resoluit: Illas qualitates symbolas differre specie, & petere effectus diuersos specie, non in ratione qualitatis sensibilis, sed in ratione proprietatum ex Bannez. cap. 3. q. 4. Non valet, nam inter proprium quarto modo sumptum, & qualitatem in genere qualitatis non datur medium, cùm sit vna simplex entitas; quomodò ergo vocat hanc entitatem, & qualitatem, & proprietatem; & ratione qualitatis non differunt specie, ratione verò proprietatis differunt specie. Si qualitates symbolæ sunt proprietates in 4. modo, & conuertibiles cum suis subiectis specificis, semper sic erunt, & quia subiecta specie distinguuntur, sic etiam & huiusmodi proprietates, nā proprietas quæ conuenit homini, non potest leoni competere, quia sic non conueniret omni, soli, & semper, quomodo deinde in ratione qualitatum non differunt specie? Iam concedunt Thomistæ q̄ Prædicamenta sunt impermixta, & in alio prædicamento est qualitas, in alio prædicamento est proprietas, nec ad libitum distinctionibus vti debemus ad argumenta illudēda. Vna est veritas, & quia nos tenemus has qualitates esse accidentia communia, quamuis inseparabilia in elemētis, inde discurrimus huiusmodi qualitates non differre specie. Vel dicendum cum Scoto, vt de passionib. entis, &c.

Secundò arguitur, quòd qualitates symbolæ mixtorum differant specie ab elementaribus, & præsertim Pr. auth. Scoti pluribus in locis, sed præcipuè in 2. d. 15. q. vni. ad 2. princ. lit. F. & d. 19. q. vnic. lit. A. vbi inter qualitates mixtorum, & elementorum symbolas, specificam infert differētiam propter diuersitatem operationum, ex quibus locis Aliqui Scotist. ad oppositum defluxerunt, Alij verò de mente Doctoris ancipites remanserunt. Sed de mente Scoti nullatenus dubitandum est, vt ex locis supracitatis in conclusione clarè colligitur. Nec ex locis modo allatis oppositum deducitur, ibi .n. Doctor nūm excludere intēdit identitatē nūmericā, ex ratione ductus, quia nec elementa, nec eorum qualitates manent in mixto formaliter, nō

Y 2 tamen

tamen specificã excludit, immò ibi manifestè docet qualitates symbolas mixtorum, & elementorum esse consimiles, quod de identitate specifica necessariò intelligendum est, alioquin potius dissimiles forent, cùm specifica diuersitas dissimilitudinem inducat, locus verò in 2. d. 15. cit. vbi Doct. diuersitatem specificam insinuare videtur, non est fidelis Doctoris textus, sed extranea additio, & vt talis à Marginistis notata, & quando etiam ibi, vel alibi haberetur; exponendum est non de distinctione specifica, & essentiali, sed de accidentali tantùm. Ita Mastr. & Bell. fideliter Doct. exponunt.

Tertiò ob. quòd calor Cœlestis sit specie diuers° à sublunari, quod facile Pr. ex diuersis eorum attributis, nam Calor Cœlestis dicitur temperatus, salutaris, beneficus, cuius beneficio omnia gignuntur, aluntur, & conseruantur. Vndè Arist. 2. phys. ait Sol, & homo generant hominem, è contra verò igneus calor dicitur adustiuus, noxius, & lethificus, nam vrit, & exiccat, ac omnia in cineres reducit. Patet etiam experientia, hi .n. calores non se inuicem fouent, & intendunt, sed potius vnus alterum destruit, nam parua candela extinguitur æstate à solaribus radijs, qui tunc temporis ardentissimi sunt. R. quòd etiam calor cælestis cùm est nimis vehemens necat, hinc Iudit. cap. 8. vir eius Manasses hac de causa interijsse dicitur, & è contra igneus calor moderatus satis confert, & delectat, vt hyemali tēpore patet. Licèt igitur regulariter loquendo calor cælestis sit magis salutaris, & proficuus ex cōsortio aliarum influentiarum, quàm elementaris, hoc tamen inter eos specificam, & essentialem diuersitatem non inducit, sed tantùm accidentalē. Experiētia assignata, vel nihil probat, vel probat etiam vnū ignem elementarem ab alio elemētari specie differre, nam fax exiguam candelam sibi oppositam extinguit; Sicut igitur id non oritur ex oppositione illarum flammarū, sed aliundè .s. quia aer vehementi flamma rarescit, & cōmouetur, ex qua commotione parua flāma extinguitur, qua etiā de causa experimur non posse extrahi candelam accensam per mediam flammam, sed ex latere accenditur, ita in proposito dicendum, quòd nempe cādela accensa solaribus radijs exposita restinguitur ob commotionē aeris ex æstu radiorum productam.

Arguitur tādem, quòd calor vitalis, seu animalis specie ab elementari, seu igneo distinguatur, & primò ex varia operationum diuersitate, nam in corpore animato per caloem vitalem fit nutritio, attractio, expulsio, segregatio, & elementi distributio, quæ nunquā virt° caloris elemētaris attingere potest, R. cū distinctione, solet .n. calor naturalis vno modo accipi substantialiter, .s. pro virtute nutritiua, siuè generatiua, quæ est animæ facul-

facultas quædam omnibus viuentibus communis, & appellatur nomine caloris accidentalis, quia ipso vtitur veluti instrumento ad suas operationes exercendas; alio modo sumitur accidentaliter pro ipso calore, qui in ipso animali immediatè sentitur, talique virtuti animasticæ veluti instrumento famulatur, vndè vitalis dicitur ab agente principali, cui inseruit, quod est vitale; Vitales operationes in argumento relatæ perficiuntur à calore vitali primo modo accepto, non secundo modo, nisi instrumentaliter, & consequenter ratio concludit solùm specificam distinctionem inter calorem elementarem, & calorem vitalem pro facultate animastica acceptum.

Ob. Medici hac ratione calorem febrilem, qui est igneæ naturæ, specie distinguunt à calore natiuo in animali, quia ille cùm augetur hùc dissipat, & disperdit, ac propterea ab eis ille appellatur innaturalis, ac naturæ inimicus; naturale autē, & innaturale eiusdem speciei esse nequeunt. ℞. ex Angest. Aliqui Medici tenent, calorem naturalem, & febrilem esse quasdam substantias subtiles specie differentes, licèt & cum hoc asserant earum calores, non nisi penès intensum, & remissum differre; Alij verò absolutè negant specie differre, sed tantùm penès intensum, & remissum, vndè febrim definiunt, quòd sit calor naturalis accessus in igneū, quæ est doctrina conformis dicto Galeni, quòd si innatus calor aliūde nimium augescat in febrim euadit; & iuxta hanc diuersitatem accidentalem benè saluatur (ait Angest.) quòd vnus calor sit naturalis, alius minimè, & vnus promoueat operationes naturales, alter verò impediat, ideò nihil.

Ob. Galen. lib. 8. de Hyppoc. & Plat. decretis cap. 7. notat, ventres hyeme, & vere calidissimos esse, è contra verò æstate esse frigidiores, cùm tamen alementaris calor æstate magis vigeat, ergo huiusmodi calores differunt specie. ℞. neg. consequ. nam etiam hyemali tempore aqua putealis calidior est, quam æstiuo, nec tamen inde sequitur calorem aquæ esse specie diuersum ab aeris calore, cur autē venter calidior sit hyeme, & frigidior æstate, patebit infra.

Ob. Calor vitalis, & calor elementaris se inuicem interimunt, in animali n. ægroto calor extraneus, qui igneus est, vitalem calorem dissipat, & extinguit, iuxta doctrinā Arist. 4. meteor. cap. 2. vbi docet, calorem internum, & natiuum animalis interire per calorem externum, & aduentitium, ergo. ℞. quod calor vitalis accidentaliter sumptus consistit in quadam Symetria, & proportione, quam cum alijs qualitatibus habet, vndè temperamentum, & complexio animalis resultat, licèt ergo secundum se sit eiusdem speciei cum calore extraneo, ex sola tamen additione istius tam vehementer intenditur

vt cum alijs qualitatibus proportionem excedat, ex quo excessu animalis temperamentum deordinatur, & dilabitur, atque ita externus calor internum destruit, non agendo velut in contrarium, sed nimium illud augendo, quomodo in causa est, vt dissoluto temperamento recedat.

Contra, Si calor vitalis eiusdem speciei est cum extraneo, ergo ex eius additione potius perfici deberet, quam lædi. ℞. neg. consequ. nam talis calor, vt vitalis est consistit in proportione cum cæteris qualitatib. ideoque ex minima suiipsius intensione turbatur; & fuit doctrina Galeni 2. aphoris. 48. vbi ait: calor vitalis agitatione, vel defectu respirationis adauctus in febrim euadit.

Ob. Remanet in cadauere calor elementaris, recedente vitali; & calor mortui disponit ad putrefactionem, calor viui præseruat, ergo non possunt esse eiusdem speciei. ℞. ex Angest. neg. conseq. talis .n. diuersitas non oritur ex differentia specifica calorum viui, & mortui, sed ex varietate formarum substantialium, cum quibus illi calores connexi sunt; Vnde calor naturalis in subiecto, cui conuenit, vt in vino, præseruat à putrefactione; in subiecto cui disconuenit, vt in cadauere, disponit ad putrefactionē.

Ob. Omne animal viuit per calorem ex Arist. lib. de respiratione cap. 7. sed talis non est calor elementaris, plura namque sine tali calore viuunt, vt de multis herbis, & plantis patet, quæ adeo frigida sunt, vt incurabilia venena sint, & de Salamandra traditur tanto frigore imbutam esse, vt igne aliquandiu viuat. ℞. cum Mastr. & Bellut. neg. min. necesse est .n. vt in quolibet viuēte aliquis calor elemētaris, saltē exilis reperiatur; & ratio est, quia quodlibet animal quatuor elementis constat, atq; ideò quælibet elementares qualitates, vel alias eiusdem rationis cum eis habere debet. Tum quia hic calor in animalibus exigitur, vt peculiare animæ instrumentum ad eius operationes exercendas. Tum quia quodlibet animal etiam frigidissimum, ex alio intensiori frigore perimitur, ex quo deducitur, quòd talis calor sit eiusdē rationis cum elementari, cū etiam ipse à frigore elementari destruatur.

Ob. Dandinus ex Arist. 2. de gen. animal. cap. 3. vbi distinguit calorem vitalem ab igneo, dicens, calorem vitalem, neque ignem esse, neque ab igne originem ducere, & ratio est, quia vt idem Arist. docet lib. de long. & breuit. vitæ, calor vitalis humidus esse debet, nam vita humore calido continetur, calor vero igneus est siccus, ergo specie differunt. ℞. quòd ibi Arist. calorem vitalem sumit substantialiter pro peculiari facultate animæ, vel si accipit accidentaliter, ipsum distinguit ab igneo calore ratione intensionis, aliarumque dispositionum, quas secum coniunctas habet

inde

inde concedimus calorē vitalē humidum esse, nempe cum humiditate coniunctum, sed hinc non sequitur esse diuersę speciei; aliàs calor in aqua ab igne productus, esset à calore ignis, specie diuersus; & frigus aquæ, quia est cum humiditate coniunctum, differret specie à frigore terræ, vbi est cum siccitate, quod nec ipse Dand. concederet.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An detur resolutio vsque ad materiam primam.

SCot. dubium hoc resoluit in 4. sent. d. 11. q. 3. vb. in viuētibus statuit pluralitatem formarum; & in 2. d. 3. q. 4. & d. 12. q. 2. & pluribus alijs in locis, vbi pro subiecto accidētium, statuit corpus, seu cōpositum, non materiam primam. Præmittimus Titulum quæstionis non esse, an in corruptione alicuius sic ad materiam primam deueniatur, vt nuda maneat absque omni forma substantiali, hoc .n. naturaliter impossibile est, vt in phys. diximus, sed sensus est, an cùm res corrumpitur, in re de nouo genita reperiatur aliquis actus siue substantialis, siue accidētalis, qui præfuit in re corrupta. Quare hæc cōtrouersia in quantum ad formas substantiales spectat, coincidit cū illa, an in composito substātiali dari possent plures formæ substantiales subordinatæ, ità quod aliqua earum in re genita seruari possit, quæ in corrupto præfuit. In quantum verò ad formas attinet accidētales, coincidit cum illa, an eadem numero accidentia, quæ præfuerūt in corrupto, permaneant in genito.

In hac celebri controuersia tres extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema est Thomist. qui ex duobus principijs in eorum schola receptissimis .s. implicare pluralitatem formarū substantialium in composito; & immediatum subiectum accidentium non esse materiam primam, sed cōpositum, consequenter affirmant in omni generatione, & corruptione, tam in formis substantialibus, quā in accidentalibus, fieri resolutionē vsque ad materiam primam, ita D. Tho. 1. p. q. 76. art. 6. & in lib. de gen. lect. 10. hanc proponit difficultatem, & resp. *Dicendum ergo, quòd non manet idem numero accidens in genito, & in corrupto, sed id, quod prius erat, corrumpitur corruptione subiecti, recedente forma, & aduenit simile accidens consequens formam denuo aduenientem*; & quòd liber gen. cit. fuerit D. Tho. omnes Thomistæ fatentur, vt videre est apud D. Antoninum, Castillo, & Alios, quidquid dicat Auersa. Item D. Tho. quodl. 1. art. 6. sic ait: *Formæ verò accidentales, quæ prius inerant disponentes ad animam, corrumpuntur quidem, non per se, sed per accidens ad corruptionem subiecti, vnde manent eadem specie, sed non eadē numero.* & q. vnica de anima art. 3. ad 19. inquit: *Cùm ergo ex hoc aere fit ignis, calor manet idem specie, sed augmentatur, non tamen idem numero, quia non*

non manet idem subiectum. Euidentissimum est igitur hanc fuisse D. Tho. sent. licèt aliqui Thomistæ affirment S. Doctorem oppositum tenuisse probabile, sed postea contrariam sententiam omnino tradidisse, cùm inuenit pro illa rationes non plenè solubiles.

Altera extrema est Auerroist. qui ex duobus principijs ex diametro oppositis Thomist. principijs. s. dari pluralitatem formarum substantialium in eodem composito; & subiectū immediatum accidentium, præsertim quantitatis esse materiam primā, consequenter volunt in omni generatione, & corruptione non fieri resolutionem vsq; ad materiam primam, nec quò ad formas substātiales, nec quò ad accidentales, itá Auerroes 1. de gen. com. 24. Auic. Zimar. Niphus, Mercen. Zabarel. Piccolom. Philop. & Alij, cum quibusdam Nominalibus.

Tertia tandem sent. media est Scotist. qui cum Thomistis in vno tantùm principio cōueniunt, nempè non fieri resolutionem vsque ad materiam primam in accidētibus, cùm compositum sit proprium subiectum accidentium, & in hoc differunt cum Auerroistis, cum quib. tamen conueniunt, quòd. s. detur pluralitas formarum substātialium saltem in viuentibus, & consequenter media via incedunt, asserentes in quibusdam corruptionibus scil. viuentium non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, quia in cadauere remānet forma mixti cum accidentibus eam consequentibus, in cæteris verò fieri vsque ad materiam primam, itá vt nulla prorsus forma, nec substantialis, nec accidentalis permaneat in genito, quæ fuerit in corrupto, itá Scot. loc. citat. quem Scotistæ communiter sequuntur.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. in viuentium interitu nō fieri resolutionem in materiam primam. Pr. Nām in viuentibus vltra animam, datur forma mixtionis, quæ forma corporeitatis dici solet, quatenus per diuersas formas partiales carnis, ossis, nerui, &c. dat illis illud esse corporeum, & dissimilare, quod est proprium perfectibile animæ, quæ forma remanet adhuc per aliquod interuallum post dissolutionem animę à corpore, quo tēporis spatio dicitur forma cadaueris. sicut ante animam dicebatur embrio; remanent etiam cùm illa quamplura accidentia, quæ erant in viuente, ergo in viuentibus non fit statim, & immediatè resolutio vsque ad materiam primam. hæc conclusio est contra Thomistas, sed eam validissimè defendunt, nō solùm Scotistę omnes, sed etiam Auerroistæ, Nominales, Bonauenturistæ nobilioris notæ, vt videre est apud Carpenedulum nostrum, cum multis alijs Philosophis in phys. relatis; Vnde rationabiliter ait Bannes, *Quot quot Theologi, & Physici, & Methaphysici sunt, contra D. Thom. coniurasse videntur*,

Pro-

Probationes huius conclusionis, cũ responsionibus, replicis videantur in phys. disp. 3. artic. 8. fol. mihi 102. vbi fusè controuersia hæc agitatur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. *in alijs compositis, in quibus vna tantùm reperitur substantialis forma, fieri in eorum interitu, statim, & immediatè resolutionem vsque ad materiam primam, tam quò ad formas substantiales, quàm ad accidentales*. est Scot. loc. cit. & Scotist. & quò ad primam partem ità facilè probatur: in compositis non viuentibus vna tantùm forma substantialis datur, ergo cùm corrumpuntur, fit resolutio vsq; ad materiam primam. Pr. conseq. nullam .n. aliam habent formam substantialem, vt de animatis dicebamus, quæ post eorum interitũ maneat; Vnde quantùm ad hãc partem nulla est difficultas, sed controuersia vrget de formis accidentalibus, quæ tãtùm sic probatur illo vnico fundaméto vtriusque scholæ: Adæquatum, & proximum subiectum accidentiũ est cõpositum, non materia prima, ergo etiam in formis accidentalibus fit resolutio vsq; ad materiam primã, consequentia est euidens, si .n. cõpositum est subiectum accidentiũ, sequitur ad eius interitum omnia etiam accidentia interire, quæ in eo subiectabantur. anteced. patet ex illa cælebri quæst. an subiectum primum, adæquatum, & immediatum accidentium sit materia prima, vel compositum, quæ latè probatur in phys. disp. 5. art. 1. ex Doct. in 2. sent. d. 3. q. 4. lit. M. & in 4. d. 12. q. 3. quam prius D. Tho. loc. cit. docuerat, & quia Scotus semper ad indagandam veritatem insudabat, dum hic video ipsum Angelici Doctoris sequacem, magnam vim ad ità credendum arripio; est etiam hæc sent. D. Bonau. in 4. d. 12. p. 1. art. 2. q. 3. ad 1. vbi illud probat illo axiomate: *corruptis nobis, corrumpũtur omnia, quæ sunt in nobis*, vt de eius mente defendit etiam Marcus Baudunius noster disp. 1. de gen. sec. 6. fol. mihi 564. & ex Scriptoribus Societatis complures sunt, qui nostrã sent. probabilem putant, vt Suar. disp. 4. Meth. sec. 2. Tolet. q. 7. conclus. 4. & absolutè eam amplectitur Fõseca 8. met. cap. 1. q. 2. Conimb. 1. de gen. cap. 4. q. 18. Rum. hic, & Vasq 1. p. q. 187. nu. 22. hanc sententiam appellat *veram, certissimam, antiquam, & communem scholæ sententiam*, & nouissime Bernardinus Mazziotta in quæst. selectis q 9. per totam.

Confirmatur nostra Conclusio: Ideò in animatis non fit resolutiò vsque ad materiam primam in accidentibus, sed aliqua in corpore mortuo remanent, quià ibi duo erant composita, vnum completum, alterum incompletum, quod erat pars illius, & vnumquodq; propria habebat accidentia; illud .s. animatum, seu completum, consequentia animam; incompletum autem consequentia formam mixti; & ideò licèt pereunte corpore viuente,

te,

te, pereant etiam accidentia, quorum erat subiectum, non tamen alia pereunt, quæ formam corporeitatis, seu mixti comitantur, quia hæc habebant pro subiecto corpus pro altera parte, non autem viuens, ac consequenter cum illud remaneat etiam post animæ separationem, meritò ipsa quoque accidentia conseruantur; At quia composita inanimata constituuntur immediatè ex materia prima, & forma inanimata, sequitur, quòd ipsis intereuntibus omnia quoq; eorum accidentia intereant, nec ullum prorsus accidens, quod erat in corrupto, in genito permaneat.

Roboratur etiam omnibus illis auctoritatibus quibus probari solet compositum, & non materiam esse immediatum susceptiuum subiectum accidentium, nam ex cap. de subst. prima substantia primò substat accidentibus, & ea corrupta nihil remanet, & 5. de gen. 23. distinguit Arist. generationem ab alterationem, quia subiectum alterationis est ens actu, & sensibile, s. compositum, generationis autem est ens in potentia, & 7. meth. tex. 8 ait: Materiā priùs recipere formas substātiales, postea accidētales; & ergò per eas non sufficienter concludatur compositum esse proprium subiectum accidentium, & non materiam, quia Auerroistæ instant illas authoritates concludere tātùm formam substantialem esse veluti conditionem materiæ ad recipiendum accidentia, ita quod materia sit vtique semper subiectum inhæsionis accidentium, non tamen nuda, sed dependenter à forma substantiali, attamen sufficienter ostenditur nullum accidens remanere in genito, quod fuerit in corrupto, quia materia ea fouebat dependenter à forma antiqua, quod autem ab aliquo pendet, illo deficiente, destruitur: ergo quia in corruptione, forma antiqua deficit, necesse est, vt accidentia præcedentis compositi etiam pereant, quæ ab ea forma pendebant, vel in genere causæ finalis, vel efficientis, vel vt à conditione necessaria, qua de causa Zabarell. Conimb. & alij licèt asserant materiam primam esse subiectū accidentium, quia tamen tenent accidentia foueri in ea dependēter ab vnione cum forma, hinc consequenter affirmant, nullum accidens in genito remanere, quod in corrupto præfuerit.

Aliqui tamen quamuis cum Zabarel. teneant materiam non esse subiectum accidentium, nisi dependenter à forma substantiali veluti à conditione necessaria pro eorum receptione, non quia ipsa forma accidentibus subijciatur, sed quia aliquo modo materiam fulcit ad ea sustentanda, adhuc tamen sustinere nituntur posse eadem accidentia, quæ in corrupto erant, remanere in genito: Ad quod sustinendum, dupliciter accidentia considerant, s. vel terminata tam secūdum extensionem molis, quàm intensionem gradus; vel vt interminata,

nata, primo modo vtique dependent à subiecto forma prædictum, à qua solùm, & à materia terminatio procedit; at secundo modo, benè ex materia dependent, & ab ea educi poterunt, Vnde sic discurrũt: primò est materia, mox accidentia in ea interminata, deindè forma substantialis, & tandem accidentia terminis prædita; qua data distinctione, omnibus allatis auctoritatibus occurrunt, dicentes Arist. in illis locis locutum fuisse de accidẽtibus suos terminos habentibus, quæ non nisi in substantia composita, actuali, & sensibili ex munere formæ deriuantur, qua destructa, ipsa quoque accidentia quo ad esse terminatum pereunt.

Non valet, falsum .n. est accidẽs aliquod etiam quantitatem in materia præcedere formam substantialem in esse quodam interminato, vt diximus disp. 3. phys. artic. 19. Tum quia in augmentatione, & alteratione nunquam noua quãtitas, & qualitas acquirerentur, sed solùm earum termini; qui etiam cũ sint indiuisibiles, non in tempore, sed instanti acquirerentur, quod nec ipsi concedunt. Tũ quia quandiu forma in materia reperitur, omnia accidentia terminata sunt iuxta eius exigentiam, ergo vel nũquam materia cum accidentibus interminatis dabitur, cùm in nullo instanti detur materia sine forma, vel in aliquo instanti erit materia ponenda sine omni forma, vt eius accidentia interminata dicantur; & licèt aliqua accidentia interminata dicantur respectu formæ venturæ, quia terminari debent iuxta illius exigentiam, sunt tamen terminata respectu formæ habitæ, & quia materia semper, & in quocũque instanti est sub forma, à qua terminatio procedit, nunquam cũ accidentibus interminatis erit. Et si aliquod accidens interminatum in materia admitti deberet, hoc ad summum de sola quantitate concedi deberet, in hoc .n. sensu Auerroistæ de terminatione, & interminatione distinguunt, non de alijs accidentibus, ergo nimis licentiosè Aliqui Recentiores ad alia accidentia hoc ampliant. Tum tandem, quia per hanc distinctionem non bene satisfit auctoritatibus allatis, quòd nempe subiectum alterationis est ens actu, & sensibile, non generationis; Quòd compositũ per se, præcedit cõpositum per accid. Quòd destructis primis substantijs, impossibile est aliquid illorum remanere &c. Si .n. in corruptione rerum remaneant accidentia corrupti, siuè in esse terminato, siue interminato maneant, semper sequitur subiectum generationis esse ens sensibile, & compositum per accidens præcedere compositum per se, ac destructis primis substantijs, aliquid illorum remanere .s. accidentia, quia iam quò ad suum esse absolutum remanent, licèt interminatum, & cum eis vnũ per accidens constituit. Ex his deducitur, quòd non solùm, qui com-

positum agnoscunt pro immediato subiecto accidentium, sed etiam qui ponunt materiam primam aliquo modo dependenter à forma, velut à conditione necessaria, vt consequenter loquantur, fateri debent in corruptionibus præsertim inanimatorum, dari resolutionem vsque ad materiam primam.

Obiectiones.

Ob. Auctorit. 1. de gen. 24 vbi Arist. docet in mutatione aquæ in aerem seruari eamdem perspicuitatem, & humiditatem, ergo expresse concedit idem accidēs sensibile, quod fuerit in corrupto, in re genita remanere. Nec communis responsio valet, accidentia illa communia remanere in vtroque eadem, non quidem numero, sed tantùm specie, & in hoc sensu ibi Arist. loqui, nam sequeretur tunc otiosè locutum fuisse Philosophū, quia non poterat esse dubiū, saltē specie eamdem esse humiditatem, & perspicuitatem in aqua, & aere.

Tum quia ex 5. phys. semper mutatio fit ex contrario in contrariū, nec vnquam obseruatum est, vt fiat transmutatio vnius indiuidui in alterum eiusdem speciei, vt talis responsio supponit. ℞. nihil ex tali auth. pro Aduersarijs deduci, nam vt bene aduertit Raguseus Aris. ibi nō loquitur absolutè, sed cōditionatè, ait .n. *in h.s autem si aliqua maneat passio eadem contrarietatis in genito, & corrupto.* imò ex illo tex. aliquī oppositum deducūt, ait .n. inferius: *quando autem nihil permaneat, cuius altera passio est, & accidens, omnino generatio, huius autem corruptio.* Sed his omnibus omissis, resp. vt in argumento, qualitates illas cōmunes in genito, & corrupto remanere easdem, non numero, sed specie, nec propterea otiosè locutus fuit Aris. nam poterat esse dubius, an qualitates, in quibus elementa conueniunt, essent eiusdem speciei, nec ne, cùm non desint, qui oppositum doceāt, vt ex dictis patet. Ad aliud quòd mutatio semper fit ex contrario in contrarium, quia terminus ad *quem*, semper fit ex termino à *quo* opposito, hoc intelligendum est de his, quæ per se fiunt, & propria acquisitione acquiruntur, non verò de illis, quæ consequenter ad alia fiunt, vt Complut. aduertunt disp. 3. q. 6. nu. 64. ideo nihil.

Sed fortius vrgent alia auct. ex 2. de gen. 25 vbi Aris. docet inter elementa symbola faciliorem esse trāsitum, nam vna sola qualitas est permutanda, alteram verò permanere. Nec suffragatur aiunt cōmunis respōsio, alteram qualitatē manere eamdem specie, non numero, & quòd adhuc facilior sit conuersio inter symbola elementa, quatenus vna tantùm ex illis qualitatibus, quæ est contraria resistit, altera verò, idest Symbola facilè cedit, & sine pugna; Non valet inquiunt, nam Aris. causam assignans talis facilioris conuersionis, non ait id esse, quia vnica, vel plures qualitates resistunt, sed tantùm, quia vna sola qualitas est permutanda. ℞. vt su-

vt supra, & sufficere solutionē inter arguendum allatam; Vnde cùm Arist. dixit in elementis Symbolis faciliorem esse conuersionem, quā in dissimbolis, quia hic duæ, ibi verò vna tantùm qualitas mutatur, loquitur de mutatione propriè dicta, quæ fit de contrario in contrarium, qua mutatione in Symbolis vna tantùm permutatur qualitas, non verò de illa mutatione, seu variatione, quæ fit per solam consecutionem V.g. cùm ex aqua generatur aer, quia aqua est frigida, & aer est calidus, tunc fit mutatio ex contrario in contrarium; at quia etiam aer est humidus, non fit quo ad hanc qualitatē mutatio de contrario in contrarium, quia humiditas aquæ, & humiditas aeris iam specie conueniunt) sed solùm corrupto indiuiduo humiditatis aquę generatur aliud indiuiduum humiditatis aeris, consequenter, & consecutiuè, quatenus ad productionē talis substantiæ .s. aeris, producitur etiam suū connaturale accidēs.

Sed cōtra hanc doctrinam obijcies id, quod nos contra Thomistas obijcere solemus; .s. quòd in animatis non statim fit resolutio vsq; ad materiam primam, ex eo quia in cadauere manēt quantitas, cicatrix, neuus, & alia quamplura accidentia, quæ fuerant in viuo, & ipsi respondent remanere eadem accidentia specie, non numero; & nos contra eos instanter voces attollimus, quòd negant experimentum, & sensum &c. sic in proposito contra nos obijcere possunt Averroistæ dum in generatione aeris ex aqua, vel aceti ex vino, asserimus esse eadem accidentia specie, non numero; aut ergo hæc responsio Thomistis quoque admittenda est in interitu animatorū, aut certè neq; hic, neque illic est admittenda, cū vtraque sit cōtra experientiā, & sensū.

℞. neg. sequelam, adest .n. manifesta disparitas; nam cùm interit homo, tota accidentium collectio, quæ erat in corpore animato, remanent in eodem exanimato, nullo penitus excepto ex illis, quæ formam mixti insequebantur; at quia assignari nequit causa sufficiens, à qua de nouo producantur, indè deducimus esse prorsus eadem numero, quæ priùs, vt diximº in phy. disp. 3. art. 8. hoc autem non contingit in corruptione inanimatorum, nam cùm aqua conuertitur in aerem, non eadem accidentium collectio apparet; aliqua .n. penitus mutantur, vt frigiditas, imò humiditas, & perspicuitas ipsa adeò variantur, vt etiam sensu pateat non esse easdem numero, quia intensiores sunt in aere, quàm in aqua. Tum quia ex dictis in physi. disp. 5. art. 3. qualitates omnes in quantitate fundantur, sed quantitas in aqua corrupta, & aere genito variatur, ergo similiter saltem numeraliter qualitates omnes variantur.

Minor est ipsius Zabarellæ, quātitatis interminatæ propugnator acerrimus lib. de gener. & interitu

cap.

cap. 10. vbi velit nolit fatetur, quòd in mutatione aquæ in aerē non remanet eadē quātitas aquæ, sed destruitur, quia licèt aeri quātitas illa non repugnet, vt absolutè consideratio, quia potest esse aer tātæ quātitatis, attamen illi repugnat, vt ex tanta aqua genita; cùm .n. aer sit elementum rarius aqua, necesse est in mutatione aquæ in aerem, vt etiam quantitas aquæ in maiorem mutetur, ergo nec quantitas, nec qualitas manēt eadem in genito, & corrupto in compositis vnam tantum forma habentibus. Idem dicēdum est de aceto, in quo non manet collectio accidentium, quæ in vino aderat, sed multa variati cernimus, ex quo inferimus esse saltē numericè mutata etiam illa, quæ eadem apparent, vt quantitas, etiā aliquando color, quæ accidentium collectio ab eadem forma indiuisibiliter procedit, ità vt si vnum, vel alterum deficere videamus, rationabiliter arguimus omnia esse mutata ad destructionem formæ; & si aliqua ad sensum eadem appparēt, sensus debet à ratione corrigi. Neque ad quamcumque alterationem factam in vino, semper acetum sequi, nec semper cum eisdem accidentibus, sicut ad animalis interitum, à quocumque agente fiat, sēper .n. sequitur cadaueris forma cum eisdem prorsus accidentibus, quæ in corpore viuo præcesserant, ergo &c.

10 Arguunt Aduersarij pluribus rationibus, & primò sic: nullum agēs agit absque præuijs dispositionib. quas in composito corrumpendo inducit, hinc cùm ignis ex ligno producitur, præcedentes dispositiones existentes in materia ligni, sunt causæ ignis de nouo producti, ergo ne detur effectus sine causa existente, cùm talis effectus producitur, illæ dispositiones in ipso generationis instanti permanere debent. Neque refundi debet tota causalitas in ignem efficientem, qa euenire potest, vt in instanti generationis, ignis efficiens relictis in materia dispositionibus pereat, veluti sæpè Patrem relicta virtute in semine, ante ortum filij perijsse experimur. ℞. argum. torquere Thomistas, qui volunt dispositiones attingere principaliter, vel instrumentaliter formam substantialem, nobis verò nihil officit, quia eas tantùm ponimus ad expellendas dispositiones contrarias, in ipso autem generationis instāti, ignis est efficiens, qui immediatè productionem formæ substantialis attingit, & casu, quo deficeret, vt in argumento assumitur, tunc recurrēdum est ad agens vniuersale, ad qđ est commune effugium naturaliū, cùm particulares causæ deficiunt, vt Scot. docet in 4. d. 12. qu. 3. sic in proposito &c. de virtute autem seminis agemus infra.

11 Ob. Dispositiones sunt illæ, quę auctæ ad gradum incompossibilē, formam veterem corrumpunt, ergo permanent in istāti generationis cum noua, nam in eodem instan-

stanti, materia exuitur forma veteri, & noua superinducitur. ℞. vt supra argum. vrgere Thomistas, qui ponunt dispositiones terminari ad aliquem gradum formæ, ad quem necessariò sequitur corruptio veteris formæ, nos verò nō vrget, qui nullum admittimus gradum incōpossibilem formæ ab alterante induci, vt alterans accidens est, talis .n. inducitur vel à generante, vel à forma genita, vt loc. cit. explicatum est.

Ob. Si dispositiones ante instans generationis corrumperentur, tūc in instanti generationis materia esset nuda & consequenter indifferens ad omnem formam. Neq; dici potest potius ad hanc, quàm ad illam formam determinatam esse, quia tales dispositiones immediatè in ipsa præcesserunt, vt asserunt Thomistæ, nam hæc immediata dispositio præcedens nihil reale, & physicum ponit in ipsa materia, ratione cuius possit verè dici ad hanc potius formam, quàm ad aliā determinata. Neque cum Scotist. asseri potest potius ad hanc, quàm ad illam formā determinata, quia actione istius agentis subest, non illi, quia dispositionibus introductis potest agens periisse. ℞. etiam hoc argum. Thomistas torquere, vnde satis laborant quomodo præuiæ dispositiones citò desinant, relinquant materiam sigillatam, & determinatam potius ad hanc formam, quàm ad aliam; dicimus igitur, quòd non est aliqua determinatio intrinseca in materia quærenda, per dispositiones iam abolitas in ea derelicta, sed talis determinatio attendenda est ex parte agentis, quia .n. actioni talis agentis, sic & sic alterantis subest, ideò hanc potius, quàm illam formā suscipit; vnde hæc determinatio est prorsus extrinseca materiæ. Si verò agens introductis dispositionib⁹ perierit, tunc ad agens vniuersale spectat eius defectum supplere, formam illis dispositionibus congruam, & consentaneam introducendo.

Ob. non potest assignari causa à qua accidentia illa corrumpātur; nō calor ignis, qui in lignum semel calorem, & siccitatem introduxit, quia calor non destruit calorem, nec siccitas siccitatem, cùm simile non agat in simile, sed in contrarium; Non forma ignis, quæ aduenit, quia cùm calor, & siccitas sint accidentia ei cōnaturalia, & requisita, nequit eorum consortium odire, nec ea destruere, vt statim similia procuret, superuacaneū enim à natura censetur. ℞. quòd dispositiones illæ v.g. calor, & siccitas corrumpuntur ab agente formam introducente, nempe ab igne, non tamen per se, quia quod sic corrumpitur à suo cōtrario corrumpitur; sed corrumpitur per accidens, & consecutiuè, quatenus ab igne corrumpitur lignum, cui inhærebant, nullum autem est inconueniens, quòd simile corrumpat simile per accidens, subiectum corrumpendo cui nitebantur.

At

At Obijciunt Suar. & Hurt. Si lumen ab vno corpore lucido productum potest ab altero conseruari, cur non & idem calor, ac siccitas in eodem subiecto sub ijsdem formis conseruabitur, cùm vniuersaliter idem effectus cōseruari possit, quādo deficiente vna causa, alia eiusdē virtutis statim succedit? ℞. concedendo aliqua accidentia reperiri, quæ in conseruari à sua causa efficiente nō dependent, ac consequēter ab alia eiusdem virtutis in eius locum subrogata conseruari posse, nullum tamen reperitur; quod ita à suo subiecto dependeat, vt possibile sit ab eo naturaliter diuelli, & in alio conseruari eius vices gerente: quia commune adagium est, migrationem accidentis de subiecto in subiectū esse naturaliter impossibile, vt videre est apud D. Tho. 3. p. q. 77. art. 1. & apud Scot. pluribus in locis, quidquid aliqui Recētiores reclament, vt suas singulares sententias tenaciter tueantur; ex qua doctrina sequitur non posse in proposito idem contingere, cū supponamus compositum, siue lignum esse illorum accidentium subiectū, quod iam corrumpitur, equidem quantumcumq; succedat agens, vel forma eiusdem virtutis, ea conseruare non poterit ob defectum subiecti.

Hæc, & alia argumenta, quæ in hac materia ab Auerroistis obijciuntur, contra Thomistas vrgentur contra nos, & illi nobiscum illis in principijs conueniunt, quod dispositiones concurrant ad generationē nouæ formæ in genere causæ materialis, præparando nimirū, & determinando materiam ad eius susceptionem, & postea dissident in conclusione, quòd non permaneāt in ipso generationis instanti, quæ duo certè etiam pugnant; Vndè Scotistæ magis consequenter loquuntur. Ad hanc tamen repugnātiā tollēdā, duo dispositionum genera Thomist. distinguunt; quędam introductionē formæ antecedūt, & in ipso generationis instāti pereūt; aliæ verò formam origine sequuntur, & in eodem instanti incipiunt, V. g. calor, quem ignis producit in ligno, dum propriam formam in eius materiam inducere molitur, est dispositio antecedens introductionem formæ ignis, & hic interit in ipsa formæ introductione; Calor verò, qui ipsam formam inductam sequitur in puncto generationis, & cum ea manet, dicitur dispositio consequens; hoc præhabito, sic ad propositum discurrunt: dispositiones verè materiam præparantes, & in genere materialis causæ disponentes sunt formam subsequentes, non autem antecedentes; neq; repugnat, quòd materia etiam in eodem instanti per dispositiones disponatur, quas secum forma affert, quia estò hæc sit illis prior in genere causæ efficientis; illæ tamē sunt priores in genere causæ materialis, & dispositiuæ, & ita mutuam causalitatem admittunt inter formam, & dispositiones, quæ doctri-

ia de mutua causalitate satis est Thomistis familiaris.

Sed bona venia, hæc sibi contrarietate aduersantur, si. n. dispositio hæc secundi generis ipsam formam introductam consequitur in ipso generationis instanti, à qua accipit esse, & sustentatur, quomodo ipsã formam præcedit in genere causæ materialis? Et quando etiam hæc doctrina admitteretur, parum illis suffragatur, nam dispositio disponens subiectiuum in genere causæ materialis velut ratio recipiendi, debet esse in eodem subiecto, in quo recipienda est forma, at p Thomistas dispositiones etiam subsequẽtes inhærent composito de nouo genito, non materiæ, ergo non possunt eam disponere in genere materialis causæ. Neque illa fuga eis prodest, quòd illę dispositiones recipiantur in materia, vt in subiecto *quo*, & remoto, non valet, nam per hoc huiusmodi dispositiones non immediatè ipsam materiam afficiunt, & intrinsecè, sed tantùm mediatè, & extrinsecè, quatenus compositum afficiunt, cuius ipsa materia est pars, quod non sufficit, vt materia per eas disponi dicatur in genere materialis causæ, & intrinsecè determinari ad hanc potius formam, & non ad illam, vt ipsi prætendunt. Et tandem quando etiam hæc omnia vera essent, adhuc oleum perdunt; si. n. tales dispositiones ipsam formam substantialem præcedunt in genere causæ materialis, quomodo forma substantialis à toto genere accidẽtalem præcedit, si saltem in vno genere forma accidentalis præcedit? quomodo forma substantialis immediatè materiam informat, si dispositio ipsam formam præcedit saltem in vno genere causæ? quomodo, materia prius recipit esse simpliciter, quàm secundum quid, vt ipsi contra Auerroistas assumũt.

Hunc Gordianum nodum soluere nituntur Thomistæ, præsertim Complutenses disp. 2. q. 8. distinguentes de prioritate essendi, & intelligendi, & hoc secundo prioritatis genere, aiunt, accidentia formam in materia præcedere, quamuis enim absolutè loquendo possit intelligi forma substantialis recepta in materia, quantum ad id, quod talis receptio essentialiter importat; nõ tamen possumus eam intelligere esse cõnaturaliter receptam, non conceptis prædictis accidentibus, nam connaturalis receptio illius pendet ab istis, atque ideo possunt talia accidentia optimè disponere pro connaturali receptione talis formæ.

Alia etiam via difficultatem euadere conantur, ex quadam doctrina D. Thom. tres gradus in forma substantiali distinguẽtes scilicet genericum, vt sic, specificum, & indiuiduum; & inquiunt, quòd secundum gradum genericum forma immediatè recipitur in materia sine dispositione intermedia, quia materia se ipsa est determinata, & sufficienter præparata ad re-

 cipien-

cipiendam formam substantialem, & in hoc sensu forma substantialis præcedit accidentalem; recepta autem simel forma in materia, secundum hanc rationem, sequuntur accidentia propria illius gradus, & hæc disponunt, non quidem pro receptione prædicti gradus generici, quia supponitur receptus, sed pro receptione gradus specifici proximi, & sic deinceps vsque ad indiuiduum, & in hoc sensu forma accidentalis formam substantialem præcedit.

Quæ doctrina similis est illius, quam Thomistæ habent in materia Sacr. Eucharist. qui concedunt ex D. Thom. primum terminum conuersionis Eucharistiæ esse compositum ex materia, & anima intellectiua, non vt intellectiua est, nec vt constituit compositum, quod est homo, sed vt dat esse corporeum, & constituit compositum quod est corpus, ipsa in. eadem anima, quę constituit in esse hominis, constituit etiam in esse animalis, & corporis, & substantiæ, & hoc sine distinctione reali formæ, & formæ, sed propter continentiam formæ perfectioris secundum diuersos gradus.

Contra quam doctrinam sic arguit Scot. in 4. d. 11. q. 3. §. *De secundo, &c.* lit. P. Si Hostia consecrata à Christo in cæna in pixide fuisset in triduo seruata, permansisset ibi eadem res primò consecrata, illud autem in quod primò fiebat conuersio, nec fuit materia prima, nec accidens, nec compositum ex materia, & accidente, ergo compositum aliquod ex materia, & forma substantiali; sed tunc nō erat compositum ex materia, & anima intellectiua, quia Christus verè fuit mortuus in Cruce, & ita anima intellectiua verè fuit separata, sed nō potest esse simul separata, & vnita eidem corpori, ergo &c. Item terminus istius conuersionis oportet, q̄ sit realis, quia conuersio est etiā realis, sed anima intellectiua, vt dat esse corporeum ab intellectiuo condistinctum, etiam secundum ipsos, non est aliquid reale, sed tantùm quid abstractum per actum intellectus, ergo &c. Eadem ratione refellitur hic allata solutio, vt etiā facit Suar. disput. 14. meth. sec. 3. num. 29. quia prioritas intelligendi est rationis; & distinctio illa formæ secundum diuersos gradus, est etiam distinctio rationis, per conceptus præcisos, & inadæquatos, ergo nihil prodest ad realem causalitatem, & inhæsionem accidentium in materia, vel composito, de quibus hic loquimur.

Non negamus tamen aliqua accidentia soli materiæ, & formæ cōuenire, vt sunt generatio, relatio partis, & similia, de quibus non est controuersia, & ratio huius potissima est, quia proprium, & immediatum subiectum inhæsionis accidentium est corpus, vel compositum; per compositum autem non intelligimus naturam in communi ex materia, & forma compositum,

sistunt, sed naturam singularem, & primam substantiam, vt Arist. loquitur cap. de substantia, non tamen quę necessariò sit suppositum, nam corpus pro altera parte compositi in rebus animatis, nō est suppositum; & tamen accidentia subiectat: hinc quando etiam compositum, in quo sunt accidentia, est propriè suppositum, non illi inhærent, quatenus suppositum est, licèt illi prius conueniat suppositari, quàm accidentia suscipere, vt Scot. docet in 3. d. 1. q. 2. art. 2. sed quatenus substantia singularis est, quare si humanitas à Verbo assumpta dimitteretur, & propriam acquireret personalitatem, adhuc eadem accidētia humanitatis permanerent, quæ doctrina est Scotistis communis, vt videre est apud Mastr. & Bellut. disput. 5. de gen. & corrupt. art. 2.

DISPVTATIO III.

DE ACTIONE, ET REACTIONE.

De Actione, & Passione quò ad essentias, & quidditates egimus in Phys. disp. 9. art. 3. Modò quia ad naturā alterationis declarandum accedimus; & alteratio inter contraria media actione, & reactione præsertim exercetur, id circò, vt ordinatè, & iuxtà methodum doctrinæ procedamus, præsentem disputationem de actione, & reactione præmittimus, conditiones, & circumstantias, quæ inter contraria in agendo, & reagendo interueniunt, declarantes.

ARTICVLVS PRIMVS.

An inter agens, & passum requiratur dissimilitudo.

Scot. de hoc dubio disertè agit in primo sent. d. 17. q. 3. supra Rr. suppositis conditionib. quæ ad actionem requiruntur, de quib. abundè in phys. egimus, supposito etiam quòd idem possit in se ipsum agere actione æquiuoca, vt resolutum fuit in phys. disp. 9. art. 5. in præsenti agitatur quæstio, an necessariò agens debet esse dissimile passo, & an ista dissimilitudo aliquam proportionē habere debeat.

Notamus 1. cum communi, quòd agens, & patiens debēt esse in principio dissimilia, in fine verò actionis similia, nam agens ideò agit, vt passum sit illud sibi assimilet, ergo in principio actionis aliqua dissimilitudo supponi debet. Item similitudo agentis, & passi multipliciter contingere pot. s. 1. in genere, 2. in specie, 3. in qualitate, 4. in qualitate, & gradu, 5. in qualitate, gradu, raritate, & densitate vel in extensione, & multitudine

quæ non parũ conducunt, vt agens fortius, vel debilius agat.

Notamus 2. cum Scoto in 4. d. 44. q. 2. in fine, quòd similitudo duplex est, s. virtualis, & formalis, & hoc quia agens duplex est, nempè æquiuocum, & vniuocum; primum est, cuius terminus productus non est eiusdem rationis cum forma, quæ in ipso est ratio agendi, vndè in agente solùm virtualiter continetur, vt de Sole respectu caloris, &c. Agens vniuocum est, cuius terminus est eiusdem rationis cum ratione agendi, vt est calor respectu caloris. Similitudo, & dissimilitudo virtualis, tàm in natura specifica, quàm in gradu, cadit inter agens, & passum æquiuocum; formalis verò est inter passum, & agens vniuocum. Potest etiam alia similitudo, vel dissimilitudo interuenire inter agẽs, & passum, dimirum in quibusdam conditionib. accidentalib. vt sunt raritas, & densitas, maior, & minor moles, &c. nã possunt duo calida æquè intensa adhuc differre, vt vnum sit altero densius, vel maius. Quæritur igitur in præsenti, an vt agens agat debeat esse dissimile passo, & an quæcumq; dissimilitudo ad actionem sufficiat. Et sanè dubium non est quin dissimilitudo in natura, & gradu sufficiat ad actionem, calidum .n. potest in frigidum agere, & calidum, vt sex potest calefacere calidum vt duo, sed dubium est, an dissimilitudo in densitate, & magnitudine sufficiat ad agẽdum, an verò requiratur necessariò dissimilitudo in natura, vel in gradu, ità vt naturaliter impossibile sit omnino simile agere in simile; & loquimur de agente in principio actionis, non in fine. Item loquimur de mole, & densitate agentis, non medij, nullum enim dubium est quin agens interdum fortius agit in medium densius, quã in rariùs, licèt adhuc nõ supra proprias vires intensiuas.

De agente æquiuoco communiter conceditur posse agere in simile, seu in passum habens formam similem in natura, & in gradu formæ; De agente verò vniuoco communiter fertur, dissimilitudinem aliquam requiri. Marsil. tamen Niphus, Tolet. Sot. Lerma, & Alij volunt ad agendũ sufficere dissimilitudinẽ in dẽsitate, vel mole, ità, vt dẽsius, vel maius possit agere in rarius, & in minus, estò in natura, & gradu qualitatis cõueniant; Cõmunis verò opinio requirit saltem dissimilitudinem in gradu, ità Arist. 1. de gen. 48. & sequ. Galen. lib. 2. de simpl. medicam. facult. cap. 18. D. Thom. hic lect. 19. Suar. in meth. disp. 10. sec. 9. nu. 7. Bann. Albert. de Saxonia, Victoria, Sebast. Mazziot. & Alij.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. *Supposito, quòd simile non possit agere in simile, dissimilitudinem in densitate, vel mole, non sufficere ad actionem.* Est Scoti lóc. cit. Prob. Si ad agendum sufficeret dissimilitudo in densitate, vel mole, sequeretur,

retur, quòd agens, posset producere qualitatem supra octauum gradum, sed hoc est falsum, ergo &c. patet sequela, detur agens rarum, & calidum vt octo, condensetur, tunc fortius ageret, & ità gradus excederet. Neq; admittimus, quòd densitas, vel molés sit ratio productiua huius maioris qualitatis, saltem vt conditio sine qua non, nam nulla conditio potest esse ratio, qua agens producat perfectius, & nobilius se, quia repugnat naturæ principij productiui, cuius est producere effectum imperfectiorem, vel saltem æquè perfectum, non perfectiorem, ex dictis in physic. conditio enim non auget virtutem productiuam intensiuè. Non negamus tamen quin densitas satis iuuet agens ad operandum, vt modò in obiectionibus apparebit.

Obiectiones.

Ob. Experientia, nam ferrum cādens ignit stuppam, & quia plus caloris est in igne, quā non igne, sequitur, quòd plus caloris sit productus in stuppa, quàm in ferro calido, quod esse non poterit, nisi ratione maioris densitatis. ℞. cum communi, ferrum candens non ratione suæ densitatis, aut caloris præcisè producere calorem, vt octo, & formam ignis in stuppam, sed ratione aliquarum particularum ignis in ferro inclusarum, ità Suar. cum reliquis Doctoribus. ℞. 2. ideò stuppam ignit, non quia ferrum causet intésiorem calorem, quàm sit in seipso, sed quia minor calor ad ignitionem requiritur, quando in subiecto reperitur quoque raritas, & siccitas, quàm si huiusmodi qualitates deessent.

Ob. Radij solares recepti in speculo, aut Crystallo, & ab eo progredientes intensissimum calorem in stuppam causant, & aliquando ipsam igniunt, sed quia hoc non faciunt ex se, alitèr in quocumque subiecto recepto idem præstarent, ergo ratione densitatis. ℞. quòd radij solares habent ex se sufficientem virtutem ad ignem producendum, quem eminenter continent, licèt non in quocumque subiecto talem effectum sortiantur, sed in eo solùm in quo debitam habent vnionem, & veluti conglobationē, vt in Crystallo, propter eius densitatem, quæ densitas se habet vt cōditio, sine qua huiusmodi effectus non produceretur, ideoque admittimus, quod agens interdum fortius agat in mediū densius, quā rarius.

Ob. Aer congelat aquam, & tāmen non est frigidior aqua congelata, quod prouenire non potest, nisi ex maiori quantitate aeris, ergo. ℞. quòd non solùm aqua à frigore aeris glaciatur, sed etiam à frigore exhalationum siccarum terræ, quæ regulariter semper regnant, cùm glacies fit, semper enim glacies cum siccitate, & ventis septentrionalibus gignitur, qui multū terræ exhalationis mixtū habent.

Ob. Flamma maior destruit minorem, ergo agens maius, licèt simile in gradu potest in minus agere.

re. ℞. neg. consequ. Flamma enim maior minorem destruit; quia pabulum eius totalitèr consumit, & deuorat, non quia in minorem agat; hinc Arist. in problemate reddit, cur in curatione febris quartanæ debeat augeri calor, vt s. maior calor destruat & consumet materiam, & pabulum, quo minor conseruatur.

Ob. carbones plùs vrunt, quàm flammas, & aqua glaciata magis infrigidat, quàm fluida, ergo materiæ densitas facit intensius agere. ℞. Carbones, & glacies fortiùs agere extensiuè, vt mox ad rationē dicemus.

Ob. ratione: In maiori magnitudine maior virtus existit ex 8. phys. 80. & in materia densiori fortior virtus reperitur, virtus .n. vnita fortior ex 1. meteor. cap. 1. sed ex quocumq; excessu virtutis agētis supra passum oritur actio, ergo cùm densitas, & maius excedat rarius, & minus in virtute, inter ista cadet actio. ℞. in maiori, & densiori mole esse maiorem virtutem extensiuam, non intensiuam, seu quoad modum agendi, s. facilius, velocius, fortius, & cæteris parib. ad maiorē distantiam; Vnde Suar. disp. 18. meth. sec. 9. nu. 23. ait: dici potest augeri virtutem quòad modum faciendi, non quòad rem quā potest facere. Potest etiam effectus dici intensior, inquiunt Bell. & Mastrius habita comparatione ad intensionem eiusdem effectus, in qua produceretur sine densitate, vel tanta mole, nō tamen intensior fieret, quam esset ipsa virtus agentis actiua, neq; hoc absurdum esset, quia densitas, & moles sunt dispositiones ad agēdum, ergo quo sunt perfectiores; eo perfectior erit actio, licèt non intensiuè supra virtutem actiuam principalem.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. *Agens æquiuocum posse agere in sibi virtualitèr simile, tàm in specie, quàm in gradu; agens verò vniuocum requirere saltem formalem dissimilitudinem in gradu*. Ità Scot. loc. cit. supra Rr. in additione ibi apposita, licèt .n. in secunda ratione, quam ibi contrà Gotfredum conficit, supponat agens remissius posse agere in intensius, in illa tamen additione se manifestè declarat, & allatam doctrinam ad solum agens æquiuocum coarctat, inquiens: *Potest dici, quòd agens vniuocum non intendit intensiorem formam suam inhærentam in passo, sed magis è conuerso agens æquiuocum intendit, quia natum est agere in hoc, & sua forma est nobilior gradu effectus æquiuoci.*

Pr. 1. Pars experientiâ, si graue producens pondus vt duo in passo sibi subiecto, ponatur in trutina, & opponatur ei graue vt vnum, iā intendit illum impulsum, vt tria, & tamen impulsus, & pondus à primo graui productum excedebat virtutē istius grauis de nouo additi. Idē apparet de vino calido virtualitèr vt duo V. g. si applicetur calido vt quatuor, intendet calorē. Similitèr de pluribus trahentib. nauim

im, quorũ quilibet auget impulsũ &c. Poterit igitur agens æquiuocum agere in passum formam similem illi in gradu, imò perfectiorẽ.

Secunda Pars de agente vniuoco, licèt communiter asseratur; rationes tamen quæ ad probationem adducuntur, vel non concludunt, vel æquè vrgent etiam de agente æquiuoco. D. Thom. ità probat: Agens agit quatenus est in actu, & patitur quatenus est in potentia, quia agere est dare esse passo, & educere illud de potentia ad actum, sed id, quod est in potentia, est dissimile ei, quod est in actu, ergo simile non agit in omnino simile. Sed bona pace hæc ratio concludit etiam de agente æquiuoco, nam graue vt vnum est in actu virtuali ad producendum pondus, vt vnum, & passum actualiter habens pondus vt vnum, recipit tamen adhùc nouum pōdus ab alio graui, & totum hoc, quia passum est in potentia ad vlteriores gradus ponderis, ergo idem de agente, & passo æquiuoco dici poterit, nam cùm calidum, vt quatuor sit in potentia ad vlteriores gradus caloris, licèt quatuor gradus habeat, poterit etiam à calido vt quatuor pati.

Pro 2. Finis agentis est assimilare sibi passum, ergo si supponatur passum iam omnino simile, non aget in illud, cùm cessante fine, cessant ea, quæ sunt ad finem, imò potius redderet illud sibi dissimile, quàm simile. Sed hæc ratio vrgeret etiam agens æquiuocum, sicut enim finis agentis vniuoci est assimilare sibi passum similitudine formali, & vniuoca, ità finis agentis æquiuoci est assimilare sibi passum virtuali similitudine, & æquiuoca, ex Doct. in 2. d. 10. supra B. ergo quandocũque passum reperit virtualiter assimilatum, non deberet in illud agere, quia potiùs dissimile redderet, quàm simile, & tamen agit. Dicendum est igitur, quòd finis agentis est assimilare sibi passũ in eo, quod est ab ipso agente producibile, non in eo, quod passum aliunde recipit; sic calidum V. g. potens producere calorem, vt duo, vt tria, &c. si hũc introducit in aliud calidum vt 4. iam illud sibi assimilat in calore producibili ab ipso, licèt non in calore præexistente. Tum quia, vt benè vrget Aresf. 1. de gen. disp. 5. q. 3. sec. 2. non licet semper à fine in physicis arguere, aliàs quando non posset agens consequi finem, nullo pacto ageret, quod falsum est, nam sic nulla monstra euenirẽt; nec potentia nutritiua nocinum aliquod in substantiam aliti conuerteret, esset enim contra intentum à natura assignatum, quæ vegetantib. hanc potentiam dedit, vt viuentia conseruarentur.

Alij sic probant. Effectus nequit in perfectione suā causā excedere, at si aliud calidũ vt vnũ intenderet illud passum iam causaret calorẽ, vt quinq; & sic effectus esset sua causa nobilior. Non valet, nam probaret etiam de agente æquiuoco; & quòd vinum calidũ virtualiter,

liter, vt vnum non posset intendere calorem, vt quinq; existentem in corpore humano, nec graue vt vnũ intendere pondus vt quinq; in trutina causatum à graui vt quinque; nam pondus vt sex excederet virtutem causæ. Nec resp. iuuat disparitatem esse, quia agens æquiuocum cùm sit nobilius, & perfectius, poterit compensare id, quod de maiori intensione est in effectu, nõ sic in agente vniuoco, cùm sit eiusdem rationis; non valet, nam excessus effectus in perfectione non attenditur in ordine ad perfectiones entitatum absolutè. alioquin quia graue remissum est simplicitèr perfectius quocumq; pondere intẽso, poterit illud producere, sed attendi debet penès proportionem ad virtutem actiuam, cùm igitur calor vt sex, vini virtutem excedat, non posset ab ipso intendi, quod est falsum.

Alij tandem sic probant. Omnis actio physica prouenit ex victoria agentis supra passum, nam si agens non superaret passum, non posset in illud agere, sed similia in gradu non se excedunt, neq; vincũt, cùm vnum alterum non resistat, vel opponatur, ergo, &c. Neq; hæc ratio valet, victoria .n. attendi debet quatenùs passum fit potens ab agẽte recipere formam; quare resistẽtia potiùs impedit, quàm causet actionem, & solùm dici debet causa retardationis, & successionis, ergo cùm calidum vt quatuor potens sit recipere alios gradus caloris, si aliud calidum vt 4. in illud ageret, rectè diceretur actionem ex victoria agẽtis prodire, sicut corpus humanum à vino patitur, licèt in re intensiorem calorem contineat, quàm à vino produci posset. Ità Mastr. & Bell. scitè relatas rationes retorquent.

Arefius sic probat: Gradus qualitatis sunt hæterogenei, ità quòd quintus gradus V.g. nõ nisi à quinto gradu produci possit, quapropter non potest calidum, vt 4. intendere aliud calidũ vt 4. quia nequit producere quintum gradum, quod est omninò alteri⁹ rationis ab alijs. Sed hæc ratio probat quoq; de agẽte æquiuoco, si .n. gradus sunt alterius rationis, ergo non posset agẽs æquiuocum potens solùm, vt vnũ gradum producere, & qualitatem intendere, vt tria, vt quatuor, &c. & tamen oppositum experimur, non tan si in impulsu, quem Arist. docet intendi per gradus homogeneos, sed etiam in calore, vt de vino diximus; quòd deinde gradus sint homogenei, vel hæterogenei, patebit infrà.

Ex his deducitur, hanc partem non posse efficaciùs probari, quàm experientia, videmus .n. quòd si calidum, vt vnũ aplicetur alteri calido, vt vnum, non idcircò euadet calidum vt duo, & intensius; & si aquæ calidæ alia eiusdem qualitatis adiungatur, non fit calidior; signũ, quòd vnum nõ agat in aliud propter similitudinem in gradu. Cur autem agens æquiuocum, si in pas-

reperiat qualitatem similem in gradu illi, quam potest producere, illuc aget, non sic verò agens vniuocum, difficile est rationē à priori assignare; neq; .n. certa ratio assignari potest à priori, cur potius hæc forma sit actiua, & non illa, vt Scot. docet in 1.d.7.q.vn.lit.V. nā maximè esset maior formæ perfectio, & tamē experimur multa imperfecta esse actiua, non tamē perfectiora, sed solùm dici poterit, hoc ideò agit, & non illud, quia hoc est hoc, & illud est illud. Sic in proposito, &c.

Solùm reddi potest ratio à posteriori, quæ tangitur à Scoto loc. cit. quam sequitur Vasq. p. 2. disp. 0. c. 1. cum plurib. Recentiorib. quia .s. agens æquiuocum semper in se nobiliorem formam habet, quàm sit qualitas ab ipso producibilis, & alterius rationis, non sic agens vniuocum; Vndè sequitur, q si agens vniuocum ageret in simile in gradu, cùm sit eiusdem rationis cum illo, sequeretur, quòd non esset maior ratio, cur potiùs agat in illud, & non è contra, vt Arist. arguit 1. de gen. 50. & 51. Tum quia idem posset seipsum intendere, Sed hoc esse falsum infrà ostendemus. Tum quia omnia calida essent calida in summo, si .n. duo calida ad inuicem agunt actione eiusdem rationis, ergo tandiù se intenderent, quousque peruenirent ad summum gradum caloris.

Instabis, hoc non sequi in vniuocis, non quia calidum vt vnum aptum non sit agere in calidum vt vnum, sed quoniam qualitates cōtrariæ in mixtis non se solæ repeṙiūtur, sed semper cum admixtione contrariæ qualitatis, vndè si essent duo calida vt quinque, essent etiam ambo frigida vt tria, ideò non possunt producere calorem, nisi vt quinque, nam capacitas subiecti est solū ad octo gradus qualitatis; in elemētis verò, vt in igne, non possunt duo ignes introducere, nisi calorem vt octo, ad quem statim forma ignis sequitur, & q a substantia nō suscipit magis, & minus, ideò omnes ignes sunt æqualis perfectionis, nec calorem petunt, nisi vt octo; & hac ratione duo ignes non introducunt intensiorem calorem.

Sed licèt hæc ratio videatur satisfacere propter admixtionē contrariæ qualitatis; absolutè tamen non est admittēdum posse duo calida separata similia in gradu ad inuicem agere, & mutuò se intendere; estò .n. mutua causalitas in eodem genere, sed secundum diuersas rationes quandoque non repugnent ex dictis in physic. vt si discipulus euadens doctior magistro, doceret illum, videtur tamen implicare, quòd simul, & semel huiusmodi causalitates exerceantur, vt in proposito eueniret; quæ absurda non sequuntur in agente æquiuoco, cùm .n. sit alterius rationis, licèt agat in simile à non idcirco pateretur ab effectu producto, &c. Quamuis igitur agens æqui-

uocum non requirat necessariò talem similitudinẽ in gradu; sed possit in dissimile agere, adhùc tamen aliqua dissimilitudo intercedit, quatenùs nempe hoc agẽs supponit passum sub carentia formæ ab ipso agente producibilis, licèt aliam similem habeat ab alio agẽte, ideoque supponit passum dissimile virtualiter, quæ dissimilitudo tollitur per actionem, per quam passum virtualiter redditur simile.

Obiectiones.

Ob. 1. multis experiẽtijs. Aqua calida diutiùs conseruat calorem sub vmbra, quàm soli exposita, ergo simile agit corrumpendo simile. 2. Phialæ in duritie similes etiã in gradu, si inuicem collidantur, vel vtraque, vel saltèm altera frangetur, ergo &c. 3. Sint duo ligna æquè calida confricentur ad inuicem, secundum calorem intenduntur. 4. Triticum nimis calefit, nisi confrigetur aere, & ventilatione 5. Carbones separati extinguuntur, vniti conseruantur, & accẽduntur. 6. Manus calidæ, sed vnitæ magis sic conseruantur, quàm separatæ, ergo simile agit in simile.

℟. ad 1. quòd calor solis per se non corrumpit calorem aquæ, sed per accidens, quatenùs radijs solis aqua dispergitur, & calor aquæ euaporat, quod non contingit in vmbra, cùm potius ibi per aliquod frigus, calor aquæ constringatur, & magis resistat. Ad 2. principium fractionis est duritiei impulsus, qui duo causat .s. motum partium rei allisæ in contrarium, & illarum diuisionem propter impenetrabilitatem, vndè patet esse agentia æquiuoca, non vniuoca. Ad 3. Ligna nõ intenduntur vniuoca actione per calorem, sed æquiuoca per motum attritionis. Ad 4. Calefactio tritici, vt Arist. aduertit, prouenit ex virtute vegetatiua in illo existente, quæ est in causa, vt in terra satum germinet, ad germinationem autẽ requiritur calor naturalis, & consequentèr talis calefactio est actio æquiuoca. Ad 5. Carbones inuicẽ conseruantur, quia maior quantitas iuuat ad resistendum magis cõtrarij obsistentibus, neque hæc cõseruatio est propriè actio ex dictis in physic. accenduntur etiam quiã moles facit ad maiorem extensionem actionis, vt in casu. Ad 6. ℟. eodem modo, manus .n. non conseruantur ad se inuicem agẽdo, sed se defendendo à contrarijs. .i. ab aere circumstante, & refrigerante.

Dices diuersa lumina simul vnita, reddunt lumen aeris intensius, ergo &c. ℟t. M. Iacob. Brun. hic q. 6. art. 2. fol. 180. ex Victoria, & Bannesio, quòd primum luminare si in parte sibi propinquiori produxit lumen intensum, quod potuit, luminare æquale superueniẽs, nihil in dicta parte efficiet, benè verò efficiet in cæteris partibus distantibus, & remotis à primis, primum .n. luminare in proximis partibus suæ sphæræ producit lumen vt octo, in intermedijs lumen vt quatuor, in remotis verò lumen vt

duo,

uo, & consequenter luminaria ex ppposita, vel ex alia parte aduenientia, lumen remissum in partib. distantibus eiusdem spatij, augentia nō inconenit, quòd vnus gradus producatur ab vno agente, & alius intensio ab alio, vt D. Thom. supponit 2.2.q. 24. art. 5. ad 2. concludens Præfatus Magist. quòd agens multiplicatum plus potest materialitèr, quia in ampliorem materiam se extendit, non formaliter, & intensiuè; & ita hæc opinio coincidit cum nostra sent. Sed de hoc fusiùs infrà, nam Thomistæ volunt, quòd productio luminis sit vniuoca, Scotistæ verò ex Doct. in 2. d. 13. q. 1. defendunt esse productionem æquiuocam.

Arguitur ratione: Inter duo similia, omnia requisita ad agendum reperiuntur, nam adest agens V. g. calidum vt 4. potens quatuor gradus caloris producere; Adest passū potens illos 4. gradus recipere, nā eius capacitas extenditur vsque ad gradum octauum, ergo si approximentur, sequitur actio. conseq. Pr. .n. esset obstaculum, maximè esset forma similis præcedens in passo, s. calor vt 4. sed hoc potiùs iuuabit, quàm impediet passionem, nam actio faciliùs sequitur vbi est minor resistentia, quàm vbi maior; forma contraria resistit, similis verò potiùs disponit materiam ad receptionem alterius formæ similis, quemmodò fit cum illa compossibilis, vt in casu sunt 8. gradus caloris, vel si necessariò aliqua contrarietas desideratur, iam in illo passo quatuor adsunt gradus frigoris, in quos calor agere posset. R. negan. conseq. & impedimentum est formalis similitudo in specie, & in gradu inter illud agens, & passum; Neq; actio impeditur solùm à maiori resistentia contrarij, sed etiam ab omnimoda similitudine, propter absurda in probatione conclusionis relata. Thomistæ non distinguunt in hac quæstione de actione vniuoca, & æquiuoca, vt videre est apud relat. M. Iacob. Scotistæ verò distinguunt, & ideo resolutio clarior elucescit.

Dubium.

Solet hìc dubitari, an sine penetratione per solum contactum, qualitas vniuoca possit producere effectum eiusdem prorsùs intensionis, & R. affirmatiuè contra Ruu. qui autumat ad perfectam operationem, assimilationem, & intensionem effectus requiri penetrationem agentis cum passo, quatenùs per penetrationem habetur perfectissima approximatio virtutis, & solùm tunc agit in quantum potest. Pr. nostrum assumptum, potest vna substantia generare aliam eiusdem omninò perfectionis, etiā sine penetratione agentis, & passi, ergo vna qualitas actiua valet aliam producere similitèr sine penetratione, supposito, quòd sit qualitas actiua, & efficax. Tum quia agentia corporalia actiua ad extra non operantur, nisi diffundendo suam virtutem, sed ad hoc

non requiritur, quòd sint intimè in rebus, vt Deus in omnibus adest, sed satis erit, quòd quasi cum passo contiguentur, quod fit vel per iuxtà positionem, vel contactum virtualem.

Dices, Approximatio agentis ad passum est conditio necessaria ad agendum, sed agens, & passum non sunt perfectè approximata, etiam si sint contigua, nisi se penetrarent, ergo agens producere non poterit totam suam intentionem, quam in se habet, nisi per penetrationem. Pr. min. ea, quę non sunt simul, aliquo modo, distant, & non sunt perfectè approximata, sed ea, quæ non se penetrant non sunt simul, licèt sint contigua, ergo non sunt perfectè approximata. ℞. neg. min. cum sua probatione, ad agendum enim sufficit approximatio sufficiens ad cōtactum quantitatiuum, situalem, qui solùm est secundum vltimam superficiem tangentis, & tacti, vel satis est contactus virtualis in sent. Scotistarum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An hæc dissimilitudo esse debeat secundum proportionem maioris inæqualitatis.

SCot. veritatem huius articuli aperit in 2. sent. d. 2. qu. 9. lit. Z. vbi docet, quòd ad hoc, vt mouens moueat mobile debet ipsius resistentiam vincere, & superare. Diximus in præterito art. inter agens, & patiens debere dissimilitudinem aliquam intercedere, maximè si est agens vniuocum, quæ doctrina specialitèr locum habet in actione inter contraria, quatenùs generationi inseruit, & quæ agens in passum formam introducere nititur, passum verò per formam contrariam sibi inhærētem resistit, ne agens in ipsum agat; Possunt autem hæc triplicitèr inter se comparari, primò vt actiuitas agentis sit omninò æqualis cum resistentia passi, & hæc appellatur dissimilitudo secundum proportionem æqualitatis; Secundò, vt resistentia superet actiuitatem agentis, & dicitur dissimilitudo secūdum proportionem minoris inæqualitatis. Tertiò, vt actiuitas agentis superet resistentiam passi, & dicitur dissimilitudo secundum proportionem maioris inæqualitatis. Quæritur in præsenti, an requiratur necessariò ista tertia dissimilitudo ad agendū, an verò quælibet sufficiat, & loquimur de resistentia formali. Duæ sunt opiniones, Vna Burlei, Tolet. Valles. & Mercen. quibus consentire videtur Faber theor. de reactione ad 1. asserentium non semper ad actionem requiri dissimilitudinem secundum proportionem maioris inæqualitatis. Alia opinio communis docet, semper necessariò requiri.

Conclusio.

Dicimus cum communi, *semper actionem procedere à proportione maioris inæqualitatis*, est Scoti loc. cit. & clarè colligitur ex Arist. 1. de gen.

14. & 88. vbi vult tunc fieri augmentationem alicuius, quando multum agẽs passum excedit, mixtionem verò quando *quodammodo* æquantur; addit ly *quodammodo*, vt denotaret semper ad actionem requiri proportionem maioris inæqualitatis. Pt. ratione: agere in passum, est introducere in ipsum formam, quam intendit producere sua actiuitate, passum verò resistere agenti resistentia formali, est impedire, ne agens formam cõtrariam introducat, ergo quandiù resistit, nunquam potest agens agere, & tunc agens actu agit, quãdo passum non amplius resistit, & consequenter resistentia passi semper debet esse minor actiuitate agentis. Patet prima consequ. etenim non possunt simul esse actualis resistentia, & actualis actio, alioquin duo contradictoria verificarentur. s. quòd inducatur, & non inducatur forma, nam inducitur quia agens agit, nõ inducitur, quia passum actu resistit. Secunda consequ. ità pr. posse agere arguit potentiam in agente, non posse resistere arguit impotentiam in passo, ergo quandiù passum non resistit, signum est quòd non est potens resistere, & consequentèr maior erit actiuitas agentis, quam resistentia passi.

Respondet, duplicem esse actionem, vnam cum victoria agentis, & est quando agens perfectè, & omnino transmutat passum, alteram sine victoria, vt cùm agens non ex toto passum destruit, sed ad inuicẽ pugnant, & labefactantur; Prima fit ex proportione maioris inæqualitatis, non autem secunda; Argumentum quod est iuxta doctrinam Arist. currit de prima actione, non de secunda.

Sed Contrà, vt agens agat in passum actione non victoriosa, iam debet in aliqua parte, ipsius passi introducere formam contrariam, ergo secundum illam partem, secundum quam fit actio, agens debet excedere passum, ergo qualibet actio est victoriosa, & fit à proportione maioris inæqualitatis. Tũ quia sequeretur nunquam posse actionem agentis totalitèr impediri, tunc s. n. impeditur quando passum plus resistit, quàm agens agat, sed data hac sententia, iam adhuc agens posset agere actione non victoriosa, ego non totaliter impediretur. Ex quib. colligitur, quòd quando agens applicatur passo, si statim non incipit agere aliquam partem formæ producendo, nec deinceps in passum aget, nisi agens acquisierit de nouo aliquid virtutis, vel passum aliquid resistentiæ amiserit; & ratio est, quia si in eo instanti, in quo fuit applicatum, nõ egit, quia virtus impotens erat, ergo quia eodem modo se habet tempore sequenti, nec & agere poterit.

Obiectiones.

Ob. Aduersarij ex 4. de generat. animal. cap. 3. vbi Arist. reddens rationem, cur actio aliquando dissolui-

soluitur, ait, quoniam agens in agendo repatitur interdum .n. contingit, vt id, quod agit, plus patiatur, quàm agat; ex quibus colligitur agens aliquando debilius esse passo, & consequentèr impotētius, ergo tunc actio proueniet ex proportione minoris inæqualitatis. ℞. cum Mastr. & Bell. quòd agens, & patiens diuersimodè inter se comparari possunt; 1. secundùm actiuas potentias, quæ etiam resistentiam habent actiuam, vt ignis, & aqua comparantur in calore, & frigore; 2. secundùm potentias resistitiuas formales, vt an frigus sit maioris resistentiæ, hoc est tenaciùs adhæreat subiecto, quàm calor; 3. comparari possunt secundū potentiam actiuam vnius, & resistitiuam formalem alterius, & hæc est propria comparatio, nam vt sic habent rationem agentis, & patiētis, in prima .n. comparatione ambo considerantur vt agentia, in secunda ambo vt patiētia. Tūc ad argum. dicitur agens in casu esset impotentius, & debilius quo ad potentiam resistitiuam formalem respectu potentiæ actiuæ contrarij, vel quo ad potentiam actiuam respectu potentiæ actiuæ alterius, nō autem quo ad potentiam actiuam in ordine ad potētiam resistitiuam formalem contrarij; Etenim cùm calidum vt vnum reagit in frigidū vt octo, potentia actiua ipsius est minior, quàm potentia actiua frigoris, quæ est intensior; similitèr potentia resistitiua formalis caloris est debilior, quàm potentia actiuā frigoris, at potentia actiua caloris est maior, quàm potentia resistitiua frigoris, cùm hæc ab illa superetur; quarè semper actio erit à proportione maioris inæqualitatis.

Vrgebis, potentia actiua frigidi, vt octo superat potentiam actiuā caloris, vt vnum, licèt .n. cæteris partibus plus valeat calor ad agendum, quàm frigus, aliquando tamen propter intensionem frigoris, & remissionem caloris plùs valet frigus ad agendum, quàm calor, vt in casu relato, ergo potentia resistitiua formalis frigidi, vt octo superare debet potentiam actiuam caloris, vt vnum ob intensionem potentiæ frigoris, & remissionem potentiæ caloris, ergo si calor, vt vnum agit in frigidum vt octo, actio proueniet à proportione minoris inæqualitatis. ℞. concedendo potentiam resistitiuam augeri per intensionem, & si qualitati resistit, actionem agentis impedire quando excedit, at si solùm resistet secundum partem, in qua non excedit actiuitatem agentis, tunc sequi actionem; Quia igitur calor vt vnum nō intendit expellere omnes gradus frigoris, sed tantùm vnum, nec actu æquè applicatur ad omnes partes, propterea frigus non resistit, nisi secundum vnum gradū, & secūdum determinatam partem, secundum quam calor excedit in actiuitate frigus; at qui intendens mouere ingentem lapidem non applicat virtutem in vna parte sola

cùm

tàm lapis moueri nequeat secundū partem, sed necessariò totus moueatur, hinc passum secundum totam potentiam resistit, quæ si excedit virtutem agentis, nulla sequitur actio. Inde negatur consequentia; & rationes, quæ contra hanc solutionem fieri solent, supponunt intensionem qualitatis fieri secundum gradus hæterogeneos, quos infrà respuemus.

Hinc sciendum, quòd ad resistēdum non requiritur determinata quantitas vt ad agendum, plus enim requiritur ad agendum, quàm ad essendum, at resistere sequitur esse, quandiù enim forma est in subiecto, tandiù resistit, etenim resistentia non est quidam actus secundus positiuus, vt actio, sed actus quidam negatiuus, quatenùs est negatio actionis in passo.

Instabis; si passum resistit agenti secundum illam solam partem, in quam agens agit; vel resistit antequam agens agat, vel postquam egit, vel dum agit; non primum, quia resistentia connotat oppugnationē agentis, nam est impedimentum quoddam actionis, quòd si non adesset, agēs introduceret formam, sed antequàm agens agat, licèt nō deesset resistentia, non ob id agens introduceret suam formam, ergo tunc passum non resistit agenti; Neque secundum vt patet; Neque tertium; quia dum agens agit introducit formam, ergo passum non resistit, quia resistentia dicit negationem actionis. Rt. Ruu. 1. de gen. tract. de act. & react. q. 1. passum resistere agenti, dum applicatur ad agendum; etenim in illo instanti applicationis agens introduceret totam formam (vt luminosum agit in aere, in quo nulla est resistentia) at non introducit, nisi in tēpore sequenti, & successiuè, idcircò passum non resistit agenti actu producenti formam, sed agenti applicato; Quæ doctrina est vera, loquendo de resistentia in principio actionis, deficit tamen, quia si post applicationem passum non resistit, deberet agens subitò introducere formam, & non successiuè.

Indè rationabiliter Bell. & Mast. addunt, quòd duob. modis potest aliqua forma agenti resistere, primò vt totalitèr impediat actionē agentis; secundò partialitèr, retardando, nè tàm citò fiat, sed successiuè, si etenim agens in instāti produceret formam, & oppositam destrueret, nullo modo hæc agenti resisteret. Dicimus igitur ad Argum. formam resistere agenti, dum non agit, dummodò applicatum sit; quarè si forma totaliter impediret actionem agentis, resisteret, & tunc agens non ageret, non quia non est applicatum, sed quia superatur à resistentia, & quantum est ex se, ageret, nisi impediretur. Sed maior difficultas est in actione successiua, quo pacto, & secundum quas partes forma dicitur resistere, & cum relatis Mastr. & Bellut. dicimus, quòd passum in primo instanti applicationis resistit vtique, at in

ac in tempore sequenti, sicut non est assignabilis prima pars, in quā agens primò applicetur, nec prima pars formæ, quæ primò introducatur, ità non poterit assignari prima pars, & determinata formæ, quæ passum primò resistat, sed per partem indeterminatam, in quam intelligitur agens applicari successiuè; ità vt sicut applicatio agentis intelligitur præcedere natura actionem ipsius, sic & resistentia ex parte passi, per quam resistentiam agens non simul ac intelligitur applicatum agit, sed in tempore immediatè sequenti; Cum igitur dicitur passum resistere per partem formæ, in quā agens agit, explicari debet de applicatione ad actionem, non de actione, quia hæc non stat cum resistentia; & quia dum agens iam agit in primam partem passi, tunc intelligitur applicatum ad secundam partem, in quam tunc ageret, nisi adesset resistentia, ideò tunc passum per secundam resistentiam resistit, quæ resistētia est causa, cùr agens simùl non agat in primam, & secundam partem formæ.

Ob. Experientijs: Parua gutta aquæ excauat lapidem super illum decidens. Item formica sæpiùs trāsiens super lapidem quasi aliquantum collimat, & tamen resistentia lapidis guttæ, & formicæ actiuitatem excedit. ℞. lapidem excedere actiuitatem guttæ, & formicæ secundum totalem potentiam resistitiuam, non verò secundum illam partem solùm, in quam agunt; & quamuis in principio non statim agat ità sensibilitèr in lapidem, attamē quælibet gutta aliquid facit, vel disponendo lapidem mollificādo, vel aliqualitèr amouendo, sicut formica sua vi aliquantulum concutit, & quasi particulam aliquam diuellit, quam tandem motu sæpè repetito à lapide separat.

Dices, Si essent, calidum, & frigidum in portione æquali applicata, non potest concipi, quin aliquo pacto inter se pugnent. sicut si duo homines in robore æquales dimicarent, vnus in alterum agunt, estò neuter consequatur victoriam. ℞. concedendo tunc agere, nam licèt sint in portione æquali ad potētias actiuas, non tamen quo ad potentiam actiuam vnius, & resistitiuam alterius; & si quo ad has potentias essent æqualia, nulla esset actio nec victoriosa, nec non victoriosa. Illi homines agerent ad inuicem, quia vnus superat resistentiam alterius, saltèm secundum partem, estò vnus non obtineret de altero totalem victoriam, agendo tamen, & reagendo, ac repatiendo amborum vires labefactarentur.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Antiperistasi, & eius causis.

SCot. Art. hunc resoluit in 1. d. 3. q. 7. ad Argum. prop. 2. opin. & in 2. d. 25. qu. vn. & alibi sæpè. Antiperistasis Græcè, Latinè significat quamdam circumobsistentiam debilioris contrarij à fortiori, per quam obsistentiam contra-

arium obsidens impedit, nec ob-
ssum vlterius propriam actionem
iffundat, propter quod vires suas
eluti in se colligit, vel aliunde vis
us magis roboratur, & consequē-
er magis intenditur. Negarunt a-
, per antiperistasim verè, & reali-
r nouam qualitatem produci, sed
oluerunt hanc maiorem intēsio-
em esse tantùm apparentem, vel
uò ad sensum, quia nempè aqua
i æstate tangitur manibus calidis,
leò frigidior apparet, quā in hye-
e, vel quia per obsessionem con-
arij magis aqua constipatur, &
ondensatur in æstate, quā in hye-
e, hincque quia maior densitas iuuat
d fortius agendum, frigidiores
pparent, quam in hyeme, ita Car-
n. lib. 2. de subtil. ad finem, &
al. lib. 3. de facultat. simplicium
edicam.

Conclusio.

*Dicendum tamen est cum communi,
r antiperistasim, verè, & realiter in-
ndi qualitatem.* ita Arist. 1. meteor.
m. 8. cap. 1. & 2. Pr. multis ex-
erientijs, nam in hyeme aer in ca-
is obsessus à frigidiori aere cali-
ior est, quàm in æstate. Idem ex-
erimur in aquis putealibus. Ven-
er etiam animalium ex Hippocr.
phor. 15. in æstate frigidior est,
hyeme calidior. Aqua noctu in-
igidata in æstate, & mane expo-
ta paululum soli, magis infrigida-
ur, propter calorem ambientem.
Modica aqua super ignem iniecta,
super calcē est in causa, vt ignis
agis accendatur, & calx magis
calefiat, & quamplures aliæ expe-
rientiæ sensu percipiuntur. Tum
quia in hyeme aquæ puteales re-
center extractæ quasi fumantes vi-
dentur, quod non poterit esse, nisi
quia ex calore in ipsam aquam a-
gente, multæ eius partes rariores,
& leuiores sursum efferuntur, & e-
uaporant. Tum quia, quòd venter
sit calidior in hyeme intensiuè, nō
apparenter, ex meliori concoctio-
ne ciborum patet, quæ in hyeme
fit, vndè etiam est, quòd plus hye-
me comedimus, quàm æstate. Ne-
que cum 2. opin. asseri poterit a-
dæquatè, & semper prouenire à
maiori densitate, quoniam sic po-
tius aquæ puteales frigidiores de-
berent esse in hyeme, quia densio-
res, conditio .n. frigoris est con-
densare, caloris rarefacere, hinc
aqua calida rarior est, quàm frigi-
da. Tum quia non assignatur ratio,
quo pacto ad præsentiam contrarij
hæc noua condensatio fiat.

Maior difficultas est in assigna-
tione causæ huius maioris intēsio-
nis in antiperistasi, & quòd contra-
rium obsidens non possit esse causa
per se illius maioris intensionis, est
in confesso apud omnes, vnum .n.
cōtrarium producit sibi simile per
destructionem alterius contrarij,
ergo alterum contrarium produ-
cere nequit, q.a sic esset causa pro-
priæ destructionis, & causa produ-
ctiua, & destructiua eiusdem; solū
igitur esse potest causa per accid.
quatenùs impedimenta remouet,
vel quatenùs melius disponit, &

Cc appli-

applicat causam per se; Quæritur igitur quænam sit causa per se huius maioris intensionis.

Alij assignant pro causa per se ipsammet qualitatem, quæ propter obsessionem contrarij colligit se, magisque constipatur, & fit validior, & robustior, vel propter istã collectionem cum Toleto, Zabarell. & alijs, vel propter quamdam reflexionem in se ipsam, quia nequit ob præsentiam contrarij suam actionem extendere, vt Suessan. vel iure defensionis, vt possit validius contrario resistere, vt Conimb. Alij verò causam per se assignarunt species quasdam intentionales à qualibet qualitate emissas; quæ cũ occurrunt in contrarium circumstans, ob maiorẽ resistentiam istius retrocedunt, & in suum agens reflectunt, atque ita illud intendunt, ita Mars. Venet. & Alij.

Sed bona pace, nulla ex allatis responsionibus placet. Non prima, nam licè constipatio, & condensatio iuuent ad fortius agendum, nõ tamen supra proprias vires, & tamen interdum per antiperist. intẽsior qualitas causatur. Tum quia, si qualitas est subiecto violenta, vt caliditas in aqua, non apparet, quo pacto possit se intendere per collectionem, & non potiùs destruatur à contrario obsidẽte, & à subiecto, in quo residet. Tũ quia p antiperi. subiectum transit de vno cõtrario in aliud, vt aqua putealis in æstate est frigida, in hyeme est calida. Cõstipatio verò solùm posset esse causa, quòd qualitas existens in subiecto magis constipetur, non tamen quòd corrumpatur, & in alteram contrariam transeat, ideòque assignanda remanet causa huius mutationis. Neque qualitas se intendere potest per actionem reflexã; nã neq; actione reflexa idẽ vniuocè in seipsum agere potest, nam sic fieret in infinitum intensio, iam .n. agens magis intensum iterum fortius aget, & sic magis reflexè se intenderet. Qua etiam ratione ostendi ditur nec iure defensionis posse qualitatem se intendere, si .n. res illa ab intrinseco habet vim producendi maiorem qualitem, ergo siuè adsit, siue non contrarium, sẽper dummodo non sit impedita, pducet, cùm agens naturale semper agat secundum vltimum potentiæ suæ. Neque præsentia contrarij potest esse conditio ad agendum, sed potius impedimentum esset, maximè quando qualitas est connaturalis subiecto, vt frigus aquæ. Tum quia quando qualitas non est connaturalis vt calor aquæ, alia causa, extrinseca erit assignanda, quod etiam Conimb. concedunt. Neque sent. de speciebus intentionalibus est admittenda, cùm .n. tales species sint accidẽtia non possunt migrare de subiecto in subiectum. Tũ quia à qualitatibus æquiuocè producuntur, ergo sunt alterius rationis, & ipsis qualitatibus ignobiliores, etenim causa æquiuoca excẽdit in perfectione suum effectum, ergo huiusmodi species nequeunt

qua-

ualitates intendere, ità Bellut. & laſtr. loc. cit.

Hinc pro reſolut. notandum, 1. uòd dupliciter intenſio fieri poſt per antiper. Prima eſt intenſio ualitatis naturalis, ſeu ſubiecto onuenientis, vt cùm aqua frigeſcit, vel aer calefit; Secunda eſt intenſio qualitatis diſconuenientis, innaturalis, vt cùm aqua caleſcit, vel aer frigeſcit. Not. 2. quòd orpora omnia calida, vel frigida lena ſunt exhalationibus, calida lena ſunt exhalationib. calidis, rigida frigidis, quæ exalationes in ropria qualitate intenſiores ſunt, uàm reliquæ partes, ſunt .n. quaſi quinta eſſentia illorum corporũ. Not. 3. proprium eſſe contrariorũ ſe inuicem refugere ex naturali ropenſione, qua res conſeruari appetit, ad quod maximè conduit ſocietas ſimilium, vndè illud axioma: *omne ſimile appetit ſibi ſimile*. quæ doctrina clariſſimis experienijs comprobatur, & præſertim apparet in ligno viridi, cui ſi ex vna parte ignis approximetur, ſtatim x altera parte videtur exire quidã umor aqueus, ſuum contrarium ugiens; Sic etiam aqua in puluere, el in aliquo arido proiecta, glomeratur, & magis vnitur. Ex hoc equitur quòd circumſeſſo aliquo orpore à ſuo contrario, ſubtilioes exalationes tranſpirare, ſiue exire non poſſunt, vt prius ſolebant, ropter periculum, ne in contrarium obſiſtens impingant, ideoque uaſi retrocedant, & non potentes exire, agunt in qualitatem, ipſam intendentes vſque ad eum gradum, quem ipſæ habent; ex quo capit totum corpus in ea qualitate dicitur fieri intenſius. hic eſt ſenſus cõmunis Phyloſophorum, quicquid Run. autumet.

Reſpõdendo igitur ad difficultatem dicimus, quòd intenſio propriæ, & connaturalis qualitatis fit per accidẽs ex abſceſſu exhalationum cõtrariarum, quæ propter vicinitatem ſui ſimilis ſcil. contrarij obſidentis ad illud tranſpirant; per ſe verò fit tàm per emanationem propriæ, & naturalis qualitatis à ctione æquiuoca à forma ſubſtantiali, quam per actionẽ exhalationum, quæ intenſiori qualitate affectæ ſunt, & expirare non poſſunt. Secundò intenſio innaturalis qualitatis propter antiper. fit per accidens propter diſceſſum propriarũ exhalationum, per ſe verò ab exhalationibus contrarijs illi ſubiecto, & in eo detentis. Qui modus dicẽdi eſt communis, & ità probatur, & explicatur.

Sit æſtate magnus calor circumobſidens puteum, ſtatim præbet additum exhalationib. calidis permixtis in aqua, vt foras ad illum prodeant, vt ſe facilius conſeruẽt; Idem etiam calor impedit frigidas aquæ exhalationes ne exeant, ex eo quia eſt contrariorum naturæ ſe inuicem refugere; & quia exhalationes aquæ frigidæ ſunt intenſiores in propria qualitate naturali, quàm ſint reliquæ partes,

 illas

illas intendunt; Et quantum ipsa aquæ forma est ex se productiua frigoris si nihil obstat, etiam ipsa frigus producit, vbi prius à calidis exhalationibus impediebatur. E contrà verò idem puteus in hyeme intenso frigore ambientis aeris circumobsideatur, exhalationes propriæ aquæ, quia frigidæ sunt, facilè ad aerem frigidiorem euocabuntur, cùm omne suum simile appetat, calidæ verò, quæ in illa aqua erunt, ob metum contrarij obsidentis remanent in aqua, quæ sunt in causa, vt intensius incalescat. Venter propter aerem frigidum in hyeme circumstantem, calefit, qa pori condensantur, spiritus vitales fugiunt ad interna, & consequenter maiorem calorem producunt; In æstate verò frigefit, quia pori aperiuntur, spiritus faciliter euaporant, & ventrem frigidiorem relinquunt; Vndè Septentrionales plus comedunt propter maiorem calorem ventris, quàm Meridionales. Pepones soli expositi prius frigescunt, donec actione solis superante incalescunt. Hæc etiam est causa, cur calx magis incalescat si aqua effundatur, quàm oleum, nā aqua frigore constipat partes exteriores calcis, & impedit ne partes calidiores saltem virtualiter auolent, deinde sua grauitate, vel humiditate, dū se in calcem insinuat, cogit partes calidiores in vnum coire, vndè fit, vt calor maior excitetur; Oleum verò quia calidum est, non constipat partes calcis exteriores, & quia viscosum est, magis partibus calcis adhæret, vndè fit, vt partes calidiores sibi agglutinet, ac impediat, vt simul ad maiorem calorem excitandum conueniant. Quædam poma in hyeme maturescunt, cùm tamen maturatio fit species quædam concoctionis, quæ calore indiget, quod prouenit, quia ob frigorem obsidentē, calor insitus intenditur, atque ideo plus ad maturitatem conducat, quamuis etiam siccitas multum iuuet, quæ putrefactionem concoctioni contrariam impedit. Contrecta niue prius acritèr frigemus, mox vehementius calemus, ratio est, quia frigus coarctat poros, & cohibet spiritus calidos, & ab alijs partibus abundantiores spiritus subministrantur, vt fortius contrario resistatur. ex qua doctrina ad similes casus responderi poterit.

Dices, In casu aquæ putealis in hyeme, si aqua fuit in suo statu naturali .s. vel in summo, vel propè summum videtur multò plus habuisse partium, & exhalationum frigidarum, quæ sunt sibi propriæ, quàm calidarum, quæ sunt innaturales, ergo poterant pauciores istæ ab illis extingui, ac superari, & cōsequenter aqua non fuisset calefacta. ℞. ideo in casu exhalationes innaturales præualere naturalibus, quia istæ facillimè transpirant propter similitudinem, quam cum ambiente habent, non sic innaturales, quæ ob contrarietatem cum ambiente refugiunt, & in corpore

se

se intrudunt, quod intenditur, ideò consequ. nulla.

Instabis. Terræ exhalationes ex propria natura sunt frigidæ, cùm eiusdem conditionis sint cum terra, & calorem mendicant ab extrinseco, ergo non poterunt in aqua calida conseruari; sed potiùs refrigerari debent, nam præter virtutẽ refrigerandi intrinsecum, extrinsecum etiam aquæ frigus accedit. Resp. quòd exhalationes terreæ propter siccitatem tenacius retinent calorem, & causa conseruans, quæ primò dedit calorem, adhuc perseuerat, Tum quia licèt illæ exalationes frigescant in aqua, continuò tamen aliæ calidæ succedunt, & quia adhuc aquam calidam reperiunt, non tam efficaciter ab ipsa superantur.

Hinc not. quòd huiusmodi exhalationes calidæ generantur virtute solis, astrorum, & ignium subterraneorum, licèt autem sol in hyeme à terra distet, hoc solùm facit, quod non possit exhalationes illas sursum attrahere ad vltimam vel mediam regionem aeris, vt in æstate facit, non tamen quòd totaliter non possit illas causare. Vel dicendum, quòd potuerunt in æstate generari, & propter adueniens frigus non euaporarunt, sed in terræ visceribus inclusæ remanserunt. Sciendum est etiam quòd inter hæc contraria obsidens, & obsessum debet aliqua proportio intercedere, nam si actiuitas obsidentis valde resistentiam obsessi excederet, non intenderetur istius qualitas per antiperistasim.

Sed contra allatam doctrinam insurgit Arriag. disp. 9. de gener. sec. 9. vbi negat ventriculum in æstate frigidiorem esse, in hyeme verò calidiorem. Probat, quia hyeme magis comedimus calidiores cibi, in æstate frigidiores, quàm è contra, ergo in hyeme calor stomachi est minor, quàm in æstate, non n. ad estinguendum ignem alius applicatur ignis, nec ad minuẽdam frigiditatem niuis, apponitur alia nix. Tum quia quando principium aliquod à contrario obsidetur, nequit perfectè operari, sicut si liberum extaret ab obsedione contrarij, ergo idem de calore animali sentiendum est. Tum tandem quia in æstate partes corporis externæ calidiores sunt, quàm in hyeme, qui calor oriri nõ potest ab aere, aer .n. non est tam intensè calidus, vndè in vestibus aeri propinquioribus non sentitur calor sic intensus, vt in partibus corporis, ergo prouenit à maiori calore interno. Neque dicas, ait Arriag. à calore aeris euocari foras calorem internum, nam calor non euocatur per motum localem, quia accid. non migrat de subiecto in subiectũ, sed per productionem, quatenus ab interno calore producitur in partibus externis, ergo si calor internus fortius agit in æstate, erit etiam tunc maior. Ex hoc respondet ad exemplum de imperfectiori cõctione, quæ fit in æstate prouenire

nire .s. ex excessu caloris, ad concoctionem .n. requiritur temperamentum in mensura ad iustitiam, quod destruitur ex intensione excedenti vnius ex primis qualitatibus; propterea intensissimus calor febrilis, estò per totum corpus etiã in stomacho diffusus, nõ iuuat, imò concoctioni, & nutritioni nocet. Ita Arriag.

Solutio huius difficultatis pendet ex notitia distinctionis caloris in naturalem, & aduenientem, de quibus aliqui Phylosophi, & Medici loquuntur ac si specie differrent, & hoc ob diuersos effectus secundarios, quos ratione aliarum causarum concurrentium producunt, & præsertim formæ substantialis, quare calor naturalis in stomacho concurrit ad productionem chili, non tamen in alijs corporis partibus; calor igitur naturalis, vt significat accidens caloris contemperati, & substantiam subtilem, vt sunt spiritus vitales, vt bene Bell. & Mastr. docent, inseruiunt nutritioni, & concoctioni in stomacho, & quia ex calore extraneo aperiũtur pori, & spiritus illi ad externa euaporant, sequitur vt deficiat naturalis calor, cuius carentia potest dici frigus, & venter frigidior dici põt, nõ absolutè, sed quia propter carentiam debiti instrumenti est debilitatus ad concoctionem exercendam; ex quo etiam principio aiũt Medici ex nimio epatis calore stomachum refrigerari, quatenus iecur ad se spiritus vitales attrahit. Ex quo colligitur in hyeme, & in locis Septentrionalibus ventrem esse calidiorem per antiperistasim, quia ex frigore ambiente restringuntur pori, nec spiritus euaporent, vndè maior copia naturalis caloris reperitur in stomacho, non tantùm propter temperamentum in mensura, sed propter illam maiorem copiam spirituum. Concedimus igitur in æstate ventrem calidiorem esse extraneo calore, non tamen calore naturali, qui ad externa euolat, quà ratione partes corporis externæ calidissimæ sentiuntur, in hyeme verò esse calidiorem calore naturali. Nec illam doctrinam Arriag. recipimus, quòd omne principium semper perfectius agit in absentia contrarij, alioquin omnis actio antiperistica tolleretur, quod nec ipse concederet, sed verificari solùm quando cõtrarium superat potẽtiam alterius. Vnde si frigus esset intensissimum, ventrem tandem, & omnia membra congelaret, & animalis interitus eueniret, vt experientia pluries comprobatum est.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Qualitas intendatur per reflexionem.

Scot. de hoc art. disertè agit in 2. sentent. d. 13. q. vn. lit. D. & E. & pluribus alijs in locis. Reflexio sic communiter definitur. *Est retrocessio actionis agentis in eadem parte medij, in qua agens actione directa prius egit propter aduenient obstaculum* intra

intra sphæram agentis, quæ euidenter explicatur exemplo motus pilæ ad parietem, & specierum visibilium in speculo. Dicitur notanter *intra sphæram agentis*, quia si obstaculum extra illā esset, iā virtus agētis exhausta esset, & cōsequenter nō posset amplius agere, Vnde quia actio, quam agēs in reflexione exercet, æquiualet actioni, quam vltra proce deret, si nō adesset obstaculū, & hęc actio esset vniformiter difformis quo ad intensionem, eodem intensionis gradu in reflexione procedit. Hoc ergo quod accidit in motu pilæ, & reflexione specierum, intelligendum est etiam euenire in alijs qualitatibus, vt cū v.g. ignis, vel luminosum non potest actione diffundere per totam suam sphæram, propter impedimentum, reflectit circa eamdem partem producendo nouā qualitatē intendendo priorē. Negarūt aliqui absolutè per reflexionem, qualitatem verè, & realiter intendi, sed solum apparēter propter densitatem corporis occurrentis. Arelius autem 1. de gener. qu. 42. sec. 9. in luce tantum reflexionem admittit.

Conclusio.

Dicimus, per reflexionem non solum lumen, sed cæteras alias qualitates intendi. Est Scot. loc. cit. & in 4. d. 10. q. 9. in fine, a quo sic probatur. Agēs naturale cuius virtus nō est exhausta, agit quantum potest in passum potens recipere suum effectum, sed quando intra sphæram agentis occurrit obstaculum, non exhauritur totaliter virtus agētis, & ex alia parte reperitur medium potens recipere intensiorem qualitatem, ergo agens in illud, aget actione reflexa, quod .n. in se prius aliam qualitatem habeat, non officit, cū medium sit intensioris qualitatis capax, & qualitas ipsa sit intensibilis. Confirmatur experientia, quia perfectius lumen est in reflexione speculi, quam in alia parte aeris; species .n. visibilis reflectitur quādo inuenit obstaculum, licèt alias conditiones in illo requirat. Idem patet etiam de calore, nā quo magis fit reflexio radiorū, eo intēsior sentitur calor, vt in æstate apparet.

Obiectiones.

Ob. Non apparet in lumine, quomodo possit fieri reflexio, luminosum enim totum quod potest producere, in instanti producit; ergo non potest in eadem parte medij agere directè, & reflexè, cum hoc dicat temporis successionem. ℞. quod sicut luminosum illuminans per totam suam sphæram, in instanti ageret, sed in priori natura ageret in propinquius, quam in remotius, sic cum agit actione reflexa in eodē instāti tēporis agit, sed prius natura directè, quam reflexè.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quod agēs fortius ageret in distans, quam in propinquum, quod est falsum, nam agit vniformiter difformiter. Pr. seq. intensior .n. esset qualitas prope punctum reflexionis, quā in medio, esto magis propinquo agenti. ℞. concedendo se-

que-

quelam, nã qualitas ista correspondet illi, quæ in longiorem tractum produceretur, si nõn esset obstaculum, hæc autem esset intensior in parte propinquiori, quã in remotiori, cùm igitur eodem ordine retrocedat agẽs reflexa actione, quo vlterius protenderet, intensior erit qualitas in puncto reflexionis, quã in fine. Nulla igitur est implicantia, nam verè hac actione agẽs agit vniformiter difformiter, cũ sit continuatio actionis directæ; & pars propinquior puncto reflexionis se habet vt propinquior agenti, quia correspondet parti propinquiori, in quam ageret actione directa, si impedimentum non obstaret. Neq; hæc intensior actio in distans secũdum nos repugnat, vt diximus in Physi.

Arguit Aresl. ex hac opinione sequeretur in medio intendi calorẽ vsque ad octo gradus, & vltra, si V. g. ignis actione directa produceret in medio calorem vt sex, & si posset vltra agere, produceret calorem vt quinq; ergo per reflexionem produceret vt vndecim, Rx. neg. seq. licèt .n. in reflexione producatur calor vt octo, vt fit in reflexione speculi concaui, qua ignis accenditur, nunquam tamen reflexio causabit plus quàm octo gradus, cùm .n. ignis sit calidissimus, nequit calorem, vt octo excedere, & hoc quia non potest simile in simile agere.

Ob. non statim ac ponitur obstaculum, sentitur maior intensio caloris, vt fit in lumine, signũ, quòd reflexio solùm in lumine fit, non in alijs qualitatib. Rx. quòd ideò reflexio luminis statim cernitur, quia lumen propter carentiam contrarij causatur in instanti, tàm actione directa, quàm reflexa, calor verò sicut causatur actione directa in tẽpore, ità etiam actione reflexa, ideò nihil.

Dices ex hac doctrina sequeretur, quòd luminosum, vel calidum remissum existens intra spatium reflexionis, intenderetur per reflexionem, sed hoc est falsum, quia sic simile ageret in simile, & idem in se ipsum actione vniuoca. Seq. probatur, si .n. non posset intendi, id maximè esset, quia calidum maius, non potest intẽdi à minori, sed hoc non obstat, nam etiam calor directè productus est intensior calore causato per reflexionem, & tamen ab illo intenditur. Conimb. & Aresl. concedunt sequelam maioris, Illi de lumine, & calore, Iste de solo lumine, & negant minorem, ad probationem dicunt, non esse impossibile idem in se ipsum agere actione vniuoca reflexa, sed tantum actione directa.

Non placet, nam rationes, quib. communiter DD. probant simile non agere in simile, nec in se ipsum vniuocè, probant tàm de actione directa, quàm reflexa. Tum quia si calidum seipsum reflexè intenderet, sequeretur, quòd postea intensius in medium ageret actione noua, qua etiam denuo seipsum reflexè

cè in infinitum intenderet. At Rt. Arch. non sequi intensionem in infinitum, quia lumen non habet esse permanens, sed semper est in fieri, atq; ideo nequit esse ratio, vt producatur maius lumen; neq; potest per productionē noui luminis intendi, itaut sit principium producendi aliud lumen, nam etiam vt lumen reflectitur, & recipitur in ipsum luminosum, pendet ab codē et principio, idcircò nequit esse ratio, vt denuò actio directa intendatur, quia semper tale lumen se habet vt reflexum. Non valet, non n. lumen minus habet esse in fieri, quàm lux, & tamen hæc est ratio producendi lumen, ergo non impedit continua dependentia quin lumen sit ratio producendi aliud lumen, & maximè quia per ipsum fit actio vniuoca. Tum quia maius lumen magis illuminat, sicut est ratio luminoso producēdi maius lumen in medio, ergo si luminosum per reflexionem magis intenditur, habebit vim producendi maius lumen, quòd autem hoc lumen sit in ipso reflexè causatum, actiuitatem non impedit; idem experimur de igne agente per calorem à se productum. R. igitur cum Bell. & Mar. neg. seq. nec exemplum de lumine est ad propositum, nam luminosum æquiuocè producit lumen, atq; ideò vnquam à lumine intenderetur. Loquendo verò de calore, admittimus non posse calidum reflexè intēdi, imò si agens in aliqua parte medij calorem eiusdem intēsionis producerer, nō ob id per reflexionem calor ille intenderetur, & ratio est quia simile non agit in simile, nec impugnatio contra hoc valet, quia non est calor per reflexionem causatus, qui effectiuè intendit calorem directè productum, sed est agens principale, quod perfectius est calore ab ipso directè producto, quarè poterit illum reflexè intendere per calorem remissiorem, cùm vterq; virtutem actiuam agentis non excedat.

Quantùm verò spectat ad causā reflexionis, variæ sunt etiam opiniones, nos autem, qui breuitati inuigilamus, dicimus cum Scoto locis relatis, causam per se etiam immediatam esse primum agens, q actione directa produxit qualitatem in medio, & in obstaculo, sequuntur Ruu. Auers. Arcs. Arriag. & Alij. & patet ratione Doct. in concl. posita. Tùm quia hæc causa non potest esse aliqua qualitas in medio seipsam intendens, nam ex dictis, idem nequit in se ipsum agere actione vniuocà. Neq; esse potest obstaculum, & patet exemplo pilæ, cuius reflexio non fit ab obstaculo, sed à proijciente, vt clarius infra patebit. Vnde obstaculum esse potest solùm conditio necessariò requisita, quatenus si non adesset agens vlterius protenderet suam actionē. Tùm quia videmus, quò magis obstaculum esse densius, & tersius, eò maiorem fieri reflexionem, ergo erit saltem conditio necessaria, & causa instrumentalis.

Dices, Scot. loc. cit. in 2. concedit lumen primatium in pariete receptum causare lumen secundariũ, quod esse non potest nisi per reflexionem, & consequenter obstaculum per qualitatem receptam est causa reflexionis. Tum quia sequeretur quodlibet corpus, dummodo impediat, sufficere ad causandam equalem reflexionem, quod falsum est, Pr. sequela, si n. obstaculum concurrit vt impedimentũ, quodlibet sufficiet ad impediendum. ℞. ad 1. quòd lumen secundarium nõ est eiusdem rationis cum primario, sed est species illius, ideoq; licèt ab illo causetur, nõ tamen propriè per reflexionẽ, sed per verã actionem directam, ideo conseq. nulla. Ad 2. Concedimus variam causari reflexionem ex varia obstaculi dispositione, ex quo solùm sequitur obstaculum esse conditionem, nam concurrit per opacitatem, densitatem, vel tersitatem, quæ non sunt rationes agendi, sed conditiones; indè, negatur sequela, ad probat. dicimus, obstaculum non solũ impedire debere, sed etiam per receptionem illius qualitatis debere cõcurrere, non actiuè, sed vt subiectum continuans actionem directã agentis, & reflexam, quia actio reflexa incipit intrinsecè in ipso obstaculo, ideò multum facit, quòd obstaculum sit, magis dispositum, ad receptionem illius qualitatis. sicut igitur mediũ propinquius satis iuuat ad actionem in remotum, ità etiam obstaculum.

Instabis, Idem manens idẽ natum est semper facere idem, ergo quia ab obstaculo non intenditur virtus agentis, si primaria actione causauit calorem vt 4. etiã semper talem calorem, & nõ maiorem producet. ℞. eodem actionis genere, idem natum est facere idem, at diuerso genere, s. reflexè poterit aliud causare. Hinc aduertimus, nos non asserere simpliciter ex hoc posse agens agere reflexè, quia potest in aliud agere, sed cum hoc affirmamus virtutem eius non esse exhaustam quo. ad actionem totalem intensiuam, & extensiuam, & insuper qualitatem prius productã non adæquare suam totam intensionem, quo sensu non implicat, quod agens iam impeditum ne suã exerceat actionem extensiuè directè, eamdem exerceat reflexè; Etenim sicut si qualitas dispersa in pluribus subiectis reduceretur in vno, intẽderetur, ità quia virtus agentis ad partes omnes propriæ sphæræ totalis, est, propter obstaculum ad pauciora restricta, poterit reflexè intendere suum effectum, ex qua actione non arguitur maior intensio, & virtus in agente, sed solùm minor sphæra.

Vrgebis, Luna est, quæ immediatè illuminat terram, & tamen hæc illuminatio est reflexa luminis solaris, ergo per reflexionem obstaculum agit, non primum agens, aliàs sol in nocte diceretur illuminare terram, non lunam, ℞. neg. illuminationem lunæ esse propriè

refle-

reflexionem radij solaris, quia non conspicitur sol in luna, vt fit in speculo, sed impropriè, assimilatur enim productioni luminis secundarij à primario in pariete recepto, vel alio corpore opaco nó terso, itaut lumen in luna sit lumen primarium Solis in illa causatum, lumen verò à luna in terra productum erit lumen secundarium; sicut est lumen, vbi in die est vmbra.

ARTICVLVS QVINTVS.

An omne agens in agendo repatiatur.

Scot. in 1. d. 17. q. 3. arguendo contra Gotfredum, & in 2. d. 5. & d. 19. & alibi respondet affirmatiuè, positis conditionib. requisitis, modò explicandis. Notamus 1º quòd difficultas procedit de agente, actione physica, & corruptiua, non de agente tantùm intentionali, vt agit obiectum immittendo species in visum, vel actione perfectiua, sicut facit sol quando illuminat aerem, certum. n. est huiusmodi agentia nil repati à subiecto, cui illum imprimunt effectum, reactio, est retributa actio, idest, qua agens agit in passum, hoc illud vertitur reagendo, sicut, & repassio est quædam reciproca passio. Ad hanc reactionem ex Arist. de gen. cap. 4. tex. 53. & sequ. es conditiones requiruntur; primò, vt agens, & patiens communicent in materia, ita vt commune habeant subiectum vtriusque formæ receptiuum, spirituale. n. nequit à corporali pati; Hinc licèt Deus, & Angeli, & Corpora Cœlestia agant in hæc inferiora, ab his tamen non repatiuntur, quia non cōmunicant in materia transmutabili. Ratio est, q a reactio ordinatur ad generationem, & corruptionē, quorum Deus, Angeli, & Cœli sunt incapaces, sic etiam Medicus, & si in materia cum ægroto communicet, non tamen repatitur ab illo, quia non proximè, sed mediante medicamento in ipsum agit. 2. vt quodlibet sit intra sphæram fixam actiuitatis alterius, quia nullum agens agendo excedit propriam sphæram, & quia agens potest facilè abesse, tunc erit actio sine reactione. 3. quòd agant per qualitates actiuas, & contrarias, vt ambo habeant potentias actiuas agendi, seu resistentes, ita vt vna retardet, siue actiuè, siue passiuè virtutem alterius, defectu cuius duo ignes, & si communicent in materia, non tamen habent in se reactionem.

Not. 2. posse reactionem multipliciter accidere, potest. n. primò esse, quòd passum agat in agens secundum eamdem partem, secundū quam agens agit, vel secundum diuersam V. g. ferrū ignitum agit in aquam frigidam, & aqua in ferrū; si ponamus partes solidas ferri agere in aquam, poros verò, siue exhalationes ibi contentas tamùm ab aqua pati, haberetur agens, secundum vnam partem repateretur ab aqua, & secundum aliam ageret. Si verò ponatur easdem partes solidas frigefieri, dabitur reactio secundum eamdem partem.

Potest etiã fieri reactio vel secundum eamdem contrarietatem, quâ agens agit, vel secundum diuersã, si ponamus V.g. aquam pati à ferro ignito per calorẽ, quia ferrum inducit calorem in aquam, hãc autem in ferrum agere solum per humiditatẽ, nõ per frigus, erit reactio secundũ diuersam contrarietatem.

Not. tandem, quòd hæc reactio fieri non potest in actione generatiua; nequit.n. sic passum in agens reagere, quia tunc non est amplius passum, sed corrumpitur, nam generatio vni° est corruptio alterius; neque in augmentatione cõtingere potest, quia hæc actio non est propriè inter contraria; Vndè solũ dubitari potest de motu locali, & alteratione inter qualitates contrarias &c.

Quantùm ad alteratiuam actionem, Burleus, Niphus, Maior, Riccardus Suisset, qui ob solertiam arguendi per calculationes, Calculatoris nomen in Scholis sibi vendicauit, & Alij pauci concedunt reactionem, vel in eadem parte secundum diuersas contrarietates, vel in diuersis partib. secundũ eamdẽ cõtrarietatẽ, negant tñ reactionẽ in eãdẽ partẽ, & cõtrarietatẽ nisi fortè per accid. quatenus V.g. ad remissionem siccitatis remittitur etiã calor. Quòd verò ad motum localem spectat, negant reactionem interuenire, ita Tolet. & Conimbr. Zabarell. autem in omni locali motore illam admittit, excepto Primo Motore.

Conclusio.

Dicimus, in motu alterationis fieri reactionem secundum eamdem partem, & contrarietatem subiecti, si assignatæ conditiones interueniant, in motu verò locali etiam quandoq; adesse reactionem in aliquo sensu. Est Scoti loc. citat. cum suis discipulis. Et D. Thom. lec. 20. cum suis, & fuit clarissi. nasent. Arist. 1. de gen. 53. & seq. & 3. phys. 8. & euidentius 4. de gen. animal cap. 3. vbi affirmat omne agens à passo repati, vt quod secat, debilitatur ab eo, quod secatur; & quod pellit, pellitur; & quod calefacit, refrigeratur.

Pr. etiam experientijs in alteratione, nam aqua frigida calidæ super infusa refrigerat, & calefit, vndè tota aqua euadit tepida. Ferrum ignitum iniectum aquæ frigidæ frigesit ab aqua, etiam secundum partes solidas, & aqua calefit. Manus calida, tangens frigidam calefacit illam, & ab illa refrigeratur. Gutta cadens super prunas, ipsas extinguit, & ab illis ipsa vertitur in vaporem; Glacies apprehensa manu calida tota colliquescit, & simul frigefacit illam, & aliæ similes experientiæ adduci solent, in quibus cernitur reactionem fieri secũdum eamdem contrarietatem, & emdem partem; & non per accid. sed per se, nam præsertim aqua calida, & frigida in humiditate conueniunt.

Pr. etiam ratione; si.n. non daretur reactio, non posset fieri mixtio, nam in mixtione debent elementa inter se attemperari secundum

ma qualitates, quod fieri non po-
ſt, niſi ad inuicem agant, & pa-
iantur. Tum quia agens naturale,
bitè approximatum, & non im-
ditum, agit, ſed quãdo calidum,
frigidum approximantur, quod-
bet reſpectu alterius eſt agens nõ
npeditum, quodlibet .n. habet a-
iuitatem excedentem reſiſtẽtiam
rmalem alterius ex dictis, ergo
c. Indè patet ſine neceſſitate ali-
uos ad Cœlorum influentiam re-
arrere, à quibus dicunt qualitatẽ
ontrariam in agente introduci, cũ
i inferioribus ſufficiens agens il-
us aſſignetur.

In motu locali, etiam ſuo modo
nutua reactio reperitur, etenim
uæ phialæ vitreæ ſi inuicem colli-
untur, ambæ franguntur, gladius
ercutiens alterum terit, & teritur,
c alia exempla adduci poſſunt. Nõ
ſt tamen hoc intelligendum de ri-
oroſa reactione, motus .n. localis
ion eſt rigoroſa actio, ſicut eſt al-
eratio; nec qualitates contrariæ
nteruenìunt, ſed ſolùm concurrit
mpetus impreſſus, & durities, quæ
amen non eſt actiua, nec vnus im-
ulſus propriè alteri contrariatur.
Nec talis reactio qualiſcumque ſit,
eceſſariò in omni locali motu re-
eriri debet, Cœlum etenim ſecum
gnem rapit, non tamen ab igne re-
atitur, & ſi aliquod graue deſcen-
lens deorſum, occurreret plumæ,
el ſimilia, illa deorſum pellendo,
ion pateretur.

Obiectiones.

Ob. Calculator: Si datur reactio
ſecundum eamdem partem, & con-
trarietatem, ſequitur idem moue-
ri motibus contrarijs, ſed hoc eſt
falſum &c. Pr. ſequela: ſit agens
ignis palmaris calidus vt octo, paſ-
ſum aqua frigida vt octo, ſolus au-
tem ſemipalmus ignis agentis con-
tineatur intra ſphæram actiuitatis
aquæ (quod non eſt impoſſibile)
& conſequenter ille tantùm repa-
tiatur ab aqua, & dicatur pars re-
paſſa, reliquus verò ſemipalmus ni-
hil patiatur, & dicatur pars non
repaſſa, tunc arguitur ſic: Pars re-
paſſa ignis mouetur motu frigefa-
ctionis ab aqua propter reactionẽ;
& motu calefactionis à parte ignis
non repaſſa; & ità duobus motibus
contrarijs. Tum quia pars non re-
paſſa eſt contraria parti repaſſæ ſe-
cundum exceſſum qualitatis, ſup-
ponitur .n. habere calorem vt octo,
repaſſa verò aliquantulum minus,
& eſt debitè applicata, nihil .n. eſt
magis applicatum, quàm pars con-
tinua ſuæ parati. Tum quia agens
prius eſt in propinquius, quàm in
remotius ſi ambo ſunt ſuſceptiua
eiuſdem actionis, ergo ſi pars ignis
non repaſſa agit in aquam, multò
magis in partem ignis non repaſsã,
& conſequenter hæc pars repaſſa
mouebitur etiam motu calefactio-
nis, atque ità mouebitur ſimul mo-
tibus contrarijs. Pr. etiam eadem
ſequela, ſit ignis diſtans aliqualiter
ab aqua, aer intermedius eſt me-
dium calefactionis ab igne proue-
nientis, eſt quoque medium frige-
factionis ab aqua cauſatæ, ergo cõ-
tra-

trarijs motibus mouebitur. Hic est Achilles Aduersariorum, ad quem soluendum, adhuc Philosophorum ingenia desudant.

Negant Aliqui sequelam, & hoc, quia agens, & reagens non agunt simul in eodem tempore, sed successiuè, vnus post aliud; & per morulas interpolatas, ita Paulus Venetus, quem modum dicendi approbat Torriag. Vel quia agens, & reagens nō agunt per easdem partes medij, sed per diuersas ad modum aeris concitati, vt resp. Picolom; & sequitur etiam Mag. Iacob. Brun. hic qu. 6. art. 5. sed istæ responsiones reactionem destruunt, dum asserunt non fieri in eadem parte temporis, vel fieri in diuersis partibus medij, nam quæstio est, an dum agens agit, à passo simul repatiatur. Tum quia falsum est agentia ista interpolatè agere, & per morulas, vt infra patebit. Tum quia si V.g. ignis prius agit in aquam signum est, quòd habeat superioritatem super aquam, sed in tempore sequenti non deperdit ignis aliquam virtutem, nec aqua nouam acquirit, imò è contra ignis agendo maiorem superioritatem habet supra aquam, ista verò per actionē ignis potius debilitatur, ergo non poterit tempore sequenti in ignem agere. Tum quia adhuc difficultas vrget de parte repassa ipsius agentis, & de superficie cōtinuante partes illas medij, in quibus actiones contrariæ exercētur, an s. moueatur motibus contrarijs.

Alij concedunt sequelam, & negant minorem; nulla .n. est implicantia, maximè quando qualitates contrariæ sunt in pugna, licèt simul esse non possint in esse quieto, ita Faber; vel quando sunt in esse remisso, quo sensu non implicat idem simul contrarijs motib. moueri, ita Zabarel. qui addit, qualitates illas remissas non esse contrarias, sed vt vnam qualitatem mediam se habere. At quòd implicet qualitates contrarias in gradib. intensis, tam in esse quieto, quàm in pugna, & fieri saltem naturaliter, patet ex dictis. Quòd autem esse possint in gradib. remissis, admittimus, argum. tamen probat dato casu idem in gradib. intēsis qualitates cōtrarias recipere, etenim si pars ignis repassa, quæ prius intensa erat vt octo, ab aqua repatitur, amittit gradum V.g. octauum, acquirendo primum gradum frigiditatis, at si pateretur etiam à parte non repassa acquireret aliquem gradum caloris, qui non erit septimus, nam hic præexistit, ergo erit octauus, ergo idem moueretur ad gradum octauum caloris, & simul ad primū gradum frigoris, quod est habere contrarias qualitates in gradib. intensis. Falsum est etiam qualitates in esse remisso esse vnam qualitatem mediam cùm verè proprias entitates specie distinctas retineāt, vt supra dictum est.

Relictis igitur aliorum responsionib. quæ multæ, & variæ sunt, Communior responsio est, quam

To-

Tolet. Conimb. Rou. Auersa, & Alij sequuntur (estò non satis ab omnib. explicetur) negando sequelā, quòd idem motib. contrarijs in gradib. intensis moueatur; & ad primam probationem de parte repassa, respondent, hanc partem dū durat reactio aquæ, non calefieri à parte non repassa, licèt hæc agat in aquam, & ratio est, quia non est necesse, vt in omnib. casib. agēs prius in propinquius agat, quā in remotius, si propinquius est indispositū. Pro cuius solutione aduertunt Mair. & Bell. quòd cùm agens agit in passum, partes agentis internæ nō transmittunt actionem in passum per partes externas, sed immediatè omnes simul attingunt passum per modum vnius agētis, sic pars ignis non repassa non agit in aquam per mediam repassam, per quam suam actionem diffundat, sed ambæ immediatè per modū vnius, ac propterea licèt pars repassa repatiatur à passo, non tamen impedit, quin pars non repassa agat in aquam. Dubium tamen remanet, cur pars non repassa non agat prius in partem repassam propinquiorem, deinde in aquam, cum iam repassa sit dissimilis, & magis non repassæ applicata, quā aqua; ad quod resp. impedimentum esse aquam reagentem, quæ causa est, vt non repassa non agat, cùm .n. ignis, & aqua sint debitè applicata, agent ad inuicē, nisi vnum ab altero impediretur, at ignis non potest impedire, ne aqua in ipsum ignem agat, vel .n. impediret per resistentiam formalem caloris partis repassæ, vel per resistētiam actiuam totius caloris; non primum, quia resistentia formalis actualis non sufficit ad hoc impedimentum, vt supra diximus. Neq; 2. nam calor per resistentiam actiuam dicitur impedire actionē contrarij, in quantum virtutem actiuam illius debilitat, ita quòd eadem proportione impedit, qua debilitat, seu minuit destruendo virtutem contrarij, vndè si destruit totaliter, totaliter etiam impedit, si partialiter, taliter quoque impedit; Quia igitur pars non repassa, si deberet in repassam agere, hoc efficere deberet impediēdo virtutē aquæ, frigus producentem, & hāc actiua resistentia non impedit, nisi paulatim, cū non totaliter illā destruat, inde est, quòd estò aliquo modo impediat, non tamen omnino, ac consequenter necesse est, vt aliquatum ab aqua patiatur, licèt etiam in aquam agat. Negatur igitur, partem non repassam prius agere debere in repassam, quàm agat in aquam; nec immediata applicatio vrget propter impedimētum actionis contrarij; neque secundum nos implicat hanc actionē fieri aliquo modo in distans, ex dictis in phys. quam doctrinam etiam ipse Calculator admittere tenetur, concedens .n. dari reactionem, estò nō secundum eamdem partem, iam admittit quantum sufficit aliquam partem sufficienter applicatam agenti, in quam tamen ipsum

sum agens non agat.

Sed contra hanc resp. vrget Arefius: Si pars repassa esset à non repassa seiuncta, iam ab aqua vinceretur, sed propter vnionem cum nõ repassa non vincitur, signum, quòd non repassa agat, & adiuuet repassam. ℞. admittendo, quòd illa pars destrueretur si separata esset, concedimus etiam à non repassa adiuuari, non vtique per calefactionem in illam, sed in aquam, quatenus virtutem aquæ minuit, ac debilitat, ac proinde successu temporis superatur, & destruitur. Pars igitur non repassa nequit immediatè agere in repassam producendo calorẽ, & expellendo frigus introductum, nisi prius remoueat impedimentũ, quod est agens contrarium actu agens, mouet tamen impedimentũ debilitando virtutem ipsius, vndè superato contrario, partem tandẽ repassam ad pristinum statum reducit.

Ad Confirmationem Calculatoris, à medio interiecto desumptam ℞. communiter, vel medium caret vtraque forma ab agente, & repasso producibili, & sic vtrumque in illud aget actionibus contrarijs secundum quid .s. quo ad gradus remissos, & compossibiles qualitatum, deindè pars medij calefacta vnitur calido, cum quo constituit vnum agens, & pars medij frigida constituit cum aqua agens igni cõtrarium, & sic simul agere, & pati, cùm sint tunc agentia proxima, & immediata, quæ est vna ex conditionibus requisitis ad reactionem. Idem dicendum si medium est in qualitatibus simile agenti, at si vnũ excedit qualitatem alterius, sic agẽs dissimile aget in mediũ adducendo intensionem qualitatis proportionatam propriæ intensioni, & aliud agẽs cum medio per modum vnius reaget in illud, ac si essét duo agẽtia proxima, etiam immediata.

Obiectiones.

Ob. Ex hac doctrina sequeretur, quòd nunquàm posset agens perfectè sibi passum assimilare, semper .n. debilitaretur, ac consequenter non posset passum reducere ad illũ gradum, quem prius habebat. ℞. neg. conseq. nã quando agens naturale agit per virtutem sibi cõnaturalem, cùm valde in intensione passum superat, poterit perfectè illud sibi assimilare, licèt .n. repatiatur parta victoria de contrario, remoto tamen impedimento, reducit se ad pristinum statum, & tunc poterit passum sibi assimilare. Vel dicẽdum hoc interdum licere, imò esse necessarium propter exercitiũ operationum, & generationes mixtorum, qua reactione vires miscibilium refranguntur, quæ est vna ex causis final. propter quam fuerit à natura reactio instituta.

Ob. potest aliquod agens applicari alicui passo ità paruo, vt tale passum, nullam respectu illius agẽtis potentiam habeat agendi, ergo in tali casu nulla daretur reactio. Negant alij sequelam, at magis cũ Bell. & Mastr. sine aliquo scrupulô vide-

idetur cōcedenda, cuius ratio est, uia ad agendum non sufficit quælibet actiua virtus, & respectu cuiuslibet ; & paradoxum videtur, uòd ala muscæ, aut exiguū stupe in fornacem proiectum possit in gnem reagere, vndè in his casib. eficit vltima conditio, quatenus on ambo potentias actiuas proimas habent.

Ob. In illo instanti in quo ignis, & aqua applicantur, habent omnes radus caloris, & frigoris, nam vt c applicantur, & applicati præpponuntur actioni, ergo si in illo nstāti ad inuicē agūt, debēt amitere aliqd propriæ qualitatis, ergo adē qualitas in eodē instāti esset, ia præsupponitur actioni, & nō esset, qa per actionē cōtrarij destrueetur. R. hoc argum. non solùm eactionem impugnat, sed quamlibet etiam actionem instantaneam, id quam agens, & passum applicata præintelliguntur; Vndè dicimus ictiones inter contrarias non fieri n instanti, sed in tempore, & incipere extrinsecè, non intrinsecè, atq; deo in instanti applicationis nulla st actio secundum partes diuisibies qualitatis, vt infra dicemus.

Ob. Sequeretur, quòd idem respectu eiusdem esset simul in actu, & in potentia, nobilius, & ignobilius; esset in actu, & nobilius respectu passi, quia in ipsum agens agit, sset in potentia, & ignobilius respectu eiusdē, quatenus repatitur. R. q esset in actu, & in potētia nobilius, & ignobili respectu eiusdē, sed non secundum idem, esset .n. in actu, & nobilius per virtutem actiuam in potentia verò, & ignobilius per potentiam receptiuam.

Hinc notandum, quòd passum reagit per gradus, quos habet per quos actiuè contrariatur agenti, nec propterea secundum illos gradus patitur ab agente, agens enim actione successiua, non statim agit in omnes gradus qualitatis cōtrariæ: concedimus etiam qualitatem non simul per eamdem partem agere, & pati, nos .n. loquimur de q eadem parte subiecti, quod verò dicitur pati, & de isto asserimus posse agere, & pati, agere quidem per qualitatem existentem, pati verò p qualitatē de nouo receptā.

Ob. omne agens magis appetit propriā conseruationem, quā destructionem contrarij, ergo si non posset istud destruere, nisi ab ipso pateretur, equidē ab actione in ipsū abstinere deberet, ne deinde ipsius reactione destrueretur. R. conced. omne agens appetere cōseruationē propriæ speciei, ac proinde sibi similis productionem, & hac ratione per accid. appetit destructionem contrarij; quòd verò deinde repatiatur, hoc oritur propter actiuitatem alterius contrarij, quæ actiones sunt conformes naturæ vniuersali, vt mistorum multiplicitas conseruetur. Tum quia cùm ista naturaliter agant, quando sunt applicata, non est in eorum potestate propriam actionem suspendere, nè agendo repatiantur.

DISPVTATIO IV.

DE ALTERATIONE.

ORDO naturæ postulabat, vt prius de Augmentatione ageretur, quæ motus est ad quantitatem, quàm de Alteratione, quæ motus est ad qualitatem; cùm illa proximior sit substãtiæ, quàm ista; at quia alteratio est quò ad nos dispositio notior, & prædicatur in quale, & vt forma qualificans, in qua conuenit cum differentia, quantitas verò potius rationem inducit Subiecti, & qualificabilis, indè rationabiliter Aristot. disputationem alterationis prætulit augmentationi, à quo ordine nos, qui eius vestigia sequimur, nullatenꝰ recedere æstimamꝰ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quædam de Alteratione præmittuntur.

SCot. de hac mutatione pluries differit vt videre est 8. meth. q. 5. & in 1. sent. d. 17. q. 3. & in 4. d. 6. qu. 5. & pluribus alijs locis. Dupliciter alteratio accipi potest; vno modo in ratione actionis, quo sensu dicitur agens alterare subiectum, altero modo in ratione mutationis, quomodò subiectum mutari, & alterari, seu alterum fieri dicitur; Hinc præsertim sumitur in rõne mutationis, quo pacto multipliciter sumi potest, vt benè Aresius notat 1. de gen. qu. 24. Primò n. accipi potest pro quacumque mutatione, qua subiectum fit alterum, siuè accidentaliter, siuè substantialiter, quæ acceptio nimis lata, & impropria est. Secundò sumitur minus propriè pro quacumque scil. mutatione accidentali, quomodò quantitati, & alijs accidentibus competit. Tertiò accipitur propriè pro mutatione ad qualitatem tantùm terminata, quæcumq; illa sit, siue intentionalis, vt species sensibiles, & intelligibiles, siue spirituales vt intellectiones, & volitiones, siuè corporales, vt albedo, nigredo &c. Quartò magis propriè sumitur pro mutatione ad corporalem qualitatem tendente. Tandem sumitur proprijssimè pro mutatione ad contrarias qualitates, generationi, & corruptioni deseruientes, vt præsertim sunt primæ qualitates; & secundum has varias acceptiones explicari poterunt varia Arist. dicta, qui interdum quasi sibimet contrarius, quandoque hoc nomen alterationis restringere, quandoque ampliare videtur. In præsenti, licèt de vltima acceptione præcipuè sit sermo, ipsam tamen accipimus in ampliori acceptione, nempè propriam, magis propriam, & proprijssimam cõsiderantes, cùm in multis etiam conueniant.

Alteratio sic cum Aristot. 1. de gen.

en. 23. describitur: *Est quando subiecto sensibili manente, transmutatur in eius passionibus, aut contrarijs, aut medijs*: Dicitur *transmutatur*, loco generis, nam significat mutationem in communi, aut saltem accidentalem: Dicitur, *manente subiecto sensibili*, vt denotetur subiectum alterationis quod est corpus naturale, seu compositum substantiale, nō materia prima, ex dictis in physica: additur in eius passionibus &c. vt circūscribatur terminus huius mutationis, qui est qualitates sensibiles sub nomine passionis comprehēsæ, quæ vel erunt extrema cōtrarietatis, vel media inter extrema; vnde licèt qualitates aliquæ non sint contrariæ, & actiuæ mutuò se destruentes, si tamen verè dicantur passiones, quatenus aptæ sint inferre passionem sensibus, adhuc subiectum per illas hac alteratione alterari diceretur.

Quæ alteratio multipliciter à generatione substātiali differt. Primò, & principaliter ex parte terminorum, à quibus quælibet specificatio motus prouenit ex dictis in phys. generatio .n. per se est ad substantiam, alteratio ad qualitatem. Secundò ex parte subiecti, nam subiectum generationis, semper est aliquod ens incompletum essentialiter, vt est materia prima, & Corpus pro altera parte compositi; subiectum verò alterationis est ens completum, saltem vt tale subiectum est, q addimus, quia corpus pro altera parte est etiam subiectum alterationis, sed vt sic est completum essentialiter cùm habeat potentiam ad qualitatem, sed dicitur incompletum prout respicit aliam formam substātialem, nempe animam. Tertiò assignari solet differentia ex parte durationis, quatenus forma substantialis, quia non suscipit magis, & minus nata est per se induci in instanti, qualitas verò, quia est intensibilis, & contrarium habet, successiuè acquiritur. Quartò ratione finis, nam generatio est propter se, nec ad aliam mutationem ordinatur, alteratio verò ordinatur ad generationem, & est propter aliud, quod de alteratione corruptiua, & proprijssimè sumpta intelligendum est.

Sed ex hac vltima differentia dubitari solet, an si impossibilis esset generatio, impossibilis quoq; esset alteratio. Ruu. cū Ioann. de Sancto Thom. & Alijs affirmant: Attamē tanta necessitas, & connexio inter illas mutationes non apparet, vt si V.g. impossibile esset lignum corrumpi, impossibile etiam foret calefieri, & calorem aliquod subiectum calefacere. Tùm quia finis primarius, & intrinsecus caloris non est producere ignem, vel carnem, aut aliquid aliud, sed solùm calorem, respectu cuius est agens principale, respectu verò ignis est tantùm instrumentum, ad quem ab agente principali ordinatur; quare ignis generatio est calori finis extrinsecus, ergo licèt finis hic deficeret propter impossibilitatem ge-

nerationis, non inde cessaret proprius finis caloris, qui est calefacere, aliàs sequeretur, quòd alteratio non esset à generatione distincta, ambo .n. eumdem terminum formalem haberent; nec instrumētum, & medium electionem specificant, sed finis est, qui specificat; & hoc innuit Scot. in 4. d. 6. qu. 5. D. & d. 12. cit. vbi sæpè replicat, quòd accid. separatum potest alterare, & tamen vt sic non est instrumentū principalis agentis, cùm sit ab eo separatum.

Instabis, Alteratio propriè versatur inter contrarias qualitates, mutuò se expellentes à subiecto, sed ista mutua expulsio dicit ordinem assentialem ad expulsionem formæ substantialis, ergo si hæc expulsio est impossibilis, similiter, & illa. ℞. distinguendo min. dicit ordinem primarium, negatur; dicit ordinem secundarium conceditur; non est igitur ordo essentialis, expulsio .n. frigoris à calore non ordinatur ad expulsionem formæ ligni, sed hoc ordinatur ab igne, vel ab alio agente vniuersali, à calore verò, à quo essentialiter dependet, ordinatur ad introductionem alterius caloris.

Dices, Quia Corpora Cœlestia sunt incorruptibilia, ideò contrarijs qualitatibus alterari nequeunt, ergo idem in alijs substantijs eueniret, si incorruptibiles essent. ℞. neg. conseq. licèt .n. de facto admittatur omne susceptiuum contrariarum qualitatum esse corruptibile, atque ideò ex hoc quòd Cœli sunt incorruptibiles, inferimus non esse alterabiles, de possibili tamen non apparet manifesta implicantia, quòd sit aliqua substantia de se incorruptibilis, quæ tamen contrarias qualitates recipere possit, sicut Multi tenēt has qualitates immediatè in materia prima recipi, quæ tamen incorruptibilis est. Sunt etiam aliquæ substātię intrinsecè corruptibiles, quia tamen ipsarum formæ tenaciter materiæ adhærent estò alterentur, non propterea corrumpuntur, vt in adamāte, & quibusdam alijs gemmis pretiosis patet.

Alteratio multipliciter diuidi solet, vt apud Aresf. loc. cit. videri poterit, sed à Thomist. præsertim in tres species diuiditur .s. in simplicem alterationem, Intensionem, & Remissionem tamquam in tres species; Simplex alteratio est productio totius qualitatis; Intensio est productio qualitatis non totalis, sed aliam eiusdem rationis præsupponens; Remissio est à maiori qualitate ad minorē; sed quicquid sit de hac distinctione, quæ multis Doctoribus non placet, magis ad propositum diuiditur, quòd vna alteratio sit intensiua, altera extensiua; Prima dicitur intensio, & est acquisitio maioris perfectionis qualitatis in eadem parte subiecti; Secunda dicitur extensio qualitatiua, & est acquisitio qualitatis in alijs, & alijs partibus subiecti. Prima duplex est, absoluta, & relata intensio

intensio absolutè accepta, est acquisitio cuiuscumque gradus; relatè sumpta indicat maiorem perfectionem respectu alterius qualitatis inferioris perfectionis; sicut qlibet pars quantitatis absolutè cōsiderata, dicitur habere in se magnitudinem, ad aliam verò comparata, dicitur habere magnitudinem maiorem, vel minorem. Ex qua doctrina sequitur, quòd sicut in quantitate datur duplex motus, nempe acquisitiuus, & deperditiuus, & dicitur augmentatio, & diminutio, vt infra dicemus, ità in qualitate, quia dantur duo motus acquisitiui scil. intensio, & extensio, similiter dari debent duo motus deperditiui oppositi, primus est oppositus intensioni, & dicitur remissio, secundus est oppositus extensioni, & appellari solet diminutio qualitatiua.

Quòd deinde intensio qualitatis distinguatur ab extensione .s. quòd formam intendi, non sit magis ampliari per plures partes subiecti, vt Aliqui autumarunt, sed magis perfici circa eamdem partem subiecti, vel circa idem subiectum, inde patet, quia sequeretur qualitates spirituales non posse augeri, quod est contra fidem, & colligitur ex Trident. sess. 6. c. 9. & ex Luc. 17. *adauge nobis fidem.* & ad Philipp. *oro vt charitas vestra magis, & magis abūdet.* & Ecclesia canit: *da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Hinc in log. diximus, per hanc proprietatem suscipiendi magis, & minus differentiam essentialem qualitatis circumscribi, & omni qualitati conuenire.

ARTICVLVS SECVNDVS.
An Intensio fiat per realem acquisitionem qualitatis.

SCot. 8. meth. & in 1. d. 17. qu. 3. lit. X x. resp. affirmatiuè. Controuersia est famosa, & satis in scholis agitata. Multi, & varij sunt modi dicendi: Primus dicendi modus, qui Platonicis, Simpl. & Amon. ascribitur, docet intensionem cōsistere in ablatione, & negatione contrarij, ità vt calorem magis intendi sit minus habere frigus admixtum, & remitti est habere maiorem frigoris admixtionem, inde negant verum, & realem augmentum formæ, sed solùm per accid. quatenus V.g ablato frigore, alijsque cōtrarij dispositionibus, calor perfectius agit.

Non valet, nam vt benè Mayr. aduertit in 1. d. 18. q. 1. conclus. 3. dantur aliquæ formæ, quæ non habent contrarium positiuum, vt lumen, visio &c. & tamen intenduntur: Aliquæ licèt habeant contrarium positiuum, non sunt tamē cum illo compossibiles in gradu quantumcumque remisso, vt sunt habitus virtutum, virtus, & vitium, scientia, error &c. & Scot. docet, quòd in statu innocentiæ fuissent habitus virtutis, inæqualiter, non tamen habitus vitiosi. Tùm quia sequeretur, quòd aliquis non pos-

set rem vllam velle, nisi intensissimè, etenim volitio nullo pacto admittit simul nolitionem oppositā, sed ab isto actu prorsus depurata remanet, ergo quælibet esset intensissima. Tum quia intensio albedinis est dealbatio, at motus à termino ad quem specificatur ex 5. phys. 31. ergo terminus ad quem talis dealbationis, nō est sola amotio nigredinis.

Alij, quia videbant non omnes qualitates contrarium habere, affirmarunt formam intēdi esse magis recedere à contrario, vel à priuatione, nam plus distat à nigredine albedo, vt quatuor, quàm albedo, vt duo, sic de lumine &c. & è contra, albedinem, vel lumen remitti est formam magis accedere ad suum oppositum, non per admixtionem, sed per quemdam accessum, quatenus facilius transitur ad tenebras, à lumine vt duo, quàm à lumine vt quatuor. Sed neque hæc expositio placet, ratio est, quia per intensionem cognoscitur vna forma altera perfectior intra eamdem speciem, sed hoc per accessum ad summum dignoscitur ex 10. methaphys. 2. vbi Arist. docet vnumquodque mensurari per id, quod est perfectissimum sui generis, ergo intensio non specificatur per recessum à negatione, licèt, n. accessus ad terminum ad quem habeat recessum à termino à quo, attamen specificatio intensionis non sumitur à termino à quo, sed ad quem. Tum quia non potest forma eadem omnino manens modò magis, modò minus à priuatione recedere, sed talis recessus præsupponit actionem aliquam positiuam, ergo forma habet aliquid de nouo, per quod ponitur magis à negatione elongari.

Thomistæ cum D. Thom. asserunt per intensionem non acquiri nouam partem formæ, sed nouam radicationem in subiecto, quàm tamen in explicatione huius radicationis inter se discrepent, incredibile est, ità quòd post multorum verborum apparatus, obscuriorem reddant declarationem. Aliqui explicant formam magis, vel minus radicari in subiecto, est habere perfectiorem, vel imperfectiorem existentiam in illo, siue eadem remaneat existentia in aduentu perfectioris existentiæ, vt voluit Egid. siue destruatur, vt placuit Capreol. & Alijs.

Non placet, nam essentia non distinguitur ab existentia in sent. nostra; & quando etiam distinguеretur, quia existentia immediatè emanat ab essentia, sequitur, quòd talis essentia, inuariata remanens, inuariatam etiam causabit existentiam, & tamen qualitas quo ad intensionem variatur. Tum quia ponēdo priorem existentiam permanere, iam latitudinem graduum in existentia admittunt, quod negāt. Tum quia explicare deberent, in quo ista maior perfectio existentiæ consistat, quod non explicant. Neque in sensu Capreol. est vera, vt etiam

etiam Ipsi Thomistæ fatentur, aliter sequeretur, quod pluries eadem forma in eadem intensione generaretur, & corrumperetur, tunc. n. res corrumpitur, quando desinit existere; & tunc generatur, quando existentiam accipit. Tum quia essentia, & existentia vnica actione fiunt, ergo quantum inducitur de existentia, tantum de essentia, & consequenter si tota essentia producitur, nihil producendum restat de existentia.

Alij hanc maiorem, vel minorē radicationem explicant ex parte maioris, vel minoris dispositionis subiecti, ità vt tunc censeatur maior radicatio, quādo subiectum est magis dispositum, tunc minor, quando subiectum est minus dispositū. Non valet nam hac eadem ratione forma substantialis diceretur intendi, & remitti; sicut n. calor ex hoc quòd est in subiecto magis disposito, perfectius agit, ideoque intensior censetur, ità si anima informat V. g. organum visus magis dispositum, perfectius operatur, quam si organū minus dispositū informaret, & consequenter anima intendi, & remitti dici posset. Tū quia vt Scot. arguit; per istas dispositiones subiecti, vel intelligunt Thomistæ remotionem impedimenti, & oppositæ qualitatis, vt sic in sent. Platonis, incidunt quam impugnauimus; vel intelligunt dispositiones quasdam præuias, necessariò requisitas, vt qualitas sit in subiecto, & hoc est falsum, quia istæ dispositiones essent iam quædam qualitates, secundum quas subiectum magis, vel minus dispositum diceretur, modò licèt falsum sit quamlibet qualitatem tales dispositiones in subiecto prærequirere, adhuc inquirimus de istis dispositionibus, an se ipsis magis, vel minus disponant subiectū, an medijs alijs dispositionibus, si primum, ergo habent latitudinem graduum, si secundum, daretur processus in infinitum. Tum quia in eodem aere, eodemque modo disposito videmus nunc intensius lumen, nunc remissius produci, ergo talis intensio non oritur ex varia subiecti dispositione.

Gaieta p. 2. q. 52. art. 1. Mart. ibidem dub. 1. Zenard. Salas (qui & Scoti sent. putat esse probabilē) & Alij, maiorem hanc radicationē explicant per hoc, quòd forma magis de potētia subiecti educitur, vel quia subiectū magis subicitur formæ, vel quòd forma magis, ac firmius vnitur subiecto, ac maiorem effectum formalem subiecto tribuit, sicut arbor dicitur magis radicari dum firmius terræ adhæret, ac profundiores radices immittit. Bannes ait, formam magis radicari, est formam magis reducere ad actum subiectum, magisque potētialitatem ipsius actuare, ità quòd si forma habebat antea in subiecto gradus perfectionis, vt duo, postea habet vt tria, & per intensionem corrumpitur terminatio, vt duo, & acquiritur noua terminatio vt tria; qui gradus perfectionis non

sunt

sunt realiter distincti, sed eadem qualitas formaliter, & aliter se habens. Ioan. de S. Thom. vult quòd in principio actionis tota forma sit in subiecto, sed non totaliter, quia potest magis, & magis subiecto vniri, ipsumque perficere, non quidem per nouum modum se tenentem ex parte formæ, sed ex parte vnionis solùm, & explicationis ipsius in subiecto. Complut. distinguunt in qualitate essentiam, existentiam, vnionem cum subiecto, seu inhærentiam, & radicationem, seu participationem eiusdem formæ, & hoc vltimum inquiunt per intensionem, & remissionem variari, & supra illa tria addit actualitatem quamdam, non qualitercumq; sed maiorem intra propriam lineam, ratione cuius meliori, & perfectiori modo se habet, ac perfectiorem effectum formalem tribuit subiecto, nequit autem crescere effectus formalis, nisi forma augeatur, vt quo tamquam res aucta, & consequenter concludunt, modo perfectioris, seu maioris radicationis, qui per intensionem qualitati adueniunt, distingui realiter modaliter à tribus præcedentibus, cum adueniant, & pereant, illis inuariatis remanentibus.

Lisbonensis resp. quòd intensio non fit per additionem noui modi præbentis formę nouam vim informatiuam, seu nouam rationem formalem informandi, quia hoc esset ex parte relabi in sent. impugnatam de additione partis ad partē, seu gradus ad gradum, sed fit intensio per additionem noui modi communicationis, & vnionis, seu per nouam explicationem eiusdem formæ in subiecto, tollendo confusionem, & potentialitatem subiecti, & reducēdo illam ad maiorem vnitatem, & subiectum magis subijciendo ad talem formam, à quo meritò petit Ouiedo *quid est maior illa explicatio formæ in subiecto? & quid sit confusionem tolli à subiecto? non est in subiecto, sed in his dicendi modis inuenitur confusio.* Aliter, & aliter Alij Thomistæ hanc radicationem explicant, sed semper maiorem, & maiorem difficultatem, & obscuritatem ingerentes.

Sed quòd talis intēsio fieri non possit per nouum modū, vel vnionis, vel eductionis, vel radicationis, vel actuationis, quib. locutionib. circumscribunt Thomistę quādam modalem entitatem qualitati productæ de nouo aduenientem, inde patet, quia intelligi nequit formam magis intendi, & perfici, nisi aliquid de nouo fiat, aliter eadem qualitas bis produceretur, nēpè per primam productionem, & per intensionem. Tùm quia si intensio terminaretur ad puram qualitatis essentiam, sic à Doct. arguitur: vel iste nouus modus est quid respectiuum, vel quid absolutum; Si primum, ergo in ipso erit magis, & minus ratione fundamenti scil. qualitatis, sicut paries dicitur magis similis in albedine alteri parieti propter intensiorem albedinem: si se-

si secundum, adhuc quærimus, vel hæc intensio est diuisibilis, habens latitudinē graduū, vel est indiuisibilis; si primū, iā plures grad' admittūt alicuius entitatis saltē modalis, simul in eodem subiecto, quod informis negant; Si est indiuisibilis, ergo in instanti acquiritur, & quælibet intensiua alteratio instantanea esset, non continua, & successiua, quod est falsum, & sequela patet ex dictis in phys. disput. 12. art. 3. & 4. nullum n. indiuisibile potest in tempore acquiri. Et responsiones, quas hic afferunt Salas Complut. & Ioan. de S. Thom. ex ibi dictis explosæ manent. Tum quia, vel isti modi sunt intrinseci, vel extrinseci; si primo modo, iam identificantur cum ipsa qualitate, & ita qualitas non posset intendi; si secundo modo, distinguuntur realiter ab ipsa qualitate, & quia non distinguuntur specie, necessariò distinguuntur numero, & sunt in prædicamento qualitatis, & tantùm est addere gradum ad gradū qualitatis, quantum addere modum ad modum.

Ioann. de S. Thom. resp. quòd licèt quælibet vnio, seu terminatio (vt ipse ait) sit indiuisibilis, attamē inter vnam, & aliam datur transitus per modum latitudinis, & distantiæ in fieri, non quia sint partes qualitatis acquirendæ inter modum, & modum, sed quia ipse modus qui acquiritur, dum est in fieri, est per modum diuisibilem, dum est in facto esse, est per modum indiuisibilem. Sed bona pace, quid est, modum dum est in fieri, esse per modum diuisibilem? Dum datur transitus per modum latitudinis, & in fieri inter vnum, & alium modum, vel aliquid acquiritur per motum, & fluxum in fieri, vel nihil; non secundum, quia non potest esse motus, & actio sine termino; si primum, talis modus non est indiuisibilis. Tum quia quid significat modum in fieri esse per modum diuisibilem, nisi quòd dum fit, habet partes diuisibiles, q negat? aliter respondent Cōplut. sed semper in angustijs inextricabilibus labūtur.

Item quærimus de istis modis, An adueniente modo perfectiori, imperfectior adhuc remaneat, vel deperditur? Si primum, ergo quia isti modi non sunt specie distincti, alioquin intensio continuata non esset eiusdem rationis, admittere debent plures gradus numeraliter distinctos in eodem subiecto, quod tantum abhorrent, & aspernantur; & licèt Complut. autument modos istos plusquam numero differre, ex eo quia perfectior virtualiter continet imperfectiorem, non audent tamen ponere inter illos distinctionem specificam, & consequenter coguntur ponere distinctionem quamdam mediam inter specificā, & numericam, quod nunquam inter Philos. auditum est. Si prior modus deperdatur, redeunt argumenta facta contra Capreol. de existentia, & maximè contra illos, qui asserunt, hanc radicationem

esse vnionem, seu inhærentiam formæ in subiecto, nam estò inhærentia actualis ab existentia accidentis absoluti distinguatur, naturaliter tamen sunt ita connexæ, vt si accid. non inhæreat, nec existit, vnde si vna inhærentia destruitur, & forma destrui debet, vt de existentia arguimus. Tum quia in remissione formæ, caloris V.g. in aqua, non posset assignari causa producens imperfectiorem illum modū. Complut. & Ioann. de S. Thom. dicunt, causam per accid. esse aquā corrumpentem modum perfectiorem, causam verò per se esse ignē, qui licèt sit absēs, virtualiter tamē manet in calore, à quo modus ille imperfectior emanat. Non valet, si .n. aqua potens est corrumpere perfectiorem modum, multò magis impedire poterit, ne alter imperfectior resultet, cum quo etiam oppositionem habet, illumque destruere quærit.

Tandem, contra exemplum ilud sæpe à Thomist. inculcatum de radice arboris, se intra terram intrudente, vrgetur; ex hoc enim videtur sequi, quòd sicut radix, quo magis radicatur, eo difficilius euellitur, ità forma quò intensior, & magis radicata, difficilius posset à subiecto remoueri, quod esse falsū, probat Scot. exemplo verecundiæ, quæ causa est intensioris ruboris, quàm sit naturalis rubor, & tamen ille firmius manet in facie, quàm ille; Similiter secundum Medicos febris Ethica est magis radicata, quàm effimera, & tamen ista intensior est. Quod asserebāt Bannes, & Ferrara, quòd in intensione corrūpitur V.g. terminatio vt duo, & acquiritur terminatio vt tria, non quadrat, vt benè vrgent Mastr. & Bell. sicut .n. in extensione cùm acquiritur tertius, vel quartus palmus, non solùm fit acquisitio illius indiuisibilis terminantis, sed etiam quantitatis alicuius de nouo terminatæ illo indiuisibili, ità etiam in intensione qualitatis, non tā ùm acquiritur terminus ille vt tria, sed etiam noua qualitas, aliàs darentur duo indiuisibilia terminantia immediata.

Conclusio.

Dicendum est igitur cum Scot. loc. cit. Intensionem non fieri per maiorem admixtionem contrarij, aut per recessum à priuatione, vel per maiorem radicationem formæ in subiecto, quomodocumque hæc radicatio explicetur, sed per realem acquisitionem nouæ qualitatis, & remissionem è contra per deperditionem realem eiusdem. Sequuntur præter Scotist. Nominales omnes, & ex Recentioribus, Fonsec. Suar. Vasqu. Azor. Tolet. Malder. Coninch. Ru. Ares. Moris. Murc. Hurt. Arriag. Auersa, & est modo communissima apud Neuthericos. Et probata remanet ex dictis. Tum quia si calor V.g. in agente semper agit, tam in principio actionis producendo, quàm in progressu vniuocè intendendo, sequitur terminum semper esse eiusdem rationis, aliter intensio esset specie distincta ab actione pro-

productiua, nam hæc terminaretur ad qualitatem, illa ad modum qualitatis; & responsio Thomistarum, quòd terminus intensionis est qualitas inuariata quò ad essentiam, non tamen quò ad modum essendi in subiecto, non valet, non .n. minus differt qualitas à suo modo radicationis, quàm quantitas ab extensione locali actuali, extensio .n. est modus quantitatis, & tamen quantitas secundum se terminat augmentationem, extẽsio verò localis terminat rarefactionem, sed rarefactio distinguitur specie ab augmentatione, licèt per rarefactionem acquiratur quantitas magis extensa localiter, ergo eadem ratione intensio esset specie distincta à productione qualitatis, quia propriè non ipsa qualitas de nouo fieret, sed modus ipsius, nec esset verè vniuoca, sed æquiuoca actio.

Tum quia Alteratio est motus ad qualitatem, sed intensio est alteratio, cùm sit vna ex eius speciebus, ergo terminatur ad qualitatẽ, & consequenter intẽsio fiet per additionem qualitatis ad qualitatẽ. Rnt. Thomist. dist. ma. ad qualitatem semper producendam de nouo, negatur; ad perficiendam si supponatur producta, conceditur; in hoc .n. differt intensio à prima alteratione, quòd hæc producit de nouo qualitatem, illa verò perficit & auget illã iam productam. Sed contra, auget illã iã productam, ergo illam intendit; & recursus ad maiorem radicationem, est Misterium, non adhuc ab illis vsque modò penetratum.

Tum quia nouus motus physicus est via ad nouum terminum, sed intẽsio est nouus motus physicus distinctus à præcedenti alteratione, ergo habere debet nouum terminum, & non specie, quia non esset actio vniuoca, ergo indiuidualiter; Probatur ma. omne quod mouetur motu suo acquirit aliquid, & pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat, & est doctrina D. Thom. 1. p q. 9 art. 1. Tùm quia ideo mouemur, vt acquiramus actu, id quo caremus, & ad quod sumus in potentia, ergo &c. Rñt ad ma. quòd nouus motus est ad nouum terminum, vel per modum entitatis, vel per modum terminationis ad qualitatem præexistentem magis radicãdam in subiecto. Sed Contra, vel iste nouus modus est qualitati intrinsecus, vel extrinsecus, non intrinsecus, cùm adsit, & absit, ergo extrinsecus, & separabilis, & quia de nouo aduenit in intensione, non minus ipsam qualitatem auget, & intendit ac si esset noua pars, vel nouus gradus, & itá concedunt, quod negant, quòd deinde illa intẽsio terminetur ad qualitatem, vt magis radicandam in subiecto, cùm hoc sit posterius, non tollit quin prius ad qualitatem terminata fuerit.

Item dum qualitas intenditur, fit efficacior, & validior ad operandum, sed non potest fieri validior, & efficacior ad operandum, nisi in enti-

entitate sua crescat, nam operari sequitur esse, ergo tunc qualitas est intensa, quando plus entitatis superadditæ habet. Rñ: neg. min. vt.n. qualitas reddatur efficacior ad operandum, non requiritur vt crescat in entitate, sed sufficit vt magis informet subiectum. Contra, quomodo qualitas potest magis, & perfectius informare, & perficere subiectũ, si ipsa in perfectione non crescit, & augetur? nemo .n. dat quod nõ habet. Ad id quod Thomistæ resp. quòd intensio qualitatis consistit in modo radicationis actuali, vel aptitudinali, hic est modus Herculeus, quem ipsi soluere numquam poterunt.

Item ponantur duo calefactibilia, æquè disposita, & vnum illorũ sit iuxta vnum carbonem, aliud verò iuxta maximum ignem, tunc nõ obstante æqualitate dispositionis, passũ illud, in quod maximus ignis agit, magis calefit, quàm aliud, ergo non solùm ratione maioris dispositionis subiecti fit intensio, sed etiam ratione virtutis agentis.

Dices, in casu posito, licèt talia passa in principio sint eodem modo disposita, perseuerante tamen actione prædictorum agentium circa huiusmodi passa, fiet immediatè dispositio difformis, nam maximus ille ignis ratione sui prædominij super tale passum, velociter illud disponit, & intensius.

Sed Contra, supponantur duo passa summè disposita, ità vt nullũ illorum sit vlterius disponibile, tũc fortius aget maximus ignis propter maiorem virtutem, nõ propter maiorẽ dispositionem subiecti, cũ supponantur in summo disposita.

Item sint duo calores, quorum vnus det suo subiecto magis esse calidum, & alter minus, & Deus vtrumq; separet à proprio subiecto, tunc illi calores separati gradus suos conseruarent, ergo etiã à dispositione subiecti præscindendo, qualitas est intensior, & remissior.

Item si qualitas intenditur, & remittitur ob maiorem, vel minorem dispositionem subiecti, tunc vel ipsa dispositio subiecti potest esse maior, & minor, & intendi, & remitti, vel non? Si non, ergo non potest esse talis, vt qualitas intendatur, vel remittatur; si sic, petimus, vel ista dispositio subiecti intenditur, & remittitur per se, vel propter aliam dispositionẽ subiecti præexistentem, si propter aliam dispositionem, ergo erit processus in infinitum; si per se, cùm ipsa dispositio sit qualitas, sequitur, quòd non intẽdatur, & remittatur propter maiorem radicationem in subiecto, sed potius per se, & per additionem gradus ad gradum.

Obiectiones.

Ob. I. probando, quòd intensio, & remissio fiant non per realem acquisitionem, vel deperditionem qualitatis, sed intendi, & remitti per ablationem, vel per admixtionem contrarij, ex 3. Topic. c. 4. vbi Aris. ait: quæ contrarijs sunt impermixtiora, sunt magis talia, vt albius

lbius quidē nigro impermixtius. ℞. sensum talis propositionis non esse formalem, quasi quòd intensio albedinis consistat formaliter in impermixtione nigredinis, sed esse solùm concomitantem, quatenus ad intensionem vnius contrarij sē-per concomitatur depuratio ab altero contrario.

Ob. 2. Pro Thomistis: Aris. in prædicam. Qualit. ex Antiquis refert, & approbare videtur; quòd qualitas secundum se non suscipit magis, & minus; vt iustitia non dicitur magis, vel minus iustitia; sed subiectum per qualitatem denominatur magis, vel minus tale, sic homo dicitur magis, vel minus iustus; ergo qualitas in sent. Aris. non augetur, sed tātum à subiecto magis, & minus participat. ℞. per illa verba non negare Aris. magis, & minus qualitatib. conuenire; sed tantum modum loquēdi in abstracto, quatenùs meliùs verificatur de qualitate in concreto; maximè qa intensio est motus, & motus semper subiectum concernit; neq; nos dicimus ipsam intendi in abstracto, sed in eadem parte subiecti.

Ob. Qualitatem intendi est perfectiùs inhærere subiecto, sed inhærentia accidentis est vnio ipsius cum subiecto, ergo qualitas intenditur propter perfectiorem vnionem, quam de nouo cum subiecto habet. ℞. quòd si ly perfectiùs cadit supra inhærere, negatur, si cadit supra ipsam qualitatem quatenus magis in se perficitur per additionem noui gradus, conceditur, quia vt sic etiā perfectiùs inhæret.

Ob. Eadem quantitas fit magis, vel minus extensa in rarefactione, & condensatione sine additione nouæ quantitatis, vt infra patebit, ergo idem de intensione qualitatis asserendum erit. ℞. neg. paritatē, & ratio est, quia rarefactio, & condensatio non sunt motus ad quantitatem, intensio verò est motus ad qualitatem, ac consequenter noua qualitas acquiri debet.

Ob. ex D. Dionisio cap. de Diuin. Nom. vbi ait, forma, *quò simplicior, eò perfectior*, sed intensior est perfectior, ergo simplicior, ergo non est ex plurib. partib. composita. ℞. Sanc. Doct. intelligi debet de substantia, quæ ex se simplex esse potest, at quæ compositionem admittunt, vt est qualitas, quò res est compositior, eò perfectior.

Ob. Idem agens potest maiorē, vel minorem effectum causare penès variam subiecti dispositionem, ergo ipsum agens in se inuariatum permaneat, ergo eadem forma inuariata permanens poterit maiorē, vel minorem formalem effectum tribuere subiecto, ad variationem subiecti dispositionum. ℞. neg. parit. ratio est, quia effectus causæ efficientis, quæ est extrinseca, impediri potest ex dispositione subiecti; cùm etiam ad illum effectum cum efficienti ipsum subiectum concurrere debeat; effectus verò causæ formalis, posita forma in subiecto, nec à Deo impediri potest, sed necessa-

cessariò prodit quantum potest, ac consequenter intendi nequit, nisi intendatur etiam forma.

Ob. Tandem duab. rationibus, quæ fundamenta sunt oppositæ sẽtentiæ. Prima est, quia nõ possunt in eodem subiecto duo accidentia numero distincta, & eiusdem rationis simul reperiri, quod sic probãt: Accidens indiuiduatur à subiecto, ergo vno, & eodem subiecto existente non possunt accidentia eiusdem rationis multiplicari. Assũptum probatur multipliciter in controuersia de principio indiuiduationis, pro nunc innuitur, quia accid. totum suum esse habet in ordine ad subiectum, ergo ab eodem indiuiduationẽ habere debet, quælibet .n. res indiuiduari debet ex ijsdem principijs à quib. habet esse. Tum quia non posset assignari ratio cur duæ albedines simul esse possint in eodem subiecto, non autem duæ quantitates, duæ figuræ, duo vbi. Tum tandem quia distinctio in formis, aut est formalis, quę est specifica, aut materialis, & ex subiecto, quæ est numerica ex 3. meth. c. 3. tex. 13. & l. 5. c. 6. ergo vbi est vnitas specifica accidentis in eodem subiecto, non potest esse pluralitas numerica.

℞. pro modo breuiter (solutio namque longiorem discussionem petit in meth.) neg. assumptum, quælibet .n. res à propria hæcceitate indiuiduatur, siue substantialis sit, siue accidentalis, etenim ordo accidentis ad subiectum est posterior, præsupponens ipsum accid. in quo talis ordo fundatur, & consequenter non potest ab illo indiuiduari. Ad 1. probationem dicimus, quòd esto accid. in genere causæ materialis, quandoq; efficientis à subiecto dependeat, non tamen in genere causæ formalis, quę tantùm est essentia, & entitas accidentis, vndè subiecto impluri ficato, possũt accidentia plurificari; principium etenim indiuiduationis est in genere causæ formalis. Ad 2. probat. ℞. quòd ratio, qua mediante duo accidentia numero esse non possũt in eodem subiecto, non semper attendenda est ex identitate subiecti, sed vel ex fine, vel ex efficiente, sũt .n. aliqua accidentia, quæ præter distinctionem numericam entitatum, in reliquis omnib. quamdam habent similitudinem, & conuenientiam .s. in munere, vel officio, ad quod destinantur, vt duæ figurę, duo vbi, duæ albedines in summo, &c. Alia sunt, quę licèt in specifica ratione conueniant, & solo numero differant, non tamen inter se tantam habent similitudinem, sed differunt, vel in munere, vel in habitudine, vt duæ species V. g. visibiles Petri, & Pauli, quæ solo numero differunt, habent tamen diuersa repræsentare; duo gradus caloris, qui diuersimodè, & perfecti⁹ debent subiectum disponere, &c. Accidentia primi generis nequeũt naturaliter multiplicari, primò ex fine, quia multiplicatio esset otiosa, nõ sic in accidentib. secundi generis,

netis, ratione diuersorum munerū; Secundò ex parte efficientis, nam quando agens inuenit subiectum perfectè assimilatum accidentib. prioris generis, cessat agere ex dictis. Tum quia gradus isti iam cōstituūt vnam numero qualitatem, cuius dicūtur perfectiones partiales; Sicut etiam Petrus vnus est numero, licèt plura formaliter, & realiter distincta contineat. Ad 3. probat. ex illo 3. meth. nil contra nos infertur, ibi .n. solùm probat non posse ea omnia, quæ vnā quidditatem habent, idest eamdem comunem materiam, esse vnam substantiam numero, quod vtique verùm est de substantijs simul existentib. in 5. verò meth. vbi Arist. ait: *Numero quidem, quorum materia vna; specie verò, quorum ratio, & forma vna*; non loquitur de sola vnitate numerica accidentium, sed vniuersaliter, vt euidens est, & per ly materia, intelligit differentiam indiuidualem, quæ materia totius appellari solet; non autem intelligit materiam partis, aut subiecti; quare si per distinctionem formalem intelligitur distinctio specifica, & per materialem distinctio indiuidualis, negatur hanc dici materialem à subiecto, sed potius à materia totius .s. ab indifferentia indiuiduali, quæ distinctio indiuidualis potest etiam dici formalis, quatenus formarum distinctio est.

Secunda ratio sumitur ex hoc, quòd nulla forma potest habere partes integrantes, nisi per quantitatem, non per se, quòd sic probat Ioan. de S. Tho. de ratione formæ est, quòd sit principium simplex, non principiatum, & compositum, at si forma partes haberet, iam ex illis composita esset, ergo, &c. Tū quia partes integrantes sunt materiales, nam in forma, & quidditate conueniunt, & solùm differunt penès quantitatem, quare per additionem partis integralis non perficitur, nec intenditur forma. ℞. neg. assumptum, nam quodlib. ens materiale suas partes entitatiuas habet, etiam præcisa quantitate. Ad 1. probat. admittimus, formam eo modo, quo est principium, & simplex nō esse principiatum, & compositum, compositione physica ex actu, & potentia, cum hoc tamen stat, quòd dici possit composita integraliter ex partib. entitatiuis, vel intensiuis tantùm si est spiritualis; vel intensiuis, & extensiuis simul, si est materialis. At dices, ergo pars componēs erit perfectior, quia simplicior, quam tota qualitas resultans ex illis partib. intensiuis. ℞. neg. conseq. absolutè loquendo, ratio est, quia totum resultans est perfectius, quia actualius, quàm partes componentes.

Ad 2. prob. dicimus gradus huiusmodi non debere dici materiales in rigore, sed formales, seu formarum, non prout forma præcisè significat quidditatem, sed vt dicit quidditatem contractam ad esse indiuiduale, etenim indiuiduum includit quidditatem, & differentiam

tiam indiuidualem æquare additio: harum partium nō est additio materiæ, sed entitatis formæ, quę partes si sunt circa eamdem partem subiecti, perficiunt, & intendunt formam, non sic si extensæ essent per diuersas subiecti partes. Ita adæquatè, & eruditè Bell. & Mast. de alterat. q. 2. art. 1. num. 23. & 24. M. Iacob. Brun. q. 3. art. 3. in sentent. D. Thom. trahit etiam D. Bonau. sed tantum abest quòd Seraph. Doct. huius fuerit sent. cum potius oppositū manifestè docuerit, vt videre est in 1. d. 17. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. vbi ait, qualitatē intendi per addditionem noui gradus, quod probat ex D. Aug. epist. 106. ad Bonifaciū. Videatur Baudun. noster disp. 2. de gen. sec. 3. vbi reconciliare nititur D. Thom. Seraph. Doct. & Scot.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Qualitas, quæ prius subiecto inhærebat, remaneat, vel potius destruatur, noua Qualitate adueniente.

SCot. Artic. huic resoluit in 1. d. 17. q. 3. quem modo Torrens totus Recentiorum sequitur. fuit opinio Anic. Alb. Gotfr. d. q. 11. q. 3. Dur. in 1. d. 17. q. 7. Burl. tract. de intensione, & Aliorum, q adueniente non gradu formæ, prior totaliter corrumpatur. Quæ opinio ferè ab omnibus relinquitur.

Conclusio.

Dicendum est cum Scoto, in intensione, noua qualitate adueniente, priorem non perire. Est communis apud Doctores vtriusque scholæ, & licèt ab Alijs soleat plurib. rationibus probari, non tamen concludunt, vt benè Auersa, & Arriaga aduertunt. Pr. igitur Doct. rationibus, quibus Recètiores vtūtur; & Primò probat Scot. ex intensione habituū, potest etenim Deus si vellet, conferre gratiam elicienti actu meritorū in eodem instanti, in quo operatur, & consequenter in eodem instanti daretur augmentum habitus gratiæ, at habitus gratiæ præcedens necessariò esse debet in illo instanti, cùm ad elicitionem actus concurrat, ideo namque actus est meritorius, quia prouenit à gratia, ergo ad intensionem gratiæ, habitus præcedens non corrumpitur. Simile argum. fieri potest in habitibus acquisitis, nam qui ex habitu phylosophico actū conclusionis eliceret, & phylosophicæ speculationis, iam tūc habitum haberet, qui causa est partialis actus, sed in eodem instanti, actus ille intendit habitū, ergo si ad additionem nouæ qualitatis præcedens corrumpitur, idem habitus simul esset, & non esset: esset, quia causaret actum, non esset quia aduenirer nouus habitus. Idē argum. in agentibus materialibus fieri potest, quæ ad inuicē agunt, & patiuntur, si .n. calor agit in frigus, præsupponitur calor existens, quia existentia est necessaria conditio ad causandum ex dictis in phys. frigus autem quia remittitur secūdum hanc opinionem deberet destrui, & aliud totaliter produci, at si fri-

si frig' simul reagit in calorē, debet existere, ergo simul esset, & nō esset.

Burlæ. resp. concedens, quòd possit Deus in eodem instanti gratiam augere, sed in illo instanti nō esset habitus præcedens, nam sufficit, vt actus meritorius supponat gratiam præfuisse, non existentem. Ad rationem de habitibus acquisitis dicit, quòd in eodem instanti, in quo est actus, est maior perfectio habitus in acquiri, non acquisitam, vel in facto esse, quia vt sic est in tempore immediatè sequenti, in quo nouus dicitur acquisitus, & causatus ab actu præcedenti, & habitus præcedens corrumpitur. Eodem modo respondet ad illud de agentibus materialibus negando, quòd idem sit producens, & productum respectu eiusdem, nam in instanti terminatiuo, vel continuatiuo intensionis, calor tunc existens non est productus à frigore non existente, sed à frigore præcedēte, sicut frigus à calore, qui præfuit, admittens vnum contrarium ab alio per accid. produci; & fundamentum eius est, quia forma quādo est primò completa, & perfecta, seu in facto esse in illo primo instanti, non indiget causa actu agente, nec in illo instanti materia est in potētia passiua respectu illius formæ, & consequenter nec agens in potētia actiua, solùm igitur forma permanens habet causam dum est in fieri .s. in tēpore præcedenti.

Non valet, Si etenim forma acquirit esse in instanti, ergo causæ istus formæ in illo instanti tantùm dicentur actu causæ, siuè efficientes, siue materiales sint, & ante erant causæ solùm in potentia, nam si causa actu agit, effectus actu fit, sed ante illud instans effectus non fit, aliter tunc haberet aliquod esse, & sic non inciperet in instanti, & consequenter ante illud instans causæ, causæ non agunt, cùm ad causandum requiratur existentia causæ, ex dictis in phys. disput. 9. art. 6. Neque prioritas temporis requiritur, sed sufficit prioritas naturæ, indè falsum est in tempore præcedenti formam habere esse in fieri, sicut etiam falsum est, materiam vt priorem natura ipsa forma, non esse ad illum in potentia passiua, estò vt sic non dicatur priuata, cùm ad priuationem requiratur prioritas temporis, vt in phys. inculcatum est; & licèt in eo instanti forma habeat esse completum, & perfectum, non propterea dicitur acta, sed potius instantaneè fieri.

Ex his impugnata remanet prima responsio, supposito .n. quòd actus eliciatur à gratia, habit' gratiæ debet esse simul cum actu, non præsupponi præfuisse, quia antea nec in fieri erat actus, quia nullum esse habebat, ad quod factio ista terminari poterat. Similiter falsa est secunda responsio, si .n. in eodem instāti, in quo est actus, adest maior perfectio habitus in acquiri, ergo etiam aliqua entitas noui habitus erit in rerum natura, nam acquisitio actualis respicit terminū

actualem, qui acquiritur, quod .n. in potentia est, & non existit, dici non potest, quòd actu acquiratur, sed acquireretur, si ergo actualis entitas noui habitus adest, & in eodem instā:i non est adhuc corruptus habitus præcedēs, iam in eodē subiecto simul erunt. Nec tandem 3. responsio valet ex eisdem principijs, si .n. calor in instanti existēs, antea non præfuit, vt ipse asserit, non nisi à frigore tunc existente causari poterit, & idem de frigore dicendum, & sic vnum contrarium esset alterius causa, non solùm per accid. sed etiam per se, quæ falsa, & cōtra omnem Philosophiam sunt.

Secundò sic Scot. arguit: Sequeretur, quòd agens produceret formam intensiorem, & eius virtutem actiuam excedentem. Probat: ponatur graue vt vnum, applicatum subiecto habenti pondus vt tria, tunc efficiet pondus vt quatuor, vt supra diximus; ergo si in intensione noua qualitas produceretur, tūc istud agens effectum produceret supra suam virtutem. Resp. Burl. quòd potest minus perfectum virtualiter continere magis perfectū, si non secūdum gradum perfectionis, saltem secundum virtutem actiuitatis, præcipuè si produceretur ex termino à quo perfectiori, quàm sit terminus ad quem. Sed falsitas huius responsionis patet ex dictis in physica. Tum quia si illud graue non reperiret in subiecto pondus vt tria, solum produceret pondus vt vnum, & secundum talem suam virtutem ageret, ergo pondus vt quatuor etiam actiuitatem illius grauis excedet. Nec fuga valet de termino à quo perfectiori, nam in hoc casu terminus à quo .s. pondus vt tria, esset imperfectior termino vt quatuor.

Tertiò sic arguit Doct. frigus vt vnum agens in calidum vt octo, remitteret calorem illum ad septem gradus, introducendo gradum vnū frigiditatis; at stante hac opinione, frigus vt vnum produceret calorē vt semptem, sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. seq. quia non potest assignari alia causa efficiens, supponimus .n. ignem esse remotum; recurrere ad causam vniuersalem est impertinens, cùm potius Cœlum concurrat ad concausandum cum agenti particulari, nempè ad productionem frigoris. Tum quia in remissione habituum spiritualium prouenientibus ab actibus oppositis, Cælum non influit, quia non agit in animam; Neque dari potest recursus ad Deum, nam ponatur, quòd aliquis habeat habitum infidelitatis, vel alterius vitij, & remitteretur per habitum oppositum, sequeretur, quod Deus in tali homine habitum vitiosum produceret; quod impium est asserere. mi. patet, nam contrarium potius cōtrarium destruit, quàm alterum contrarium producat.

Rt. Burl. potest vnum contrariū esse causa alterius contrarij, non tamquam termini per se vltimò intenti, quia vt sic solùm frigus est

frigoris productiuum, sed tamquã medij respectu finis vltimò intenti, quia .n. frigus summo calido approximatum, per se, & principaliter intendit producere frigus, vt vnum, & hoc facere nequit, nisi inducẽdo calorem remissum vt septem, ideo frigus per se tamquam medium producit calorem. Non valet, etenim vt diximus, vnũ contrarium potius est sui oppositi destructiuum, quàm sit medium, & & naturalis dispositio alterius cõtrarij; & si potest destruere perfectius, qui est calor vt octo, multò magis corrumpere poterit imperfectius, qualis est calor remissus, vt est calor vt septem. Tum quia calor vt septem est omnino perfectior, quàm frigus vt vnum, ergo nullo pacto poterit ab isto produci. Tum quia sequeretur actum supernaturalem esse ex propria natura productiuum habitus oppositi vitiosi, si illum remitteret, quod falsissimum est, patet sequela, quia sic haberet actiuitatem producendi habitũ vitiosum, vt septem &c.

Obiectiones.

Ob. Termini motus sunt incompossibiles, ergo non potest eadem qualitas esse terminus motus intẽsionis, & remissionis. ℞. ex Doct. loc. cit. assumptum esse verum de terminis per se motus, non de concomitantibus, vt est in casu qualitas intensa, & remissa, non .n. termini sunt semper incompossibiles, vt patet etiam in augmentatione, vt infra dicemus; Vndè acquisitio V.g. albedinis, & eius intensio sũt omnino eiusdem rationis, & solùm differunt penès connotata, quatenus intensionis successio nõn potest intelligi, nisi pars aliqua qualitatis præsupponatur.

Sed contra; quando motus est inter terminos contrarios, adueniente termino ad quem, destruitur terminus a quo, sed in intensione, terminus à quo, est qualitas remissa, ergo adueniente intensa, seu perfecta destruitur. ℞. ad ma. quòd terminus à quo destruitur, vel entitatiuè, vel quòad modũ, seu quò ad formale munus; in casu destruitur quò ad modum, nam qualitas intensa expellit remissam non secundum entitatem, sed secundum tantitatem, seu secundum talem modum oppositum, scilicet prout remissa, sicut in augmento contingit, in quo expellitur quantitas minor secundum modum imperfectũ minoritatis. Vel ℞. cum Capreol. quòd in intensione terminus à quo formalis est forma remissa, non quantum ad illud positiuum quod dicit, quia sic est solùm connotatũ materiale, sed quantũ ad illud priuatiuum, quod inuoluit, quatenus .s. est sub priuatione perfectioris gradus, & vt sic corrumpitur adueniente gradu perfectiori.

Ob. In motu locali ad acquisitionem vnius vbi, deperditur præcedens, ergo idem in alteratione eueniet. ℞. ex Doct. in 4. d. 49. q. 16. ad 2. Princ. neg. paritatem; natura .n. non potest mutationem

positiuam causare sine deperditione motus, & qualitatis.

ua, vbi hæc concurrere nata est, & tunc euenit, quando motus fit inter contraria, vt inter albedinem, & nigredinem, calorem, & frigus; vel inter quasi contraria, quando .s. nequeunt illi termini esse simul in eodem, vt se habēt duo Vbi; Duæ verò albedines sunt compossibiles, quia sola qualitas est ex dictis in logica, quæ primò, & per se magis, & minus recipit.

Ob. si remanet calor præcedens remissus, & aduenit intensior, ergo idem subiectum esset intensè, & remissè calidum, quod est falsum. ℞. calor remissus potest accipi duplr. nempe vel prout dicit entitatem illam caloris, vel vt dicit carentiā vlterioris gradus, quam formaliter remissio importat, calor remissus permanet in intensione secundum entitatem, sed non secundum illam carentiam, vt patet etiam in augmentatione, & coincidit cum respons. Capreoli.

Ob. Velocitas motus intenditur in fine, non tamen per additionem partis ad partem permanentem, ergo idem de qualitatibus asserēdum erit. ℞. neg. conseq. lata .n. est differentia inter qualitatem, quæ est ens permanens, & inter velocitatē Motus, quæ qualitas permanens non est, sed solùm quidam ordo ad tempus, in quo fit per cōparationem ad alium motum, qui respectu eiusdem temporis non tātum spatij pertransiret; hinc intensio solùm æquiuocè dr. de intēsione motus, & qualitatis.

Ob. Non augetur pars qualitatis, quæ præfuit, non quæ de nouo aduenit, non totum aggregatum ex vtraq; ergo intensio non fit per additionem partis ad partem. Pr. antec. illud augetur, quod habet plures partes nunc, quàm priùs habebat; at pars adueniens, & totum aggregatum non præfuerunt, ita vt habere potuerint pauciores partes, pars quæ præfuit manet eadē, quæ fuit antea, ergo, &c. ℞. quòd propriè loquendo subiectum dicitur intendi, motus .n. propriè denominat subiectum; potest etiam forma dici intendi, quatenus motus est quædam aliter habitio, præscindendo à subiecto, & tunc forma præexistēs dici potest augeri, quatenus aliquo modo est alteri vnita, vbi prius erat separata, & solitariè, & consequenter dici potest aliqualiter per intensionem habere plures partes, quā priùs. ita Mastr. & Bell. quod argum. etiam fieri potest de augmentatione, vel resp. potest vt supra; quòd licèt remaneat eadem quo ad entitatem, non tamen quo ad modum, & sufficit ad conceptū intensionis.

Ob. Sequeretur ex hac doctrina, quòd accid. migraret de subiecto in subiectum, quod est falsum. Pr. seq. si .n. dū mouetur luminosum, lumen existens in aere intēderetur per nouam additionem, iam pars luminis, quæ esset in parte propinquiori aeris trāsiret ad partem remotiorem. ℞. neg. seq. nam lumē pri-

primò productum, semper est in eodem subiecto, & ad motum luminosi, aliud lumen de nouo producitur tam in parte remotiori, quàm propinquiori, nam agens vniformiter difformiter agit, imò argumentum retorqueri potest, si .n. qualitas est indiuisibilis intensiuè, quomodò posset continuè diffundi per totam sphæram vniformiter difformiter?

Ob. tandem, remissio est motus positiuus, ergo ad terminum positiuum erit, ergo non remanet terminata ad solam ablationem, seu carentiam partis; ℞. neg. antec. nam remissio pro formali non est motus positiuus, & acquisitiuus, sed deperditiuus, vt in simili de diminutione dicemus.

ARTICVLVS QVARTVS.

An partes Intensiuæ Qualitatis sint homogeneæ, vel hæterogeneæ.

SCot. 8. meth. qu. 3. & in 1. d. 17. q. 3. contra Gotfred. & in 4. d. 12. q. 3. P. semper supponere videtur huiusmodi qualitates esse homogeneas. Aduertẽdum est primò, non agitari controuersiam, An illæ partes sint dissimiles, quò ad differentias indiuiduales, clarũ est .n. esse realiter distinctas, cùm ad inuicem seperentur, sicut etiam partes extensiuæ qualitatis, & quantitatis, hoc modo realiter distinctæ sunt, & in differentijs indiuidualibus dissimiles, licèt eiusdem sint rationis specificæ, vt Scot. docet loc. cit. in 1. *ad rationem principalem*. Neq; est quæstio, An huiusmodi partes sint hæterogeneæ specificè, quatenus .s. in intẽsione primò producatur calor, postea addatur quædam qualitas alterius naturæ, quæ tamen aliqualiter participare videatur caloris naturam, & appelletur concalor, sic .n. intensio non esset eiusdem rationis specificæ cum acquisitione qualitatis; Quarè lis est, an istæ partes in intensione additæ, quæ gradus appellari solent, sint dissimiles, & hæterogeneæ in perfectione indiuiduali, ità vt sint naturaliter subordinati, vt secundus gradus necessariò primum supponat, sitque illo perfectior; tertius supponat secundum, & illum in perfectione excedat, & sic de reliquis; An verò omnes sint eiusdem, & æqualis perfectionis, & consequenter homogenei, siue primus sit, siue quintus, & octauus, Vndè si primus gradus cũ alio primo coniugatur in eodem subiecto, verè intensionem vt duo efficiat.

Fuit opinio quorumdam Antiquorũ, vt videre est apud Ocham, & Canonic. qui asserebant, vnum gradum esse alio perfectiorem, quẽ necessariò in subiecto præsupponit, ità quòd in intensione procedatur necessariò à primo gradu ad secũdum, à secundo ad tertium, & sic deinceps vsque ad octauum, in remissione verò priùs deperdatur octauus, deinde septimus, & tandem primus, & si duo primi gradus in eodem

eodem subiecto ponerentur, intensiorem qualitatem non conficerēt. quam sent. deinde suscitarunt quidam Recentiores, vt Suar. Hurt. Moris. Mutcia. Coninch. opposita tam sent. est communior, tā apud Antiquos, quàm Recentiores, & eam defendunt Vasq. Conimb. Auers. Ruu. Salas. Arriag. & quamplures Alij, qui volunt omnes gradus qualitatis esse homogeneas, & eiusdem rationis.

Conclusio.

Dicimus, *gradus omnes qualitatis esse homogeneos, & eiusdem perfectionis*, est Scot. loc. cit. & Seraph. Doctoris in 1. d. 17. art. 1. qu. 1. & 2. vt vt Marc. Baudun. noster obseruat, & sequitur in 1. de gen. disput. 2. sec. 1. Pr. à Scoto contra Gotfred. Si aliquis habens quatuor gradus gratiæ, ex hoc quòd elicit actum vt quatuor intensum, eliciat postea actum vnum, tunc iste talis acquirit maiorem gratiam, & nouum gradum .s. quintum, ergo si quintus gradus perfectior esset omnib. præcedentibus gradibus, plus merebitur per actum vt vnum, quàm vt quatuor, sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. min. gratia .n. confertur iuxta meritum actus boni in gratia eliciti, & merentis dispositionē, & magis meritorius est actus vt quatuor, quàm actus vt vnum.

Rt Hurt. neg. min. propter duo: Primum est, quia præcipua ratio merendi augmentum gratiæ est ipsa gratia, ideoque plus gratiæ debetur habenti gratiam vt quatuor, & actum vnum elicienti, quàm homini producenti actum vt quatuor sine gratia. Secundum est, quia Deus præmiat vltra condignum propter suam maximā liberalitatem, idest præmiat præmio excedenti, quàm debeatur actibus condignè.

Non valet, licèt .n. admittatur gratiam esse potiorem rationem augmenti, quod præsentis negotij non est, non potest tamen negari, qn intensioni actus aliquod augmentum gratię correspondeat, etenim plus gratię debetur homini informato gratia vt quatuor, & elicienti actum intensum vt tria, quàm si actum eliceret vt vnum, & tunc argumentum in suo robore permanet; nam eliciens actum vnū supra quartum attingens quintum actum, perfectius augeret gratiā, quàm ille, qui supra primum meruit vt tria. Neque valet resp. Coninch. qua etiam vtitur Vulp. tom. 3. part. 2. disp. 105. art. 5. actus augere gratiam moraliter, non physicè. non valet, nam etiam augmentum morale fieri debet secundum proportionem valoris actus, & dispositionis merentis. Secudum fundamentum Hurt. quòd Deus præmiat vltra condignū ex sua liberalitate, falsum est in proposito, vt semper actui sequenti Deus tribuat præmium vltra condignum, vt præmium excedat omnium actuum præcedentium, sed eo modo vltra cōdignum præmiat, quo modo primum actum pręmiauit. Tum quia etiam secundum omnes, sicut

Deus

Deus præmiat vltra condignum, ità punit citra condignum, .i. minus, quàm peccator mereatur, Sed stante hac sent. Deus puniret vltra condignum, quòd sic Pr. sit peccator, qui eliciat peccatum vt vnum, huic corrispondet pæna vt vnum, si iterum eliceret aliud peccatum vt vnum, huic peccatori corrispondebit pæna, vt duo, si ergo secundus gradus pænæ esset perfectioris rationis, quàm sit primus gradus, vtique excederet demeritum secūdi peccati, & ità secundum peccatum puniretur vltra condignum.

Cōfirmatur, nam ratio ait Scot. vrget de habitibus naturalibus, & & in agente æquiuoco, vt .n. supra diximus, agens æquiuocum potest agere in simile, intendendo effectum, quem productum reperit, vt patet de grauibus intendentib. impulsum, de vino, pipere, & alijs; si autem Vinum V.g. potens producere calorem vt vnum, applicaretur subiecto calido, vt quatuor, vel graue productiuum impulsus vt vnum alicui trutinæ addatur, in qua causatus sit impulsus vt tria, ab alio agenti grauiori, tunc tam calor, quàm impulsus intenderetur, ergo iste nouus gradus non est alterius rationis, ab alijs præexistentibus gradibus, & maioris perfectioris, aliter virtutem agentis eccederet.

Item Pr. in qualitatibus specialiter contrarijs, & vniuocè agentibus; nam ponamus, vt calido vt octo applicetur frigidum vt vnum, hoc frigidum agendo in calorem, asseruut Aduersarij corrūpet octauum gradum caloris, introducendo primum gradum frigoris, at hoc est falsum, nam data hac sent. gradus octauus caloris multum excederet in perfectione gradum primū frigoris, quomodò ergo poterit ille perfectissim⁹ gradus ab isto imperfectissimo destrui? Tū quia si potest primus gradus frigoris corrumpere octauum perfectissimum, cur etiam reliquos gradus non destrueret, qui imperfectiores sunt? nec ratio assignari potest, cur potius primus gradus frigoris specialem habeat oppositionem cum octauo caloris, illumque destruat, & non cum primo, cui adæquatè repugnat vt imperfectissimus imperfectissimo.

Obiectiones.

Ob. Si non esset ista subordinatio in qualitatib. sequeretur qualitatem intensam esse vnum per Accidens, cùm cōstet diuersis gradib. vnitis, & non subordinatis, sed hoc est falsum, ergo. R. neg. sequelam, vnum .n. per se stat multipliciter, vno modo ex potentia, & actu, 2. ex multis partib. subordinatis, vt ex multis vnitatib. resultat numerus, 3. ex multis partib. integrantib. vnitis per continuationem, vt etiam ex multis partib. integrātib. constat substantia, & quantitas, licèt partes non sint subordinatæ, sic qualitas intensa dr. vna per se.

Ob. si qualitas intenderetur per gradus homogeneos, sequeretur

agens remissum posse intendere subiectum minus intẽsum. Sed hoc est falsum, ergo, &c. Pr. sequela, ponatur calidum vt vnum, applicatũ calido vt duo, iam poterit in istud producere calorem vt vnum, quia talem virtutem habet, & subiectum est capax, ergo efficiet calidum vt tria. Neq; respondeas, ait Hurt. simile agere non posse in simile, tũc .n. causa non operatur, quando est defectus, vel potentiæ actiuæ, vel passiuæ, vel applicationis, vel ex repugnantia formæ producendæ, cũ forma producta in subiecto, sed in casu nullum istorum adest, vt patet. ℞. neg. seq. cum sua probat. vt supra diximus, & ratio est, quia simile non agit in simile actione vniuoca, neq; hoc est petere principiũ, licèt .n. de hoc non habeamus demonstrationem à priori, sufficit tamen ratio à posteriori, quã supra assignauimus, estò oppositum experiamur in agentib. æquiuocis.

Ob. finis caloris est disponere ad ignem, nõ solùm reddere subiectum simile, ergo quamuis agens reddat passum sibi simile, non ob id eius actio cessabit, nam adhuc datur vlterior finis. ℞. quòd calor vt causa principalis, & primariò non intendit productionem ignis, sed tantùm productionem caloris, licèt secundariò, & vt causa instrumentalis, disponat etiam ad formã ignis, sed tantùm pro virib. non .n. quilibet calor est sufficiens dispositio ad formam ignis, & consequenter nec quilibet sufficienter, & perfectè disponit, qualis est remissus, indè negatur sequela, quòd debeat calor remissus vlterius agere, postquam passum sibi assimilauit, cùm non sit instrumentum sufficiens ad vlterius producendum.

Ob. Nunquam ad operandum conditio aliqua requiritur, de cuius necessitate non possit reddi ratio à priori, sed quod requiratur hæc dissimilitudo, non potest assignari aliqua ratio à priori, cùm in agentib. æquiuocis non requiratur, ergo, &c. ℞. neg. ma. nam etiam tanta, vel tanta approximatio est conditio ad agendum, & tamen nequit alia ratio assignari, nisi à posteriori, & ab effectu.

Ob. Qualitas intensa vt octo est perfectior, quàm extensa vt octo, quia perfectius agit, & disponit, at si gradus essent eiusdem perfectionis, non esset perfectior, ergo, &c. Pr. mi. nam perfectio, quam debet habere qualitas intensa vt octo, debet illi competere ratione propriæ entitatis, non ab alio extrinseco, sed si entitas vnius esset similis entitati alterius, solum differret in ordine ad subiectum, qui ordo est extrinsecus, & consequenter talis gradus nõ esset perfectior. ℞. neg. mi. ad 1. probationem, negatur, quod maior perfectio qualitatis intensæ proueniat ex inæquali, & dissimili perfectione entitatiua, sed prouenit ex sola maiori, & perfectiori vnione partium inter se, & cum subiecto; partes etenim qualitatis intensæ sunt in eadem parte

parte subiecti, & ad inuicē cōpenetratæ; partes verò extēsę solū vniūtur in indiuisibili, ex qua maiori vnione ad inuicē sequitur in qualitate quædam perfectio, tā ad agendum, quàm ad resistendum, nam virtus vnita fortior. Affert Arriag. hoc exemplum: Si decem homines haberent singuli centum florenos, alius verò illos mille florenos simul acquireret, certè illi floreni secundum entitatem essent ijdem, constituerent tamen hominem illum ditiorem, quàm fuerint illi decem, & hoc propter possessionem magis vnitam, vbi prius erat dispersa, nec aliam perfectionem in intensione qualitatis agnoscere debemus.

Ob. Deus, & creatura, estò faciant maiorem perfectionem extēsiuam, quia sunt duo entia magis perfecta, quàm Deus solus, non tamen intensiuam, nam creatura supra Deum, nō addit maiorem perfectionem, ergo ad intensionem, & maiorem perfectionem, nō sufficit additio similis perfectionis, sed requiritur maior. ℞. neg. paritatem, & ratio est, quia Deus soł vel formaliter, vel eminenter cōtinet omnem perfectionem cræaturæ, qua ratione ex Deo, & creatura non fit aliquid perfectius intensiuè, sed vnus gradus qualitatis non continet perfectionem alterius gradus.

Ob. ex Coninchio de actib. supernaturalib. disp. 22. dub. 3. Agēs naturale agendo, non tàm intendit assimilare sibi passum, quàm seipsum per actionem communicare, ergo quia calidum vt duo, est adhue capax caloris vt vnum producibilis à calido vt vnum, si illi applicetur, poterit seipsum per actionem communicare, licèt inueniat in calido vt duo, formam similem. ℞. neg. consequ. agens .n. vniuocum intendit agendo sui ipsius cōmunicationem, dum in passo non reperiat effectum similem, cur autem hoc petat, sufficit nobis ratio à posteriori.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quòd si Deus in eodē subiecto poneret duas quantitates penetratas, quantitas intensior resultaret, q͂ est falsum, cùm hæc non suscipiat magis, & minus. ℞. neg. parit. nā suscipere magis, & minus soli qualitati conuenit, & non quantitati, quæ est radix extensionis localis, ità vt impenetrabilitas aptitudinalis in ordine ad locum sit positio circumscribens nobis essentiam quantitatis; vndè si duæ quantitates existerent in eodem subiecto, non facerent quantitatem vnam perfectiorem, quia non natæ sunt ad inuicem compenetrari, sed quęlibet ab intrinseco petit extreitatem partium impenetrabilē: qualitas verò indifferens est ad extensionem, & intensionē, imò principalius illi intensio conuenit, quàm extensio, vt clarius infra patebit. Hinc aduertēdum, quòd ad intensionem non sufficit penetratio localis, aliter si duo ignes essent simul sic compenetrati, non solùm fieret calor vnus, vt sexdecim, sed etiam

ignis perfectior, quod est falsum; sed requiritur quædam compenetratio partium qualitatis inter se, vt quilibet gradus cum quocumq; alio, simul vnitus, & compenetratus existat, vt in calido vt octo euenit, qui gradus non solùm in eodem loco reperiuntur, sed etiam in eodem subiecto, & ad inuicem coniuncti existant. Insuper not. quòd licèt tres gradus diuisim sumpti assimilentur calori vt vnum, non tamen coniunctim accepti, arguere autem à diuisis ad coniuncta, est fallacia accidentis, vt diximus in Logica; sic duo, & tria fundant rationes paritatis, & imparitas, non tamen quinq; licèt sit, duo, & tria.

Ob. Stante hac sent. sequeretur nullum gradum esse primum, vel secundum, aut octauum, sed hoc est falsũ. ergo & id, vnde sequitur; min. patet, quia diuersi gradus cõstituentes aliquod totum, necessariò dicunt certum ordinem inter se. Pr. sequela à Coninch. Si gradus, quibus ad locum superiorem est ascendendum (à quibus gradibus denominatio intẽsionis sumpta est) ità collocarentur, vt vnus in ordine ad locum, & ascensum, aliũ non superaret, non constituerent veros gradus, nec vnus dici posset primus, alter secundus, ergo cùm per gradus intensionis veluti ascẽdatur ad gradum maioris perfectionis; si vnus alium non superaret in perfectione, non essent veri gradus, nec ad maiorem perfectionem perueniretur. Neq; dicas partem priorem perfici à posteriori; nam per posteriorem, prior non eleuatur ad esse perfectius, sicuti si secundus gradus in ascensu non esset eleuatior, & eminentior quo ad locum, non diceretur secundus. Rx. concedendo sequ. vt art. sequ. patebit, nam talis diuisio in gradus est arbitraria, sicut vlna voluntariè est in octo partes diuisa, ideò negatur minor, ad probat. dicimus, sufficere, quòd seruent inter se ordinem, & vnionem continuitatis, sicut vnum continuum, seu continuitate vnum constituunt. Rx. 2. ex Bell. & Mastr. quòd eo modo ascẽdi debet, quo modo est terminus ad quẽ talis ascensus, ità q̃ si est secundũ perfectionẽ essẽtialem, semper addi debet nouus gradus essentialis; si secundum perfectionem intensiuam, addi debet nouus gradus intensiuus; si secundum extensiuam, nouus extensiuus; ex quo nõ adhuc rectè infertur, quòd nouus gradus intensiuus esse debeat alterius rationis, sed sufficit, quòd forma nouo gradu perficiatur, perfectione intensiua, quæ in hoc cõsistit, quòd plures partes simul vnitæ in eodem subiecto reperiãtur, ex qua vnione maior actiuitas, & fortitudo in forma resultat, nam virtus vnita fortior; sicut in exemplo allato patere potest de gradibus in ascensu ad locum alteriorem, quia est ascensus extensiuus, sufficit, q̃ gradus illi differant in extensione, non tamen requiritur, quòd sint alterius rationis.

Ob.

Ob. Si gradus sunt similes, ergo nō potest remitti quod est intensū.

Pr. sequ. quia non est maior ratio, cur deperdat illum gradum, quàm alium, ergo nunquam qualitas remittetur; recurrere autem ad Deum determinantem, est voluntariè dictum. ℞. neg. seq. quòd enim gradus hic pótius remittatur, quā alter à Deo determinatur; cuius est causas secundas determinare ad agendum in indiuiduo, neque hoc est voluntariè dictum; sed rationabiliter, sicut etiam Aduersarij in casibus similibus faciunt.

Ob. Posset hæc intensio procedere in infinitum naturaliter, sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. sequ. nam vt Arist. arguit 4. phys. 53. si duo corpora esse possunt in eodem loco, ergo infinita, similiter in casu, si duo gradus eiusdem rationis possunt esse simul, ergo etiam infiniti. ℞. argum. etiam retorqueri potest de gradibus hæterogeneis, si namque plures gradus diuersæ rationis possunt esse simul, etiam & infiniti. In forma negatur sequela, naturaliter loquendo, & ratio est, quia potentiæ actiuę naturales sūt terminatæ; nec Authoritas Arist. vrget, nam valet in his, in quibus vniuersaliter quælibet pluralitas naturaliter repugnat, qualis est penetratio localis duorum corporū, etenim tam repugnat duo corpora esse in eodem loco, quàm centum, mille &c. licèt verum sit in aliquibus vnam pluralitatem repugnare, non alteram; vt Paulus potest ferre decem pondera, nō tamen duodecim; ita possūt octo gradus qualitatis ab agente produci, non tamen decem, viginti, triginta &c.

Ob. Ponatur subiectum palmare calidum vt vnum, si Deus à medietate calorem auferret, & in alia medietate reponeret, in ista medietate esset calor vt duo, & si totum calorem reduceret ad millesimam partem, fieret calor vt mille, & sic in infinitum; imò si reduceret totum calorem ad punctum, calor erit infinitè intensus in actu. Concedunt Aliqui, quòd ille calor versus finem esset infinitè intensus. Sed rectiùs Resp. Auersa, quòd illa qualitas posset intendi in infinitū, sicut si ab aliqua latitudine Deus auferret aliquam partem, & versus longitudinem apponeret, quantitas illa posset hoc modo in infinitum Synchategorematicè elongari; sic in casu, nam quicquid de extensione aufertur, additur intensioni; at sicut quantitas nunquā fieret infinitè cathegorematicè lōga, ita neque qualitas posset actu infinitè intensa euadere, sicut enim non posset totam latitudinem diuidere, quin adhuc alia remaneat diuidenda, sic neque posset totam extensionē ad intensionē reducere.

Arrs. 1. de gener. q. 26. cum aliquib. Paucis, affirmat solū qualitates contrarias habere, esse augeri per gradus hæterogeneos, nō alias, vt sunt lumen & impulsus, & sic arguit: non posset reddi ratio, cur vnum agens æquiuocū virtualiter sit. V. gr.

calidum vt duo, & non vt sex, nam si potest producere in tribus subiectis sex gradus caloris, cur nō etiā in eodē subiecto? si dicas, requiri maiorem virtutem intensiuam ad producendos simul sex gradus in eodem subiecto, iam admittitur dissimilitudo graduum. ℞. argum. etiam ipsum vrgere, qui affirmat, qualitates non habentes contrariū intēdi per gradus homogeneos, vt est lumen, & tamen experimur nō omnia lucida æquale lumen producere, sed quædam maius, quædā minus, quia non habent eandem virtutem, ita de calidis virtualiter dicimus, quòd habent determinatam virtutem actiuam, vt non possint vlterius agere post quam gradus illos produxerunt, quos virtualiter continent, licèt in aliud subiectum possint adhuc agere; Neq; ex hoc, quòd maior virtus intensiua requiritur ad producendam sex gradus caloris in eodem subiecto, gradus esse hæterogeneos inferri debet, alias quia maior virtus requiritur ad producendum sex gradus luminis in eodem subiecto, quàm tantum duos, iam gradus luminis essent hæterogenei, quod est contra ipsum; vndè solùm infertur, quòd gradus illi qualitatem constituant perfectiorem, & magis intensam, quod est verum.

Vrget: Ignis in se calidus vt octo in aliqua parte sphæræ, solùm producit sex gradus caloris propter distantiam, ergo si gradus sunt eiusdem rationis poterit simul octo gradus producere, quia habet talē virtutem, aliter si requiratur maior virtus, indicium est gradus esse hæterogeneos. ℞. retorquēdo argum. de luminoso producente in parte aliqua phæræ distante lumen remissiùs, estò in se vim haberet lumen intēsius in parte propinquiori; hinc dicimus, quòd ideò ignis respectu illius partis nō habet virtutem producendi octo gradus caloris, quia agens vniformiter difformiter agit &c. Et hāc nostri Doctoris sententiam communiter hodie Recentiores, vt rationabiliorē amplectuntur, vt videre est in quadam Centuria 3. Philosophicarum propositionum, Proposit. 18. quæ vt probabilior eruditè satis propugnata fuit in Aula Collegij Messanensis Illustrissimæ Societatis Iesu; sicut etiam ibidem Propos. 11. docent, alterationem intensiuam fieri per additionē gradus ad gradū.

ARTICVLVS QVINTVS.

Pro completa explicatione intensionis, & extensionis Qualitatis.

EX dictis in Physic. in qualibet continui compositione duo necessariò reperiuntur .s. partes, & indiuisibilia tàm coniūctiua, quàm terminatiua; & quia per nos intensio fit per realem additionem nouæ qualitatis eiusdem rationis cū præexistenti, & in eadem parte subiecti, asserendum est; qualitatem intensiuam esse quoddam continū homogeneum, & similare, constās ex partibus homogeneis, non indiuisi-

uisibilibus, sed in infinitum diuisibilibus, supponẽdo, quòd res quælibet continua, siuè substantia sit, siuè qualitas partes habeat entitatiuas independenter à quantitate, & quia ista duo continua .s. intensionis, & extensionis magnam habent similitudinem, ideò claritatis gratia, continuum extensum qualitatis dicitur componi ex partib. intensum verò ex gradibus, qui tamen sunt reuera partes integrantes, & componentes qualitatem intensiuam.

Gradus verò, vt Canon. docet 5. phys. q. 3. art. 1. duplex est, vnus essentiæ, & talis est, quo ens quodlibet determinatur, & limitatur ad certum genus, & ad certã speciem secundum suam essentiam, vt viuens, animalitas, sensitiuum, rationale in homine &c. alij sunt gradus perfectionum, & eiusdem speciei, vnitiuè contentatum in vno, & de illis in præsenti loquimur, qui speciem essentialiter nõ diuersificant, sunt .n. portiones eiusdem specificæ formæ; Dicitur autem gradus à gradior graderis, quasi gressus, sicut .n. per gressus itur de vno loco ad alium, ità etiam quodammodo per illos gradus, & portionales perfectiones, mobile graditur ab vna perfectione in aliam, qui gradus sic à Canon. definitur: *Gradus est portio perfectionalis formæ specificæ extra eius conceptum quidditatiuum, sed ipsam specificam formam includens in suo conceptu, inclusa tamen intra conceptum indiuidui vagi, vngi determinati, determinatè.* Explicatur. *Dicitur portio perfectionalis formæ specificæ;* nam sicut quantitas habet cõpositionem essentialem ex genere, & differentia; & integralem ex partibus, quarum quælibet includit essentiam quantitatis, non tamen totaliter, quia essentia etiam includitur in alia parte propter suam illimitationem, ità qualitas suam habet compositionem ex partibus essẽtialibus, nempè ex genere, & differentia, & suas perfectionales portiones integrantes habet, quarum quælibet essentiam qualitatis includit, non tamen totaliter, quia adhuc talis essentia in alia portione includitur; Vndè hæc est differentia inter quantitatem, & qualitatem, quòd quælibet quantitas est eiusdẽ perfectionis cum alia quãtitate, cùm non suscipiat magis, & minus; non sic qualitas, cuius intẽsio non attenditur quòad diuersas partes subiecti, sed quò ad eamdẽ. Dicitur *extra conceptum quidditatiui formæ.* quia quidditas abstrahit ad indiuiduis, & isti gradus adsunt, & absunt sine præiudicio essẽtiç qualitatis. Dicitur *includens formam in suo cõceptu,* quia species est de essentia indiuidui. Dicitur tãdem *inclusa tamen &c.* quia conceptus indiuidui, non solùm dicit speciem, sed etiam differentiam indiuidualem; si indiuiduum est vagum, includit differentiam indiuidualem vagam; si est determinatum, & signatum, includit differẽtiam indiuidualem determinatam, & signatam.

Quo-

Quoniam igitur quælibet qualitas hos gradus habet, & hanc latitudinem intensiuam diuisibilem in infinitas partes ad modum quantitatis, ad maiorem claritatem Philosophi totam hanc latitudinem ab agente naturali producibilem in octo gradus diuiserunt, quæ diuisio est arbitraria cùm possit in plures partes diuidi &c. quando igitur à mobili certa pars determinata qualitatis acquiritur, quò ad intensionem, dicitur acquiri primus gradus, & sic de cæteris, sicut cùm aliquis continuè mouetur per vlnam, quando acquirit certam partem determinatam, dicitur acquirere primum palmum &c. ex quibus partibus intensiuis non fit vna simplex qualitas sine distinctione partium, vt aliqui putarunt, affirmantes, quòd nec à Deo separari possint, quod est contra experientiam, cùm de facto ad inuicem naturaliter separentur, sicut de distinctione partium quantitatis inter se diximus in phys. qualitas .n. successiuè acquiritur, & suo modo commẽsuratur cum partibus temporis, itaut tota intensio continuè fiat per partes temporis; Vndè sicut tempus non constat ex instantibus, sed ex partibus semper diuisibilibus in infinitum, ità qualitas, & eius intensio. Si autem qualitas materialis est, & in subiecto extenso recipitur, habet quoque partes extensas entitatiuè, quæ extensio qualitatis est ità cum intensione eiusdem connexa, vt extẽsio sine intensione fieri nequeat. Agens enim intendendo extendit, & extendendo intendit, quando in subiectum quantum contrarijs qualitatibus affectum, agit.

Obiectiones.

Sed Contra hãc doctrinam multipliciter obijcitur, & 1. pluribus Arist. Auctoritatibus. Prima sumitur ex 8. meth. 10. vbi habetur, q; formæ sunt sicut numeri, ità quòd sicut quilibet numerus additus numero, variat numerum, ità quilibet gradus in forma additus variat speciem, ergo essentiæ caloris, albedinis &c. non potest aliquid addi, manente eadẽ specie. Secunda sumitur ex 10. meth. 25. vbi Phil. docet, quòd differentiæ formales mutant speciem, sed hæc differentia gradduum esset differentia formalis, ergo &c. Tertia ex cap. de differentia, vbi Porph. ait, differentia formalis non recipit magis, & minus. R. cũ Scot. in 1. d. 17. q. 3. Xx. tres omnes istę Authoritates intelligi debent de quidditatibus, vt quidditates sunt, & de differentijs essentialibus quarum quælibet variat speciem, vel de nõ specie, facit speciem; Non verò de differentijs Indiuidualib. quæ non sunt de essentia, & quidditate rerum, gradus autem isti sunt quædam conditiones indiuiduales, scu plura indiuidua licèt continuata ad inuicem.

Ob. ratione. Si Aliqua realitas præexistenti qualitati adueniret, ergo qualitas aucta non erit in spe-

speciè essentiali. Pr. sequela, quia includeret in sua quidditate aliquod Accidentale, & ideò non esset in determinata specie, nec de ente per Accidens datur scientia. Rt. Doct. gradum aduenientem dici accidentalem, si accid. pro extraneo sumatur, quatenus non pertinet ad quidditatem, non erit tamen accidentalis si intelligatur de accidente per accidens coueniens subiecto. Primum accidens scil. pro extraneo, licèt non sit de essentia, est tamē de integritate cum illo cum quo vnitur, ideoq; facit cū natura vnū per se, sicut quodlibet indiuiduum est vnum per se, & rectè dici potest constitututum in specie. Secundum Accid. facit vnū per accid. & sic dici non potest in specie constitutum; gradus additus qualitati, licèt sit extraneus, non tamen est accid. per accid.

Ob. Si forma hoc modo intenderetur, etiam à subiecto separata taliter intenderetur, & consequenter forma esset subiectum motus, quod est falsum. ℞. neg. seq. nam moueri est aliter se habere nunc quàm prius, quod proprium est subiecti, non formæ, & impropriè tantùm primus gradus dicitur recipere secundum, cùm illi non inhæreat, sed ambo subiecto inhærent; quarè intensio formæ separatæ esset quædam aliter habitio, nō autem quoddam aliter se habere, ex Mastr. & Bell. hic disp. 3. q. 4. & tactum fuit in phys.

Ob. Vel illi gradus sunt à forma realiter distincti, vel non; si secundum, ergo eadem numero albedo non posset esse modò intensa, modò remissa; Si primum, ergo quia Deus potest omne realiter distinctū separare, posset producere albedinem sine aliquo gradu, quod est falsum. ℞. duo in quolibet continuo considerari posse, vnum est ipsum continuum constitutum in ordine ad suas partes integrales; alterum est ipsa quidditas respectiu proprij gradus, seu proprij indiuidui; si de primo fiat sermo, cōcedimus quemlibet gradum albedinis esse realiter ab alio gradu albedinis distinctum, sicut quælibet pars aquæ realiter ab alia parte distinguitur, & hæc sine illis esse potest; si de secundo loquatur, admittimus naturam albedinis non distingui realiter ab vno gradu, sicut vniuersaliter omnis natura specifica est realiter identificata cum suo indiuiduo. Ad prob. neg. seq. nam fit transitus ex natura, & differentia indiuiduali ad compositionem physicam integralem, sicuti etiam patet de natura quantitatis, quæ esse non potest sine differentia indiuiduali, & tamen modò maior, modò minor esse potest.

Ob. ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, ex 7. meth. 49. sed omnes gradus qualitatis sunt entia in actu, ergo in compositionem vnius qualitatis conuenire nequeunt. ℞. maiorem esse veram de vno per se ente, vnitate essentiali, non de ente per se vnitate inte-

gra-

grali, ad quod sufficit, vt sint per se vnibilia per propria indiuisibilia continuantia, in quibus vnio illa fundatur, quæ indiuisibilia etiam in qualitate intensiua reperiuntur.

Ob. Vel hæc additio fit secundũ essentiam, vel secundum existentiã, non secundum vt diximus; si primum, ergo qualitas intensa, & remissa differunt specie. ℞. additionem fieri secundum essentiam, & existentiam simul, sicut in extẽsione qualitatis, & quantitatis, neg. tamen seq. non est .n. alia specie essentia, sed alia numero, sicut patet de aqua, cui fit additio alterius partis aquæ &c.

Ob. Aut isti gradus se totis faciunt vnum, aut aliquo sui; non secundum; quia sic potiùs esset extẽsio, quàm intensio; si primum, ergo vnus illorũ corrũpetur, quia nõ est possibile vnã realitatẽ, p totalẽ, & omnimodam identitatẽ trãsire in aliam, ipsa eadem manente. ℞. se totis facere vnum, quia totaliter vniuntur; quilibet .n. immediatè cum quolibet vnitur, & singulæ partes vnius, singulis partib. alterius. Ad impugnationem neg. seq. non .n. vnus gradus in entitatem alterius transit, sed adhuc distinctus remanet, vt patet in vnione materiæ, & formæ, & de partib. integralibus &c.

Dubium tamen est de indiuisibilibus qualitatis. Qui negant indiuisibilia in quantitate, negãt etiam in qualitate. Fonseca verò licèt concedat indiuisibilia in quantitate, negat tamen omninò in qualitate, sed vult, quòd partes qualitatis vniantur per coexistentiã in subiecto. Vasq. verò, quòd vniantur seipsis. Communis tamen opinio ferè omnium concedit in partibus qualitatis propriè indiuisibilia cõtinuatiua, & terminatiua, sicut in quantitate admittuntur, & prob. eisdem rationibus, quibus Pr. existentia indiuisibilium quantitatis in phys. disp. 12. art. 3. & 4. & adhuc sic specialiter Pr. supposito, quòd qualitas potest acquiri per alterationem continuam, tam intensiuè, quàm extensiuè, vt sequẽti art. patebit.

Talis motus tempore mensuratur, ergo vel in instantibus temporis est aliquid illius motus, aut nõ, Si secundum, ergo motus non erit continuus, imò diuisus esset in omnes partes, sicut si linea esset sine omnibus punctis, esset actu diuisa in omnes partes, quod est falsum; Si primum, vel est diuisibile, vel indiuisibile, primum esse non potest, quia nulla pars motus successiui est in instanti, ergo secundum, ergo idem dicendum est ex parte ipsius qualitatis, eodem .n. modo se habent tempus, motus, & continuum quo ad compositionem partium. Tum quia potest dari qualitas à subiecto separata, & tamen esset continua, aliter esset secundum omnes partes diuisa, ergo tũc haberet propria continuatiua, ergo partes non vniuntur per coexistentiam in subiecto vt Fonseca asfere-

:ebat; & sicut qualitas ex se est impositum integrale distinctum ubiecto quanto; ita habere de- : propria indiuisibilia continuã- ; & si affirmare licet cum Vasq. òd partes qualitatis seipsis vniã- :, idem dici posset de quantita- in qua tamen admittit conti- atiua indiuisibilia.

ARTICVLVS SEXTVS.

An alteratio possit successiuè, & continuè fieri.

Cot. veritatem huius art. deter- minat in 2. sent. d. 2. q. 9. lit. & O. & 8. meth. q. 3. vbi docet uisitionem qualitatis per partẽ t partem, tàm intensiuè, quàm :nsiuè fieri successiuè, & conti- . Est aduertendum, nos non ne- : aliquam qualitatem siuè intẽ- , siuè extensiue in instanti ac- ri, quod patet de flamma cum nò in aere tenebroso produci , in quo lumen instantaneè in- aere causatur; sed dubium est, quando qualitas introducitur ubiecto successiuè per partes partes, talis alteratio continuè , & in tempore, an verò in di- is instantibus interpolatis per ulas, & quietem mediam, ità d tota alteratio sit aggregatũ ddam mutationum instanta- um discretè sibi succedẽtium, in intensione, quàm in exten- :; & loquimur præsertim de ratione, quæ fit in subiecto ex-), de illa verò, quæ fit in indi- uisibilibus subiecti, tangetur in argum. solutione.

Aliqui Thomistæ, vt Capreol. p. d. 15. qu. 2. artic. 2. Soncin. 8. meth. q. 22. Iauel 8. phys. Ferrar. Zanard. & Aliqui volunt, alterationem tàm intensiuam, quàm extensiuam minimè continuam esse in toto tempore, quo qualitas produci apparet, sed fieri interruptè per quædam minima qualitatis V. g. dum ignis applicatur ligno per aliquod tempus disponit minimã quamdam partem subiecti, & in instanti terminatiuo illius temporis simul absque successione introducit minimum caloris, deinde minimam aliam partem disponit, & in instanti terminatiuo introducit aliud minimum caloris, & sic deinceps per totum alterationis progressum; & istorum fundamentum est, quia sustinent dari minimam qualitatem, vt alia minor dari nequeat.

Arriag. disp. de gen. sec. 3. subsect. 2. hanc amplectitur sent. sed alio fundamento, quia vniuersaliter putat omnem motum successiuum fieri per morulas interceptas, & secundum maiorem, vel minorẽ numerum ipsarum in motu prouenire velocitatem, & tarditatem, vt præcipuè disp. 16. physic. sec. 11. asseruit. Alij concedentes intensionem fieri continuè, & successiuè, hunc dicendi modum restringunt ad solam extẽsionem, negantes extensionem esse continuam, sed vel in eodem instanti applicationis in-

quiunt, agens in qualibet parte sphæræ agere, intendendo vniformiter difformiter qualitatem; vel quòd agat in partes sphæræ interpolatè per morulas, nempè prius in parte propinquiori illam intendendo, deinde in remotiori, pro qua opin. citantur Ægid. & Iandun. Alij tadem hanc sent. restringunt ad primam partem qualitatis, quòd s. in 1. instanti introducatur minimum qualitatis in certa parte subiecti, quod minimum postea successiuè, & continuè intendatur, & extendatur.

Conclusio.

Dicimus, alterationem intensiuam, & extensiuam posse successiuè, & continuè fieri. est Scot. loc. cit. & communior, & fuit expressa sent. D. Tho. 3. Phys. lec. 1. & 5. Phys. lec. 7. & 6. Phys. lec. 8. & de sensu lec. 16. vbi docet alterationem perfectam esse motum continuum, quia omnis motus est continuus, idem habet Seraph. Doct. in 2. d. 1. art. 3. q. 1. in corpore, quia de ratione motus est, vt sit successiuus; at Alteratio est motus, ergo &c. Deducitur euidenter ex Arist. 5. physic. 18. vbi alterationem reducit sub motu propriè dicto, qui motus ex tex. 39. & 41. est continuus, & ad continuitatem motus requiritur continuitas temporis, patet ex dictis in phys. vbi Aduersariorum fundamentum exclusimus de minimo qualitatis, & simul ostendendo, Agens continuè, & successiuè agere non per morulas interceptas, ex eo quia est applicatum passo, non solùm in instanti, sed etiam in tempore sequenti. Nec suffragatur dicere, quòd agens disponendo agat. V.g. cùm ignis calefacit, priùs disponit raritatem inducẽdo, nam hæc dispositio esset etiam qualitas, ergo vel daretur dispositio dispositionis, vel hæc qualitas in tempore produceretur; & vndè Capreol. deducit, quòd prius ignis introducat raritatem tamquam dispositionem caloris, cũ multa calefiant sine rarefactione? patet de Adamante, & de luto, quæ calore potius indurescunt, quàm rarefiunt, ergo raritas non est dispositio præuia ad calorem. & peculialiter impugnatur modus ille ponendi extẽsionem instantaneam per totam sphæram, non autem intensionem, si n. in istanti in qualibet parte sphæræ agit, non solùm producit indiuisibile extensiuum qualitatis, sed aliquam intensionem, ergo si extensio est instantanea, etiam intensio talis erit. Tum quia ad agendum non sufficit applicatio, sed requiritur etiam quòd passum non resistat, ergo ex applicatione non benè infertur actio instantanea in totam sphæram, si passum contrarijs qualitatibus imbutum est.

Arriag. alia incedit via, negat etenim agens appplicatum passo sẽper agere, sed ex propria natura habere, quòd morulis quibusdam interceptis agat, & à Deo determinari, quando, & quanto tempore ab actione desistat, & denuò tur-

:sus agere incipiat. Non valet, nā Agens est applicatum, & natura- & non impeditum, & priùs age- t; cur postea non agat, si impo- itius non euaserit? vt cùm lapis. g. deorsum descendit, cur priùs ebat, & deorsum mouebatur, po- a in aere quiesceret? & tantò igis, quia mouendo se deorsum potentior ad descendendum, opter augmentum impulsus, vt itra ipsum Arriag. in lib. de Cę probabimus. Tum quia si lapis et talis naturæ, quòd ab intrin- o quiescere in motu peteret, er- naturaliter in aere quiesceret, ia iam hoc esset iuxta propriam turalem potentiam, & aptitudi- n. Multa alia hic afferri solent e breuitatis gratia relinquūtur.

Obiectiones.

Ob. ex Arist. 8. phys. tex. 65 & 66. i docet mot' inter terminos cō- rios nō posse cōtinuari, sed alte- io est inter mot' cōtrarios, ergo . Similiter 8. phys. 23. ait; *Dicere rationem fieri continuè est aduersari de manifestis.* ℟. ad prima loca, Arist. loqui de duobus motib: ntrarijs, quos ait non posse con- uari, vt est motus sursum, & de- um, non autem de motu facto er terminos contrarios, vt est tus sursum, calefactio circa a- am &c. in tex. 23. solùm con- dit contra Heraclitum, alteratio- nem non esse continuam, ità vt o tempore fiat, quo res durat, vt racl. docebat, nam aliquando res quiescit, non semper alteratur, non tamen ait alterationem quādo fit, nunquam continuè fieri.

Ob. Arriag. probans, omnem motum per morulas interrumpi, & 1. experientia; Videmus in. plu- mas, chartam, & similia in descen- su pluries quiescere; ergo &c. ℟. ex hac experientia nihil contra nos inferri, nam ideò pluma, charta, & similia quandoque in medio motu quiescunt, quia propter exiguam grauitatem facilè impediuntur à qualibet minima aeris agitatione; hinc experimur, quòd si agitatio actiuitatem grauitatis plumæ vin- cere potest non solùm motum de- orsum impediat, sed etiam huc, & illuc deferat; Vndè agitatione transacta prosequitur tandem plu- ma continuatè motum deorsum, licèt tardè.

Ob. explicari non potest veloci- tas, & tarditas motus, nisi per me- diationem plurium, vel paucarum morularum, ergo ℟. neg. assump- tum, nam potiùs explicatur per coexistentiam ad maius, vel minus tempus, vt infra dicemus de rare- factione, & condensatione eiusdem corporis per coexistentiam ad ma- iorem, vel minorem locum, quæ morulæ licèt fortè saluare possent velocitatem, & tarditatem motus totalis, non tamē illius partis mo- tus inter duas morulas inclusæ, nā hæc non est instantanea, sed suc- cessiua; ergo potest fieri tardiùs vel velociùs; & tamen morulas non includit. Hinc aduertendum,

contra Arriag. ex Mastr. & Bellut. quòd sonus non fit in instanti (vt fusius in lib. de anima patebit) sed fit in tempore, causatur .n. per motum, qui est successiuus, & consequenter non producit species in instanti, sed in tempore, vndè nec istæ species possunt alias causare in remotiori parte, nisi in tempore, qua ratione prius videtur ictus quàm auditur sonus, quia visio fit in instanti. Vel dicenduum cum Conimbr. quòd species visibiles sunt minus materiales, ideoque possunt diffundi in instanti, species verò soni sunt magis materiales, qua ratione non producuntur in instãti, sed tempore in medio multiplicantur; atque ideò negandum est quòd species non agant in medio, cùm producuntur, sed quiescant, nam ratio quare non percipiatur statim sonus est, quia agunt in tempore, non in instanti; aliàs quia etiam species visibiles se in medio multiplicant, vt de lumine patet, idem de istis dicendum esset, quòd aliquando cessarent, & ità non fieret visio, quod est contra experientiam.

Ob. Ponatur magnus lapis super asserem grauitans, non statim, sed post multos dies, aut annos asserẽ frangit, hoc autem esse non potest, quia toto illo tempore impetus in ligno à lapide imprimatur, & intẽdatur per continuationem, nam assignari deberet ratio, cur à principio totum impetum non produxerit; Nec dici potest lapidem à principio incepisse diuidere lignũ, quia non per tot annos lignum illud durasset, nec talis diuisio appareret, ergo asserendum est ex eo prouenire, quòd lapis non semper agit in lignum. R. quòd lapis ab initio totum impetum à se producibilem imprimit in ligno, & si talis impulsus resistentiam ligni excedit, aliquam diuisionem, vel effectum in eo causabit, aut statim, vel paulatim iuxta quantitatem excessus, ità vt tandem totaliter superet; si verò non excedit, numquam diuisionem producet, nisi lignum aliquid resistentiæ amitteret, vel ex vetustate, vel humiditate, vel ex alio capite.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quædam de alteratione, vt dispositio est ad generationem substantialem declarantur.

QValitas duplicem finem habet, vnum intrinsecum, alterum extrinsecum: Intrinsecus est productio alterius qualitatis, extrinsec᷑ est generatio substantialis, cui qualitas tamquam instrumentum agentis substantialis deseruit. Egimus huc vsque de alteratione in se, & vt proprium respicit terminum, nempè qualitatem, remanet de ipsa agendum in ordine ad finem extrinsecum, quatenus scilicet dispositio est ad substantialem generationem, seu vt substantialis forma in materia intro-

tro-

:oducatur, de qua aliqua veniunt ubia dissoluenda.

Est igitur primò cum communi fferendum, quòd quælibet forma ıbstantialis etiam anima rationas habet connaturalem amorem, :u inclinationem ad aliquas quatates, & connaturale odium, seu iolentiam ad alias, & hoc expeentia comprobatur, videmus .n, iter aliquas formas substantiales :petiri naturalem quamdam amitiam; inter alias verò naturalem ımicitiam, siue res animatæ sint, ıe inanimatæ, ergo à fortiori id : formis substantialibus in ordi: ad qualitates dicendum erit. onseq. patet, nam forma substanalis, & qualitas faciunt vnum sueċtū, cùm simul in eodem indiduo reperiantur, non sic duæ forıæ substantiales. Tum quia expeımur aliquas formas substātiales, ab extrinseco quibusdam qualitibus priuentur, cessante extrinco impedimento, statim ad priınum statum se reducere, vt patet : aqua calefacta, & ab igne se mo, quæ se reducit ad pr stinam friditatem. Quædam etiam ad poıo iem quarumdam qualitatum ı rumpuntur, quædam de nouo ınt, quæ manifesta signa sunt nara is amicitiæ, & inimicitiæ forç substantialis cum qualitatibus. uod etiam de anima rationali af:nandum est, cùm sit forma corıı s, quam vidəmus in statu counctionis à corpore pendere inıs operationibus, ità quod si organa lædantur, non rectè proprias operationes rationales exercere, vt in amentibus patet.

Secundò est cum communi supponendum, quòd forma substantialis quasdam qualitates sibi determinat ratione naturæ specificæ, & illæ sunt, quæ omnibus formis illius speciei, & sēper cōueniūt, ità vt sine illis forma in esse cōseruari non possit; alias verò qualitates sibi determinat ratione indiuidualis naturæ, & sunt quæ, vel ratione loci, vel temporis, vel alterius circumstantiæ ei conueniunt, & istæ variantur, nec in omnibus reperiūtur, vndè ūidem animalia in principio sui esse habere humiditatis exuperantiam, & neruorum, ac mēbrorum molitiem, quando deinde senescunt, oppositas qualitates acquirunt; agaricum, dum est recens venenū pellit, antiquatum est pestiferum venenum; mirabolani recentes ventrem soluunt, inueterati fortissimè stringunt; quædam plantæ in vna regione sunt venenosæ, in alia salubres. Solent etiam dispositiones distingui, quòd aliæ sint eductiuæ, aliæ conseruatiuæ, aliæ operatiuæ, primæ inseruiunt eductioni formæ à subiecto, secundæ conseruationi eiusdem, tertiæ ad operandum. Non est tamen hoc accipiendum in tāto rigore, quòd forma, ità inclinetur ad cōnaturalem qualitatem, vt necessariò illā habere petat in determinato gradu, ità quòd non possit talis qualitas aliqualiter augeri, vel minui,

for-

forma substantiali in suo esse permanente, experimur .n. oppositũ, nam licèt aqua inclinetur ad frigus, tolerat tamen, & compatitur aliquam frigoris mutationem, absque sui destructione; Vndè aliquæ ità necessariò, & simpliciter requiruntur educi, conseruari, & operari, vt sine illis non posset forma substantialis educi, conseruari, & operari, aliæ verò qualitates requiruntur ad bene educi, conseruari, & operari, & sunt dispositiones cõuenientes formæ in statu naturali perfecto.

Tertiò Not. quòd quædã qualitates sunt per se odibiles à forma substantiali quæ .s. qualitatib. naturalib. formaliter opponuntur, vt est calor aquæ, frigus igni, &c. & hæ nunquam reddi possunt amabiles, & amici formæ; aliæ verò sunt noxiæ per accidens, quatenus causant effectum aliquem noxium, vt sunt qualitates virtuales venenosę, quia in tantum disconueniunt, in quantum producunt effectum noxium, & illę aliquando assuefactione fieri possunt quasi connaturales, vndè dici solet, consuetudo est altera natura; hinc experimur, quosdam cibos, potum, acrem, somnum meridianum, & similia vni prodesse, alteri propter non assuefactionem nocere, hinc laborib. assueti licèt imbecilliores, facilius tamen labores tolerant, quàm fortiores, & insueti, cuius ratio est, qa estò ab initio principium operationum lædatur aliqualiter, vsu tamẽ potest aliqua qualitas imprimi, vt non ampliùs lędatur, imò ad similes actiones concurrat, vndè laborib. assueti, acquirunt præter aliã quamdam densitatem, & duritiem corporis, vt faciliùs calori, vel frigori resistant, durum .n. difficulter patitur ab extrinseco. Posset etiam dici, quod istæ qualitates non sint noxiæ naturæ specificæ, sed indiuiduali.

Quartò solet hic quæri, à quo qualitates istæ causentur? & Rę. dispositiones præuias ad generationem causari ab agente, quæ verò formam substantialem in subiecto consequuntur, proximè ab ipsã forma substantiali emanare, namã præuiæ in corruptione præcedentis formæ corrumpuntur, cùm non immediatè in materia recipiantur, sed in toto composito ex dictis in phys. in quo autem genere causæ hæ qualitates, seu dispositiones ad generationem substantialem concurrant, diximus in phys. concurrere in genere causæ efficientis instrumentaliter.

Quintò quæritur de terminis istarum dispositionum, tam earũ, quæ formæ conueniant in esse perfecto, quàm earum, quæ ad eductionem formæ substantialis prærequiruntur; de primis facilis est solutio, nam versus maximum sũt intrinsecè terminatæ *per maximum quod sic*, quod inde patet, quia quęlibet actiua potentia creata est terminata intrinsecè, ergo etiam effectus ab illa producibilis; quia igitur

it forma ignis V.g. habet potentiam producendi in se calorem, vt i statu sibi debito, & connaturali tistat, calor iste erit intrinsecè terminatus quo ad intensionem; quò verò ad extensionem, est distinguendum, si etenim forma substantialis versus maximum est terminata, vt diximˀ in phys. disp. 12. t. 7. esse animam, etiam dispositiones eodẽ modo terminatæ erũt; verò nullum terminum petit, vt nt aliæ formæ substantiales ex ibi ctis art. 6. sic nec dispositiones rminum habebunt in extensione. uò ad paruitatem, eodem modo stinguendum est de termino extensionis; si .n. forma determinat i minimum naturale, vt est anima, etiam dispositiones tale *minimum quod sic habebunt*, si nullum tunt terminum, & minimum, m de dispositionib. afferendum t. Quantum verò ad intensionẽ, letur, quòd quælibet forma determinet sibi aliquem gradum, sine o non possit naturaliter existere, Baudun. noster hic disp. 2. sec. 5. diuo Bonau. in 1. d. 17. pag. 2. t 1. q. 4. nostram confirmationem de intensione qualitatũ turaliter loquendo, non autem ernaturaliter, possunt .n. intenn infinitum, pro qua sent. citat am Diuum Thomam, & Scot. i tamen distinguit de qualitatit in ordine ad formas Animatas, vel inanimatas. De dispositionibus verò ad generationem requisitis, nulla est difficultas de Anima, cùm .n. hæc terminum intrinsecum paruitatis exposcat, & ad eius aduentum forma præcedens, .s. corporeitatis, non desinat esse, sed ibi permaneat, consequenter prærequirit dispositiones intrinsecè terminatas versus paruitatem per minimum quod sic; versus magnitudinem per maximũ quod sic, maior difficultas est de dispositionibus ad alias substantiales formas requisitis; Pro quo supponimus, quòd dispositiones, quas Agens in subiecto inducit, antequam generet substantiam, non subiectãtur in materia, vt aliqui Neuther. autumant, sed in toto composito, vt diximus in phys. disp. 5. art. 1. V.g. vt ignis possit in lignum formam ignis introducere, priùs lignũ per calorem alterat, qui calor non est in materia prima ligni, sed in ligno, & consequenter ad destructionem ligni destruitur, atq; ideò non concurrit calor corrumpendo immediatè formam ligni, sed solũ Accid. contrarium, .s. frigus, Vndè vltima dispositio ad formam ignis ab igne in ligno causata, semper in nostra opio. est compossibilis cum forma ligni, qua introducta non amplius ignis alterat, sed ignem generat; Verum est tamen, quòd non semper ignis necessariò postulat eumdem gradum caloris, sed respectu vnius subiecti intensiorem, respectu alterius remissiorem, .s. si in subiecto reperit siccitatem, non necessariò calor tam intensus esse debet, sicut si subiectũ

esset

esset humidum, & consequenter nõ potest assignari certa regula, quot gradus caloris, & quomodo ad formam ignis prærequirantur.

Solum dici poterit, quòd ideò ignis prius alterat, quàm generet, vt formam ligni expoliet contrarijs accidentib. quando ergo forma ligni ad illos gradus peruenerit, quos necessariò pro sui conseruatione exposcit, tunc ignis non amplius alterat, nõ quia calor ignis non sit ex se potens corrumpere gradus illos frigoris propter resistentiam formæ ligni, nam forma hæc non magis resistit pro his gradib. quàm pro alijs, vt in phys. diximus, sed quia ad destructionem illorum graduum forma substantialis ligni cessaret, & sic non potest amplius alterare, quia alteratio præsupponit subiectum, non destruit, cuius munus est solius substantiæ, sicut etiam ad substantiam spectat substantiam generare.

DISPVTATIO V.

DE RAREFACTIONE, ET CONDENSATIONE.

NEgari non potest, quòd rarefactio, & condensatio sine præuia alteratione per solum motum localem contingere possit, vt patet de Aliquo mobili in aere moto, vbi pars aeris mobile insequens rarescit, pars autẽ cedens mobili condensatur; attamen regulariter loquendo semper rarefactio, & condensatio media alteratione eueniunt, nam frigefactione fit condensatio, calefactione fit rarefactio, imò in multorum sent. vt infra patebit, rarefactio, & condensatio sunt species quædam alterationis, quarè rationabiliter post disp. de alteratione hanc immediatè de Rarefactione, & Condensatione subteximus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An per rarefactionem, & condensationem aliqua substantia acquiratur, vel deperdatur.

SCot. Veritatem huius Articuli determinauit in 4. sent. d. 12. q. 4. præsertim lit. F. & quòd reuera detur rarefactio, & condensatio negari non potest, patet .n. experientia, nam videmus aquam rarefieri dum feruẽs in lebete ampliorem petat locum, quàm prius obtinebat; & vapores in nube addensari; & aquam glacie restringi, & minorem locum occupare; Sed difficultas est in assignando modo, quo huiusmodi rarefactio, & condensatio fiat; dubitatur namque pri-

imò; An fiat per alicuius rei acquisitionem, & deperditionem, nec? Deinde supposito quòd fiant per additionem, vel deperditionē alicuius rei, quæritur; An hæc sit substantia, vel quantitas, vel qualitas, vel potius respectus aliquis in ordine ad locum?

Quò ad primam difficultatem quamplures Philosophorum, tàm ex Antiquis, quàm ex Recētiorib. autumant corpora rarescere, & addensari absque eo, quòd reuera quidpiam acquiratur, vel depereat corporibus rarefactis, vel addensatis, quam tamē sent. non omnes eodem modo explicant; nam quidam veteres quorum placita Arist. 4. phys. 83. refert, asserebant rarum esse id, in quo multa vacua partibus inani interstitio distantibus insunt, densum verò cuius partes constipatæ sunt, ac sibi omnino cohærent, nullis, aut paucis vacuitatibus interiectis, vndè consequēter dicebāt rarefactionem fieri per solam admixtionē vacui inter partes corporis rarefacti, condensationem verò per reditum earumdem partium in vacuum, ex quo principio asserebant fieri absque acquisitione, vel deperditione alicuius entitatis de nouo in corporibus rarefactis, vel condensatis. Antiquiores verò vacuū nō admittentes in rerum natura, condensationem explicabant per compenetrationē partium corporis adensati, rarefactionem verò per extractionem earumdem ab inuicem, & in hunc modum ipsi quoque negabant in rarefactione, & condensatione aliquid de nouo acquiri, vel deperdi, quæ sent. vno, vel altero modo explicata, Aliquibus Recentioribus non displicet.

Nobis tamen cum communiori nō placet, sed asserimus rarefactionem, & condensationem fieri reuera per aliquid deperditum, vel additum in corporibus infra explicandum. Et quidem quòd non fiat per vacuitates interceptas, patet ea dictis in phys. disp. 15. de Vacuo, natura .n. abhorret vacuum quantumuis modicum. Tum quia cùm in hyeme glaciantur aquæ, oleum, cæterique liquores, & ipse etiam aer ratione summi frigoris comprimitur, magnum, vastumq; relinqueretur vacuum, non nisi tēpore æstiuo denuo replendum, & tamen natura neque per breuissimam morulam patitur vacuum, vt multis experientijs in phys. cit. ostendimus. Tum quia per totam aquam efferuescentem sentitur calor continuè diffusus, lumen per totum aerem, & sic de alijs qualitatibus, signum, quòd in illis corporibus, rarefactis non dentur vacuitates illæ, sed vbique substantia, cui illa inhæreant accidentia, vt Arist. innuit 4. phys. 84. Tum tandem quia falsum esset corpus rarefactum maiorem occupare locum, quàm antea in hac sententia, sed tantùm occuparet locum, quantū antea, cum hac sola differentia, quòd prius illum occupabat continuatū,

postea dissitum.

Quòd etiam non fiat per penetrationem, & eductionem partium eiusdem corporis, vt alter dicendi modus affirmabat, patet etiam ex dictis in phys. non .n. minus natura refugit penetrationem corporum, quàm vacuum ipsum; & quidem si naturaliter possibilis esset penetratio corporum, tormenta bellica non tanta vi disrumperentur, potius namque deberet ignis metallum penetrare, quàm violentiam tantam causare. Nec dicere iuuat, non omnia corpora, quælibet penetrare, sed solùm partes alicuiscorporis homogenei posse alias partes eiusdem corporis penetrare. Non valet, nam saltem in fractione tormenti bellici, potius deberet partes ignis in se redire, quàm soliditatem durissimi æris disrumpere. Sed Aliqui resp. impossibilem esse vtique naturaliter penetrationem, quæ per motum localem fieret, at non quæ fit media alteratione, qualis est illa quæ in condensatione contingit. Neq; hoc effugium placet, nam ipsa penetratio dimensionum est illa quæ ex se repugnat, vt Arist. docet in 4. phys. 5. 3. à quacumque causa proueniat.

Tum quia, vt diximus rarefactio, & condensatio etiam sine alteratione aliquando contingere possunt. Tum quia vel in condensatione omnes partes se penetrant; vel aliquæ tãtùm, non secundum, quia non est maior ratio de vna, quàm de altera, & tunc condensatio non fieret secundum omnes partes; neque primum, quia sic corpus redigeretur in punctum. Tùm quia in corpore addensato apparent eædẽ partes, eadem figura, ac eadem prorsus accidentia, atque colores, quæ antea in ipso rarefacto cernebantur, ergo in condensatione non se penetrãt, aliàs accidentia ad inuicem confunderentur, & vna pars aliam obtegeret, ant. pr. exemplo, cùm .s. integra Ciuitas, vel ingens mons in speculo representãtur, quę adeò adamussim in speculo exprimuntur, vt omnes, & singulæ eorũ partes in eo repræsententur, nec vna pars alteram occultat quantũuis minimam, vel cum altera confunditur, licèt virtute specierum quodammodo in speculo condensentur, & ad modicam molem redigantur.

Tandem, quòd rarefactio, & cõdensatio contingere possunt, nulla intercedente penetratione partium, vel extractione, nulloque etiam interueniente vacuo, afferri solet paritas de motu locali; etenim raritas, & densitas in quantitate permanenti æquiualet, ac cõrispondet Velocitati, & tarditati motus in quantitate successiua; ita quòd motus velox dicatur ille, qui suas habet partes spissas, constipatas, ac veluti condensatas; tardus verò è contra, qui easdem habet veluti raras & quodammodo inter se distantes in ordine ad tempus; in velocitate autem motus, certum

ſit nullam contingere partium penetrationem, vel confuſionem, quia nulla pars mot' aſſignari poteſt, quæ ſimul tempore cum alia parte currat, ſed neceſſariò vna poſt aliam, quantumuis velociſſima eſſet; Similiter in tarditate nulla extractio partis ab alia fit, cum qua prius cõpenetrata fuerit; nulla etiam interceptio notari poteſt, aut media quies, quantumuis vna pars magis ab alia diſtet in motu tardo, quàm in velociori; æquè etenim in ſe cõtinuus eſt motus tardus, ac velox, nulla omnino interruptione, & quiete media interpolatus, vt ſupra diximus, ergo idem aſſerendum erit de partibus permanentis quantitatis, quòd eſtò nunc magis ſint inter ſe conſtipatæ, & per cõdenſationem propinquæ, nunc diſtantiores, & magis per rarefactionem extenſæ, hoc totum euenit abſque interruptis vacuitatibus, & partium diuulſione, ac ſine vlla partium penetratione, vel earum extractione.

Sed Contra allatam doctrinam inſurgit præcipua difficultas in hoc puncto; ſi.n. extenſio per rarefactionem facta importat maiorem partium diſtantiam, hoc non alio modo videtur contingere poſſe, niſi mediante vacuo, vel penetratione; etenim ſi partes corporis rareſcẽtis ante rarefactionẽ erãt cõtinuæ, difficilè eſt ſaluare, quomodo magis poſtea inter ſe diſtẽt, niſi inter illas detur vacuum; vel aſſeratur partes talis corporis ante rarefactionem fuiſſe magis cõtinuas, .ſ. ſe penetraſſe, & poſtea in rarefactione, extra ſe inuicem educi, Hic punctus in tot placita, & ſent. Auct. diſtraxit in hac materia, ita vt adhuc cum magno ardore inter ſcholaſticos agitetur.

Quidam Recentiores Hiſpani, & equidem ingenioſi, qui in phyſ. cõpoſuerunt cõtinuũ ex punctis turgidis, inflatis, & tumentibus, quæ minima phyſica appellant habentia partes tãtùm virtualiter diſtinctas, hanc difficultatem ſpernẽtes, facili negotio ab ea ſe expedire gloriãtur; ratio eſt, quia huiuſmodi puncta per ipſos occupant maiorem, & minorem locum ſine acquiſitione alicuius partis realis, ſed ſolùm per maiorem dilatationem partium virtualium, ſicuti Angeli maiori, vel minori ſpatio ſe coextendunt ſine acquiſitione partium, & conſequenter rarefactionẽ eſſe maiorem illam extenſionem partium virtualium, condenſationem verò eſſe earundem reſtrictionem; Inde ad obiectam difficultatem dicunt, partes poſt rarefactionem non magis à ſe inuicem diſtare, ſaltem primam à ſecunda, & ſecũdam à tertia, & ſic deinceps, ſed tantùm amiſiſſe dilatationem partium virtualium, quæ dilatatio facit vt prima magis diſtet à tertia, ſecunda à quarta, & ſic deinceps, quomodò non diſtabant ante rarefactionem.

Sed hoc figmentum euerſum fuit in phyſ. diſp. de continuo, vt prorſus

sus irrationabile; & naturas rerũ materialiũ cũ spiritualibus cõfundens, res etenim materiales sunt in loco per extensionem formalem, in partes integrales suæ entitatis habentes, quatenùs sunt totæ in toto loco, & earum partes in distinctis partibus loci, & non per extensionem virtualem tantùm ad instar Spiritus. Sed concessa etiam in rebus materialibus, hac partium virtualitate, ac punctorum tumore, nõ adhuc completè propositæ difficultati satisfaciunt, asserentes in rarefactione non fieri distantem primam partem virtualem à secũda, & secundam à tertia, sed tãtùm primam à tertia, & secundam à quarta, & ità deinceps, per nouam earum dilatationem, hoc.n. repugnare videtur, vt benè Mastr. & Bell. aduertunt lib. de gener. disp. 4. qu. 1. num. 6. nam talis distantia, & elongatio fieri non potest inter partes remotas, nisi etiam fiat inter partes propinquas, si namq; secunda pars est æquè propinqua primæ, & tertia secundæ, & quarta tertiæ post rarefactionem, ac erat antea, equidem adhuc etiam prima erit æquè propinqua tertiæ, & secunda quartæ, & sic deinceps, vt ergo fiat maior distantia inter partes remotas, etiam fieri debet inter propinquas, atque ideò redit iterum proposita difficultas, cui tamen plenè satisfacere nequimus quousque nostram de rarefactione, & condensatione sent. art. vlt. ponamus.

Alij igitur allatam opinionem de vacuo, & penetratione respuẽtes, ad propositam difficultatem resp. rarefactionem fieri per ingressum quorumdam corporum subtiliorum in poros rei, quæ rarescit, qua de causa pori maiores fiunt, & partes illius corporis rarescentis magis dilatantur, & fiunt inter se distantiores, non per vacui interiectionem, sed per ingressum substantiæ extraneæ tenuioris, Vnde corpus rarefactum maiorẽ occupat locum; condensatio verò fit per expulsionem eorumdem corpusculorum, ob quorum egressum pori minores fiunt, ac restringuntur, & partes corporis inter se magis constipantur absq; vlla penitùs penetratione, & sic corpus condẽsatum minorem occupat locum, eo ferè modo, quo videmus lanam, & spongeam contrahi ad minorem locum, dum manu comprimuntur, & foras pellitur aer, intra earum cauitates inclusus, relaxatas verò denuò redire ad ampliorem locum ob regressum aeris ad easdem cauitates: huius sent. sunt Ocham opusc. de Euchar. Gabriel, Valles, Basson. & nouissimè defendit Arriag. disp. 16. phys. sec. 10. sub sect. 2. cum Onied. controu. 7. punct. 5. & ex professo tenuit Mairon. & videtur aliquo modo eam approbare Scot. in 4. cit. lit. B. communis tamen opinio ab hac sent. recedit.

Conclusio.

Dicimus, rarefactionem, & condensationem de illis propriè, & rigore philoso-

osophico loquendo, non fieri per acquisi-tionem, vel deperditionem substantiæ extraneæ. diximus *propriè*, quia si impropriè, & largè de illis fiat sermo, admittunt omnes dilatationē, & restrinctionem in corporib. po-sosis fieri per egressum, vel regressum corpusculorum tenuiorum à poris eorum, esse quamdam rarefactionem, & condensationem, afferentes illud idem exemplum de spongia cōpressa, & laxata; est clarissima in sent. Aris.4.phys.tex.85. ibi ait; *quare, & ipsa moles sensibilis non ideò extenditur, aut constringitur, quia materia aliquid insuper accipit, aut abijcit, sed quia ipsa materia vtrumque subire potest, quo fit vt idem sit rarum, & densum*. idem habet Diuus Tho. 4.phys.lec. 14. est etiam euidenter ad mentem Scoti loc.cit.in 4. §. *ad quæstionem* lit. E. quam mordicus defendunt Bell. & Mastr. loc. cit. & licèt sit B. Doct.oppositam sent. retulerit sub terminis ferè probabilib.eam tamen lit. F. reijcit, probando conclusionem primò ratione Theologica, nam si species Sacramentales possunt rarefieri, vt de vino consecrato patet, ergo in tali casu ista corpuscula in eas intruderentur, vndè cùm ibi esset noua substantia, non esset vbiq, Christus; nec solū Christi corpus lateret sub vini accidentibus, sed alia quoque corpuscula; imò cùm in condensatione hæc corpuscula posteà egrediuntur, Sacerdos satagere deberet illa captare, & in sacrario reponere. ... ...

Secundò probat Scot. ratione phys. dicens: *Mirum esse, quòd nulla substantia manens eadem, omninò possit transmutari à raro in densum, & è conuersò*. Vis huius rationis consistit in hoc, quòd corpora verè rarescunt, & addensantur secundum eamdem substantiam, itaut eadem materia de vno statu ad alium trāseat, quod Aris.docuit 4. Phys. 84. quarè illa censetur rarefactio propriè dicta, cùm eadem materia sine admixtione substantiæ extraneæ intrà se dilatatur in maiorem locum; condensatio è contra cùm eadem prorsus substantia sine exclusione alicuius substantiæ à suis poribus reducitur ad minorem locum; si autem rarefactio, & condēsatio fieret præfato modo per egressum, & regressum corpusculorum, nullum corpus rarescèret, & addensaretur secundum eamdem suam substantiam, sed quælibet eadem per se permaneret, qualis anteà erat, & solùm inter vnam, & aliā partem substantiæ corpuscula illa intruderentur. Tùm quia in toto corpore rarefacto, & extensiori eadem accidentia reperiuntur, patet de vino rarefacto, quod eiusdem coloris, & saporis est, tota flamma eadem luce, colore, & calore aspersa, & per tactum vbique sentitur calor, per visum color, &c. ergo non est alia substantia permixta, aliter ejus accidentia viderentur, & sentirentur, maximè in igne cùm sit corpus valdè rarum, & cōsequenter multum haberet extraneæ

neæ substantiæ admixtum. Tum quia difficulter assignatur, quæ nã sit hæc extranea substantia, & quæ nã hæc corpuscula, quæ inter corpora rara intromittuntur, si .n. his subtiliora esse debeant, admitti deberet substantia quædam adhuc aere, & igne tenuior, quam de facto Bassonus admittit, sed nullo probabili fundamento. Tùm tandem, quia qualiscumq; huiusmodi substantia assignetur, non apparet qua ratione perpetuò permixta igni seruetur, & non potiùs ab igne consumetur.

Resp. Arriag. talia corpuscula habere alias qualitates, ratione quarum resistunt igni, etiam in minima materia, sicut puluisculus adamãtis, auri, vel argẽti. Nõ valet, nam etiam hæc ipsa tandẽ ab igne consumuntur, & substantia extranea, quam ipse in ignem intromittit, sunt vapores, aer, & terreæ exhalationes, quæ sunt facillimæ accensionis, & statim in ignẽ conuertuntur. Tum quia multa corpora sunt non porosa, quæ tamen rarefactioni, & condensationi obnoxia sunt: & secũdum probabilem sent. in Cœlis sunt quædam partes rariores, quædam densiores, in quibus tamen non dantur pori, cùm non sit assignabilis substãtia, à qua repleantur. Tùm quia si corpuscula, quæ aquam raram reddunt, sũt particulæ aeris, in eius poris inclusæ, in sent. Arriag. quomodo in eis detineantur, & non potiùs foris euolent, cùm aer naturaliter aquã eminere petat?

Tertiò patet experientia de cucurbitulis, quæ attrahunt ad se carnem hominis, quando ignis inter illas accensus extinguitur, & vertitur in aerem, qui vt igne densior minorem petit locum, vndè nè vacuum relinquatur, interim eleuatur caro intra ampullam; si autem aer poros huiusmodi corpusculis haberet repletos, non esset opus, carnem intra ampullam eleuari, nam talia corpora in aere detrusa, illam vasis cõcauitatem replere possunt. Rt. Arriag. neg. experientiæ rationem, si .n. caro eleuaretur ad replendum vacuum, in instanti eleuaretur, cùm natura nec per vnicum instans vacuum patiatur, vel statim frangeretur ampulla, at videmus ferè intra medium quadrãtem non eleuari penitus carnem, & ideò ibi diù relinquuntur cucurbitæ, non ergo eleuatur ad replendũ vacuum ortum ex eo quòd aer dẽsus minorem occupat locum, quã ignis, sed ideò præcisè caro eleuatur, quia per calorem aperti sunt pori carnis, & per illos aer paulatim intromittur, & caro ascendit ad replendum locum relictum ab aere, & satis omnes Authores, qui hoc non aduerterint damnat. Sed quia doctrina hæc est singularis, ideò magis nobis placet errare cũ multis, & quidem rationabiliter, & præsertim quia opinio Arriag. destruit finem, quo mediante cucurbitæ à medicis fuerũt inuentæ, sũt .n. institutæ ad extrahendum, & euo-

euocandum sanguinem ad cutem, non ad intromittendum aerem in carnem, vel ad replendum ampullam aere. Tum quia ad replendum locum, quem aer reliquit, poros ingrediens, solus tumor carnis sufficeret, quem causat ingressus aeris absque alia sanguinis euocatione; sed hoc est falsum, si .n. caro aere turgescit quantum sufficit ad euitandum vacuum, ad quid opus est concursus sanguinis, & tamen hic est finis principalis, ob quem talia instrumenta medica adhibentur, s. ad diuertendum fluxum sanguinis, qui in aliqua parte morbum causat. Ad illud quod ait carnem in instanti eleuandam fore, si ad replendum vacuum ascenderet, non sequitur; & ratio est quia, sicut aeris condensatio non fit in instanti, sed successiuè, ità caro paulatim eleuatur, sicut etiam ipse fatetur paulatim carnem eleuari ad replēdū locum relictum ab aere ingrediente poros carnis, cùm ille ingressus fiat in tempore. Falsum est etiam quod ait, per medium quadrantem non eleuari penitus carnem, nam ab initio applicationis cucurbitę fit aliqua eleuatio, aliàs non affigeretur carni; ex quo etiā deducitur, quòd caro non ascendit ad replendum locum relictum ab aere poros carnis ingrediente, etenim ab initio pori nō sunt aperti, sed potius hoc euenit ad euitandum vacuum, quòd relinquitur ex aeris densitate. Solent aliæ adduci experientiæ, quæ breuitatis gratia relinquuntur.

Tum quia ex hac sent. sequeretur, quòd cùm spōgia manu comprimitur, exprimendo aquam, vel aerem, & quando laxata rursus aqua, vel aer imbibitur, interueniret propria, & vera rarefactio, & condensatio, quod negant omnes; & quando vter inflatur rarefieret, & quando comprimitur addensaretur, seq. est clara, in his .n. casib. interijcitur aer inter partes spongię, ac vtris, & in compressione expellitur. Rt. Arriag. neg. seq. nam rarefactio consistit in intromissione corpusculorum intra partes antea vnitas, tollendo earum vnionem, & imperceptibiliter, ità vt vix appareat ea discontinuatio, aer autem in vtrem intromissus non interponitur inter partes anteà vnitas, quia vnum latus vtris non erat vnitum cum alio; deindè nec fit imperceptibiliter, nec tandem fit ratione alicuius qualitatis productæ in vtre, proùt requiritur ad rarefactionem, & his de causis, ait, cōpressio, & dilatatio spongiæ non est vera rarefactio, & condensatio, in vera autem rarefactione negat omnes partes fore continuandas, quia falsum est omnes partes corporis rari esse raras, nàm pars carens poris non est rara.

Non placet, nam in compressione, & dilatatione spongiæ, vtris, & follium, verè interuenit intromissio, & expulsio corpusculorum, in quibus secundum hanc sent. tota ratio rarefactionis, & condensatio-

sationis consistit. Tum quia hæc intromissio fit etiam inter partes antea vnitas, nam ante aeris attractionem folles, & vtres erant compressi, & eorum latera se tangebāt, quòd autem vnio partium tolli debeat imperceptibiliter, est fuga ad argumenta declinanda; quid enim refert quòd talis partium separatio, & discretio fiat perceptibiliter, nec ne, dummodo per ingressum corpusculorum fiat. Cùm tandem asserit talem partium diuulsionem non fieri ratione alicuius qualitatis in vtre productæ, vt ad rarefactionem requiritur, vel hoc ità intelligit, quòd talis qualitas debeat concurrere, vt causa, & radix rarefactions, qualis est calor, vel quòd interuenire debeat, vt terminus per eam acquisitus; non primum; nam vt supra diximus absolutè loquendo etiam sine præuia alteratione caloris, & frigoris rarefactio, & condensatio fieri possunt; Tùm quia si calor, & frigus non concurrunt ad ea, nisi vt præuiæ dispositiones ad aperiēdos poros, vel occludendos, sequitur ꝙ non pertineāt ad eorum formalem conceptum; Neque secundum, nā hoc esset opinionem de corpusculis relinquere, & in aliam incidere, quæ rarefactionem, & condensationem ponit motus ad qualitatē, quòd infra esse falsam ostēdemus.

Hinc pro exacta huius materiæ intelligentia annotandum est ex Angesto lib. 2. de form. propr. s r. dub. 2. quòd multipliciter accipitur ratio rari, & densi. Primò rarū accipitur pro corpore laxo, & fluido, ac veluti incōstāti. Secūdò pro corpore poroso, vt Arriag. accipit. Tertiò ꝓ corpore nō spissè cōtexto, quo sēsu pānus dici solet in filis rarus. Quartò pro corpore rimoso, vnde lapides antiquati, ablato cæmento dicuntur rari. Quintò tādem accipitur propriè, & in rigore philosophico, vt Arist. sumpsit 4. phys. pro eo, quod parum habet materiæ sub magna dimensione, sicut densum è contra illud est, quod multum habet materiæ sub parua dimensione, & hæc est vera, & propria acceptio huius termini, non quando accipitur pro poroso, porosum .n. non dicitur habere parum materiæ sub magna dimensione, sed multum materiæ, quia vltra propriam, habet quoque materiam extraneam, & peregrinam, quæ simul cum ea cōiuncta locum occupat maiorem; subdens idem Doctor, quòd porositas corporum nihil prorsus attinet ad raritatem, & densitatem eorum, sed corporū raritas, & densitas metienda est seclusa porositate, sæpius .n. cōtingit corpus valde porosum esse multum densum, & quidem quis negabit terram, vel saltem lignum esse magis porosum, quam aer, & aqua, & tamen hæc sunt corpora rariora, & in marmoribus, ac alijs lapidib. frequenter pori cernuntur, cùm tamen sint densissima, licèt Arriag. vt suam mordicus defendat sententiam, omnia hæc neget, & poros

etiam

etiam ponat in aqua, in aere, & in igne, & quidem plures quàm in alijs corporibus.

Obiectiones.

Obi. Arriag. Condensatio non dicit nisi maiorem vnionem partium, at maior vnio fieri nequit, nisi quatenus expulsis corporib. extraneis, partes eiusdem corporis magis vniuntur, ergo, &c. ℞. cum Bell.& Mastr.loc.cit.quòd sicut rarefactio non dicit maiorem distantiam partium in ordine ad se per discontinuationem, sed tantùm in ordine ad locum, vt infra dicemus, ità condensatio non consistit in maiori vnione earum in ordine ad se, sed solùm in ordine ad locum, quod sine corpusculorum egressu fieri potest, vt postea explicabimus, ac perinde vtramq; præmissam falsam fatemur.

Obi. experientia, quando enim aqua feruet, habet quasdam bullas aere plenas.& quò magis bullit, eò sunt maiores, ergo talis rarefactio fit per intromissionem aeris in aquam. ℞. negando illam esse verã rarefactionem, etenim vera,& propria rarefactio euenit, cum eadem ipsa substantia corporea modò occupat maiorem, modò minorem locum; aliter non posset reddi ratio, cur ignis sub eadem portione materiæ maiorem occupet locum, quam terra; Vnde Arriag. ipse sub sec.2.nu.202. concedit, quòd dum aqua habet bullas, non dicitur rarescere, quia est nimia separatio partium, ergo idem quando sunt minores asserendum est, quid namque refert, quòd sint maiores, vel minores; Hinc notandum, quòd ratio illa maioris extensionis in aqua bulliente referẽda est in ignẽ, qui aquæ partes subtiliores cõuertit in aerem.

Ob. in omnium sent. caro humana fit rara, cùm eius pori replẽtur humorib. desiccatur autem, & condensatur ob eorum egressum à poris. Item lignum quò plures habet poros, eò magis est rarum; lutum è contra condensatur euaporatione aquæ; & vitrum dicitur valdè densum, non alia ratione, nisi quia nõ habet poros. ℞. nec carnem propriè rarescere, quando humore aliquo inflatur, nec densari quando exiccatur, quarè negamus manum verè rarescere, cùm ex cõcursu humorum intumescit; & cõdensatur, cùm ex recessu eorum desiccatur, nam in tali casu non est eadem substantia, modò maior, modò minor, sed diuersa aggregatum .s. ex substantia manus, & humorum; & hoc est præcipuum fundamentum cur negamus hanc esse veram rarefactionem, & condensationem; lignum,& lutum dicuntur etiam magis rara, quia plures habent poros, vitrum densum, quia pauciores, sumendo rarum,& densum minus propriè, vt diximus supra.

Vrget sub sec. 3. probãdo, quòd per suam sent. faciliùs aliquæ difficultates explicantur, quàm in sent. nostra; & primò, quia per suam fa-

cilò intelligitur, quomodò vnum corpus condensetur independenter ab eo, quòd alterum rarefiat, quod omninò concedi debet, nam quando intra cubiculū accenditur stuppa, & rarescit aer, vbi est corpus, quod condensatur? hoc autem in alijs sent. defendi nequit, quia non potest materia stuppæ maiorem occupare locum, quàm antea, nisi vel penetrando alia corpora, vel illa dent ei locum cedendo, & se coarctando, quod per condensationem fieri debet; at in sent. ista benè defenditur, nam V. g. cùm stuppa rarescit attrahendo ad se aliquas partes aeris, tunc cætera corpora retinēt suam, ab aere. n. esse aliquid ablatum, quod intret in poros non facit aerem remanentē rariorem, nec densiorem, sed paulò minorē; Sed vndè deducit Arriag. tantam necessitatem independentiæ rarefactionis à condensatione, & è contra, cùm talis dependentia passim eueniat in alijs mutationib. patet nam generatio vnius est corruptio alterius, vnius auctio, est alterius diminutio, &c. Probatio de stuppa in cubiculo benè clauso militat etiam contra ipsum, si. n. nos assignare tenemur corpus, quod condensatur propter stuppæ rarefactionem, ipse quærere debet corpuscula, quæ in aerem rarescentē, & ignem intromittantur, & si ipse fenestras reserabit, vt illa corpuscula intrent, intrabit etiam pro nobis frigus, pro aliqua parte aeris condensanda in cubiculo, vel solo motu locali in aliquo angulo condensabitur, quòd si incendium magnum esset, foras violenter erūperet, vt in bombarda patere potest, cùm puluis rarefit. Imò vt benè Bell. & Mastr. obseruant, ipse etiam Arriag. fateri tenetur necessariam connexionem inter rarefactionem, & condensationem, nam si pro condensatione corpuscula ex vno corpore egrediuntur, vt fiat condensatio, alterum corpus necessariò rarefieri debet ob eorum egressum.

Arguit tandem, quòd per suam sent. benè explicatur, cur caloris sit rarefacere, frigoris condensare, qa calor seiungit, & discontinuat partes, vt intret aer, aut athomi, frigus verò vnit expellendo extranea corpuscula, cuius rei ratio non facilè redditur in alia sent. Rx. neg. quòd illa sit ratio, qua calor rarefacit, & frigus condensat, aliter calor rarefaceret congregando dissimilia, & disgregando similia, & frigus è cōtra, sed ratio est, quā assignat Angel. loc. cit. quia s. caloris est mouere partes e centro ad circumferentiam, eas leuificando, frigoris verò à circumferentia ad centrum, eas quodammodo aggrauando, & comprimendo, vbi etiam docet, q non in omni rarefactione, aut condensatione interuenit alteratio, cū etiam per solum motum localem fieri possit.

Poncius in sua Apolog. nu. 64. sequitur opiniònem Arriag & Ouid. & contendit non esse à Scoto alie-

alienam, sosoluere nititur difficultates contra eā ab ipso Doct. obiectas, loc. cit. in 4. d. 12. q. 2. §. *ad quæstionem, &c.* Verùm an hæc opinio sit Scoti, vel aliena, & num eā reiecerit loc. cit. in corpore quæst. consulendi sunt Scotistæ in schola subtilium versati. Videatur Tatar. in 4. d. 12. q. 4. §. *Quantum ad istam opinionem, &c.* vbi postquam retulit ex Scoto præfatam opinionem de rarefactione per receptionem corpusculorum, subdit; *sed quia iste modus est falsus, & improbatur ab Arist. 4. phys. ideò arguit contra illum modū.* legatur Aretinus ibidem q. 4. art. 3. vbi inquit: *hanc sententiam sequuntur aliqui Scotistæ, putantes eam esse Scoti, qui eam refert in 4. q. 4. lit. B. tamē falsa est, & improbata ab Arist. 4 phys. cap. 9. contra quam sic arguitur, &c.* obseruetur Faber in Philosophia Theor. 44. c. 2. vbi ait: *relata est hæc opinio à Scoto, sed hanc reijcit in corpore quæsti respondendo ad quæst. post. &. varijs rationib. &c.* Qua ergo libertate ait Ponc. nostram opinionem esse à Scot. alienam, ac si ipse solus mentem Doctoris attingeret? & quod peius est argumenta Scoti infringere nititur, sed generosè Mastr. & Bell. pro Magistro defensionem arripiunt, non minus fideliter, quam doctè se gerentes, vt videre est loc. cit. in Appendice contra Poncium.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperdatur.

SCot. dubium hoc resoluit in 4. cit. d. 12. q. 4. vbi §. *quantum ad istam opinionem, &c.* manifestè docet, quod eædem difficultates præmunt vtramque opinionem asserentem in rarefactione produci, & in condensatione corrumpi quantitatem, siuè secundum totum, siuè secundum partem; & idem repetit §. *Quantum ad secundam conclusionem istius opinionis, &c.* contendunt quamplures Doctores, quòd rarefactio fiat per acquisitionem nouæ quantitatis, condensatio verò è contra, per eius deperditionem; non tamen eodem modo explicant, nam aliqui volūt in rarefactione produci nouā quātitatem maiorem, corrupta totaliter præcedente; in condensatione verò corrumpi totaliter maiorem, & nouam minorem acquiri. Ita Corf. ed. quol. 11. q. 3. Mag. sis. Hispal. Pomponatius. & alij, quem dicendi modum ex Recentio. ib. vt probabilem defendit Auersa q. 38. sec. 4. supponendo tamen, quod quantitas non sit immediatum subiectum aliorum accidentium, sed alia quædam potentia de gen. quantitatis, vt iam ipse tenuerat q. 27. sec. 6. Alij verò cōmuniùs, & probabilius asserunt in rarefactione acquiri tantū nouam partē quantitatis, & hanc priori addi, & ex hoc fieri, vt res, quæ rarefit, maiorem occupat locum, quā antea; in condensatione verò partem aliquam quantitatis deperdi, aliqua permanente. Ita Caiet 3. p. q. 77. art. 5. Tolet. 4 phys. q. 12. & multi etiam ex nostris. Tatar. 4 phys. de-

vacuo dub. 3. Faber in Philosophia Theor. 44. & in 4. sent. disput. 50. Bassol. Rocc. Camerar. & quamplures alij Scotistæ citãtes pro hac opin. Doct. loc. cit. vbi hanc opinionem appellat communem.

Conclusio.

Dicimus tamen, in rarefactione, & condensatione non produci, nec corrumpi nouam quantitatem, neque totaliter, neque partialiter. est Scot. loc. citat. quæ modo est ferè communis, vt videre est apud Ioann. de S. Thom. qu. 7. art. 1. Complut. Sonc. Sot. Conimb. 1. de gen. c. 5. q. 27. Ru. Hurt. Morisan. Aref. & alij. Vndè Scot. in fine illius quæst. ait, quòd rarefactio, & condensatio secundũ accid. pertinent ad quantitatem, idest, non per se, vt Aduersarij prætendunt, quod verum non esset, si per ipsos noua quantitas acquireretur, vel deperderetur, hinc Aref. disp. 4. q. 36. sec. 3. ait immeritò Scot. pro sent. opposita citari, & Baudunius noster disp. 2. sec. 15. ait: *Sunt aliqui Scotistæ, qui dicunt Scotum sentire quidem per condensationem, quantitatem minui, sed augeri per rarefactionem, at secundum meum sensum credo Scotum sentire, quòd nec augetur quantitas per rarefactionem, nec deperditur per condensationem; obscurè enim ibi loquitur Scotus, vide ipsum.* At sufficit nobis, quòd saltem hic Doctor ad punctum principalem peruenerit, ad quem non peruenerunt cit. Scotistæ, quicquid dicat Camerat. citans Doct. 3. phys. qu. 3. Illud enim opus non est Scoti, sed Marsilij Inguen Nominalis, vt benè aduertunt Mast. & Bell. in lib. de gen. disp. 4. qu. 3. Scoti sent. adamussim sequentes, & declarantes.

Pr. primò à Scot. ratione secunda, quã affert pro Gotfredo, & nõ soluit, & est præcipuum fundamentum huius conclusionis, & licèt ibi à Doct. afferatur ad probandum non acquiri nouam quantitatem secundum partem, vt ratio faceret pro Gotfredo, conuincit tamen quòd nec etiam acquiratur secũdum totum. Supposito igitur, ꝙ in rarefactione nulla est aggeneratio substantialis, sicuti est in augmentatione, quia in raritate totum quod præfuit est rarius secundum easdem partes, quas habuit, & cõsequenter si esset noua partialis substantia, non posset rarius formaliter dici secundum omnes partes, sic à Scot. arguitur: Pars illa quantitatis, quæ de nouo acquiritur, vel producitur in tota materia iam præcedente, vel in parte materiæ; non in tota materia, quia tunc eadem materia afficeretur duplici quantitate. Tum quia ambæ illæ quantitates non adhuc facerent materiam extensiorem, quia se penetrarent. Neque etiam in sola parte, quia pars illa materiæ, vel prius habuit quantitatem, vel nõ; Si priùs habebat, & adhuc illam retinet cum posteriori, sequitur idem absurdũ, ꝙ de tota materia, &c. Si non habuit, sequitur dari aliquam materiam sine quãtitate, quod nõ est minus absurdum. Neque dici-

po-

potest, quòd aliqua pars prioris quantitatis in alias partes materiæ se retrahat, quia etiā idem sequeretur absurdum de duplici quantitate in eadem materia, & adhuc accid. migraret de subiecto in subiectum. Hæc autem ratio conuincit quoque, quòd non producatur totaliter noua quantitas maior, etenim hæc subiectari non potest in materia præcedēti adæquatè, cum illam excedat secundum aliquam partem, & sic secundum partem excedentem, aut quantitas manebit sine subiecto, aut compenetrabitur cum aliqua alia parte quantitatis, & sequuntur absurda relata; & idem argumentum pro condensatione quoque deduci potest.

Scotistæ illi, qui ad mittunt partialem acquisitionem, aut deperditionem quantitatis ad hoc arg. resp. conantur. Bassol. in 4. d. 12. q. 3. in solut. ad 2. negat in eo casu sequi idem subiectum informari duplici quantitate, sed informatur tantùm vna, quæ est maior, quàm prius, quia noua adueniens efficit cum priori vnam quantitatem totalem maiorem, sic à pari cùm charitas augetur in Anima non ob id Anima dicitur informari duabus charitatibus. Biragus 1. de gen. q. 15. ait, quòd quantitas adueniens est homogenea, & ideò coniuncta cum præcedente constituit vnam quantitatē. Non valet, quamuis n. quantitas adueniens sit homogenea, & vnum cum priori constituat vnitate integritatis, adhuc tamen à priori est realiter distincta, & distinctum petit subiectum, sicut vna aqua alteri superinfusa, constituit vtique vnam aquam cum ea, vnitate integritatis, sed quia est ab ea realiter distincta, locum quoq; distinctum petit, & sicut hæc aqua illi addita non potest poni in eodem loco sine penetratione vnius cum alia, ità pariter de quantitate posteriori addita priori dicendum erit, quòd nequeat idem subiectum sine penetratione informare, & in hoc vis argumementi consistit, nō autem in eo quòd sit vna, vel duplex quantitas. Exemplum de charitat. à Bassol. adductum non est ad rem, quia ibi subiectum est indiuisibile, & charitas in Anima intensiuè augetur, nō extensiuè, quarè eius auctio cùm sit intensio penès idem subiectum attenditur, auctio verò quantitatis cùm sit extensio, attenditur penès aliam, & aliam partem subiecti.

Faber loc. cit. ait: in rarefactione propter præuiam alterationem, corpus fit subtilius, & extenditur, & consequenter potest esse quantū priori quantitate, & posteriori simul, nec per hoc datur penetratio dimensionum, quia ante rarefactionem corpus illud non erat quātum tanta quantitate, quanta in posteriori. Non placet, nam per præuiam illam alterationem non producitur noua pars materiæ, quę sit subiectum nouæ quantitatis, atque ideò eædem difficultates vrgent. Alij resp. argum. supponere, quòd

quòd noua quãtitas addatur priori, vel per superpositionem, ità vt adæquatè se penetrent in eadem parte materiæ, vel per iuxta positionem, ità quòd quantitas adueniens per se subsistat sine subiecto; hæc autẽ suppositio est falsa, quia neutro modo pars quantitatis nouę additur priori, sed additur per quãdam veluti mixtionem, & cõfusionem cum partibus quantitatis præcedentis. Nec illa euasio quadrat, nam vel quantitas noua continuatur veteri per totum subiectum sine vlla interruptione, itaut nulla sit pars materiæ, quæ vtramque quantitatem non possideat, & ità additio fiet veluti per superpositionẽ, & penetrationem; vel sicut à est alteri continuata per totũ, sed quantitas præcedens se retrahit à quibusdã partibus materiæ, quas prius informabat, vt locum subsequenti faciat, & sic additio fit per iuxta positionem. Si primò fiat, sequitur penetratio; si secundo modo, sequitur transmigratio quantitatis de subiecto, in subiectum. Neq; possibile est vt illi supponunt nouam quantitatem ità cũ veteri cõmisceri, vt saltem à Deo discerni non possit, quænam sit noua, quæue antiqua, & in qua parte subiecti hæc, & illa inhæreat, licèt .n. sint homogeneæ, adhuc tamen sunt realiter distinctæ; sicut à pari quantumcumq; aqua alteri aquæ misceatur, semper tamen Deus adhuc discernit vnam ab alia, & locũ vnius, à loco alterius. Cæterùm omnes istas solutiones conglomerat, sed in eo persistit, quòd penetratio attenditur in ordine ad locum, non in ordine ad subiectum; sed hoc parum vrget, si enim duæ quantitates erunt in eodem subiecto, ergo, & in eodem loco, in materialibus .n. diuersæ partes subiecti correspondẽt diuersis partibus loci.

Prob. 2. supponendo communem opinionem, quòd quantitas sit immediatum subiectum aliorũ accid. vt in phys. determinauimus disp. 5. art. 3. quo supposito, sic Scot. arguit; in toto corpore rarefacto, & condensato eadem accid. reperiuntur, quæ antea, totum .n. vinum rarefactum est eiusdem coloris, saporis, &c. vel ergò hæc accidentia sunt eadem prorsùs numero in illa quãtitate de nouo genita, siuè partiali, siuè totali, vel eadem solùm secundum speciem de nouo producta ad productionem nouæ quantitatis; non primum, quia accid. migraret de subiecto in subiectum; & si quantitas est immediatum accidentium subiectum, omnia accidentia ad eius interitũ interibunt; neq; secundum, quia vt Scot. arguit impossibile est agens rarefaciens inducere posse omnes illas qualitates, quas nequit virtualiter continere, sed ignis rarefaciens vinum nõ continet virtualiter qualitates illius mixti, sicut rarefaciens aquam non continet humiditatem eius, & si hoc vinum est dulce, & alterum amarum, idem

ignis vtrumque rarefaciens non potest in vno producere dulcedinem, in altero amaritudinem; hac ratione vrget Faber contra Gotfred. non aduertens, quòd etiam contra seipsum procedit.

Prob. 3. Doct. ex Myst. Euchar. cùm species rarefiunt, aut condensantur, si prior quantitas aboletur cum omnibus accid. & alia noua succedit cum nouis accid. vel Christus non erit ampliùs sub illis accid. vel incipiet esse de nouo sub istis absq; consecratione, & idem sequitur absurdum si dicatur non tota quantitas acquiri de nouo, sed tantùm addi aliqua pars, de hac .n. parte de nouo addita idem infertur absurdum, quod de tota quantitate. Sequitur etiam aliud inconueniens, non minoris momenti, nam virtute naturalis agentis possunt species sacramentales rarefieri, & condensari, ergo si noua producitur quantitas, & destruitur præcedens, cùm hæc quantitas sine subiecto reperiatur, agés naturale illam producet per creationem; & destruet per annihilationem, illam .n. produceret, & destrueret independenter à subiecto, ita Doct. discurrit in 4. citat. §. *Quantum ad secundam conclusionem*, B. & in 1. d. 17. q. 3. Lit. SS.

Scot. ad hæc argumenta aliquas adducit euasiones, quæ ab Author. affectantur veluti ipsius responsiones pro oppositis sent. tuenda, pro qua ipsum Doctoré stare arbitrātur; Sed non rectè iudicant, vt diligenter Mastr. & Bell. obseruāt, sic etiam de euasionibus, quas affert ad hoc argum. de Eucharist. quas tamen funditus euertit, ita igitur Scot. discurrit. Si dicatur ad primum inconueniens, quòd manet Christi corpus quādiù manent accidentia, quæ nata sunt afficere panem, si adesset, non autem præcisè quamdiù huiusmodi accidentia manent eadem numero. Contra arguit Scot. quia ista quantitas, quæ succedit quantitati præexistenti nō magis est eadem specie quātitati præexistēti, quā quæcūq; alia in vna alia Hostia nō consecrata, ergo non magis erit Corpus Christi sub ista noua quantitate, quā erit sub quacumque alia; & si fugias ad successionem huius quātitatis ad illam, quæ præcessit, adhuc instat Scot. sub nulla quantitate est Corpus Christi, nisi per conuersionē, & consecrationē, sed per conuersionē, & cōsecrationem non fuit nisi sub illa quantitate, quæ præfuit, & hæc noua quantitas est omninò alia, sicut quantitas alterius Hostiæ nō cōsecratæ, ergo &c. Si etiam dicatur, alterum absurdum non sequi, quia si tota quantitas producitur, non dicitur creari, quia non succedit nihilo, sed quantitati præcedenti, si verò producitur tātùm noua pars, adhuc maiori ratione nequit dici creari quia præsupponitur vetus, cui recens adiungitur: Vtrique euasioni occurrit Doct. Prima non valet, nam quando succedens est, tunc non

est aliud, cui succedit, ergo propter illud non variatur succedens in se, sicut si nouus Mundus produceretur à Deo ex nihilo immediatè post huius Mundi destructionem, hæc successio non tolleret creationem, si nouus ille Orbis ex nihilo produceretur. Alteram refellit sub lit. G. prorsus .n. impertinens est ad excludendam creationẽ, q̃ recẽs quantitas veteri coniungatur, quia nõ cõiungitur illi, velut accid. suo subiecto, à quo educatur, sed velut vna pars integralis alteri comparti per indiuisibilia, hinc ait Scotus, quòd tenendo hanc opin. (quæ tũc temporis communis erat) quòd in rarefactione producatur noua quantitas, melior modus euadendi propositam difficultatem est, q̃ solus Deus in tali casu quantitatẽ producit, supplendo insufficiẽtiam agentis naturalis; quàm solutionẽ refert Auersa, vt Scoti propriam sent. sed immeritò, nam Doct. eam solùm adducit ex hypotesi, quòd illa communis opinio teneatur, vt ex ipso contextu patere potest. Ex quo etiam deceptus fuit M. Iacobi Brun. q. 5. artic. 1. fol. mihi 161. probans contra Scot. quòd in rarefactione non acquiritur noua quantitas partialis, quia si acquireretur non distingueretur rarefactio ab augmentatione, sed quid mirum, si etiam Scotistæ decepti remanserint propter obscuritatem Doct. in litera? quæ obscuritas oritur ex tot euasionibus, quas cõtra seipsum affert, aliquando non soluens, sed dicens quære solut. vt euenit in casu.

Obiectiones.

Ob. In rarefactione acquiritur noua extensio, vt ad sensum patet, & in condensatione deperditur, ergo & noua quantitas, quia extensio est ratio formalis quantitatis, vel saltèm eius passio, ergo &c. ℞. ex Scot. in 4. d. 10. q. 1. M. neg. conseq. cum eius prob. nam vt in physicis diximus actualis extensio localis, non est ratio formalis quãtitatis, nec eius propria passio, sed effectus, & actus passionis ab ea separabilis, spectans ad prædicamẽtũ situs, & patet de Christi Corpore in Euch. vbi habet suam quantitatẽ sine vlla extensione locali.

Contra: Intensio qualitatis non fit sine additione qualitatis, ergo nec extensio quantitatis sine additione eiusdem ℞. neg. parit. & ratio est, q̃a qualitas fit in eadẽ parte materiæ, & nulla est repugnãtia eãdẽ materiã simul pluribus partibus gradualibus informari, quia illi gradus se penetrant; Extensio verò quantitatis fieri non potest circa eamdem materiæ partem per nouam additionem quantitatis, de cuius ratione est impenetrabilitas, & consequenter non possunt duæ quantitates in eadem materiæ parte reperiri, quia penetrarentur; indè sequitur, quòd si extensio fit secundum nouam quantitatem, necessariò eam fieri deberet secundũ nouam materiam, & ità non esset rarefactio, quando ergo videmus

idem corpus absq; additione sub-stantiæ magis extendi, dicere debemus hoc solùm per dilatationē earumdem partium fieri.

Ob. In rarefactione res quanta fit maior, in condensatione minor, ergo variatur quantitas. ℞. neg. ant. quòd .n. fit rarius, non debet proprié dici maius, aliter vt benè ait Aref. rem rariorem liceret pluris vēdere, quàm eamdem densam, quod falsum est; quarè in rarefactione, & condensatione idem corpus fit magis, & minus extensum, non magis, & minus quantum.

Ob. Si quantitas in rarefactione nō maioraretur, aer decem pedū diceretur æqualis aquæ vnius pedis; imò eadem quantitas successiuè poneretur in diuersis speciebus, nam aliquando esset pedalis, interdum bipedalis per rarefactionem, hæ sunt differentiæ quantitatis, ergo &c. ℞. quòd estò aer decem pedūm dici nequeat æqualis aquæ vnius pedis, loquendo de æqualitate, quæ attenditur in ordine ad extensionem localem, & est passio prædicamenti situs, potest tamen dici æqualis loquendo de æqualitate, quæ attenditur penès multitudinem partium quantitatis, & materiæ, cùm non sint plures in vno, quàm in alio. Indè non sequitur eamdem quantitatem transituram de specie in speciem, quia vt Tatar. notat, & sequuntur Morisan. Bell. & Mastr. pedale, & bipedale, bicubitum, & tricubitum &c. non sunt propriè species quantitatis, sed situs, nam pedalitas propriè dicit tantam distantiam duarum partium in ordine ad locum, & ratione huius dicuntur esse quantitatis species. Possunt etiā dici species quantitatis prout significant tot, vel tot partes quantitatis in se, à loco, & situ præscindendo, quo pacto quantitas pedalis in rarefactione non fit bipedalis. ita Mastr. & Bellut.

Ob. Ratio occupandi locum est quantitas, ergo maior extensio localis, qualis habetur per rarefactionem, non nisi à maiori quantitate prouenire potest. Pr. conseq. per locū Topic. sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità magis ad magis. ℞. neg. antec. vt .n. diximus in phys. ratio occupandi locum dimensiuè, & diuisibiliter est substantia corporea, & à quantitate solùm habet, quòd locum occupet impenetrabiliter, & per exclusionem aliorum corporum ab eodem; substantia igitur corporea est ratio fundamentalis essendi in loco extenso, & diuisibili; Vbicatio verò, quæ est præsentia localis, est ratio formalis cur sit in tali loco; Positio tandem de genere situs, quæ est actualis extēsio per locum, est ratio formalis cur sit in tanto, & tanto loco.

Vrgebis, Corpori habenti plures partes materiæ, & quantitatis correspondet maior, & amplior locus, quàm habenti pauciores, hinc corpori palmari correspōdet extensio palmaris, & corpori bi-

 pal-

palmaris loc' bipalmaris, ergò extensio localis commensurari debet extensioni corporis in se. R. totum argum. concedi potest si sensus fiat cæteris paribus, nempè si partes corporis palmaris, & bipalmaris sint æquè dispositæ in ordine ad locum, scilicet æqualis densitatis, vel raritatis, si verò cętera non sint paria, negatur assumptum; corporibus .n. debetur tantus, & tantus locus, non solùm quia habent tot, & tot partes, sed etiam quia habēt illas sic, & sic dispositas in ordine ad locari, nam eædem partes in statu raritatis petunt ampliorem locum, angustiorem verò in statu densitatis.

Sed contra, Si maior extensio nō arguit maiorem quantitatem, tolleretur medium cognoscendi maius & minus quantum, sed hoc est falsum, hæc .n. discernere solemus ex maiori vel minori mole, & extensione ad locum. R. neg. sequelā, vt .n. modo dicebamus, vt moles, & extensio localis, sint media idonea ad discernendam magnitudinem, & minoritatem corporum debent corpora comparari in eodē statu .s. raritatis, vel densitatis, si autem in diuerso statu comparentur, tunc attendi debent tàm extēsio localis, quàm multitudo materiæ, & substantiæ in vtroque reperta sub eadem dimensione, vt rectè inter vtriusque magnitudinem iudicemus; Vndè si comparatio fiat inter aerem bipalmarem, & ferrum palmarē, hoc est absolutè dicendū maius corpus illo, quamuis illud sit magis extensum.

Hinc not. quòd quantitas dupliciter accipi potest, vno modo pro ipsa multitudine partium corporis, altero modo pro ipsa extensione locali, primo modo est propria, & rigorosa acceptio quantitatis, secundo modo est tantùm largè, & secundum vulgi conceptum. Posset etiam argum. retorqueri, nam maior quantitas arguit etiam maiorem substantiam, & cōsequenter in rarefactione, deberet etiam maior substantia acquiri.

Ob. Rarum communiter definitur, quòd *habet parum de mate ia sub magna quantitate*, densum quòd *habet multum de materia sub parua quantitate*, ergo non potest in rarefactione, & condensatione eadem quantitas inuariata permanere, aliter eadem materia vtrobique sub eadem quantitate esset. R. in illis definitionibus per quantitatē intelligi maiorem, vel minorem extensionem, ac localē dimensionē, non dimensionem quantitatiuam.

Ob. Sit materia palmaris, & fiat per rarefactionē bipalmaris, prius erat vnus palmus quantitatis, postea duplex, sed secundus palmus non potest esse quantitas antiqua, quia illa erat primus palmus, à quo secundus realiter distinguitur, ergo erit noua quantitas. R. 1. argum. retorqueri posse contra Aduers. de substantia subiecta quantitati, cum nō possit naturaliter dari quantitas sine subiecto. R. 2. q du-

dupliciter potest quantitas palmaris fieri bipalmaris scil. vno modo per additionē alterius palmi quantitatis, & hoc esse nequit sine additione nouæ substantiæ, quæ nouæ quantitati substernetur; altero modo per solam localem extensionem sine additione nouæ quantitatis, per solā dilatationē eiusdem quantitatis in omnibus dimensionibus loci bipalmaris; primò modo quātitas palmaris fit bipalmaris in augmentatione, secundo modo in rarefactione.

Ob. Vbi variatur passio debet etiam subiectum variari, cùm per nos ad inuicem identificentur, sed æqualitas, & inæqualitas sunt passiones quantitatis, & in condensatione, & rarefactione variantur, ergo &c. ℞. quòd æqualitas, & inæqualitas sunt passiones quantitatis penès partes quantitatiuas, & magnitudinem molis, quæ in rarefactione, & condensatione non variantur; æqualitas verò, & inæqualitas secundum extensionem localem potiùs sunt effectus positionis de gener. situs, & istæ propriè variantur.

Ob. Corpus quòd rarescit, augescit in longum, latum, & profundū, sed hæ sunt dimensiones quantitatis, ergo. ℞. conced. quòd corpus rarescens augetur in longum, latum, & profundum, sed non per additionem nouæ quantitatis, aliter noua etiam substantia addi deberet, sed augescit per maiorem extensionem, & dilatationē eiusdē spectantem ad prædicamentum situs, vt clarius art. vltimo patebit.

ARTICVLVS TERTIVS.

An per rarefactionem, & condensationem noua qualitas acquiratur.

Scot. Resp. negatiuè vt videre est in 4. d. 16. q. 16. & distin. 10. q. 4. referens opinionem de acquisitione nouæ substantiæ, aut quantitatis in rarefactione, quasi sub terminis probabilib. de acquisitione tamen qualitatis nec verbū vnum facit. Communis tamen, & satis plausibilis opinio Recent. est quòd per rarefactionem, & condēsationem acquirantur quædam qualitates, quæ raritas, & densitas appellantur, quibus deindè mediantibus corpus contrahitur, vel extenditur ad minorem, vel maiorem locum, quæ extensio, vel contractio ponuntur affectus raritatis, & densitatis. Ità Gompk. Ioan. de S. Thom. Soncin. Suar. Ruu. Hurt. Moris. Auersa, M. Iacob. Brun. & Alij, quibus etiam aliqui Scotistæ adhærent, & nouissimè ex nostris Marc. Baudun. disp. 2. de gen. sec. 15. concl. 3.

Conclusio.

Dicimus, nec per rarefactionem, nec per condensationem acquiri aliquam qualitatem vt per se terminum, & consequenter non posse corpus localiter extendi, vel coarctari per istas qualitates, tanquam per causas. Est ad mētē Scoti loc. cit. & sequūtur Fab. Tataretus, & efficacius Rubin. q. 12. qu. 3 7. art. 2. & nouissimè Mastrius Bello

disp. 4. q. 4. colligitur ex Arist. in prædicam. qualitatis, vbi expressè negat raritatem, & densitatem qualitates esse, sed ad prædicam. situs reijcit, vt infra exactius explicabitur. Item 5. meth. tex. 19. enumerans species qualitatis, nec verbum vnum de raro, & denso facit, ex qua doctrina exploditur cõmunis Resp. Rec. quòd Arist. in prædicam. locutus fuit populariter, non valet, nã in Meth. loquebatur scientificè, & tamen nullã mentionẽ facit de raritate, & densitate, sicut de alijs specieb. qualitatis.

Pr. 2. ex definitionibus rari, & densi ab Arist. traditis in prædidic. qualitatis .s. *Rarum est quod habet parum de materia, sub magnis dimensionib; Densum verò è contra*; vbi nulla fit mensio qualitatis sed solũ dimẽsionis; At dimẽsio siuè in ordine ad totũ, siue in ordine ad locũ, semper ad quantitatem, vel ad sitũ spectat, nũquam ad qualitatẽ non .n. ad qualitatem pertinet ordinare, & extendere partes quantitatis ad locum. Tum quia nihil est rarum, vel densum, quia qualitate aliquã informatur, sed eò præcisè, quia eius partes sunt propinquiores, vel remotiores, nam omne habẽs partes magis propinquas est magis dẽsũ, & è cõtra quantò ipsas habet magis distãtes, tãtò magis est rarũ, sed nulla res habens partes, ipsas habet propinquas, vel distantes mediante aliqua qualitate, ergo &c. Tum tandem quia posita partium dilatatione, vel constrictione; sine aliqua qualitate, corpora iam dicentur rara, vel densa, ergo talis qualitas superflua censetur.

Resp. Auers. ad hanc vltimam rationem, quòd in casu corpus nõ esset rarum, vel dẽsum formaliter, sed tantùm consecutiuè, quia scil. haberet effectum ex tali qualitate consecutum, aut consequi natum. Non valet, nam esse formaliter rarum est habere parum materiæ sub magna extensione, & densum è cõtra, vt ex eorum relatis definitionibus patet, sed totum hoc eo casu seclusa qualitate haberetur, ergo &c. Tum quia potiùs quantitas est, quæ qualitatẽ dilatat, quàm qualitas quantitatem, vt veris Philosophis patere potest. Tum quia si necessaria censetur aliqua præuia dispositio, quæ partes subiecti afficiat ad restrictionẽ, vel dilatationem suscipiendam, solus motus localis sufficeret, absque tali qualitate imaginata. Tum tandem quia quando etiam densitas, & raritas essent qualitates, vtique præcedere non deberent dilatationem, aut compressionem partium, sed potiùs subsequi, nullũ .n. idoneũ raritatis subiectũ censetur, nisi habens partes dilatatas, sicuti nec cõdẽsationis, nisi partes habeat cõpressas.

Confirm. ex Rubion. Si raritas, & densitas essent qualitates, sequeretur quòd raritas posset esse densitas, & è conuerso, sed hoc est falsum, & implicatorium, ergo. Pr. sequ. supponendo tamen, quòd huiusmodi qualitates habent suas par-

partes entitatiuas, ac integrales, sicuti aliæ qualitates materiales, & extensæ essent ad extensionem subiecti, tunc sic: Illud potest esse densum, cuius partes possunt esse magis propinquę ad inuicem; Illud verò rarius, cuius partes possunt esse magis distãtes, sed partes integrales raritatis possunt esse magis propinquæ, ergo possent esse dẽsæ, & sic raritas esset densitas, & idem è contra de densitate dici posset. Quòd si dicas implicare partes raritatis esse propinquiores, contra est, nàm nullius accidentis materialis partes sunt inuariabiliores, quàm partes substantiæ eis subiectæ; & ratio est quia cùm inuariabilitas sit quidam modus per se essendi, magis videtur cõuenire substantiæ, quæ per se existit, & omnia substentat, quàm accidenti, quòd in ea substentatur, sed partes substãtiæ possunt esse propinquiores, & remotiores, ergo tantò magis qualitates. Dices, istæ qualitates esse ità *Quo*, vt nõ possint esse *Quod*. Non valet, nã argum. directè probat etiam posse esse *Quod*, cùm sint qualitates materiales, & suas habeant partes integrales.

Tum quia, si raritas, & densitas essent qualitates, ergo possent intendi, & remitti vt aliæ qualitates, at si raritas intenderetur, euaderet densitas, & si hæc remitteretur euaderet raritas, & ita vna species transiret in aliam. Tum quia cùm intensio remitti possit absque extensione, sequeretur, quòd eadem pars quantitatis posset dici magis rara, absq; eo, quòd extensior fieret, quod est falsum. Tum tandem quia hæc opinio non tollit difficultatem ab initio disputationis propositam, etenim per hunc dicendi modum non rectè explicatur quomodo idem corpus inuariatum quoad substantiam, & quãtitatem possit nunc maiorem, nunc minorem occupare locum; & sicut per qualitatem res non ordinatur ad locum, neq; in loco, ità per additionem qualitatis non videtur quomodo eius auxilio modò maiorem, modò minorem occupet locum.

Quòd deinde D.Tho. huius fuerit sententiæ, licèt pro opposita à Thomistis citetur, habetur textus clar' lib. 1. de gen. lec. 7. vbi sic ait: *rarum, & densum non addunt super partes materiæ qualitatem, quæ essentialiter sit qualitas, sed potius situm in partib. materiæ ad distensionem per maiorem, & minorem quantitatem*, & lec. 1. ait, *rarum, & densum non sunt qualitates physicæ, sed positio partium materiæ secundum propinquum in denso, & remotum in raro*; hinc Ferrara lib. 4. gen. cap. 65. in fine, propter varium dicendi modum D.Tho. problematicè in hac cõtrouersia procedit.

Obiectiones.

Ob. 1. Aris. testimonijs, nàm 7. phys. tex. 11. & 2. de part. animal. cap. 1. densitatem, & raritatem enumerat inter qualitates tangibiles, ergo, &c. Item 4. phys. 80. ad-

densum .n. & rarum secundum hanc contrarietatem lationis factiua sunt. secundum autem ipsum durum, & molle passionis, & impassibilitatis, & non lationis, sed alterationis magis; ex quib. sic Aduers. arguunt: Raritas, & densitas media grauitate, & leuitate, quarũ sunt causæ; sunt causæ quoque motus localis, ergo sunt causa etiam extensionis localis, & consequenter non consistunt in extensione locali; sed verè eam præcedunt, vt causa effectum. ℞. cum Bell. & Mast. in duob. primis locis, Aris. loquitur populariter, iuxta famosam opinionem, & præsertim, quia raritas, & densitas habẽt modum prædicandi qualitatis, sicut forma, & figura, quæ tamen in sentẽtia nostra qualitates nõ sunt; & quidem rationabilior est nostra expositio, quàm illa Aduers. si .n. per ipsos Arist. in prædicam. qualitatis, vbi proprius erat locus, sicut 5. meth. 19. raritatem, ac densitatem inter species qualitatis non enumerauit, imò potiùs ipsas excludendo, loquebatur secundum famosam opinionẽ, rationabiliùs id nos affirmare debemus de adductis textib. vbi non est proprius locus istius materiæ. Quòd deindè raritas, & densitas, sensu tactus percipi possint, non nobis officit, quia cum sint quid ad quantitatem pertinens, ipsam consequẽs, sicut quãtitas tangibilis est, ità etiam, & raritas, & densitas; sic etiam figura, asperitas, lenitas, &c. licèt sint formaliter relationes in schola subtil. materialiter tamen nihil aliud dicunt, nisi partes quantitatis sic, & sic dispositas. Ad alium locum 4. phys. negatur ibi Aris. assignare pro causa grauitatis, & leuitatis raritatem, & densitatem, vt patet ex contex. 85. imò vt ostenderet raritatem, & densitatem non esse causam grauitatis, leuitatis, duritiei, & mollitiei, sed per quamdam solùm concomitantiam, & vt plurimùm, subiungit: *dissonant autem graue, & durum in plumbo, & ferro*, & benè, nã plumbum est grauius ferro, licèt non sit ità durum, nec densum, quòd verum non esset, si densitas esset causa grauitatis, & duritiei, & ità euenit in chrystallo, & marmore, chrystallus .n. densior est marmore, & tamen marmor grauius est. Hinc quando postea tex. seq. 86. ait, *densum, & rarum secundum hanc contrarietatem factiua sunt lationis*, loquitur nõn de raritate, & densitate, sed de corporibus raris, & densis, quatenus grauitatem, & leuitatem habent.

Dices, Scot. in 4. dist. 12. q 4 supra E. loquens contra Gotfred. inquit: raritas, quæ est terminus rarefactionis, præsupponit quantitatem, & consequenter non potest quantitas acquiri per accidẽs ad acquisitionem qualitatis; ergo quomodo raritatem vocat qualitatem. ℞. quòd solùm ibi Doct. ostendere intendit contra Gotfred. subiectum alterationis, quod est quantitas non acquiri per accidẽs ad acquisitionem qualitatis, cùm

omni-

omninò acquisitum præsupponatur, numquam verò ait, rarefactionem esse motum ad qualitatem; & deindè sub litera E. per qualitatē intelligit calorē, & frigus, quæ sunt causæ raritatis, & densitatis, & cōsequenter variationis ipsius quantitatis secundum maiorem, vel minorem extensionem, & sic etiam explicari potest in 3. sent. d. 4. qu. vn. §. *Potest dici, &c.* vbi condensationem appellat alterationē: quatenùs s. condensatio, & rarefactio comitantur regulariter alterationem factam per calorē, vel frigus, vel quòd tunc loquebatur in aliorum opinione, non .n. tunc veritatem huius rei vestigabat.

Arguit Ruu. Impossibile est eādem quantitatem omninò immutatam magis, vel minus extendi, sed aliqua qualitas requiritur tamquam causa disponens. hæc autem esse nequit nisi raritas, & densitas, ergo &c. ma. patet, min. pr. Non .n. esse possunt calor, & frigus, nam maior extensio est quidam motus localis, sed calor, & frigus non possunt esse causa motus localis proxima; sed tantùm remota. ergo alia qualitas dari debet, quæ sit proxima. mai. hæc prob. causa proxima motus localis sunt grauitas, & leuitas corporis, sed causa proxima istarum sunt raritas, & densitas, ex Arist. 4 phys. 80. ergo. ℞. negan. min. nam corpora per calorem, & frigus rarefiunt, & condensantur, ad prob. neg. min. & ad aliam probat. neg. ma. & ratio est, quia licèt grauitas, & leuitas sint principia motus ad Vbi, non sunt tamen ità principia motus ad situm, cùm aliundè hoc oriri possit, benè enim possunt calor, & frigus esse immediata principia maioris, vel minoris extensionis localis partium locati, & hic est motus ad situm, sicut per Aduers. sunt causa raritatis, & densitatis; falsum est etiam vt diximus raritatem, & densitatem esse causas grauitatis, & leuitatis.

Ob. communiter, vt videre est apud Baudun. loc. cit. conclus. 3. M. Iacob. Brun. & Alios: Quod potest separari ab extensione, & locabilitate distinguitur ab illis, sed raritas, & densitas possunt separari ab extensione, ergo distinguitur ab illis. Pr. min. separantur de facto in Corpore Christi, ergo. Pr. ant. in Sacram. Eucharist. vbi sunt partes Corporis Christi densiores alijs, & aliæ rariores alijs; vt ossa sunt densiora carne, & humores rariores carne, sed illæ partes sunt sine extensione in ordine ad locum, ergo extensio reperitur sine raritate, & densitate. ℞. ad min. raritas, & densitas possunt separari ab extensione locali quò ad actum secūdum, conced. quò ad actum primū, neg. & consequ. est falsa. Ad prob. conced. ant. quoad actum secundum; tantùm, non quò ad primum in quo sensu loquimur; Corpus enim Christi in Euchar. non est rarum, nec densum in actu secundo, sed solùm in actu primo, quatenus hæc pars V. g. os est taliter

com-

complexionatâ, vt minorem extẽsionem localem postulet: cum maiori copia materiæ, ex qua constat, quàm postulet caro, & caro quàm humores, quod ab alijs dici solet, ossa Corporis Christi in Eucharist. sunt densiora carne, & humoribus materialiter, non formaliter, quia habent plus de materia, quæ minorem petit locum, & hoc sufficit ad perfectam organizationẽ Corporis Christi etiam in Euchar.

Sed contra hanc communem resp. instat Ruu. Rarum formaliter est quod habet parum materiæ sub magnis dimẽsionibus, densum verò, quod multum habet materiæ sub paruis dimensionibus, sed istæ definitiones cõueniũt partib. Corporis Christi in Eucharist. existentis, ergo formaliter dicentur actu raræ vel densæ non materialiter tantùm. Prob. min. ossa eius plus habent materiæ, quàm caro, & ambo sub minoribus dimensionib. quàm humores, & isti minus habent materiæ sub maioribus extẽsionibus, & ratio est, quia dimensiones per se primò sunt maiores, vel minores, non per actualem occupationem loci marioris, vel minoris, sed per aptitudinalem, quam adhuc retinet Corpus Christi in Euchar. ergo aliæ partes eius sunt formaliter rariores, aliæ densiores, quia affectæ tali qualitate a sũt maioris vel minoris loci occupatiuæ. R. cum Mastr. & Bell. definitiones illas de dimensionibus localibus, actualibus intelligi, non de aptitudinalibus, alioquin sequeretur, quod si aliquod corpus esset rarefactum, adhuc dẽsum dici posset. Pr. sequi experientia, ponatur aqua rarefacta occupans totum vas, quod prius solùm eius medietatem occupabat, adhuc retinet aptitudinem ad occupandam solummodò medietatem, aptitudines. n. non amittuntur, licèt ab actu separentur, ergo aqua tunc nõ posset dici rara, vel si rara, posset etiam dici densa, cum aptitudinem habeat ad densari.

Vrgebis, Durities in ossib. mollities in carne, fluiditas in sanguine sunt qualitates necessariò requisitæ ad perfectam organizationem corporis, & actu dantur in Corpore Christi, ergo cùm istæ ex raritate & densitate dependeant, etiam & istæ actu in eo admitti debent. Responsio patet ex dictis, nam vel huiusmodi qualitates à raritate, & densitate non dependent, vel ab eis dependent in actu primo constitutis, in quo sensu admittimus raritatem, & densitatẽ Corporis Christi in Eucharistia.

Vrgent Ruu. Complut. & Alij, cum æquali quantitate, & extensione locali stat vnum corpus esse magis densum, vel rarum, quàm aliud, ergo nec in quãtitate, nec in aliquo eius modo constitui potest formalitas rari, & densi, sed tantũ in aliqua qualitate. Pr. assumptũ, sint duo vasa eiusdẽ mensuræ, quorum vnum sit aqua plenum, alterũ verò vsque ad medietatem, sed per

ignem

ignem aquâ illa adeò postea rarescat, vt totū vas repleatur, hæ duæ aquæ æqualem habebūt extensionem in ordine ad locū. & tamē vna esset densior alia; R. Si DD. isti memoriæ retinuissent rari, & densi definitionem, hoc argumentum non protulissent; R. igitur distinguendo ant. cum æquali quantitate, & extensione locali, ac æquali materia stat maior, vel minor densitas, aut raritas, negatur; cum æquali extensione locali, sed inæquali materia, vt in casu, conceditur: Sed tunc negatur conseq. nam raritas, & densitas non consistunt in extensione locali simpliciter, sed etiam in maiori, vel minori copia materiæ, Rarum .n. est illud quod sub magnis dimensionib. parum continet materiæ; Densum è contra est illud, quod sub paruis dimensionibus multum cōtinet materiæ; quarè eadem extensio localis potest dici maior, & minor, non prout solùm terminatur ad locum, sed prout respicit maiorem, vel minorem copiā materiæ sub æqualibus dimensionibus situatæ, hinc si minor est materia, maior extensio dicetur, si copia materiæ est maior, extensio dicetur minor.

Ob. M. Iacob. Brun. loc. cit. Ex raritate, & densitate oritur maior illa, aut minor vbicatio, seu localis extensio corporis rari, vel densi, ergo raritas ipsa, aut densitas non sunt formaliter maior, aut minor vbicatio, sed principium illius; ad quod proinde per se primò motus rarefactionis, aut condensationis terminatur: R. neg. ant. illa enim maior, aut minor vbicatio est formaliter rarefactio, vel condensatio, quibus formaliter corpus dicitur rarum, vel densum, principium verò est agens rarefaciens, aut cōdensans, causa dispositiua est calor, vel frigus, vel alia; nec alia qualitas requiritur, & impropria locutio est dicere, quòd qualitas habeat pro effectu extendere corpus ad locum, cū potius hoc munus sit quātitatis, per quam qualitas ipsa (saltem in sent. ipsorum,) extendatur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Decisio de Termino, qui per rarefactionem; & condensationem acquiritur.

SCot. huius dubij decisionem dedit in 4. d. 10. qu. 1. §. *Dico ergo &c.* lit. M. & alibi. Supponimus ex dictis in phys. quòd substantia quælibet materialis suas partes habeat extensas, & vnam extra aliam etiam in ordine ad locum, & hoc etiam si quantitate careret, quo casu esset tunc penetrabiliter, & posset absque miraculo ad punctum loci contrahi; Vndè colligitur munus quantitatis esse, ipsam corpoream substantiam reddere extensā occupatiuè, & impenetrabiliter, ità vt ratio formalis quantitatis consistat in radice, & principio exigitatiuo impenetrabilitatis, impenetrabilitas verò est eius passio, ac veluti effectus eius formalis primarius, cuius beneficio substantia

Nn quan-

quanta habet positionem de gen. quantitatis, quia positio est ordo quidam partium in toto, præscindens ab actuali ordine ad locum, vt quòd caput sit immediatè vnitū collo, collum pectori, &c. cum repugnantia tamen ad penetrationem, quod solùm habet merito quantitatis, diximus *veluti* effectus eius primarius, quia propriè est proprietas, sed quia assimilatur effectui primariò, diximus *veluti*, cum particula diminuēte, nec nouum est per proprietatem effectus formalis primarius circumscribi, sicut per eumdem circumscribitur essentia; Vndè poterat Ponc. hanc calumniam contra Bell. & Mastr. dissimulare. Sequitur deindè velut effectus secundarius ad ipsam quātitatem, positio de genere situs, ait Scot. loc. cit. quæ aliud non est, quàm ordo partium locati ad partes loci, .s. actualis extensio partiū locati ad partes loci, & dicitur impenetratio actualis partium, quandocumque .n. partes locati correspondent diuersis partib. loci, stante hoc respectu situs, implicat naturaliter corpus in puncto locari, ad quam postea impenetrationem sequitur veluti effectus eius secundarius negatiuus expulsio alterius corporis ab eodem loco.

Quia igitur hæc extensio partiū corporis locati ad partes loci constituens positionem de genere situs, censetur communiter modus quantitatis, & tali etiam nomine à Doct. loc. cit. appellatur; hinc recolendum ex dictis, tum in Logica, tum in Phys. quòd si situs sumatur pro qualicumque extensione partium rei materialis in loco, non est modus solius quantitatis, sed vniuersaliter cuiuscumque rei corporeæ, cùm etiam seclusa quātitate adhuc sic extensa remaneret per locum diuisibiliter, vt etiam hic benè Arcsius aduertit; si verò sumatur pro extensione partium in loco cum repugnantia vt se inuicem penetrent, vtique in hoc sensu solius quantitatis est modus, talis namq; extensio impenetrabilis in loco rebus materialibus, & corporeis beneficio quantitatis euenit. Vndè aruertimus, quòd dū in rarefactione dicimus acqri nouum modum quantitatis, non loquimur in sensu Recentiorum, qui cum faciunt de genere quantitatis, vel qualitatis, quæ tot ingerūt difficultates, q̄ nos minimè vrgēt ponēdo talē modū de genere situs; & licèt nō eodē modo ab omnib9 distinguatur Prędicam. situs à Prædicamēto vbi, in via tamē Scotist. vt in logica habuimus, ex eo distinguūtur, quòd vbi dicit habitudinē totius locati ad totum locum, situs verò habitudinem partium locati ad partes loci; Vndè situs solùm conuenit corporibus, Vbi verò etiam rebus spiritualibus, & corpus moueri posset ad nouū situm, estò nō ad nouum vbi, quibus habitis.

Conclusio.

Dicimus, in rarefactione, & condensatione veluti per se terminum

non

non acquiri, nisi Nouam extensionem localem partium locati maiorem, vel minorem ad prædicamentum Situs pertinentem. Est ad mentem Scot. loc. cit. qui licèt in 4. d. 12. q. 4. non satis mentem suam expresserit, ibi tamen reijcit opiniones de acquisitione, vel deperditione substantiæ, aut quantitatis, & sæpè ait maiorem raritatem attendi non debere, nisi ex occupatione maioris loci, ità præsertim ad primum arg. Gotfredi lit. B. supra illam additionem fol. mihi 152. vbi sic ait, *Ad Primum istorum dico, quod non statim est corpus rarius, quia raritas maior non accipitur, nisi ex occupatione maioris loci*, Sic pariter in 3. d. 2. q. 3. ad 1. Princ. supra D. docet condẽsationem vniuersaliter attendi ex occupatione minoris loci, eãdemque sent. tenet Simplic. 4. Physic. circa text. 84. vbi vult raritatem, & densitatem esse formaliter relationes partium corporis ad inuicem in ordine ad locum, quia esse rarum, aut densum aliud non importat, quàm partes magis, aut minus inter se distare, quæ distantia, & propinquitas relationes de gen. Situs præseferunt. Sequuntur Bonamic. lib. 7. de motu cap. 41. Morandus, Aresius, & alij. & ex Scotistis vt de mente Doctoris tuẽtur Tatar. 4. Phys. quem inter alias existimat probabiliorem, Aret. in 4. d. 12. q. 4. art. 3. & ardẽter defendũt Mastr. & Bell. disp. 4. de gen. q. 4.

Pr. 1. Arist. auct. in Prædicam. Qualitatis, vbi sic ait, *Rarum verò & spissum, asperum, & lene putabuntur quidem quale quid significare, sed aliena huiusmodi putantur esse à diuisione, quæ circa æquale est, quamdam enim positionem magis videntur partium vtrumque significare, spissum .n. dicitur, eo quod partes sibi ipsis propinquæ sint, rarum verò eo quod distent à se inuicem, & lene quidem qod in rectitudinem aliquo modo partes iaceant, asperum verò, quòd hæc quidem superet, illa verò inferior sit*. Poterat clarius loqui? & quando Aduersarij dicunt ibi Arist. locutum fuisse iuxta antiquorum opinionem, est omnino voluntarium, & manifesta extorsio tex. vt ex progressu ipso luculentissimè colligitur, ibi .n. adducit antiquorum opinionem ipsam reponentiũ in Prædicam. qualitatis, quam opinionẽ reijcit, eamq; in Prædicam. Situs reponit.

Ioann. de Sancto Thom. quem multi ex Thomistis sequuntur, duplicem distinguit raritatem, & densitatẽ, ità vt vna sit formalis, & intrinseca, & hæc est qualitas, altera ra situalis, & extrinseca, & hæc est veluti effectus illius, & pertinet ad prædicam. Situs, dicens quòd Arist. ibi loquitur de raritate, & densitate situali, & extrinseca, quam meritò reijcit ad prædicam. Situs. Distinctio voluntaria, ad argum. illudenda Qualis namque est raritas, vel densitas ista intrinseca, non situalis? Sanè quando videmus corpus aliquod rarum, idest magnum occupans locum aliud verò locum exiguum occupans, tunc inquiri-

mus quęnam sit causa talis dilatio-nis, vel compressionis corporis, nihil curando de causa intrinseca, vel radice ipsius raritatis, vel dẽsitatis, q causa nõ est alia raritas, vel dẽsitas, vt ipsi prætendũt, sed calor, vel frigus &c. Et si Arist. præter istam raritatem, aliam intrinsecam, & formalem agnouit ad prædicam. qualitatis spectantem, cur non illam assignauit, nec verbum vnum de illa fecit, maximè cùm prædic. qualitatis ibi contexeret, & aliam ad prędicamẽtũ situs destinauerit? Vtique tenebatur potius eam, quæ ad prædicam. illud spectabat recẽsere, quàm aliam ad illud prædic. impertinens reijcere, vel saltem vtramq; explicare debebat, & propriam illius prædicam. retinere, aliamq; ad prædicam. situs mittere.

Per hæc satisfit etiam Mag. Iacob. Brun. q. 5. de gen. art. 1. fol. 164. vbi volens relatas D. Thom. authoritates reconciliare, duplicẽ distinguit raritatem, & densitatem; Prima (ait) pertinet ad dispositionem internam partium quãtitatis, coniuncta cum aliqua mollitudine, & duritie, & hæc est qualitas; Secunda externa consistens in dilatatione, & cõpressione situali partium, & hæc non est qualitas, sed quantitatis extensio, & de hac loquitur D. Thom. in dictis Authoritatib. Non valet, quia est expositio ad libitum, vt iam dudum diximus, & D. Thom. adhuc fauet nobis, quia hæc est vera acceptio raritatis, & densitatis secundum cõmunem sensum vocabulorum, & in hoc sensu proponitur controuersia, & de qua Arist. loquitur eas ponens in prædicam. Situs. Neq; Arist. neq; D. Thom. de hac duplici raritate, & dẽsitate distinxit, & sic etiã R. ad Mag. Bonherbam dubitatione secunda de rarefactione, & condẽsatione in suo Ægidiano propugnaculo, vbi iudicium proferens pro defensione vtriusque sent. ait. Raritas, & densitas quatenùs respiciunt partes interiores secundum rei substantiam, sic sunt qualitates, & per raritatem, & dẽsitatem proprijssimè producitur vtique qualitas, & hoc concludunt argumenta primæ sent. pro Thomistis; Quatenùs verò raritas, & densitas respiciunt partes extensiores secundum rei figuram, sic sunt positiones, & pertinent ad prædicam. situs, sic sunt intelligendi Scotistæ. Sed sic dicendo iam pugnat pro nobis, nã disputatio in secundo sensu cõtrouertitur, & sic rarefactio, & condẽsatio sunt sensibiles, non prout respiciunt partes interiores substantiæ. Dicunt, quòd raritas, & densitas sunt qualitates, & per raritates, & densitates qualitas vtique producitur. En quomodo semper ardua, & contraria molliuntur; & si illa prima raritas est qualitas, per quam aliam qualitatem producitur? si dicunt per aliam raritatem, sic producitur in infinitum; si dicũt produci per motum, vel per calores & frigus, totum hoc dicere poterãt pro secunda raritate, prout respiciet

par-

partes extensiores in ordine ad locum, pertinente ad prædicam. situs, & non multiplicare tot genera qualitatum internarũ, & externarum sine necessitate.

Facilè etiam reijcitur responsio Ruu. & Complut. asserentium ibi Arist. loqui de raro, & denso pro connotato, in quo sensu spectat ad prædicam. Situs, non autem pro formali, & principali significato. Non valet, quòd .n. ipsi appellant connotatum raritatis, & densitatis, nos dicimus esse principale significatum, nam ex vi nominis important ipsam corporum dilatationẽ, vel compressionem, non radicem, vel causam ipsius; Vnde communiter sic definiuntur: *Raref actio est motus à minori, ad maiorem extensionem localem; Condensatio, à maiori ad minorem.* & qua ratione Arist. Prædicamen ũ qualitatis contexendo memorauit connotatũ raritatis, & densitatis, non autẽ formale significatũ, si illius speciem cõstituebat?

Pr. 2. Tunc corpora dicũtur formaliter rarescere, vel condensari, cùm eorum partes non amplius eumdem ordinem seruant inter se respectu loci, sed amplius comprimuntur, vel amplius dilatantur, ergo primus, & per se terminus rarefactionis, & cõdensatio is est talis partium compressio, vel dilatatio, sed hæc non important, nisi variam extensionem, & positionem partium in loco, quæ spectat ad prædicamentum situs, ergo. Quòd autem in rarefactione, & condensatione mutetur quoque præsentia localis totius corporis, quæ dicitur Vbi, hoc non sufficit, id .n. fit consequẽter ad mutationem partium, quare talis vbicatio totius non est primus, & per se terminus rarefactionis, & condensationis, sed tantum secundarius, & cõcomitans; Hinc notari potest differentia inter motum localem ad Vbi, & rarefactionem, & condensationem, qui sunt quidam motus locales ad situ, quòd in motu locali ad Vbi, primus, & per se terminus est præsentia totalis, seu vbicatio totius corporis, præsentia verò partium est terminus tantùm secundarius, & concomitans; E contra verò in cõdesatione, & rarefactione, primus, & per se terminus est partialis præsentia partium, ac earum situatio in loco, secundarius verò, & concomitans est præsentia totalis corporis; Et quia motus specificantur à primo, & per se termino; ideò motus localis absolutè, per quem motus totius intelligi solet, dicitur esse ad vbi, Rarefactio verò, & condensatio est motus ad Situm.

Pr. 3. magis sent. nostrã explicãdo. Certum est apud omnes, quòd per raritatem corpora extenduntur in loco, per densitatem verò comprimuntur, & coarctantur; at hoc intelligi non debet in genere causæ efficientis, ita quòd raritas extensionem efficiat, pro causa .n. extrinseca sufficiet agens extrinsecum, quod propriè dicitur rarefacere subiectum; Pro causa disposi-

tiua

tiua sufficiens erit calor, vel frigus, aut humiditas; ex quo sequitur, quod raritas ipsa, aut densitas talem effectum non præstant, nisi in gen. causæ formalis ipsum corpus reddentes rarũ, vel densum, ergo non oportet vt alia raritas, vel densitas præcedat veluti causa intrinseca, & alia consequatur vt effectus secundarius, sed habita raritate per calorem, & densitate, per frigus, redditur statim ipsum corpus rarũ, vel densum; sicuti producta albedine in pariete, ponitur ipse paries formaliter albus, sine alio effectu secundario, & qualis philosophus diceret, quòd albedo intrinseca producit albedinem extrinsecam? & quod vnus est effect⁹ primarius, alter effectus secundarius? sic isti discurrunt dicentes, quòd raritas producit raritatem.

Obiectiones.

Ob. Si ratio rarefactionis, & cõdensationis consistit in maiori, vel minori extensione locali eiusdem rei, tunc etiam Angelus diceretur rarescere, & condensari, cùm etiã ipse tũ mai⁹ tũ minus occupet spatium. R. neg. cõseq. maior .n. & minor extensio localis Angeli nõ ponitur in Prædicam. Situs, quia nõ fit secundum partes, rarefactio verò, & condensatio non dicunt maiorem, aut minorem loci occupationem vtcumque, sed per maiorem dilatationem, vel Vnionem partium in loco.

Ob. Cum res transit de vno loco ad alium, mutat realiter præsentiã, & totius ad totum locum, & partium locati ad partes loci, & tamẽ non mutat raritatem, aut densitatem, ergo ratio raritatis, & densitatis non consistit in respectu de gen. Situs, quia mutato Vbi, mutatur quoque Situs, sed non mutatur raritas, & densitas. R. quòd raritas, & densitas non consistunt in qualicumque respectu partium locati ad partes loci, sed præsertim in maiori, & minori distantia, quã seruãt ad inuicẽ partes in loco vagè, & confusè, & quia corpus rarũ, aut densum quocumq; transferatur eumdem ordinem partium seruat, ideo vbique eamdem raritatem, & densitatem retinere dicitur, indè negatur consequ.

Ob. Non possunt partes fieri immediatiores, quàm quòd continuentur per indiuisibilia, nisi penetrarentur, nec possunt magis ab inuicem distare, quàm per indiuisibilia, nisi discontinuentur, ergo nõ possunt in condensatione magis constipari, nec in rarefactione magis dilatari, nisi addita, vel dempta aliqua parte. R. Ant. esse verum de immediatione, & distantia partium in ordine ad se, non tamen in ordine ad locum, indè negatur cõsequ. & patet experientia, nam lac in feruenti olla obtinet aliquando triplo plùs loci, quàm antea, & tamen communiter censetur eamdẽ esse quantitatem lactis dum friget, & dum feruet, cuius ratio est, quia positio de genere Situs alia est à positione de genere quantitatis,

Dices, licèt istæ duæ positiones realiter distinguantur, attamen extensio in ordine ad locum sequitur necessariò extensionē in ordine ad se, ergo nequit in illa fieri mutatio in ordine ad locum absq. alia prævia mutatione extensionis in ordine ad se. ℞. neg. conseq. sensu .n. patet, quòd cùm homo stat, sedet, vel inclinatur, mutatur extensio partium in ordine ad locum, non tamen in ordine ad se, ratio est, quia non est necesse prius variati ad posterioris variationem.

Obijcitur tandem illa ardua difficultas, quæ reuera in omnium sententia vrget, & difficultas fundatur in duobus illis principijs in Philosophia receptissimis, quorum vnum est, quòd idem corpus non potest esse naturaliter in pluribus locis, alterum naturaliter dari nequit penetratio corporum, seu dimensionum, tunc sic: Partes corporis ante condensationem non erant penetratæ, sed vna extra aliam in loco sibi adæquato, ergo quantumuis nouum modum in condensatione acquirant, non potest quælibet in loco minori poni, quia non potest esse, nisi in loco sibi adequato; nec duæ poni possunt in eodem loco, quia penetratio fieret, ergo nequeunt nunc maius occupare spatium, quàm antea; sic etiam ante rarefactionem partes corporis erant singulæ in loco sibi adæquato, quia non erant penetratæ, ergo quantumuis nouum modum acquirant, non potest quælibet poni in loco maiori, quia nequit esse nisi in loco sibi adæquato, nec potest eadem pars in pluribus locis poni, & consequenter non poterit corpus nunc occupare maius spatium, quàm antea.

℞. 1. quòd hæc difficultas in omnium sent. vrget. Opinio illa de acquisitione, vel deperditione qualitatis etiam difficultatem non effugit, vt patet ex dictis. Sententia de acquisitione, & deperditione quantitatis eadem premitur difficultate, namsicut contra nos vrgent, quòd non potest augeri, vel minui extensio localis sine quantitate, in qua fundatur, sic etiam nos contra ipsos vrgemus, quòd non potest augeri, vel minui quantitas sine acquisitione, vel deperditione substantiæ, in qua subiectiuatur. Opinio de acquisitione, ac deperditione substantiæ extraneæ, licèt aliqualiter in quantitate permanēti saluet difficultatem, non tamen illam effugit in quantitate successiua, semper .n. instantiam habet in velocitate, & tarditate motus. Remanet igitur inquirendum quomodo in rarefactione potest idem corpus occupare maius spatium, quàm antea, absque eo quòd illud, aut aliqua eius pars sit simul in pluribus locis, & in condensatione minus, absque penetratione vnius partis cum alia.

Complut. dicunt id euenire per quamdam coltipationem partium, ac veluti inuolutionem earum factam à natura, à qua cùm fuerint

cuo-

euolutæ, ac veluti explicatæ in ampliorem locum se dilatent, quòd declarant exemplo papyri plicatæ, & explicatæ absque nouarum partium additione, quæ vtiq; nec per explicationem occupat duplicem locum adæquatum, sed solùm maiorem; nec per plicationem partes illius penetrãtur, esto in minorem locum se recipiant; Vndè id, quod artificiosus modus plicandi, & explicandi rem hic operatur, inuenitur in cera rarefacta, & condensata ab ipsa natura.

Verùm hæc explicatio insolutam difficultatem relinquit, vt benè Bell. & Mastr. ostendunt, non. n. declarant, quare hæc constipatio non sit partium penetratio, quę tunc contingit, cum plures dimensiones in eodem loco vniuntur, quod in præfata constipatione euenit, nam eius beneficio, quantitas bipalmaris contrahitur ad locum palmarem, & consequenter vnus palmus coexistit cum alio in eodem loco, quod idem est, ac cum ipso penetrari. Exemplum adductum, potius nobis, quàm ipsis suffragatur, papyrus etenim etiam plicata tantum loci occupat, quantum prius, licèt non per eamdem dimensionem, nam explicata se extendit in latitudinem, & longitudinem, & implicata in profunditatem, & quantum in implicatione amittit longitudinis, & latitudinis, tantum acquirit profunditatis, & quod amittit in vna dimensione, ei compensatur ex alia, at quando res densatur, nõ occupat maiorem dimensionem à latere, vel à longitudine, seu à profunditate.

Alij communiter recurrunt ad diuisibilitatem partium continui in infinitum, quasi hac ratione possit quælibet eius pars ampliari, & coarctari, quia est diuisibilis in infinitum, quòd si ex indiuisibilibus constaret, hoc euenire non posset, ità Ares. Hurt. Auersa, & alij; sed quomodò hoc sine penetratione euenire posset non satis declarant. Mastr. tandem & Bellut. quibus libenter adhæreo, post maturam rei discussionem, Mysterium hoc de raritate, & densitate quantitatis permanentis, explicant eodem sensu, quo de velocitate, & tarditate in quantitate successiua motus. Vndè sicut quantitas successiua in motu est ratio, cur fiat in tempore maiori, vel minori non prouenit ex ea quantitate præcisè, sed ex multis alijs, .s. ex potentia motiua maiori, vel minori, vel ex varia eius applicatione, vel ex resistentia medij, vel alijs de causis; sic in proposito de quantitate permanente dicendum, quòd .s. quantitas in corporibus sit ratio essendi impenetrabiliter; ratio autem, cur sit in tanto loco maiori, vel minori non prouenit ex ea quantitate præcisè, sed ex multis alijs causis, & præsertim ex vario temperamento quarumdam qualitatum ad rarefactionem, & condensationem concurrentium; sicut igitur facilè intelligimus quomodo idem motus fa-

ctus

super eamdem magnitudinem coexistit modò maiori, modò minori tempori ex sola diuersitate virtutis motiuæ, aut applicatione eiusdem, ità facilè intelligere poterimus quomodo idem corpus cum eadem quantitate consistere potest modò maiori, modò minori loco ex diuersitate temperamenti, & aliorum conditionum ad rarefactionem, & condensationem concurrentium; in hoc igitur sensu benè cohærent illa duo principia Phylosophica recepta, quòd nequit naturaliter dari penetratio dimensionum, nec idem corpus esse in pluribus locis, quia nec in rarefactione eadem pars ponitur in pluribus locis, sed tantùm in maiori loco, nec in condensatione cum alia penetratur in eodem loco, sed ponitur tantùm in minori; quæ doctrina declarari potest ex allata analogia quantitatis successiuæ in ordine ad tempus; sicut.n. ibi admittitur, quòd idem motus modò maiori, modò minori tempori coexistat absque eo, quòd duæ partes motus coexistāt eidem tempori, aut eadem pars sit simul, & semel in diuersis temporibus, ità in proposito admitti debet idem corpus posse modò coexistere maiori, modò minori spatio, sine eo, quòd sit simul in pluribus locis, vel aliqua eius pars cum alia compenetretur. Cum dicitur, quòd corpus esse non potest, nisi in loco sibi adæquato. ℞. quòd hæc adæquatio inter locum, & locatum debet esse continentiæ, non dimensionis, & sanè iam hæc semper inter locū & locatum intercedit, siuè fuerit rarefactum, siuè densum; in statu .n. rarefactionis per maiorem dilatationem adæquat, & replet continentiam loci maioris, & in statu condensationis ob compressionem capitur à minori, & ità semper sūt adæquata adæquatione continentiæ. Ponc. in Appendice Apologica num. 116. postquam hanc doctrinam Mastr. & Bell. totis virib. impugnauit, tandem num. 118. eā euertere nititur quibusdam argumētis, quæ adducit, & soluit Hurt. disp. 4. de gen. sect. 4. quorum nè tædio satis Lectorem afficiam, tantùm vnum adducam, & est tale: Quando quantitas bipalmaris ponitur per extēsionem in loco quadripalmari, vel aliqua pars illius quantitatis manet in priori spatio bipalmari, vel non, non secundum, quia tunc ibi esset vacuum, si primum, quæritur vlterius, vel illa ipsa pars determinata ponitur in altera parte loci quadripalmaris, & sic vna pars illius quantitatis determinata erit in duabus partibus loci totalis, quòd sine replicatione fieri non potest, si non, ergo in toto priori bipalmari iam remanēt duæ partes determinatæ, quarum vna corrispondet vni palmo ipsius, altera alteri; & tunc debent necessariò in alijs duobus palmis esse alij duo palmi quantitatis determinati, distincti à prioribus duobus palmis, ergo in toto loco quadripalmari sunt quatuor palmi deter-

minati quantitatis, & si nulla pars quantitatis est addita, erant necessariò ante rarefactionem quatuor palmi determinati quãtitatis, quorum duo alios penetrabant.

Resp. Mastr. & Bell. quòd hoc, & similia argumẽta possunt retorqueri de quantitate successiua, vt sæpè dictum est. Notandum tamen pro solutione, quòd sicut quantitas est in corporibus ratio occupandi locum, sic tanta quantitas est ratio occupandi tantum locum, quòd in sent. nostra admittitur tantùm de corpore, sub eodem statu considerato V.g. raritatis, vel densitatis; Cæterùm quantitas ex natura sua solùm habet extendere substãtiam per partes extra partes impenetrabiliter, determinare verò corpus ad tantum, vel tantum locum V.g. palmarem, vel bipalmarem potiùs ad positionem de genere situs spectat. Vnde Tatar. 4. physic. q. de vacuo dub. 3. circa finem ante conclusionem responsalem fol. mihi 87. lit. A. Docet, quòd pedale, vel bipedale bicubitum, & tricubitum non sunt species quantitatis, sed species situs, ità quòd bipedalitas dicat talem distantiam duarum partium ad partes loci, indè deducens inconueniens non esse idem successiue esse pedale, & bipedale, & quòd quantitas eadem numero manens, quæ prius erat pedalis, fiat in rarefactione bipedalis, quatenus quantitas, quæ erat parua in rarefactione fit maior ratione maioris extensionis situalis, ex qua doctrina dicimus ad argum. quòd cùm quantitas bipalmaris per rarefactionem extenditur ad locum quadripalmarem, eo ipso fit quadripalmaris, & habet quatuor palmos realiter distinctos, vbi prius duos tantùm habebat, sed isti duo vltimi palmi non sunt partes quantitatis, sed extensionis localis, in genere situs, ex quo inferri non licet, quod ante rarefactionem isti duo vltimi palmi erant cum alijs duobus compenetrati, vel post rarefactionem vnum duos occupare palmos loci, sed tantùm omnes & singulas partes illius quantitatis fuisse duplo magis extensas.

Sed Contra, si quælibet pars determinata illius quantitatis duplo magis extenditur, ergo quælibet erit in duobus locis sibi adæquatis, quod sine replicatione quantitatis fieri non potest. Rnt. relati DD. neg. conseq. nam commensuratio inter locum, & locatum attendi debet ex vario statu raritatis, & densitatis, vndè qui erat locus adæquatus vnius partis ante rarefactionem, facta rarefactione euadit inadæquatus, atque ideo occupando per rarefactionem rursus tantũdem loci, non dicitur occupare duo loca sibi adæquata, sed duo inadæquata, & vnum adæquatum.

Sed Instat Ponc. Si fieri potest, vt aliqua quantitas, seu substantia quanta possit naturaliter acquirere maiorem locum, quem semel naturaliter habet, non poterit cognosci

sci quanta sit quantitas illius substantiæ; vel an vna habeat maiorẽ, quàm altera; nec poterit etiam sciri an alia substantia sit rarior, loquendo de raritate quantitatiua, sed hoc est falsum, ergò &c. Pr. sequela, quia ex eo possumus cognoscere, quòd mons Olimpus V.g. habeat plures partes entitatiuas, & quantitatiuas, quàm homo, quia videmus quòd posset diuidi in plures partes determinatas, & quòd occupet multò maius spatium localem. Sed hoc non sufficit in aduersa sent. quia posset dici quòd occuparet maius spatium, & esset diuisibilis in plures partes, non ex eo quòd includit plures partes entitatiuas, aut quantitatiuas, sed eo quòd habeat maiorem extensionẽ, & consequenter dici posset, quòd esset rarior, quàm flamma, aut aer. R. hoc argum. posse quoque retorqueri contra opinionem de noua quantitate addita, si .n. per rarefactionem acquiritur noua quantitas sine noua substantia, tunc non posset cognosci vnum corpus esse maius alio, aut habere plures partes substantiales, ac entitatiuas, quàm aliud, quia si esset rarefactum, potuit habere minores partes substãtiæ sub quantitate maiori, nec partes quantitatiuæ erunt sufficiens inditium entitatiuarum, quia in rarefactione secundũ hanc opinionem sine illis acquiruntur.

Vt igitur benè colligatur corporum magnitudo ex maiori, vel minori locali occupatione, debent corpora ad inuicem cæteris paribus comparari, nempe in æquali statu raritatis, vel densitatis; & tũc quod est magis extensum, est absolutè alio maius, pluresque partes habet tàm entitatiuas, quàm quantitatiuas; Si autem inuicem cæteris imparibus comparentur, .i. vnũ sub densitate, aliud sub raritate, tũc ex maiori extensione nõ bene colligitur pluralitas partium integraliũ, & ratio est, qa rarũ definitur, q habet minus de materia sub maiori extensione, & densum è contrà, quod habet pl' de materia sub minori extensione, quarè licèt aer bipalmaris maiorem occupet locũ, quàm ferrũ palmare, non tamẽ ob id censetur maius corpus, vel plures partes integrales habere, quàm ferrum habeat, & ideò licèt mons sit magis exensus, quàm parua flãma, vel aer, non idcircò dici debet rarior illis, nam sub illa maiori extensione continet etiam valdè plus materiæ. Indè in forma ad argum. R. cum distinctione, sub eodem statu considerata, conceditur seq. sub diuerso statu negatur; Ad probationem sequelæ, maior est vera, quia ibi fit comparatio Olimpi, & hominis, cæteris paribus, ac proptereà benè deducitur ex maiori extensione Olimpi, quòd maior sit homine, & plures habet partes entitatiuas, & quantitatiuas, neque ex illa maiori extensione rationabiliter infertur, quòd sit rarior parua flamma, vel aere, quia sub illa maiori extensione plus etiam con-

 tinet

materiæ. Ratio autem cur in statu densitatis idem corpus occupet minorem locum, in statu verò raritatis locum maiorem absque additione alicuius partis, quòd est punctus difficultatis in hac materia. ℞. communiter id prouenire ex compositione continui ex partib. diuisibilibus, quæ propter infinitã diuisibilitatem possunt magis protendi, vel restringi, quòd non esset si ex solis indiuisibilibus componeretur, quia plura indiuisibilia non possunt extendi, vel intendi ob eorum indiuisibilitatem, sed semper determinata indiuisibilia loci petunt.

Ob. Ex hac sent. sequeretur, quod in rarefactione, & condensatione rarum, & densum mouerētur localiter, cùm partes omnes localiter moueantur, quòd negatur cōmuniter. ℞. concedendo sequelam, rarum .n. & densum localiter mouentur secundum partes, licèt non secundum totum, nisi tantùm secundariò, & consequenter, tunc .n. propriè aliquid censetur moueri secundum totum, cùm priorem locum totaliter deserit, & alium nouum acquirit, quod in rarefactione, & condensatione non euenit; Vndè isti motus propriè sunt ad situm, non ad vbi, quia rarefactio est motus partium ad aliũ locum, & solùm cōceptu locali motu partium ad maiorem distantiam inter se, sine tamen discontinuatione iam facta censetur rarefactio.

Ais, ergo motus non erit tantum ad tria Prædicam. s. ad quantitatem, & qualitatem, & Vbi. ℞. non haberi pro inconuenienti, licet enim motus ad situm reducere ad motum ad Vbi, cùm sit quidam motus localis imperfectus, & tantò magis hoc asserendum erit, si situs non constituat diuersum Prædicamentum ab Vbi, vt in Logica disp. 14. art. 3. satis probabile iudicauimus, vide ibi.

Ex his colligitur, quòd tàm in rarefactione, quàm in cōdensatione semper partes mutant priorem extensionem localem, & nouam acquirunt maiorem, vel minorem, quia in condensatione vna cedit alteri locum, quem ipsa obtinebat, & in rarefactione, vna pellit alterã à loco quē occupabat, aliter nō quælibet pars rara, esset rara, nec densa, esset dēsa. Quod si dicas omnes, & singulæ partes locũ mutãt totaliter, ergo etiam & totum, quod est contra experientiam, nam aqua rarefacta, & condēsata semper præcedentem retinet locum. ℞. neg. consequ. estò .n. corpus totum locum præcedentem retineat, cùm hoc tamen stat, quòd nulla pars retineat locum, quem anteà habebat, & ratio est, quia potest mutari situs partium absque mutatione Vbi totius, quòd euidenter patet de Cœlo, quod dum mouetur, totum Cœlum est in eodem loco, & nulla ipsius partem præcedentem retinet. Colligitur tandem, quòd naturaliter loquendo, præfixus est terminus in rarefactione, & conden-

densatione, iuxta eorum temperamentum, quia non videtur possibile viribus naturæ, granum milij ad ad tantam molem rarefieri posse, vt totum Vniuersi spatium occuparet absque vlla substantiæ additione, neque è contrà vniuersum ità contrahi, & densari, vt sine partium penetratione in loco milij cōtineri possit, licèt benè hoc possit Virtute Diuina. Opinio de corpusculis apud Mastr. & Bell. (nostra excepta) censetur alijs probabilior.

DVBIVM.

An sine rarefactione, & sine vlla additione alicuius materiæ, vel quantitatis possit corpus paruum fieri magnum, saltem supernaturaliter.

DVbium exicitatur inter Theologos, occasione desumpta de formatione Euæ ex costa Adæ; ad quod Mag. sent. in 2. sent. d. 18. c. 5. Rc. affirmatiuè, & sequuntur Herin. Durand. Egid. Argent. & quamplures Sacræ paginæ Interpetres, Liranus cap. 2. in Gene. Vgo de Sancto Victore, Gregorius Nissen. & alij. Docentes Deum formasse Euam ex costa Adami absq; vlla additione materiæ, & absque vlla eiusdem rarefactione, cùm tāta raritas humanō corpori nōn benè congruat. At D. Thom. in 2. d. 18. q. 1. art. 1. & 1. p. q 119. art. 1. resp. negatiuè, vbi sic discurrit; maioritas substantialis, & materialis intelligi non potest, non addita portione materiæ. Maioritas formalis quantitatiua, non est sine quātitatis additione. Maioritas autem situalis, & terminatiua non est nisi varientur termini quantitatis, vt contingit in rarefactione, ergo ponere aliquid esse maius, & non addi substantiæ quantitatem, vel rarefactionem, est ponere contradictoria simul. quē sequūtur Caietan. Capreol. cum multis ex Thomistis, & ex nostris etiam Mayron. & Bassol. cum alijs, & videtur fuisse sent. Diui Aug. lib. 10. de Genesi ad litteram cap. vlt. ad quam etiam videtur inclinare Scot. in 2. d. 18. qu. vnic. in fine, vbi ait: *Per quamcumque transmutationem non potuit transmutari costa in totum corpus Euæ, quod fuit perfecta quantitate formatum, sine materiæ additione, nec etiam aliquid illius corporis fieri potuit ex ista costa naturaliter nisi per multas transmutationes*. Idem habent Conimb. hic, estò oppositum etiam probabile putent, sequuntur Ruu. Ioann. de S. Thom. cum pluribus Recentioribus. & quidem difficile videtur quomodò possit Deus ex parua materia vnius Athomi, totū hoc vniuersum construere cum eadem dispositione, & proportione partium; quas nunc habet absque materiæ additione, aut saltem præexiguum corpus ampliari, & magnum fieri per solam replicationem localem absque extrinseca additione materiæ, vel rarefactione,

DISPV-

cedētis rarefactione, nec alio modo, vel ratione videtur corpus paruum in magnum augeri; & vno vel altero modo asserunt Sancti PP. fuisse à Christo Domino auctos, & multiplicatos Euangelicos panes, præsertim D. August. tract. 23. in Ioann. Vnde verisimile est etiam in hunc modum Euæ corpus ex costa Adæ procreatum fuisse. Congruentia autem cur à costa præcipuè formata fuerit Eua, vt Bassol. docet in 2. d. 18. q. vn. art. 4. fuit in signum, quòd ità formari debebat Ecclesia de latere Christi dormientis in Cruce, quando de latere eius mortui iam, & dormientis exiuit sanguis & aqua, & secūdum D. Aug. Sacramenta fluxerunt.

Sed licèt hæc sent. sit communior, illa tamen Magistri, & sequacium potest faciliter defendi, non quidem eo sensu, quo solet ab ipsis defendi, sed alio modo, principijs tamen Doctoris subtil. inhærendo, nempè per iteratam materiæ replicationē localem, aut suarum partium, sicut. n. per replicationem idem corpus constitui potest in pluribus locis, ità quoque in duob. propinquis, ità quòd idē sibi ipsi vniatur, vt diximꝰ in physi. quo casu tale corpus in maiorem molem excresceret, non quò ad dimensiones, sed quò ad extensionē localem, nulla rarefactione interueniente, quem dicendi modum Conimb. & Aresius approbant, & amplectuntur Mastr. & Bell. loco cit. vt in sent. Scoti benè fundatum; vbi etiam Doctorem explicant. n. q. loc. cit. non negauit absolutè posse exiguum corpus in magnā molē exurgere absque additione materiæ, aut rarefactione, sed solùm in casu, de quo ibi erat quæstio .s. de formatione Euæ ex costa Adæ, & de miraculosa multiplicatione panum, in quibus casibus non est verisimile, quòd Deus formauerit corpus Euę ex costa Adæ sępius replicata, & ex quinque panibus sæpius replicatis tot homines saturasse, cuius ratio est, quia materia replicata in pluribus locis non potest informari diuersis formis substantialibus, nam istæ vniformiter insunt illi habenti vnum, vel plura Vbi, quia non sunt formæ dependentes à loco, ac partes organici corporis animati habent diuersas formas substantiales partiales, & consequenter corpus Euæ nōn potuit ex vna sola Adæ costa cōstitui sæpius replicata, sed ad multiplicationem formarum necesse fuit materiam multiplicari. & idem dicēdum est de materia illorum panū, quia in talis materia conuerti debebat in substātiam aliti in diuersis stomachis, & sub diuersis formis, necesse fuit, vt etiam materia multiplicata fuerit, ne admitteretur eadem materia diuersis formis substantialibus informari, & fortè in hoc sensu fuit etiam locutus Diu. Thom. quando hoc pro impossibilitate habuit. Cæterùm absolutè, & citrà relatos casus, ac cōsimiles nulla apparet repugnantia

DISPVTATIO VI.

DE ELEMENTORVM GENERATIONE.

EGIMVS hucusque de generatione substantiali, de qualitatibus, de actione, & reactione, & de alteratione in communi, modò discursum Philosophicum magis præstringentes, ad aliqua descendimus in particulari, & ordine Doctrinæ primo indaganda erit generatio elementorum, ex qua deinde ad mixtorum generationem gradum faciemus. Empedocles, & quamplures alij Philosophi, qui Arist. præcesserunt imaginati sunt quatuor elementa esse prorsus ingenerabilia, & incorruptibilia secundum substantiam, & solùm secundum qualitates alterabilia. Item negarunt elementa cōposita esse ex materia & forma, sed ipsa aliud non esse, quā ipsammet materiam; & quia de ratione materiæ est vt in composito permaneat, putarunt ipsa elementa in mixtis permanere formaliter, & secundum eorum proprias entitates. Quam opinionem licet iam diu à Peripat. schola præsertim eliminatam, multi tamen ex Recentioribus eam probabilissimam, & rationabilē faciunt; ità Gometius Perierain Antoniana Margarita apud Arriag. disp. 2. phys. sec. 1. Scribonius lib. 1. phys. nu. 128. Franciscus Patritius tom. 4. discuss. lib. 3. Lessius lib. 3. de Numine, num. 16. Scipio Capitius lib. 2 de Princ. rerum fol. 1 5 quos sequitur Camerarius in suis disputationibus Philosophicis p. 2. q. 1. vbi etiam aliquos PP. refert, nempè Ansel. in monol. cap. 6. Anastasium Sinaitam lib. 1. in Exameron. & Iustinum Martirem in lib. reprehensionis Decretorum Arist. communis tamen sent. est ad oppositum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Elementa sint generabilia, & Corruptibilia.

SCotus ex professo de hoc artic. agit in 2. sent. d. 15. D. Tho. in 2. de gen, lec. 4. & 6. Seraphic. Doct. in 4. d. 24. p. 1. art. 1. q. 2. ad penultimum, qui omnes partem affirmatiuam defendunt, quibus libenter adhærentes,

Conclusio.

Dicimus, cum communi, elementa esse generabilia, & corruptibilia, non tantū secundum partes, sed etiam secundum totum, esto quo ad actualem corruptionem corrumpantur, & generentur solùm secundum partes. est Scoti, Diu. Thom. Diu. Bonau. & communis apud Theologos, & Philosophos. Quò ad primam partem, scilicet quòd elemēta sint generabilia & corruptibilia, Pr. quibusdam experiētijs, & primò exemplo ignis, quē quotidie

tidiè experimur corrumpi; & in aerem transire, nam flamma candelæ solùm lucet ad aliquod tantũ spatium, & posteà in aerem conuertitur; idemque de alijs flammis conspicitur.

Dices, flamma, seu ignis non amplius apparet, non quia in aerẽ versus sit, sed quia paulatim ità rarus efficitur, vt amplius non appareat, & hoc patet experientia, si .n. quis supra candelam, etiam eo loco, vbi ignis non apparet, chartam extendat hæc flammam concipiet, vel saltem volitabit sursum tendens, quod euidens signum est, ibi ignem præter aerem existere. Non valet & ratio est, quia si ignis in aerem non destrueretur, sanè si in cubiculo vndique clauso aliqua magna flamma adesset, non post multum temporis, tota aula esset igne plena, & consequenter vestes, & omnia ibi existentia comburerentur, nec ibi respirare possemus; item daretur ibi ignis, & aeris penetratio, vel quòd si condensarentur, necessariò ignis cõspici deberet. Tum quia si ignis in cucurbitulis conceptus non extingueretur, & in aerem densiorẽ igne nõ conuerteтur, duo absurda contra experientiam sequerentur; Primum quòd non deberet caro intumescere ad replẽdum vacuum, vt patet, quia per Aduersar. idcircò ignis ille amplius non apparet, qa rarior euadit, & consequenter maiorem occuparet locum; Secundũ, quòd si diutiùs cucurbitula ibi applicata maneret, deberet caro illa comburi, ignis enim ille foras non euaporaret, sed inclusus ibi permaneret, qui licèt rarior esset, & raritas aliqualiter agentis actiuitatem minuat, hoc tamen ex approximatione, & diuturnitate compẽsatur; quòd si ignis propter suam raritatem nullatenus agere posset, sanè nũquam ad mixtionem concurrere posset, refrangendo qualitates contrarias elementorum. Instantia de charta non vrget, nam admittimus chartam propè flammam comburi, cum per nos non implicet agens agere aliqualiter in distans, vel quia ibi verè exhalationes igneæ existant, ex quo tamen non licèt inferre numquam flammam corrumpi, aliter semper charta ibi combureretur, quod est manifestè falsum.

Confirm. Si ferrum candens, vel titio in vas aquæ plenum immergeretur non amplius ignis in ferro, vel titione conspiceretur; nec permaneret in aqua, nam potiùs ignis hanc refugit; non euaporat ex aquâ, quia si tale vas à superiori parte esset occlusum, euaporare non posset; vel si euaporet, in orificio è quo totus ille ignis exhalare deberet, si stuppa, vel similis esca ibi apponeretur, deberet accẽdi, quod falsum censetur. Tum tãdem quia experimur quædam corpora mixta ferè tota in ignem trãsire, vt sulphur, oleum, stuppam, puluerem tormentorum &c. at nõ est verisimile, tantum ignem in

istis

istis corporib. præextitisse, vt Camerar. contendit; tantus .n. ignis valdè alia elementa in illis mixtis inclusa, excederet; cùm huiusmodi mixta quasi tota in ignem resoluantur, & consequenter non posset ab alijs elementis detineri, quin sursum euolaret, & mixtionem illam dissolueret. Si ergo ignis in mixtis illis non præfuit, sequitur, quòd de nouo generatur, ergo etiam elementa generari possunt, & corrumpi, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio, quod amplius infra probabitur demonstrādo elementa non remanere in mixto formaliter, sed tātū virtualiter.

Pr. 2. quò ad 2. partem, quòd .s. actu solùm secundum partes elementa corrumpantur, & generentur, sunt .n. adeò inter se proportionata quò ad actionem, & resistentiam, & eorum vires, ità Cœlo moderante peculiaribus influxibus, vt vnum non possit totaliter aliud in se conuertere, vt rectè Scot. docuit in 4. d. 49. q. 13. B. Tum quia ordo Vniuersi ab agente supremo præfixus destrueretur, quod virib. naturæ impossibile est.

Obiectiones.

Obijcit Camerarius, contendens elementa non corrumpi neque secundum totum, neque secundum partes, Probat: Non potest ignis in se conuertere aerem, hoc .n. vel efficeret per suam siccitatem, vel per propium calorem, sed per neutrum, ergo &c. Prob. ma. non potest per siccitatē, quia cùm sit minimę actiuitatis, nequit humiditatem aeris corrumpere; neque per calorem, quia calor humiditati nō opponitur, imò est cum illa compossibilis, vt de aqua calida patet. ℞. neg. ma. potest .n. ignis per siccitatem aerem corrumpere, nam licèt siccitas sit minimæ actiuitatis, humiditas tamen est minoris resistentiæ, vt supra diximus; potest etiam calor saltèm per accidens, & indirectè in humidum agere ex dictis neque maximus calor & ingēs compossibilis est cum humiditate.

Ob. Vt aliquod elementum in ignem vertatur, debet esse viscosū, quia ignis eget pabulo, sed elemēta pura non sunt viscosa, ergo &c. ℞. neg. ma. sufficit .n. quod sit calefactibile, & desiccabile, &c.

Ob. Si ampulla vitrea aere plena, & benè obturata ponatur in aqua, estò per mille annos ibi existeret, & valdè frigesceret, nunquam tamen in aquam verteretur, nec etiam secūdum minimam partem, ergo &c. ℞. concedendo casum, quia cùm aer condensari deberet, resultaret vacuum, ex quo tamen non potest vniuersaliter inferri, nunquam posse aerem in aquam trāsmutari, vt infra patebit.

Ob. Cineres, qui sunt essentialiter terra, non possunt ab igne corrūpi, vnde licet stipula, vel stuppa cōburatur, videmus tamē semper aliquod terrestre, vel aqueum permanere, ergo si ab agente tam vehementi, qualis est ignis, corrum-

pi non possunt, nec ab vllo alio agente corrumpentur. Affert alia argum. Camerar. quæ ex sequentibus articulis soluentur; colligens quòd elementa nō differant à materia prima; cùm non sint multiplicāda entia sine necessitate; quòd si aliqua necessitas huius distinctionis esset, maximè esset corruptibilitas elementorum, quæ est medium, quo Phylosophi necessitatē materiæ primæ ostendunt, ergo si sunt incorruptibilia, hæc ratio euanuit; & quia, ait, elementa in omnibus mixtis formaliter reperiuntur, quod probare nititur auth. & ratione, indè concludit materiam primam adæquatè aliud non esse, quàm ipsa elementa collectiuè sumpta, inadæquatè verò quodlibet elemētum seorsum acceptum; Vndè Arist. 5. meth. c. 3. eadem definitione materiam primam, & elementa definiuit. ℟. neg. Cineres esse substantialiter terram, & ratio est, quia cineres diuersorum mixtorum diuersas habent virtutes & proprietates, & ferè easdem cum illis mixtis, neque ex hoc, q̄ cineres nō destruantur ab igne omnimodam incorruptibilitatem arguere debemus, aliter Adamas, & lapides Amianthus, & Abestus, & alij, qui ignem semel conceptum diutissimè retinent, vt Authores referunt essent incorruptibiles, q̄ sine fundamēto asseritur; licèt igitur cineres non possent immediatè in ignem conuerti, non indè inferri licebit nullatenus corrumpi posse per applicationem aliorum agentium; hinc falsò corollarium illud colligit, quòd materia prima non sit ab elementis realiter distincta. Quomodò autem intelligenda sit definitio materiæ assignata ab Arist. 5. meth. patebit infrà.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An quodlibet elementum ex quolibet alio generari possit, & quomodò.

SCotus hoc quæsitum resoluit in 4. sent. d. 43. q. 3. lit. E, & F. & d. 49. qu. 13. & sæpè alibi, vbi inter omnia, & singula elemēta concedit mutuam transmutationem immediatam. Aliqui negant absolutè posse vnum elemētum in aliud immediatè conuerti, sed volunt, vt priùs in mixtum aliquod conuertatur, & deindè in aliud elementū resoluatur, ità ex Recentioribus, Ares. 2. de gener. q. 15. & Arriag. disp. 4. de gen. sect. 6. qui solùm conuersionem mutuam inter aerē, & aquam admittere videntur; neque hoc fieri addit Ares. virtute vnius elementi aliud in seipsum cōuertentis, sed virtute alicuius extrinseci agentis. Alij distinguunt de elementis symbolis, quæ s. in vna qualitate conueniunt, & in disymbolis, quæ in nulla qualitate conueniunt, & in illa concedunt conuersionem immediatam, & in cæteris verò negant; sed volunt priùs elementum cōuerti debere in mixtum medium imperfectum participans vtriusque naturam, qualis poni-

ponitur exhalatio inter ignem, & terram, vapor inter aerem, & aquam, vel in aliud symbolum elementum, vt postea in dissymbolũ transeat, ità Ruu. 2. de gen. c. 6. de elem. gen. qu. 1. Soto, Vall. & Alij. Alij tandem communiter cōcedunt mutuam transmutationem inter omnia, & singula elementa, siuè symbola sint, siuè dissymbola, ità D. Thom. 2. de gen. lect. 4. & 6. D. Bonau. in 4. d. 24. p. 1. art. 1. q. 2. Scot. loc. cit. & sequuntur Tolet. Conimb. Hurtad. Auersa, Complut. Angest. & Alij.

Conclusio.

Dicimus cum cōmuniori, posse ex quolibet elemento aliud quodcumq; generari immediatè, siue symbola sint, siuè dissymbola: Est Arist. 2. de gen. text. 24. vbi sic ait: *vniuersaliter quidem manifestum est, quod omne ex omni generari natum est*. quòd autem Arist. hoc intelligat de omnibus elementis tàm simbolis, quàm dissymbolis, ex eo patet, quòd hoc inductione probat etiam de dissymbolis. Prob. 1. de elementis symbolis experientia, videmus .n. aerem in ignem, & è conuerso transmutari, vt patet cum ex reflexione radiorum, vel attritu silicis, & chalybis accenditur aer. Item aer conuertitur in aquam vt in subterraneis locis experitur, & sic de alijs.

Pr. etiã de elemẽtis dissymbolis, nã terra conuertitur in ignẽ, exhalationes .n. quæ secundum communiorem sententiam non differunt essentialiter à terra facillimè accenduntur, vt de impressionibus ignitis in sublimi apparentibus cōstat. Item, & de igne è montibus euomito verisimile est aliquam cōuersionem terræ in ignem intercedere, estò talis ignis pabulum principale sit vena aliqa sulphurea, vel quidpiam simile. Quòd etiã ignis in terram conuertatur, ex eo patere potest, quòd si modicus ignis terra operiatur, iam extinguitur, & quia materia illa sine forma substantiali esse nequit, sequitur, quòd alia forma accessit, at hæc nō videtur esse formam aeris, vel aquæ, si .n. agens corrumpens ignẽ est terra, inducendo proprias dispositiones non potest aliam formam inducere, nisi illam, quam propriæ dispositiones postulant, quæ esse non potest nisi forma terræ. Item si in fornacem gutta aquæ iniiciatur, petimus in quod conuertatur, nam vel in aerem, vel in aliquod mixtum .s. fumum, vel immediatè in ignem; non primum, neque secundũ, quia ignis vt ignis est agens vniuocum, & producere nequit nisi ignem, non formam aeris, vel mixti, ergo tertium. Rñt in tali casu solùm per accidens introduci ab igne dispositiones pro forma mixti, nam paulatim remittitur frigiditas, & humiditas aquæ per introductionem caloris, & siccitatis antequam ad calorem vt octo perueniatur, destruẽdo totam frigiditatem, & fundamentum est, quia, non transitur de extremo ad extremum nisi per medium, quo

casu miscentur omnes quatatuor qualitates, ita vt antequã fiat transitus ad contrarium elementum, generatur mixtum, quia omnes illæ qualitates sic remissæ, & attemperatæ deseruiunt ad tale mixtum, fumum V.g. vel aliquod aliud.

Non valet, quia in casu posito actiuitas ignis circa illã aquæ guttulam tanta est, quod fortiorem qualitatem imprimat, quàm ad temperamentum mixti requiratur, & quando etiam qualitates vnius elementi per introductionem oppositarum alterius remitterentur, nõ idcircò necesse est, vt statim corrumpatur, & generetur mixtum, cum tali in remissione adhuc propriam formam retinere potest, esto non in statu naturali, sed violento, & in via ad corruptionem, vt patet de aqua nimis calefacta, quæ adhuc propriam formam retinet, at illa guttula aquæ statim euanescit, ergo &c.

Prob. 3. ratione Arist. quæ tam de elementis symbolis, quam de dissymbolis concludit: Omnia, & singula elementa sunt ad inuicem contraria, & actiua ratione suarum qualitatũ, ergo potest vnumquodque in aliud agere, & suas qualitates in eo producere, & consequẽter propriam formam. Rñt Aduersar. neg. coseq. nam esto quodlibet elementum operetur in aliud, cum hoc tamẽ stat, vt antequam in illud dispositiones requisitas ad propriam formam introducat, inducat alias contrarias dispositiones in elemento, in quod agit, & sufficientes ad aliam formam distinctam, non tamen ad ipsam formam elementi operatis, V.g. ignis antequàm introducat in passo septimum gradum caloris ad formam ignis requisitum, introducit quartum, & quintum gradum, qui licet ad debellandum contrarium elementum sufficiat, non tamen ad ignem introducendum.

Non valet, nam vt supra dicebamus, elemẽtã non ita suas sibi qualitates determinant, vt statim ac ab agẽte contrario deiectæ fuerint, à summo, vel excellenti gradu statim propriam formam substantialem amittant, sed eas adhuc sibi retinent sub contrarijs dispositionib. & sub statu violento, quousque aliud contrarium elementum generetur. Rt. Rñd. quod licet hæc doctrina in elemẽtis symbolis admitti possit, non tamen in dissymbolis, quæ maximè distant, & ideo talis distantia pertransiri non potest sine transitu per medium .i. sine acquisitione alicui formæ mixti, vel elementi symboli, & probat exemplo seminis, quod non potest transire immediatè in hominem, nec homo in terram propter maximam dissimilitudinem dispositionum, sed illud transit in hominem mediante forma embrionis, hoc autem in terram media forma cadaueris, sic etiam arguit Arriag. pomum non immediatè vertitur in hominem, sed prius in chilum, vnde cum elementa dissymbola valdè di-

distent secundum dispositiones nō potuit vnum immediatè trāsmutari in aliud, sed medio alio corpore magis simili.

Sed neq; hæc solutio valet, nā licèt ꝓpter cōtrarietatē dispositionum elemēta dissymbola maximè distent, non est tamen talis distantia, quæ necessariò petat transitum per mediū ab extremis diuersum, qualis inter formam seminis, & animalis reperitur, inter quas necessariò, & indispensabiliter forma embrionis mediat, cuius ratio est, quia forma embrionis est forma subordinata formæ hominis, & ad eam necessaria dispositio, ibi n. fit processus ab imperfectissimo ad perfectissimum, ideòque oportet necessariò trāsire per medium, & idem dicendum de allatis exemplis, at hoc non opus est in generatione elementorum, quia cùm hæc non sint corpora ità perfecta, sicut viuentia, non postulat, & exigunt natura sua transire per tot generationes, ac formas diuersas, quarū vna sit dispositio ad aliam, & consequenter etiam in elementis dissymbolis potest transitus fieri ab vno in alterum absque transitu per medium ab illis specie diuersum, ità absolutè loquendo, non tamen negamus, quòd regulariter elemēta dissymbola non transmutentur ad inuicem, nisi med ante symbolo, vel alio mixto, cum quo maiorem habeant affinitatem quàm inter se. Tum quia si hac ratione non potest admitti transmutatio inter elementa dissymbola, quia non fit transitus ab extremo ad extremū nisi tranſeundo per medium, hac eadem ratione inter symbola talis trāsitus negari debebit, licèt enim in duabus qualitatibus non discōueniant, dissident tamen in altera, vndè saltèm quòad illas qualitates in quibus contrariantur, necessariò erit transitus ab extremo ad extremum per medium.

Obiectiones.

Ob. quòd elementa dissymbola non sint ad inuicem immediatè transmutabilia: Non potest fieri transitus ab extremo ad extremum nisi per medium, ex 5. Phys. text. 22. sed elementa dissymbola sunt extrema, ergo &c. Patet ma. nam semen non statim in formam corporis transit, sed prius in formam embrionis, postea in formam sanguinis, & tandem in formam carnis, ergo &c. Confirm. Terra non potest immediatè in aerem conuerti, & ratio est, quia terra est adeò grauis, & densa, vt nequeat immediatè in aerem resolui, sed prius in exhalationes. Tum quia è cauernis montium in aerem conscendunt fumi sensim, cùm aer ibi sit purior, & iunctis qualitatibus vegetior; & ratio n. or. ... Maiorē esse veram quādo subiectum mouetur motu locali, non verò motu generationis; 2. esse veram in generatione corporum mixtorum ratione suæ perfectionis, non in generatione simplicium corporum. Vel concessa maiori negandum est tale medium sem-

semper esse diuersum substantialiter ab extremis, vndè argum. non probat priùs debere generari elementum medium, aut mixtum; sed priùs materiam accipere debere statum medium, vt per ipsum trãseat ad proximas, & vlteriores dispositiones pro alio elemento, sub quibus adhuc forma perseuerare posset via corruptionis, quò vsque à forma posteriori alterius elementi expellatur. Ad confirm. de terra, & alijs exemplis solùm probant, ità regulariter contingere, quod non negamus; si autem impossibilitatem ostendere prætẽdunt, in cassum laborant.

Ad illud de terra dicimus, quòd sicut terra regulariter resoluitur in exhalationes, adeò aeri similes, ità ex vehementi actione agentis poterit interdum resolui immediatè in aerem; & quando etiam terra non resolueretur in aerem, nisi media exhalatione, adhuc intentum habemus; nam ex lib. de Cœlo, nec vapores sunt mixta substantialiter diuersa ab aqua, nec exhalationes à terra, licèt. n. sursum moueãtur, hoc erit ab extrinseco ob impressum calorem à sole, & attractiuam syderum virtutem, quo admisso adhuc habetur intentum, quòd terra immediatè potest in aerem verti, alioquin etiam sequeretur, quòd terra non posset in ignem conuerti cùm hoc regulariter fiat per exhalationes, quæ doctrina est contra Ruu. Nec etiam sequitur, quòd cacumina montium in aerem abijssent, quia non ob id montium apices sunt in exhalationes resoluti, & fundamentum est, quia elementa sunt ità inter se contemperata, vt mutuò agant, & resistant propter eorum conseruationem.

Hinc not. quòd licèt ignis dum extinguitur regulariter in fumum, & aerem conuertatur, potuit tamẽ absolutè loquendo etiam verti immediatè in aquam, & ità fortè accideret de casu illo posito ab Aduers. de titione immerso intra Oceanum, qui volunt non immediatè transire in aquam' sed ibi manere extinctum; at nos asserimus talem ignem conuerti in aquam, quòd autem carbo extinctus ibi remaneat, parùm refert, quia carbo est quoddam mixtum ab igne omninò distinctum, quod regulariter post ignis extinctionem permanet, velut eius cadauer, ex cuius materia ignis depascebatur, sicut etiam asserimus de parua aqua in rogum iniecta, quòd conuertatur in ignem; & si asseratur quòd gutta illa aquæ priùs in fumum resoluatur, dicimus non semper flammam ex fumo generari, quamuis regulariter ità contingat, nec semper illum esse fumum, sed vaporem aqueum, fumo valdè consimilem, quod nõ est à substantia aquæ specie diuersum, & per hoc etiam patet ad aliam instantiam de aqua calida, quæ priùs in vapores abit; vapores .n. non sunt ab aqua substantialiter diuersi, vt diximus. Ex his facile est resoluere alia exempla,

pla, quæ contra nostram sent. adduci solent. ad summum .n. tantùm concludunt de transmutatione ordinaria, & regulari; & quia facillimæ sunt considerationis, consultò relinquimus.

Ob. quòd neq; etiam in elementis symbolis fiat immediata transmutatio. Patet de igne, qui nõ potest in aerem conuerti, nam oporteret, vt ignis caliditas remittatur ad caliditatem aeris, at hoc est falsum, ergo, & id vndè sequitur, sequela est clara, minor probatur. nã caliditas ignis, vel remitteretur à caliditate aeris, vel ab humiditate aeris, sed à neutra remitti potest, nam caliditas aeris non contrariatur caliditati ignis, neq; humiditas, nam caliditas, & humiditas non contrariantur. Tùm quia quando flamma euanescit desinit in fumũ, vel in aerem. ℞. neg. min. licèt .n. caliditas ignis non remittatur ab aere, attamèn propter humiditatem aeris inductam, valdè ignis actiuitas hebetatur, siccitas enim potentiam actiuam acuit, ex cuius carentia ignis debilitatur, & hoc sufficit pro introductione formæ aeris, qua introducta destruitur prior caliditas, & alia proportionata generatur. Ad aliud iam dictum est non opus esse, flammam semper in fumum conuerti, potest .n. aliquando verti in aerem, quandòq; pro casuum varietate in aliud elementum. Ex quo etiam deducitur, quòd licèt aer esse possit pabulum ignis, habet tamen quoque vim resistendi, & ratio est, quia vires elementorum sunt contemperati in agendo, & resistendo, vt perpetuò conseruari possint ex Doct. in 4.d.49.q.13.B. hoc autem non impedit, quin in pugnando aliqua aeris particula deuincatur, & conconuertatur in ignem; qua etiam ratione, regio superioris aeris licèt adeò sphæræ ignis contigua, seruatur tamen incolumis, & immunis ab eius voracitate.

Ob. quòd neq; terra possit in ignem immediatè conuerti, quia terra non est combustibilis, vt in cinere apparet, quæ cùm sit pars terrea à mixto relicta igniri nequit, & lateres in fornace integri, & incolumes remanent. Tum quia cùm terra sit densissima antequam ad raritatem ignis perueniret, priùs raritatem aeris pertingeret, & consequenter priùs in aerem conuerteretur. ℞. negando assumptum, cineres .n. possunt quoque igniri, quamuis difficillimè, & quando igniri non possent, nihil officit, cinis .n. potiùs mixtum est, quàm terræ elementum; Neq; etiam lateres pura terra sunt, sed quid mixtum, & compactũ ex terra, & aqua, & ignis illud condensat, humorem illum destruendo, & fortè etiam aliquæ particulæ ignescunt, vt in calce euenit, in qua quam plures partes igneæ delitescunt. Cùm terra in ignem vertitur, concedimus, quòd ad raritatem aeris peruenit, sed propter ignis præsentiam, eiusque efficacem actionem educitur for-

forma ignis, non autem aeris, nec inconueniens est cousque formam terræ sub illa raritate perseuerare, non quidem in statu naturali, sed violento, & via ad corruptionem; quomodo aquam perseuerare videmus sub nimio gradu caloris.

Ob. quòd nec terra possit in aquam conuerti immediatè, quod probant experientia, Si .n. pars terræ exigua in amphora aquæ ponatur, & cadat ad fundum, ibi perpetuò manebit, non in aquam vertetur; neque flumina augentur cõuertendo in se littora, & sic de alijs elementis discurrere licet. R. cum Mastr. & Bell. quòd temporis decursu illa particula terræ tandem in aquam vertetur, & idem etiam contingere in littoribus fluminum credibile est, & licèt in quibusdam elementis talis immediata trãsmutatio non sit adeò sensibus obuia, sicut in alijs, non ideò hoc absolutè negare Aduersarij deberent, qui talem transmutationem ictu oculi perfici vellent, sicut videmus ignem stuppam in se conuertere.

ARTICVLVS TERTIVS.

An facilior sit transitus inter elementa symbola, quàm inter Dissymbola.

Scot. sparsim de hoc articulo agit, sequens tamen vt perfectus Peripateticus, Arist. vestigia, qui 2. de gen. text. 25. R. affirmatiuè, & rationem reddens ait, quia in conuersione elementi dissymboli vtraque qualitas permutari debet, cùm in vtraq; disconueniant, in conuersione verò symboli sufficit vnius qualitatis permutatio, quia in altera conueniunt, facilius autem est vnum, quàm multa transmutare. Elementa symbola appellantur, quę in aliqua qualitate conueniunt, vt aqua, & aer, qui in humiditate cõueniunt, dissymbola verò, quæ in ambabus qualitatibus differunt, vt aqua, & ignis, &c.

Conclusio.

Dicimus cum Peripat. faciliùs, & velociùs transmutari substantialiter elementa symbola, quàm dissymbola per se, & ex natura rei; esto per accidens posset oppositum contingere. Pr. ex Arist. quòad primam partem, eò facilior est transitus ab vno elemento ad aliud, quò pauciora sunt vincenda impedimenta, sed transitus inter elementa symbola pauciora habent impedimenta vincenda; quia faciliùs est igni destruere directè vnam qualitatem contrariam, quam reperit in elemento symbolo, quàm duas in dissymbolo, & secundum duas qualitates resistente, ergo, &c. Pr. quoad secundam partem; nam ista facilitas in symbolis potest aliquando impediri, vel propter maiorem densitatem, vel propter minorem actiuitatem qualitatis symbolæ, hinc terra licèt sit magis symbola cum igne, quàm aqua, non potest tamen ignem in se conuertere tàm facilitèr, quia siccitas terræ parum est actiua, & eius densitas difficiliùs generatur; Requiritur igitur ad faciliorem transitum,

quòd

quòd symbolum sit actiuius in ea qualitate, qua non conuenit cum altero. Sed circa hanc Arist. rationem occurrit quædam difficultas, licèt .n. difficilius duo ab vno superentur, & faciliùs vnum à duob. æquè tamen facilè est, vel difficile vnum ab vno, vel duo à duobus superari, cuius ratio est, quia qualis est proportio duorum ad duo in agendo, & resistendo, talis est vnius ad vnum, & è contrà, quia ergo in elementis dissymbolis ambæ pugnant qualitates, ex vtraque parte agendo, & resistendo, & in symbolis, vna qualitas cũ altera pugnet, vtique si cætera sint paria, æquè facilis erit vtrobique transmutatio in symbolis, & dissymbolis, atque adeò æquè velox, facilitas .n. celeritatem inducit, auferendo impedimenta, quæ actionem retardant, quæ difficultas Peripat. in varios dicendi modos distraxit, vt videre est apud Tatar. Marsil. Angest. Xaxon, Toler. Ioann. de San. Thom. Conimb., Aresf., Auerf., Complut. Ruu. & alios. Qui licèt de facto benè propositionem explicent, sẽper tamen difficultas principalis integra perseuerat, cur vna qualitas citiùs ab vna per se corumpatur, quàm duæ à duabus. Est igitur pro decisione præsentis difficultatis recolendum, quòd vt diximus in Phys. non solùm accid. sed etiam substantia transeunter perducit accidentia in externo subiecto. V.g. ignis non solo calore calefacit, sed etiam propria forma substãtiali actione æquiuoca, cùm igitur elementa, per se pugnent, non tantùm qualitates pugnabunt actione vniuoca, sed etiam formæ substantiales actione æquiuoca; licèt ergo cùm dissymbolæ pugnant duæ qualitates agant, & non vna tantùm vt in symbolis, agens tamẽ æquiuocum .s. forma substantialis adhuc vnicũ est tã in his, quàm in illis, quia ergo in dissymbolis forma substantialis cum duplici hoste dimicat, in symbolis verò tantùm cum vno, vtique de isto faciliùs, & citiùs triumphum obtinebit, quàm de illis, quia hic minora inuenit impedimenta, minoremque repugnantiam.

Obiectiones.

Ob. Actio procedit à contrarietate, ergo vbi est maior contrarietas, ibi est facilior actio, & transmutatio; sed maior est contrarietas inter elemẽta dissymbola propter ambas qualitates contrarias, ergo &c. Confirmatur, gutta aquæ iniecta in fornacem faciliùs conuertitur in ignem, quàm particula terræ, quæ est symbola igni, ergo &c. ℞. neg. consequ. maioris, vbi .n. est maior contrarietas, est maior actio, sed non facilior transmutatio, imò difficilior, & ratio est, quia facilitas transmutationis non est reposita in contrarietate, sed in minori resistentia obsistentis, quarè conuenientia in qualitatib. dat facilitatẽ, quatenus tollit impedimenta, quibus retardatur accessus ad terminum. Ad confirmatio-

rationem ℞. quòd aqua facilius cõuertitur in ignem, quàm terra, per accidens, quatenus facilius aqua reducitur ad raritatẽ ignis, requisitam ad formam ignis, quàm terra, quòd si hæc esset in æquali raritate cum aqua, citius mutaretur in ignem quàm aqua.

Ob. cùm symbolum agit in dissymbolum, agit ratione duplicis qualitatis, cùm verò in symbolum, agit ratione vnius; Sed facilius est vincere duplicem resistentiam duplici actiuitate, quàm vnicam vnica actiuitate, ergo facilior est transitus inter elementa dissymbola, quàm inter symbola. ℞. neg. min. dissymbolum .n. pugnando per duplicem qualitatem, inuenit æqualem resistentiam ex parte alterius dissymboli, sed cùm symbolum agit in symbolum per vnam qualitatem, per alteram roboratur eius virtus, & ita non experitur æqualẽ resistentiam, & impedimentum.

Ob. In generatione symbolorũ, Vtraque qualitas corrumpitur, vbi etiam corrumpatur compositum, quod secundum nos est proprium subiectum accidentium, ergo in vtrisque eadem erit difficultas, vel facilitas; & consequenter ratio ab Arist. adducta non valebit, quòd .s. in generatione symbolorum vna tantùm qualitas intereat, & alia permaneat; ℞. neg. con. sequ. & ratio est, quia qualitas dissym. sola per se corrumpitur ex actione cõtrarij, symbola verò solum per Accidens ad corruptionem subiecti, id autem quòd sic corrumpitur nõ reddit difficiliorem transitum, quia agens non resistit; & ideo Aristot. ait, quòd eadem qualitas symbola permaneat in genito, & corrupto non de identitate numerali, sed de specifica intelligendus est.

ARTICVLVS QVARTVS.

Verum in duobus elementis possit tertium generari specie diuersum.

Scoti decisionem huius articuli sæpè tangit, vbi de elementis agit, & ex eius doctrinis facile est resolutionem deducere. Concludendum est igitur cum Arist. in 2. de gen. 27. quòd ex duobus elementis dissymbolis in se mutuò agentibus, ac se corrumpentibus generari potest tertium elementum specie distinctum, non sic ex elementis symbolis; Pr. quò ad primam partem, si v.g. ignis, & aqua pugnant, vt ignis producat calorem in aqua, destructa frigiditate, & aqua vicissim producat humiditatem in igne destructa illius siccitate, remanebunt calor, & humiditas; Sed hæc est combinatio requisita tertij elementi specie distincti, .s. aeris, ergo &c. Similiter ex congressu terræ, & aeris potest ignis coalescere, nam corrupta frigiditate terræ, remanente siccitate, & corrupta humiditate aeris, remanente caliditate, efficitur ignis; Si autem hic congressus non ita facile fiat, hoc oritur ob elementorum impuritatem, & propter distantiam, non

tamen absolutè repugnat physicè, & naturaliter fieri, vt Arest. condē dit 2. de gen. disp. 3. qu. 17. Tum quia quòd calidum superet frigidū, vel ab ipso vincatur, independenter est ab alijs qualitatibus, similiter de humido, & sicco, ergo non est omnino impossibile physicè elementa dissymbola ità ad inuicem applicari, vt V.g. ignis inducat calorem in aquā, non verò omnimodam siccitatem, & tunc erit dispositio aeris. Tum quia dum aqua in prunas aspergitur, iam ignis extinguitur, & aqua consumitur, in quo casu verisimile est, non nisi in aerem conuerti. Quòd si dicas conuerti in vaporem, negamus, supponimus .n. aquam substantialiter deperdi, vapor autem est substantialiter aqua in sent. nostra.

Pr. quo ad secundam partem: nō potest elementum aliquod producere elementum, nisi præhabeātur in materia dispositiones ipsius cōnaturales. sed in congressu symbolorum haberi nequit sufficiens dispositio pro tertio elemento, ergo &c. maior est euidens, min. Pr. si .n. concurrunt V.g. aer, & aqua, vel corrumpitur humiditas vtriq; communis, & sic remanerent duæ tantum qualitates contrariæ .s. frigus, & calor, quæ non sunt dispositiones naturales alicuius elementi, vel corrumpentur ambæ contrariæ, remanentibus symbolis, & neque hoc modo tertium elementū consurgeret, quia ex simplici humiditate non potest elementum coalescere, sed potius ex coniunctione plurium qualitatum. Vel si tantùm vna ex contrarijs destruatur, .s. caliditas, quia hæc corrumpi nequit, nisi per generationem frigoris, ità in aere erit frigus, & humiditas, quæ sunt dispositiones aquæ, & consequenter nō erit productio alicuius tertij, sed alicuius vniuoci. & idem dicendum erit, si corrumpatur frigus, tunc .n. aer resultaret.

Obiectiones.

Ob. ex hac doctrina sequeretur, quòd idem elementum esset simul, & semel fortius, & imbecillius altero; fortius, quia vincit alterum, & perimit; debilius, quia ab altero superatur, & extinguitur. Pr. non haberi pro inconuenienti vnum elementum esse debilius altero, secundum vnam qualitatem, & fortius secundum aliam, & in vna superabit, in alia superabitur, vt .n. diximus, vna qualitas est independens ab altera, nec in agendo, & resistendo sunt æquales, & sic idē elementum erit fortius, & debilius altero respectu diuersorum, quod nullum est inconueniens.

Ob. Si V.g. Ignis, & aqua congrediuntur, frigus & calor, siccitas & humor inuicem pugnabunt, & sic agendo, & repatiendo ad quamdam mediocritatem, se reducent, Sad hæc est dispositio mixtorum, non elementi, ergo &c. Pr. neg. min. ratio est, quia ob minimam remissionem caloris in igne, & humiditatis in aqua, calor, & hu-

humiditas remanent quasi in esse summo, non in esse refracto, & cõsequēter erunt dispositiones aeris, non mixti, & licèt tales dispositiones non resultarēt in esse perfecto, sed imperfecto, sufficerent tamen ad generationem aeris, qui postea eius forma substantialis sibi acquireret perfectas qualitates sibi connaturaliter conuenientes.

Ob. Si ignis potens est ad expellendam humiditatem, potens etiã est ad expellendum frigus, & si aqua potens est ad expellendum ab igne siccitatē, poterit etiam expellere calorem, & ita non resultabit tertium elementum, sed destructio vnius, vel alterius. R. neg. antec. quia vt dictum est, non adest hæc necessitas dependentiæ inter qualitates, quòd si ignis V.g. superet in calore, debeat etiam in humiditate superare, & sic de alijs.

Ob. Agens in eo instanti, quo agit, & causat effectum debet in rerum natura existere, sed in eo instanti, in quo generatur aer ex igne, & aqua, ignis, & aqua non sunt, sed supponuntur corrupta, ergo non possunt tertium elementum generare. Mag. Iacob. Brun. lib. de gen. q. 10. art. 3. fol. 264. Rt. ad min. quòd in instāti, in quo generatur aer, ignis, & aqua sunt formaliter ratione materiæ, & virtualiter ratione qualitatum, quas relinquunt in tertio elemēto, quod ex ipsorum corruptione resultat. Non valet, nam difficultas est de causa efficiente, non de materiali; quis enim dubitat quòd eadem materia remaneat in genito, & corrupto? Neque virtualiter ratione qualitatum in tertio elemento abeuntium; nam Thomistæ nobiscum defendunt dari resolutionem vsque ad materiam primam, & ad corruptionem compositi, in quo omnia accidentia subiectantur etiam ipsa accidentia interire.

Zabarel. lib. 2. de qualitat. element. cap. 8. vult quòd elementũ V. G. aeris producatur per actiones, quibus ignis, & aqua ad inuicem agunt, quod Complut. approbant. ex eo quia putant non requiri in eodem instanti generationis, quòd sit agens in actu, dummodo præfuerit, quia generatio non est actio ab alteratione distincta. Ad hanc sent. inclinare etiam videtur Angest. de prop. formarum, vbi distinguit de actione inceptiua, & completiua, & ait aerem ab igne, & aqua inceptiuè generari, non completiuè, vbi etiam affirmat, quòd non est, sed immediatè fuit, potest aliquid producere. Nõ placet, in omnium .n. sent. causa efficiens requirit existentiam, vt diximus in phys. vbi etiam ostendimus, quòd accidens nec in virtute substantiæ productionem substantiæ producere potest. Quando igitur tertium elementum generatur, vel ambo elementa intereunt, & sic non existunt, vel vnum tantum, & sit V.g. ignis, qui remaneat, tunc non potest ignis propria virtute producere dispositiones omes elemen-

menti aeris, quia non continet humiditatem; ergo non erit per se causa aeris; continens .n. effectus, continere videtur dispositiones illorum effectuum necessarias. Si dicas, posset ignis saltem partialiter cum Cœlo concurrere ad generationem aeris, non valet, nam ignis calefaciendo non intendit productionem aeris, sed ignis; quòd autem sequatur aer, est præter ignis intentum, ergo neque dicetur per se causa partialis, nã causa p se agit ex intentione. Neq; distinctio Angesti aliquid saluat, nam tenetur assignare causam completiuam generationis, cùm inceptiua sit solùm alteratiua.

Mercenarius pro causa assignat aliud elementum vniuocum. V.g. in generatione aeris alium aerem, & in generatione aquæ aliam aquam. Addit Auersa non esse aerem aliquem in particulari, sed in communi, in cuius virtute dispositiones illæ agere dicuntur. Sunt expositiones ridiculæ, actiones .n. sunt suppositorum, & singularium. Tum quia Accidentia non remanent in instanti generationis, quia non subiectantur in materia, sed in composito, ex dictis in phys. nec si remanerent, formam substantialem attingere possent.

Melius igitur dicẽdũ est cũ Bell. & Mastr. ꝙ causa per se sit virtus cælestis, vbi .n. in sublunaribus reperiri nequit causa per se alicuius effectus, ad causas vniuersales recurrendum est; in casu autem non reperitur causa per se huius tertij elementi, nam esse non possunt elementa, quia tunc non existunt; Neque videntur æquiuocè virtualiter ad inuicem cõtineri, alioquin idem respectu eiusdem esset perfectius, & imperfectius, cùm causa æquiuoca sit effectu nobilior, ergo si aer V.g. possit ab aqua produci, esset imperfectior aqua, & si è contra, aqua possit ab aere æquiuocè generari, aer esset perfectior. Neque hoc agens poterit esse aliquod mixtum, quia tale non experimur; & illud exemplum ab aliquib. adductum, quòd ex silice, & chalybe producitur ignis, negamus à talib. mixtis illum ignem generari, nam solùm concurrunt ad rarefactionẽ aeris, ideóque necessariò ad causam vniuersalem recurrendum est, & hanc etiam responsionem tandem amplectitur Mag. Iacob. Brun. loc. cit. ad confirmationem.

DISPVTATIO VII.

DE GENERATIONE CORPORIS MIXTI.

Diximus in principio, Subiectũ horum librorum esse Corpus Mixtum, in cuius gratiam hic omnia considerantur. Egimus etiam de

de elementis, & de his, quæ ad cõstitutionem, & cognitionem Mixti Corporis concurrunt, modò de ipsius generatione agendum remanet in hac disputatione; quæ inter alias horum librorum præcipuum obtinet locum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sint Mixtio, Miscibile, & Mixtum.

SCot. de hoc art. agit in 2. sent. d. 15. q. vn. ad Primum, & sparsim alibi. Pro cuius intelligentia, supponimus, quòd mixtio secundum nominis Ethimologiam idem significat, ac plurium Corporum coniunctionem, qua ratione accidentia in eodem subiecto, vt dulcedo, & albedo in lacte non dicuntur misceri, quia nõ sunt corpora. Nec ex quacumque corporum vnione, mixtio resultat, nam aliquando solùm sequitur quædam iuxta positio, ad mixtionem autem requiritur, vt corpora aliqualiter inter se confundantur; Et vt ex Arist. colligitur hic 1. de gen. à text. 82. & seq. triplex est mixtionis acceptio scil. impropria, propria, & proprijssima; Mixtio impropria est per quam multa corpora, vel multæ particulæ eorum confusa quadam Vnione coniungũtur secũdum approximationem localem, immutatis tamen manentibus eorum substantijs, & hoc siue possint adhuc discerni, vt est V. g. mixtio frumenti, & ordei, siuè non, vt farina ex granis tritici & ordei. Mixtio propria est, cùm aliqua ità coniunguntur, vt per mutuam actionem, & reactionem, qualitates inter se communicent, & ad certam temperiem se reducant, licèt ex tali mixtione non resultet aliquod tertium substantiale, sic aqua calida, & frigida ad inuicem attemperantur, & ad tepiditatem se reducunt, sic etiam vt plurimum pharmacopulæ, multa medicamentorã, conficiunt, quæ mixtio ab aliquib. Doctoribus Crasis vocatur. Mixtio proprijssima est, cùm ex vnione aliquorum, & ipsorum mutua alteratione aliquod tertium substantiale distinctum resultat, & de hac in præsenti discurritur, ad quam tria concurrere debent, s. localis coniunctio corũ, quæ misceri debent; Mutua ipsorum alteratio, per quã materiæ singulorum disponuntur in eo gradu, & proportione, quam requirit forma mixti introducenda; Tandem est introductio formæ mixti.

Loquendo de miscibilibus ad mixtionem proprijssimam, de qua modò discurrimus, plures assignantur conditiones ab Arist. text. 87. & sequ. Prima est, vt sint ad inuicẽ actiua, & passiua, ratione cuius materia, & forma, subiectum, & accidens misceri nequeunt. Secunda, quòd facilè diuidi, & comminui possint in minutissimas partes, quia sic facilius possunt ad inuicẽ agere, qua ratione lapis, & ferrum non miscentur. Tertia vt non sint ma-

magna, nec multa, ex magna enim rerũ multitudine, vel mole difficilè mixtio fieri potest; quia difficilè alterantur. Quarta, vt misceantur proportionabiliter, *(i. vt* proportionem aliquam habeant secundum actiuitatem, & resistentiam; nam: si actiuitas vnius multùm resistentiam alterius superat, non fit mixtio, sed actio, vt in nutritione euenit ex alimento, & cum ex ligno fit ignis, ex quibus Arist. colligit; miscibile illud esse, *Quod agit, & repatitur, & facilè diuidi potest.* Itẽ, quòd humida facilius misceantur, quàm sicca; & ex humidis, quæ nõ sunt viscosa, vt sunt oleum, pinguedo, mel &c. quæ non tàm facilè penetrari possunt. Mixtum est id, *quod ex mixtione resultat;* & aliquando est vnum per accidens, si de prima, & secunda mixtione fiat sermo, sic.n. est quoddam totum integrale, & aggregationis; si verò ex proprijssima mixtione resultat, est vnum per se, est enim totum quoddam essentiale.

Mixtio proprijssima sic ab Arist. definitur in fine huius primi libri scil. *est miscibilium alteratorum vnio.* quam sic Scot. explicat. loc. citat: nempè, *Est generatio alicuius, in quo continentur, & vniuntur miscibilia, quæ fuerunt alterata, & mixta,* quamplures Doctores variè hanc Arist. definitionem explicant; sed nullus melius Ruuio, à quo sic definitur; *Mixtio est mutatio substantialis ad formam mixti, ex miscibilibus congregatis & per mutuam alterationem dispositis atque corruptis; in qua virtualiter vniuntur & continentur.* Mutatio substantialis, stat loco generis; per *ly formam mixti,* excluduntur generationes elementorum, in quibus miscibilia non vniuntur; & continentur; per *ly miscibilibus &c.* explicatur terminus à quo mixtionis, per quã differt à termino generationis, qui non fit præuia alteratione miscibilium, sed immediatè ex altero mixto producitur, vt sunt viuentia ex semine genita, quæ generatio non est propriè, & rigorosè mixtio. per *ly in qua virtualiter &c.* explicatur ratio formalis mixti, quod est virtualiter continere in se ipso elementa.

Est tamen sciendum, quòd mixtio propriè, & formaliter non distinguitur à generatione aliorum mixtorum, quæ ex alijs mixtis generantur; & ratio est, quia ex phys. relationes, & mutationes solùm à terminis ad quos specificãtur; hinc est, quòd si vnum mixtum ex alio mixto generatur, & aliud eiusdem speciei ex miscibilibus aliorum, vt sunt animalia ex putri materia, & semine producta, hæ generationes non erunt essencialiter distinctæ, sed solùm accidentaliter ratione termini à quo, seu alicuius præsuppositi; mixtio n. præsupponit coniunctionem, & alterationem præuiam miscibilium, à quibus mixtio sumit denominationem, non autẽ generatio mixti ex alio mixto, nisi tantùm mediatè, & remotè. Scaliger, & Arriaga asserunt defi-

definitionem mixtionis ab Arist. traditam esse vitiosam, nam definivit mixtionem per miscibile, quòd est æquè ignotum, & deinde miscibile per mixtionem, quòd est committere circulũ in definitionibus, attamen ex dictis in logica disput. de Relat. art. 15. explicando vltimam proprietatem relatiuorum, quæ simul sunt cognitione, & definitione, diximꝰ nõ esse incõueniẽs relatiua ad inuicẽ definiri, sed mixtio, & miscibile sunt relatiua, vt causa, & effectus, ergo &c. Tum quia Arist. explicat miscibile per alias conditiones, & consequenter nõ est æquè ignotum, sicut mixtio.

Miscibilia propriè sunt omnia quatuor elementa, omnes .n. assignatæ conditiones eis conueniũt, & experientia cõprobatur ex mixtione, & alteratione elementorum aliud tertium generari, & ita Arist. probat 2. de gen. tex. 49. nam vnumquodque à terra habet consistentiam, ab aqua terminabilitatẽ, seu coagmentationem, ignis autẽ, & aer requiruntur, quia sunt aquæ, & terræ contraria, & vt illorum frigiditatem attemperent. Tum quia viuentia ex omnibus elementis nutriuntur.

Dices, non videtur posse ignem concurrere ad mixtionem, nam deberet deorsum pelli, quòd est contra ipsius naturam. Neq; assignari potest causa mouens, falsum enim censemus illam opinionem, quòd Cœlum suo motu quasdam ignis particulas deorsum trudat, nam transeundo per mediam aeris regionem extingui deberet. R. quòd licèt non semper necessariò omnia quatuor elementa ad mixtionem requirantur, potest tamen aliquãdo sic euenire, & licèt ignis à propria sphæra non descendat, reperitur tamen ignis in visceribus terræ, vt patet de monte Ætna, Bulcano, alijsque montibus flammiuocis, & de aquis Termalibus calidissimis, quas nisi exhalationes igneæ penetrarent, nunquam ferurent; & quamuis Arist. 4. Methap. sum. 2. c. 3. doceat omnia mixta esse aqua, vel terrea, hoc intelligẽdum est ratione molis, vel quantitatis, quatenus semper plus de illis elementis mixta participant, non autem, quòd illa sola componant.

Item, supposito, quòd ad mixtionem prærequiratur miscibilium alteratio, dubitatur à Philosophis, an omnes quatuor primæ qualitates actiuè concurrant, vt instrumenta ad eductionem formæ substantialis mixti. Putarunt Aliqui solùm calorem, & frigus actiuè, & per se concurrere ad eductionem formæ. Alij dixerunt, tantùm calorem per se conurrere, frigus verò per accidens, quatenus mitigat calorem. Communis tamen opinio, quam sequimur, est, quòd ad eductionem formæ substantialis omnes quatuor primæ qualitates actiuè cõcurrant, vt instrumenta; & hæc est vera, & germana Arist. sent. qui vniuersaliter docet, generationem mixti esse

opus

opus hàrum qualitatū. Tum quia omnes quatuor connaturales sunt formæ educendæ, ergo quia omnes sunt de genere actiuorum ex dictis, omnes actiuè concurrunt.

Dices, Calor est causa generationis, frigus verò potius est causa corruptionis, & hoc patet pręcipuè de calore Cœlesti, in hyeme enim quia sol recedit, & aduenit frigus, omnia intereunt, in æstate verò per approximationem solis, & caloris, generatio omnium rerum coalescit; indè est quòd frigus ab Arist. 4. Meteor. vocatur corruptiuum, & à Galeno de accid. cap. 3. in actione nullum conferre iuuamentum, ergo frigus non concurit per se ad mixtionem. ℞. ex dictis, ꝙ nulla causa est per se corruptiua, sed per accid. natura .n. non intendit per se malum, & corruptio vnius est generatio alterius, & cōsequenter frigus si est corruptiuū, debet etiam esse generatiuum; Nec exemplum adductum aliquid probat, imò retorqueri potest, nam summus calor adueniens omnia destruit, & conuertit in ignem, sed adueniente frigore, aliqua generantur; ergo potius frigus est per se causa generationis, calor verò destructiuus; hinc asserēdum, quòd nec calor summus, nec frigus in moderatus est per se causa generationis mixtorum, sed in esse moderato, & attemperato secundum proportionem mixtorum, & quia in hyeme frigus est immoderatum respectu generationis viuentium, propterea non conducit ad generationem; Vndè solùm concedi potest calorem principalius requiri ad generationem maximè viuentium, cùm sit principalius instrumentum Animæ, frigus verò minus principalius; ex quibus infertur dictum Arist. & Galeni non debere absolutè intelligi, sed solùm comparatiuè, quibus etiam potest addi quòd plura dantur mixta, quę principalius frigus expostulant, calorem verò minus principaliter; & calor est etiam præcipua causa putrefactionis mixtorum, ergo non rectè tota causa generationis mixtorum est calori tribuenda.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo elementa manent in mixto.

SCot. resolutionem huius dubij dedit in 2. sent. d. 15. Pro cuius intelligentia præsupponimus miscibilia, & præcipuè elementa manere aliqualiter in mixto; & fuit Doctrina Arist. qui definiēdo mixtionem, ait: *Mixtio est miscibilium alteratorum vnio*; & 3. Cœli. 31. definiendo elementa ait: *Elementum est corpus in quo cætera corpora diuiduntur, in quibus potentia, aut actu inest, ipsum verò in specie diuersa est indiuisibile*. Quo præsupposito, quærunt Philosophi de modo, quo ipsa elementa in mixto remanere dicuntur, & in duas principales classes diuiduntur, quidam enim affirmant remanere formaliter in actu quò ad proprias substantias,

sed in esse refracto, & remisso; Alij verò in potentia, & virtualiter, sed in explicatione deinde harum opinionum magnum est inter ipsos dissidium.

Auic. lib. 3. suff. c. 10. docet elementa refrangi, & remitti quò ad proprias qualitates, non quò ad formas substantiales, quàm refractionē qualitatū Ragus. Fornel. & alij explicant nō quò ad gradus ipsarum, nam volunt qualitates elementorū in mixto remanere etiam in summo, sed quò ad actionem, quatenus elementa in mixtione conscindūtur in minutissimas particulas, itá quòd in qualibet parte mixti reperiuntur semper quatuor particulæ elementorum, attamen, quia ad mixtionem concurrunt secundum paritatem virium, vt Arist. ait, hinc vnum elementum impedit aliud quò ad actionem, nec amplius sui iuris sunt, sed potius in tertium commutantur, & itá ipsorum refractio erit quò ad vires exercendas, non quò ad graduum remissionem, Auerroes non solùm putauit reperiri in mixto qualitates elementorum refractas quò ad gradus, sed etiam quò ad formas substantiales, quia admittit formas substantiales suscipere magis, & minus, & posse intendi, & remitti; in qua tamen refractione neque ipsi Auerroistæ conueniunt, nam Achil. suess. & alij hanc refractionem explicant per veram remissionem, vt fit in qualitatibus, nempè per amissionem plurium graduū, itá vt elementa in esse refracto non differant specie à seipsis in esse perfecto, sicut albedo vt duo non differt specie ab Albedine vt octo.

Alij verò cum Zabarella docent in mixto vnam tantùm formam reperiri formaliter, continentem tamen formas elementorum secūdum aliquos gradns, quem dicendi modum Aref. 1. de gen. q. 51. sec. 4. explicat exemplo animæ rationalis formaliter continentis animam sensitiuam, & vegetatiuam secundum gradus formales, sic forma mixti, aio Aref. formaliter cōtinet formas elementorum, non secundum entitates reales, sed quò ad gradus formales, estò non secundum integram, & omnem eorum rationem, qua ratione in esse refracto contineri dicuntur, & perfectius forma elementi prædominantis continetur. Zabarell. verò inquit, formam mixti aliud non esse, quàm collectionem plurium graduum, & realitatum formarum elementorum, & simetriam illam esse formalitatem mixti, itá quod cùm formæ elementorum habent omnes realitates, constituunt elementa in proprio esse specifico, at quando aliquas qualitates amittunt, & ad inuicem miscentur, sic varia mixta constituunt iuxta varias admixtiones, & desinunt esse elementa, & transeunt in esse carneum, osseum &c. & ideò vnum elementum in aliquo mixto prædominari dicitur, quia plures realitates illius in tali mixto reperiuntur.

Aliud

Aliud etiam discrimen inter istos Doctores inuenitur, quòd Aliqui in mixto ponũt formam mixti realiter distinctam à formis elementorum; Alij verò formã mixti volunt esse solùm collectionem, & simetriam formarum elementorum, nec aliam formam admittunt realiter ab illis distinctam, & de nouo in genere mixti aduenientem.

Alia verò extrema opinio docet elementa non formaliter, sed virtualiter in mixto remanere; ità D. Thom. 2. con. Gen. cap. 55. & 1. p.q.76 art. 4. ad 4. Scot. in 2. dist. 15. q. vn. cum Arist. 2. de partib. Animal. cap. 1. & sequuntur Nominales omnes cum Neuth. Suar. Conimb. Ruu. Murc. Hurtad. Arriag. & alij cũ Thomistis, & Scotis. quid autẽ sit elemẽta virtualiter in mixto manere, adhuc dissident doctores in explicatione; nam aliqui hanc cõtinentiam explicant in ordine ad qualitates tantùm elementorum, & virtualitate accidentali, non substantiali, quatenus .s. in mixtis reperiuntur primæ qualitates, quę virtutes dicuntur elemẽtorum; ità Thomistę, quibus adhærent Ruu. & Conimb. Et neque etiam in hoc conueniunt, nam aliqui volunt has qualitates non remanere in mixto formaliter, sed virtualiter inclusas in quadã qualitate resultante ex illis quatuor de nouo; Alij verò nõ vnam, sed duas ponunt qualitates resultantes, vnã ex calore, & frigore, & aliam ex humiditate, & siccitate; Alij admittunt qualitates primas remanere in mixto formaliter, sed adhuc concedunt quintam qualitatẽ illas virtualiter includentem; Alij tandem quatuor qualitates tãtùm ponunt in mixto, & hæc est sententia communior. Scot. verò quamuis concedat has primas qualitates formaliter in mixto remanere, nec aliam qualitatem admittat illas virtualiter continentem, adhuc tamen hanc virtualem continentiam elementorum in mixto explicat in ordine ad formas substãtiales, vult. n. formam substantialem mixti includere virtualiter formas elementorum, & sequuntur Suar. Auer. & fortè etiam Arest. cum alijs. Diuus Bonau. in 3. d. 6. art. 2. q. 1. & in 4. d. 49. art. 4. q. 1. docere videtur elementa verè, & formaliter in mixto remanere, non tamen integra, sicut sunt extra mixtum, sed ità inuicem misceri, vt ex illa mixtione resultet tertia natura, ex quib. verbis Baudunius noster ansam arripuit problematicè hanc quæstionem defendendi; licèt postea concl. 2. doceat opinionem D. Thom. & Scot. de continentia virtuali esse probabiliorem.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. *formas substantiales elementorum quomodocumque accipiantur non remanere in mixto formaliter, sed tantùm virtualiter*. quæ conclusio est contra Auicen. Auerr. Albert. Mag. Aureol. & alios; & ostenditur præsertim ex confutatione opinionis aliorum; & primò quòd non re-

remaneant in mixto formaliter etiam secundum esse refractum quò ad qualitates, indè patet, quia sequeretur mixtum non esse ens per se vnum, sed ens per accidens, & per aggregationem, constaret .n. ex pluribus entibus completis scil. ipsis integris elementis, sed hoc est falsum, ergo &c. Tùm quia vel istæ formæ elementares sunt inter se compenetratæ, ità vt quælibet informet quamlibet partem materiæ, & hoc est falsum, nam vt Scot. arguit, non possunt in eodem supposito esse plura supposita distincta, & disparata, sed quælibet forma elementi nata est constituere proprium suppositum, quia non est alteri formæ elementari subordinata, nec communicabilis, ergo &c. Tum quia daretur naturaliter penetratio corporum, & quantitatum, quælibet .n. forma elementaris suam habet quantitatem. Tum quia sic elementa non se innicem excluderent ab eadem materia, sed compossibiles essent, & consequenter nũquam ex vno elemento aliud generaretur; & tandèm impugnari potest eodem modo, quo impugnauimus sententiam ponentem per rarefactionem nouam quantitatem acquiri, cum .n. tota materia mixti sit maior qualibet materia elementorum, cum ex illis integretur, iam forma ignis deberet coextendi ad informandam non solùm propriam materiam, sed etiam materiam aquæ, terræ, & aeris, quæ omnia falsa sunt; vel elementa solùm iuxtà ponuntur secũdum minutissimas particolas, & hoc etiam falsum est, ait Scot. quia sic non quælibet pars mixti esset mixta, quod est contra Arist.

Resp. Raguſ. ideò quālibet partem mixti esse mixtam, quia elementa in mixto non sunt sui iuris, sed inter se confusa, ac si nõ essent. Non valet, nam ex hoc non sequitur, quin entitates elementorum verè & propriè essent iuxta positæ secũdum minutissimas particulas, nam saltẽ Angelus ità eas cognosceret; Quòd autem non sint sui iuris, solùm impediri posset mutua actio primarum qualitatum, non autem constitutio compositi elementaris, qui est effectus in genere causæ formalis, qui nec à Deo impediri potest, quandiu forma est in materia, ergo verè, & realiter quælibet pars mixti non esset mixta. Falsum est etiã quod aliqui dicunt, quambibet partem mixti esse mixtam, non propter elementa, sed propter formam mixti, quæ per totum diffunditur, nam intentum Arist. fuit ostendere elementa ità inter se misceri, vt mixtio non sit iuxta positio elementorum, quarè loquitur de miscibilibus, non de forma mixti, & vult quòd quælibet pars mixti contineat omnia miscibilia. Tum quia non videtur, quo pacto possit piscis ignem in se continere, quin ab Oceano extinguatur, cùm videamus paruulam scintillam magnum tormẽtarium puluerem inflammare, & exigua

pars

pars aquæ calci applicata, qa harmoniam dissoluit elementorum, calcem dissoluit, ergo multò magis tota Oceani immensitas modicum ignem in pisciculo inclusum extingueret, sicut ferrum ignitum in aquam immersum extinguitur.

Dices, hoc prouenire à forma mixti, quæ illum ignem conseruat, & defendit, sicut cōseruat calorem piscis, ne ab aquæ frigore destruatur. Non valet, nam calor ille naturalis prouenit, & conseruatur ab Anima, hinc recedente anima, statim in pisce calor recedit, ergo forma mixti non potest ignem conseruare. Tum quia ante introductionem formæ in aquis generandæ, deberent particulæ ignis applicari, & in aquis commisceri, quod naturaliter impossibile videtur, nā deberent particulæ ignis extingui. Tum quia multa elementa violenter quiescerent, & maximè leuia, licèt .n. nō essent sui iuris in mixto, quatenus vires, & qualitates refractas haberent, non ob id tamē proprias passiones, & inclinationes ad locū sursū amittūt; & estò ad mixti generationem ordinata sint, adhuc tamen in ordine ad proprias naturas violenter quiescerent, sicut diximus in phys. de motu aquæ ad replendum vacuū. Tum quia ignis in marmore esset sub maiori densitate, & grauitate, quam ipsa aqua exposcat, quod est contra suæ naturæ conditionem, & si vinum etiam calidum sua humiditate ignē extinguit, cur eadem humiditas non sufficiet ad extinctionem ignis in ipsomet vino inclusi?

Secundò, quòd non remaneant formæ elementares in esse refracto quò ad substantiam, illis rationib. ostenditur, quibus supra probauimus substantiam nō suscipere magis, & minus, nec esse intensibilem, & remissibilem. Et deducitur etiā falsam esse opinionem Raguſ. asserentis qualitates elementorum in mixto remanere etiam in summo; est .n. directè contra Arist. 2. de gen. 48. vbi ait: *quæ miscentur secundum excellentias se corrumpunt, & tunc neque illorum contrarium alterutrum simpliciter erit, sed medium*; & primò de gen. 88. docet miscibilia actiua debere esse, & passiua, ex quo deinde in fine deducit, mixtionem esse miscibilium alteratorum vnionem, ex quibus manifestè patet miscibilia in mixtione debere ad inuicem alterari, & agere, & pati actione alteratiua, quod est intendi, & remitti secundum qualitates, ergo qualitates elementares non sunt in summo in mixtis. At Resp. Raguſ. quòd estò elementa non alterentur quò ad remissionē qualitatum, alterantur tamen quò ad virium suspensionem, & affert exemplum, sicut si duo homines viribus æqualib. certarent inter se, inter vtrumque daretur actio, & passio; nō quòad remissionem graduum fortitudinis, & virium, sed sed quò ad inhibitionem, seu prohibitionem ne vnus alterum deiiciat, non placet. Et ratio est, quia

quia alteratio tendit ad qualitatē, si est intentio, & ad qualitatis perditionem, si est remissio, in elemētis autem non adsunt aliæ qualitates vniuocè actiuæ præter primas, ergo circa illas alteratio contingit, non circa vires. Tum quia in sent. Arist. illa alteratione debent elementa alterari, qua posteà frigidum denominatur calidum, & è contrà, at ex sola inhibitione virium, calidum non dicetur frigidum, sed potius non calidum, quatenus actione caloris caret, ergo &c. Tum quia actio positiua terminum positiuum postulat, qui in casu non erit, nisi aliquis gradus propriæ qualitatis primæ; frigidū .n. V.g. nihil producit, nisi frigiditatem, ergo aliquem gradum qualitatis oppositæ corrumpit, nā in his generatio vnius, est corruptio alterius, ergo calor in igne v.g. per illam inhibitionem non remanebit summus, vt ipse prætendit. Neq; etiam exemplum adductum ei suffragatur, nam verè homines illi ad inuicem agunt, & patiuntur producendo impulsū, quæ est quædam qualitas; at ex hoc non sequitur remissio fortitudinis, quia impulsus ille non opponitur formaliter fortitudini, quomodo euenit in primis qualitatibus, quòd ex generatione vnius, inferatur corruptio alterius. Ex his à sufficienti diuisione sequitur, quòd elementa manent tantùm virtualiter, & in potentia in mixto, quod manifestè deducitur ex 1. de gener. 84. vbi Arist. ait: *Elementa potentialiter, & secundum virtutes manere in mixto*, & etiam repetit 2. de part. Animalium. Verùm quia ab aduersarijs variè huiusmodi textus extorquētur, vt clarius veritas elucescat, secundam addimus conclusionem.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. dari in mixto primas qualitates, non virtualiter in aliqua qualitate inclusas, sed in ipso formaliter, qua ratione mixtum dicitur elementa continere virtualitate accidentali. est Scot. in 2. d. 15. & ad 2. Princ. vbi concedit manifestè dari in mixto qualitates similes qualitatib. elementorum, licèt in illa aditione asserat non esse similes in specie, sed in genere, & clarius hoc habet ad 4. Item in 4. d. 3. q. 3. ad 1. Princ. affirmat, quòd aqua artificialis, quæ secundum ipsum est vnum mixtum, habet frigiditatem, & humididitatem similes qualitatibus aquæ elementaris, & d. 49. q. 13. multoties id repetit, inde non rationabiliter Ruu. ipsum pro parte opposita citat. Pr. conclusio, & primò, quòd non datur qualitas virtualiter continens primas, nam sensu tactus experimur has qualitates in quolibet mixto in suo statu naturali remanere, viuens enim intus est calidum, metalla frigida, qualitates autem virtuales nō sunt sensibiles in seipsis, ergo solus formalis calor, & formale frigus possunt mouere sensum tactus, nō aliquid virtualiter calidum, vel frigidum, aliàs piper, allium &c. Semper

per calida perciperentur, quod falsum est, Si ergo in mixto istæ primæ qualitates formaliter reperiūtur, non datur quinta qualitas virtualiter continens, esset .n. superflua, cùm possit mixtum per primas formales qualitates à contraris se defendere, & per suam formam substantialem defectus primarum recuperare, sicut aqua propria forma substantiali ad pristinā se reducit frigiditatem; Per hoc tamen non negamus in mixtis qualitates aliquas virtuales reperiri, nā dantur aliqua mixta transeunter productiua in alienum subiectum per virtualem qualitatem secundū calorem formalem, vel frigus &c. quæ formales qualitates sunt eiusdem speciei cum elementaribus; Ex qua Doctrina colligunt Doctores mixtum virtualiter continere elementa virtualitate accidentali, etenim primæ istæ qualitates, quæ in elementis sunt dispersæ, & in vno, duæ solùm qualitates non contrariæ reperiuntur, in mixto tamē omnes sunt coniunctæ, cùm naturaliter temperamentum petat cōmixtionem omnium qualitatum; & quoniam huiusmodi qualitates elementis in summo conueniunt, & excellenti gradus, ipsis specialiter appropriantur; sed quia etiam in mixtis in esse temperato repe riuntur, rectè etiam quò ad istas qualitates possunt elementa dici virtualiter in mixto contineri, quatenus in mixto virtutes elementorum continentur, vt Aris. asserebat.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. formam mixti continere virtualiter formas elementares etiam virtualitate substantiali. est Scot. in 2. cit. d. 15. lit. B. ex cuius Doctrina ibi allata sic Probatur. Medium specie ab extremis contrarijs distinctum, dicitur participare de extremis, nō quò ad formalem participationē, ità quòd entitas Albedinis, & entitas nigredinis sint actu in rubedine, nam rubor est æquè simplex entitas, sicut extrema, sed dicitur medium per participationem, propter naturalem quamdam conuenientiam, quam habet cum extremis, quæ conuenientia non est inter extrema; sic in proposito dicendum est, mixtum .n. est medium quoddam inter elementa, & illa participare dicitur, quia quamdā conuenientiam naturalem habet cum qualibet forma cuiuslibet elementi, quatenus suaptè natura expościt radicaliter pro dispositione illam qualitatem, quam forma illius elementi postulat, quæ conuenientia inter elementa non adest. Tū quia continentia virtualis est duplex, vna in genere causæ efficientis, qua vna forma dicitur aliam continere, quia potest illam producere, vt sol virtualiter continet calorem; Alia in genere quasi causæ formalis, & hæc duplex est; Prima, qua vna forma cùm sit perfectior, perfectiori gradu perficit materiam, quàm forma imperfectior, & hæc solet etiam dici còntinentia eminentialis, quo mo-

modo aurum continet argentum, &c. Secunda, qua forma continens potest operationes, & effectus formales alicuius formæ causare, sicut Anima rationalis dicitur cõtinere sensitiuam; in casu forma mixti non continet formas elemẽtorum continentia virtuali effectiua, cùm nequeat illas producere, sed continentia virtuali secundo modo, quæ est illis perfectior, quæ coincidit cum continentia eminentiali, & aliquali etiam tertio modo, quia in aliquo gradu causare potest affectus elementorum, .s. ipsorum qualitates, quæ continentia non est tantùm accidentalis, sed substantialis, nam continet principium exigitiuum, & causatiuum illarum qualitatũ, quod causat forma substantialis elementi, hinc apparet non esse magnam discrepãtiam de re inter nos, & Thomistas, sed totam litem prouenire ex varia acceptione huius virtualis continentiæ, vt in solut. Argum. patebit. Ex his colligitur vnum elementum alteri in mixto prævalere, aliud non esse, quàm formam mixti magis assimilari, & cõuenire cum forma vnius elemẽti, quàm cum altera in qualitate, & consequenter etiam in entitate, quatenus est principium radicale illius qualitatis. Itá etiam in corpore heterogeneo secundũ diuersas partes potest dici hoc, vel illud elementum prædominari, sic in corpore animato, in flauabili prævalet ignis, quatenus ex se petit excedere in calore, & siccitate; in sanguine prævalet aer, quia excedit in calore, & humiditate, in pituita prævalet aqua, quia excedit in frigiditate, & humiditate, & in atrabili prævalet terra propter excessum frigiditatis, & siccitatis.

Obiectiones.

Ob. 1. contra primam conclusionem pluribus Arist. text. quib. ostenditur elementa in mixto formaliter remanere, & prima sumitur ex 1. de gen. cap. de mixtione tex. 83. vbi probat mixtionem nõ esse generationem, quia in generatione alterum corrumpitur, at si in mixtione omnia elemẽta corrumpuntur, mixtio esset generatio. Deinde tex. 84. hanc affert propositionem; *Videtur .n. & quæ miscentur prius ex separatis conuenientia, & possibilia separari rursus.* Si ergo elemẽta post mixtionem possunt à mixto separari, verè in in mixto remanẽt secundum aliquod esse formale, & tandem in fine libri definit mixtionem, quòd sit, *miscibilium alteratorum vnio,* non dicit corruptorum, ergo manent formaliter in mixto.

℞. Arist. tex. 83. non negat absolute mixtionem non esse generationem, nam etiam mixtio est generatio substantialis, sed loquitur de illa generatione, in qua vnum itá destruitur, vt nullo modo in alio remanere dicatur, quòd patet in generatione ignis, V.g. ex ligno, vbi itá forma ligni corrumpitur, quod nullo modo in igne remanet, neq; formaliter, neque virtualiter; itá

vt sensus sit, mixtio non est generatio, quasi quòd omnis generatio sit mixtio, & dicantur ad conuertentiam, sed solùm illa generatio erit mixtio, qua quæ miscentur, in mixto producto vniri dicantur saltem virtualiter, & in tertiam quandam naturam transeant; Ad illam ex 84. solùm dicere voluit, quia elementa virtualiter in mixto continentur, poterunt iterum separari, non vtique eadem numero, sed specie; quatenus ex corruptione mixti potest quodlibet elemētum, idest qualitas elementaris generari, estò sicut non oportet, vt omnia elementa cōcurrant ad generationem, ità nec oportet, vt in omia quatuor elementa mixtum corrumpatur.

Peridem patet ad definitionem mixtionis; quia .n. elementa aliquo modo in mixto saluātur, ideo non totaliter corrumpuntur, quia remanent virtualiter, & ideo dixit alteratorum; Hinc ait Scotus hoc participium esse præteriti temporis, & sensus est, quòd illa, quæ virtualiter in mixto vniuntur, iam fuerunt secundum proportionem alterata; & ideò non dixit corrupta, quia non totaliter corrumpuntur, sed secundum aliquam proportionem in mixto remanent.

Dices cum Conc. Si hæc expositio valeret magnum negligentiæ defectum obijci posset Aristoteli, quòd talem definitionem clarè, & distinctè non assignauerit; Sed bene ad hoc Rñt. Mastr. & Bellut. quærere claritatem in verbis Arist. est quærere nodum in scyrpo, cuius testes sunt ipsi Expositores in tot sectas, & sententias diuersas, & oppositas diuisi.

Secunda Authoritas sumitur ex primo de Cœlo 7. vbi Arist. determinat mixtum moueri localiter secundum elementum præualens, ergo elementa verè sunt in mixto, effectus .n. in actu causam expostulat in actu. ℞. hoc intelligendum esse secundum proportionem, quatenus forma mixti magis vni elemento, quàm alteri assimilatur, vt supradiximus.

Tertia Authoritas accipitur ex 3. de Cœlo 67. vbi Philos. probat elementa non habere propriam figuram, nam si haberent, illam in mixto conseruarent; ergo Aristot. supponit ea realiter secūdum substantiam in mixto remanere. ℞. ibi Arist. Argumentari contra Platonem, & Democritum, qui ponebant elementa formaliter in mixto, & quòd proprias figuras habebant inseparabiles, indè rectè Philosoph. contra ipsos ad hominem concludit, non ex propria sentent. quomodo etiam intelligendus est in lib. de sens. & sensil. cap. 2. vbi primò Empedoclem reprehendit, quòd putabat oculum potissimum ex igne constare, asserens Democritum benè posuisse oculum esse potius aquam, quæ verba fuerunt ad hominem; supposita illorum opinione de formali permanentia

 ele-

elementorum in mixto; Concludens deinde oculum esse aqueum, habet .n. aquæ proprietates, .s. humiditatem, fluxibilitatem, claritatem, splendorem &c. hinc notanter dixit aqueum, non aquam, vt Democritus loquebatur, quia de facto non est formaliter aqua, sed tantum virtualiter, & propter assimilationem qualitatum.

Quarta habetur in 7. meth. in fine, vbi hæc exempla affert, sicut literæ B. & A. sunt in syllaba Ba. & sicut terra, & ignis in carne, vbi supponere videtur, quòd sicut literæ formaliter sunt in syllaba Ba. sic terra, & ignis in carne, & cætera elementa in mixto, ergo &c. ℞. intentum Arist. esse ostendere compositum quid distinctum esse ab elementis componẽtibus, & loquebatur in sent. Antiquorum, Vndè sicut in 5. meth. hæc simplicia corpora vocauit elementa secundum Antiquos, ponentes illa esse principia rerum naturalium, itá in 7. ait hæc elementa in mixto esse, & ab ipsis mixtis distingui, sicut materia, & forma physica, in composito phys. supposita tamen illorum opinione, quòd si exempla essent in omnibus similia, sequeretur, q sicut literæ integræ manent in syllaba, quæ non est nisi ex illis aggregatum, itá elementa omninò immutata in mixto remanerẽt, quòd aduersarij non concederent.

Quinta est in 2. de partib. Anim. c. 1. & 2. vbi Arist. ait totius viuentis materias esse partes heterogeneas, earum autem materiam esse homogeneas, atque tandem harum materiam esse elementa, ergo sicut partes heterogeneæ formaliter in viuente reperiuntur, & homogeneæ in heterogeneis, itá elementa in mixtis, seu in homogeneis. ℞. neg. consequ. nam comparatio non consistit in hoc, quòd sicut partes homogeneæ manent in heterogeneis formaliter, itá elementa in mixtis, aliter etiam sequeretur, quòd sicut heterogenea vt sic dicunt quamdam partium collectionem, & non vnum per se, itá mixtum, quòd tamen est falsũ, nec mixtum homogeneum dici posset, si elementa formaliter contineret; sed in hoc comparatio attendi debet, quòd tam partes homogeneæ sunt materia heterogenei, quàm elementa sunt materia mixti, quamuis illæ sint materia formaliter permanens, ista verò permanens virtualiter, sed formaliter transiens.

Vrgent ex 5. meth. 4. vbi tres assignans elementi definitiones, in prima præsertim ait: *Elementum est, ex quo inexistente aliquid primò co rumpitur indiuisibili specie in aliam speciem*, quibus verbis manifestè ostendit, elementa formaliter in elementis existere, sicut materia prima in cõposito. ℞. ex Scot. in 2. cit. & super illum tex. in meth. quòd illa est definitio materiæ primæ, non elementi; & ratio est, quia solùm hæc est irresolubilis in partes diuersæ rationis, hoc .n. sonat ly *indiuisibili*

uisibili specie in aliam speciem. Nec instantia Contar. vrget, quòd nomen elementi Arist. frequentius corporibus simplicibus tradidit, non materiæ; non vrget, quia iam statim se declarauit Philos. loqui de materia. dum ait, *indiuisibili specie in aliam speciem*.

Ob. ratione: si elementa non remanerēt formaliter in mixto, mixtum non esset magis compositum, quam elemēta; sed hoc est falsum, cùm elementa sint corpora simplicia, & mixtis simpliciora ex Aris. ℞. quò ad compositionem substātialem posset admitti sequela, non autem quò ad compositionem accidentalem, & quòad necessarias dispositiones, tam in generatione, quàm in conseruatione, forma .n. elementi duas tantum qualitates exposcit, & forma mixti omnes quatuor primas qualitates, & multas etiam secundas.

Ob. in sent. Scoti eodem modo sunt elementa in mixto, quomodo contraria in medio, & vegetatiua, & sensitiua in rationali, sed contraria formaliter sunt in medio, & gradus vegetandi, & sentiendi formaliter sunt in Anima rationali, aliter homo non diceretur formaliter sentiens, ergo etiam elemēta sunt formaliter in mixto. ℞. non semper exempla quatuor pedib. currere; & ad illud de contrarijs, probabilius asseritur, quòd media aliquando specie ab extremis differunt, quòd de coloribus medijs affirmatur, in quib. extrema virtualiter contineri affirmatur; Exemplum de Anima rationali respectu vegetatiuæ, & sensitiuæ non valet in omnib. aliàs sicut anima rationalis est principium formale quo vegetandi, & sentiendi, ità forma mixti esset principiū formale quo mixtū sit terra, aqua, aer, & ignis, quod est falsum. Valet igitur quò ad primam virtualem cōtinentiam in genere causæ quasi formalis super explicatam, quòd .s. sicut rationalis vegetatiuam, & sensitiuam in gradu perfectiori excedit, ità forma mixti excedit elementares, qua ratione dicitur illas virtualiter cōtinere, quo sensu coincidit cum continentia eminentiali: vel dicitur anima rationalis virtualiter continere vegetatiuam, & sensitiuam, quia habet principiū exigitiuum, quo formaliter, & efficienter præstare potest, & perfectius, quod vegetatiua, & sensitiua præstant, sic forma substantialis mixti virtualiter continet formas elementorum, in quantum est radix qualitatum similium, quas elementa formaliter continent.

Ex his deducitur, quòd semen nō potest dici materia hominis ad modum elementi, quia nō permanet virtualiter in homine, sicut elementum in mixto. Neque primæ qualitates possunt dici rigorosè proprietates elementorū; & ratio est, quia per nos proprietates sūt realiter identificatæ, & inseparabiles à rebus, quorum sunt proprietates, at qualitates elemētorum sunt se-

parabiles, vt patet de aqua calefacta, iam amittente frigiditatem, & si calor esset proprietas ignis, dum aqua calida fit, deberet in se recipere ignem, cuius calor est passio, & ita duæ formæ substantiales in eodem subiecto; quarè dicuntur elementorum proprietates solum appropriatè, & largè, quatenus illis in excessu, & primò conueniunt.

Ob. ex Aureolo, & aliquib. Medicis; Vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus actu componitur, sed mixtum resoluitur in elementa, ergo, &c. Probatur minor, in combustione ligni accenditur flamma, quæ est ignis, segregantur cineres, quæ sunt terra; exhalat fumus, qui est vapor aereus, & ex ligni extremitatib. effluit humor aqueus. Item in calce ante infusionē aquæ ignis sopitus iacet, sed post aquæ infusionem statim ad suum locum tendit; In vrina manifestè terra videtur, quæ in fundo vasis residet; Neque dicas huiusmodi partes terrestres produci à virtute concoctiua Animalis, nam virtus concoctiua sanorum hominum non est terræ productiua; sed mediante calore, separat partes alimenti crassiores à tenuiorib. Ex quo colligitur partes illas terreas in alimēto præfuisse. Item per collisionem duorum corporum .i. silicis, & calybis excitatur ignis, qui nō causatur de nouo, cùm nulla assignari possit causa productiua; quòd si dicatur produci à Cęlo ob maiorem aeris raritatem à motu causatam, hoc falsū censetur, quia ignis excussus est crassius, & densius, vt ex eius descensu patet. Tū quia in quolibet confrictu duriorum corporū ignis excitaretur, cùm semper aer incalescat; excutitur ergo, quia partes durioris corporis momento se cōminuūtur, vndè fit vt ignis, q ibi latebat, soluto vinculo exiliat statim.

℞. cum Angelo, quòd in quolibet mixto sunt realiter perfusa quædā elementa in pòris, vt aquositas, aer, terra, quæ tamen non est vera mixtio, cùm sint corpora discontinua, & tantùm iuxtaposita; Vndè sicut elementa sunt impura ex mixtorum perfusione, sic mixta sunt impura ex elementorum admixtione. Item in mixto est maxima partium difformitas, quarum aliquę sunt plus igneæ, aliquæ plus aereæ, aliquæ plus aqueæ, aliquæ plus terreæ, siuè horum naturis, & virtutibus valdè similes, & à mixto artificio segregabiles, qua ratione dicuntur elementa à mixtis separari, idest aliquæ partes magis similes à naturis illorum separari, quæ tamen partes verè sunt quædam corpora mixta, quod totum patet in quatuor humoribus corporis humani. Ex his ℞. ad Argum. nunquam mixta immediatè in elementa resolui, tamquam in partes formaliter componentes, sed in alja mixta elementis similia; vel si in elementa resoluuntur, hoc non erit per veram mixtionem, sed per quamdam in poris adhæsionem. Ad In ligni combustione, flamma illa

non

non erat antea, sed de nouo ab agente extrinseco generatur, cuius virtute plures ligni partes conuertuntur in flammam; Neq. Cineres sũt formaliter terra; neque fumus, aer, sed quędam mixta, & ratio est, quia diuersorum mixtorum cineres, & fumus, diuersas habent virtutes, quod in humorib. corporis humani euidenter apparet; nullus n. assereret flauabilem esse ignem; sanguinem aerem; pituitam aquã, & atrabilem terram; Neq; aqua illa, quæ ex ligno viridi egreditur est aqua elementaris, sed humor, quo lignum nutriebatur, quem calor contrarius expellit, qua ratione non possumus ea vti in sacramento Baptismatis: sic etiam de oleo ex herbis deducto affirmamus non esse essentialiter ignem, vel aerem; neq; humor ille aqueus ex herbis, & floribus, à lãbico eductus, est essentialiter aqua, vt Scot. docet in 4.d.3.q.3. cuius inditium est, quia postea plures proprietates herbarum, & florum, ex quib. deductus est, retinet; qua ratione non censetur materia congrua Sacramenti Baptismatis, vel si humor ille est aqua, erit in poris mixta. Partes illæ terreæ quæ in vrina reperiuntur, nõ sunt vera terra, alioquin in qualibet vrina reperirentur, & omnes morbo lepideo laborerent; sed est aliquod mixtum de nouo in renib. genitum, aut alijs partib. corporis Animalium, vt Licet. docet de Lapid. Bonon. cap. 7. ex materia grassa, & criscida, & quandoq; post actionem caloris à nimio frigore, materiam illam in lapidem condensante, aliquando ab excandescente calore, tenuiores partes in halitum insensibilem resoluente, & crassiores velut aduente, vt lutum in lapidem ab igne indurari solet; Similiter dicimus de calce, quòd vel aliquid ignis ibi reperitur inclus', qui propter paruitatem non poterat sentiri; vel quòd cum lapis adultus maximam siccitatem habeat, & caliditatem, adueniente aqua resoluitur, non vtiq; in ignem, sed in fumum, & hoc ob illarum qualitatum oppositionem, & contrarietatem. Per duriorum corporum collisionem generatur nouus ignis à Cælo, quia aerem per affrictum rarefactum inuenit, & ad formam ignis dispositum; quòd si ignis tantùm excitaretur, & non generaretur, sequeretur, quòd in qualibet mixti diuisione ignis euolare deberet, & si esset fomes iuxta positus accenderetur, quod est contra experientiam; & licèt tunc ignis descendat, hoc prouenit, quia quibusdam chalibis ramentis adhæret, quæ facilè ignẽ concipiunt, cùm sint sulphurea; quòd deinde non excitatur ignis in quolibet confrictu, hoc est, quia non semper aer nimium rarefit, & incalescit.

5 Ob. Vel elementa pari virtute vniuntur ad generationem mixti, vel impari; si primum, ergo non corrũpuntur, nam actio à proportione maioris inæqualitatis prouenit

uenit; si secundum, ergo non omnia elementa corrumpuntur, sed solùm debilius.

℞. quòd elementa aliquo modo pati virtute vniuntur, ità tamen vt vnum ab altero parum excedatur, à quo etiam reparatur ex dictis; & aduertendum est, quòd in mixtione numquam vnum elemẽtum ab alio elemẽto corrumpitur, sed omnia à generante, siuè hoc sit Cælum, siuè alterum mixtum; Inde negamus ignem corrumpi, à contraria qualitate, nam accidens non potest attingere corruptionem substantiæ, sed immediatè corrũpitur à generatione per propriam formam substantialem ob incompossibilitatem formarum substantialium in eadem materia; neque etiam semper ex compossibilitate dispositionum valet inferre compossibilitatem formarum substantialium, nisi quando huiusmodi dispositiones sunt vtrique formæ connaturales; hinc licèt forma aquæ V.g. sit compossibilis cum tali gradu caloris, ac est formæ ranæ, non propterea arguere debemus formas aquæ, & ranæ esse cõpossibiles, cum tales gradus non sint vtrique connaturales.

Ob. elementa sunt ordinata ad mixtionem tamquam ad suũ optimum, & præstantissimum finem, ergo mixtio non est deperditio elementorum, nihil .n. ordinatur à natura ad sui corruptionem tamquam ad summũ bonum. ℞. quòd si Argumentum valeret, concluderet etiam formam seminis, & sanguinis, & cuiuslibet alimenti in viuente manere, cum à natura ad viuens, vt ad finem ordinetur. Negatur igitur conseq. & probatio valet de fine intrinseco rei, nõ de extrinseco, sicut .n. aliquando natura permittit, imò ordinat læsionem alicuius membri minus principalis, ob conseruationem principalioris, sic ordinat corruptionem elementorum propter bonum vniuersi, & perfectioris entis acquisitionem cuiusmodi est mixtum, non quidem ad finem intrinsecum, & bonum proprium, sed extrinsecum.

Ob. Si elementa virtualiter tantùm essent in mixto, ergo Cœlum esset mixtum, quia virtualiter clementa continet; Item neque homo esset formaliter terra, & sic falsa esset illa propositio, qua vtitur Eccl. sia, *puluis es, & in puluerem reuerteris*. ℞. neg. consequ. ratio est, quia Cœlum continet elementa virtualiter effectiuè, non virtualiter quasi in genere causæ formalis; Neque homo est formaliter terra, sicut nec formaliter aqua, vel aer, vel ignis; Attamẽ dicitur puluis, quatenus primò fuit ex terra formatus, & tandem in terram corruptione vltima resoluetur.

Ob. Aer continet calorem ignis saltem in gradu remisso, & tamen non dicimus aerem virtualiter cõtinere ignem, ergo estò mixtum contineat qualitates elementorum in gradu remisso, non tamen per hoc dicetur virtualiter elementa con-

continere. ℞. translato ant. neg. conseq. & ratio est, quia calor in aere est congenitus aeri, non productus ab igne, sed qualitates in mixto producuntur ab elementis. Tum quia aer cōtinet vnam solùm qualitatem ignis, nempè calorem, sed non omnes, at mixtum dicitur continere omnes qualitates elemētorum in gradu remisso, & virtutes etiam motiuas, & consequenter rationabiliter dicitur continere virtualiter elementa, & moueri iuxta virtutem prædominantis elementi; .s. calida sursum, frigida, & terra deorsum &c.

Ob. Contra 2. concl. Illa proportio qualitatum consistit in indiuisibili, & consequenter faciliter dissolueretur per augmentum cuiuslibet paruæ qualitatis, sed hoc est falsum, quia tunc mixtum non esset in statu naturali, & consequēter Animal statim infirmaretur, & tamen experimur quòd etiam si homò nimis per motū incalescat, nō propterea pristinam sanitatem amittit. ℞. neg. minorem, verè .n. tunc animal ægrotaret, licet talis morbus esse physicus, & speculatiuus, non practicus, qui solùm est ille, qui notabiliter corpus lædit, vel potest potentias corporis lędere proximè, ne proprias functiones valeant exercere. Tum quia forma substantialis dispositiones connaturales in aliqua latitudine sibi determinat, non prorsus in indiuisibili, ex dictis.

Ob. contra 3. Non omnia mixta sunt perfectiora elementis simul sumptis. nam dantur aliqua mixta, quæ nequeunt sibi similia generare, quod tamen competit elementis, ergo mixta non continent elementa virtualiter virtualitate substantiali. ℞. neg. ant. cum sua probatione, & ratio est, quia natura via generationis, semper procedit ab imperfecto ad perfectum, quod si probatio valeret, probaret etiam aliqua viuentia, quæ .s. tantùm ex putri generantur, esse elementis imperfectiora, imò etiam in Angelos, quia non possunt alios Angelos generare, non ergo perfectio simpliciter in substantijs ex hoc principio attendi debet, quòd possint sibi similia generare, sed ex hoc præsertim, quòd vna sit actualior altera, quomodo sunt mixta, respectu elementorum. Neque nos dicimus, quòd mixtum continet formas elementorum, quò ad gradus formales, nec sicut rationalis continet sensitiuam, vt Thomistæ imaginantur; nam hæc est sententia Aresij, qui hanc continentiam appellauit formalem, & actualem, eo modo, quo rationalis continet sensitiuam, quam sententiam respuimus, nam rationalis dicitur actu sensitiuam continere, secundum propriam rationem formalem sentiendi, quia informando materiam, verè, & formaliter constituit hominem sub gradu sensitiuō, perfectèque effectus formales exercet, & operationes sentiendi, at forma mixti informando materiam

riam non constituit compositum sub gradu elemẽtari; quarè rectiùs hæc continentia appellatur virtualis, & potentialis, quàm actualis, & formalis.

D V B I V M.

De numero Elementorum, quæ ad generationem mixtorum requiruntur.

HIc dubitari solet, quot elementa necessariò ad generationem mixti prærequirantur. Aliqui asserunt, omnia quatuor elementa interuenire; Alij tantũ duo, .s. aquam, & terram, cætera verò virtute, nempè medijs qualitatib. ità Cardan. & Aref. qui addunt vnum tantùm elementum non sufficere, & sequuntur etiam Licetus. Dandin. Coninch. & alij. Nos tamen, qui Scoti vestigia sequimur, asserimus cum ipso in 2. d. 15. D. posse mixtum ex vnico tantùm elemento generari. Probat Doctor ex illo Gen. 1. vbi pisces, & alia animalia ex sola aqua dicuntur producta, Quòd etiam posset mixtum ex duobus tantùm elementis generari, .s. ex terra, & aqua, Cæteris vero per virtutes concurrentibus, est probabile, realiter .n. ignis substantia non semper interuenit, maximè cum mixta in aere; vel in aqua generantur, sed sufficit Calor. Neque etiam quandoque requiritur aer, licèt non sit absolutè negandum aliquando concurrere, & hoc, quia facilè permiscetur, & in poris illius aggregati ex aqua, & terra, se insinuat, in quo possit agere, & pati; Potest etiam vnum mixtum ex alio mixto generari, & præcipuè in viuentibus patet; Viuens .n. ex putri genitum, potest aliud viuens generare, & tunc hæc secunda generatio esset aliqualiter mixtio, quatenus miscibilia virtualiter præcederent in primo mixto.

ARICVLVS TERTIVS.

De Temperamento Mixtorum, vbi de Temperamento Vniformi, & æquali ad pondus.

SCotus de hoc art. differit in 2. sent. d. 15. ad 4. princ. & dist. 19. A. & in 4. d. 49. qu. 13. B. & alibi. Supponim' Corpus mixtũ dici, q nõ est elementũ, sed ex elementis virtualiter, vel formaliter compositum, iuxta varietates opinionũ supra relatas. Mixtum autem duplex est, .s. imperfectum, quod immediatè, vel ferè immediatè ex elementis fit, & in quæ immediatè resoluitur, vt sunt impressiones meteorologicæ, & perfectum, quod mediatè fit ex elementis, & mediatibus multis corruptionibus in elemẽta resoluitur &c. vt sunt animalia. Item temperamentum mixti, seu complexio significat moderationem, seu proportionem, dispositionem, mediocritatem, & simetriam quatuor primarum qualitatum in mixto, quæ symetria non est qualitas quædam à primis distincta, sed formaliter dicit ordinem, & relationem ad inuicem illarum

latum qualitatum; ân verò temperamentum dicat formaliter relationem illam, & fundamentaliter connotet primas qualitates sic dispositas, vel formaliter dicat primas qualitates, reducitur ad quæstionem de nomine. duplex autem est temperamentū, .f. vniforme, & difforme: Primum consistit in mediocritate quatuor qualitatum sine excessu in g adibus, & prædominio; quia omnes censentur in æquilibrio, & vocari solet tēperamentum ad pondus: Secundum est illud, in quo qualitates ità sunt ad medietatem redactæ, vt vna prædominetur alijs, & hoc temperamentum potest esse duplex, nempè simplex, in quo vna tantùm qualitas prædominatur, & compositum, in quo binæ qualitates alicuius elementi prædominantur, & consequenter iuxta quatuor combinationes qualitatum, hoc temperamentum compositum quadruplex est: Primum dicitur *igneum*, & in animalibus *cholericum*, & est cùm abundant calor, & siccitas: Secundum dicitur *aereum*, & in animalibus *sanguineum*, & est cùm abundāt calor, & humiditas: Tertium dicitur *aqueum*, & in animalibus *phlegmaticum*, & est cùm humiditas, & frigiditas excedunt: Quartum dicitur *terrrum*, & in animalibus *melancholicum*, & est cùm abundant frigiditas, & siccitas. Hæc autem non consistunt in indiuisibili, sed variantur, nō solùm in mixtis specie differentibus, sed etiam in indiuiduis eiusdem speciei, imò idem indiuiduum non semper seruat eādem qualitatum commensurationem; sed iuxta varietatem ætatum eā proportionaliter mutat; & hoc temperamentum difforme, quod excessum exigit, debitum mixto, quia aptius est ad formam mixti conseruandam, & operationes exercendas, appellatur à medicis temperamentum iustitiæ, & æqualitatis, non quidem Arithmeticè, sed Geometricè, per proportionem ad modum iustitiæ distributiuæ, quæ cuique tribuit quod suum est, iuxta debitam proportionem, non verò ad modum iustitiæ commutatiuæ, quæ solùm attendit æqualitatem rei ad rem.

Ex temperamentis autem difformibus præcipuè in homine; temperamentum sanguineum est omnium optimum, tàm ad sanitatem conseruandam, quàm ad ingenij fœlicitatem. De primo patet, qa vita, & sanitas maximè consistit, & conseruatur in calore, & humido; Vndè operationes vitales fiunt beneficio spirituum vitalium, qui in animali sunt purissimæ partes sanguinis. De secundo, ostenditur, qa operationes ingenij, ac intellectus pro statu isto pendent ab operationes sensuum, quibus spiritus vitales, aut animales maximè deseruiunt. Illud verò temperamētū est ad sciētias accommodatum ex Conimb. quod ex bili, & melancholiæ mixtura coalescit, propter bilem enim, quæ actiuior est, agilius

sit ingenium ad operationes sensitiuas eliciendas, & ob melancholiam, quæ tardior est, & sæpè per studium acquiritur, tenacius in meditatione rerum perseuerat; inde fit, vt homines ingeniosiores sint minus pingues, & plerumque sicciores, & aridiores, nam in eis calor prædominatur; homines verò rudiores, sunt somnolentiores, & petuitosi, sarcinosa enim humorum crassities animales spiritus suffocat, ac consequenter ad actionem tardiores reddit.

Modò controuersia est, an detur temperamentum vniforme, & æquale a d pondus. D. Thom. hic lect. 8. sequens Auerroem 1. Cœli com. 7. & 2. de gen. c. 7. docet nō esse naturaliter possibile, quòd in aliquo mixto detur temperamentum vniforme, seu æquale ad pondus, ità vt qualitates ità attemperentur, vt neutra aliam excedat, & idem sentire videtur in 2. d. 19. q. vn. art. 4. & in 3. d. 16. q. 1. art. 1. & sequuntur Thomistæ communiter. Scot. licèt de facto concederet non reperiri hoc temperamentum vniforme ad pondus, ex nullo capite tamen cognoscit repugnantiam, sed possibile esse etiam naturaliter, & de omnibus speciebus temperamenti, sequuntur Tatar. 2. de gen. q. vlt. Conimbr. 2. de gen. cap. 8. q. 2. art. 3. Ruu. ibidem tract. de Temperamento q 2. Auersa, Fornel. Marsil. Tellez. Cōtar. Mastr. & Bell. hic disp. 7. q. 4. & alij. Baudun. noster hic disp. 5. sec. 7. affert D. Bonau. in 2. d. 17. q. vlt. docentem dari temperamētum æquale ad pondus, & hāc partem, vt de mente Seraphici Doct. defendit; trahit etiam in hanc sent. D. Thom. ex 1. p. q. 91. artic. 1. vbi ponit in homine perfectā complexionis æqualitatem, ex quibus verbis infert Baudun. æqualitatem temperamenti ad pondus.

Conclusio.

Dicimus, dari de facto temperamēta difformia, seu inistitiæ, quæ naturaliter, & quasi iure suo mixta postulent; non tamen repugnare naturaliter temperamentum vniforme, & æquale ad pondus, Prima pars est communis, & patet euidēter in animalibus præsertim perfectis, in quibus dominatur calor, videmus enim leones, lupos, &c. multum caloris intus retinere, ità vt viscera fumigare conspiciuntur, signum euidens, quòd calor excedat, & superet frigiditatem; quòd detur etiam per excessum frigoris patet in metallis, & in venenis, & idem de humido, & sicco asserendum erit.

Secunda pars sic Pr. possunt miscibilia alterari ad æqualitatem; ergo non repugnat dari temperamentum vniforme, conseq. patet, nulla .n. apparet repugnantia, vt dari possit aliqua forma substantialis, quæ pro sui dispositione, & temperamento, postulet qualitates in ęquali gradu, si qualitates taliter attemperari possunt, Pr. ant. possunt calidum vt sex, & frigidum, vt duo; & frigidum vt sex, sed calidū, vt

vt duo ad inuicem misceri, & alterari, vt ambo calida euadãt, & frigida vt quatuor, etenim antequam calidum, vt sex sibi assimilet frigidum vt sex, introducendo quatuor gradus caloris, priùs necessariò introducet duos gradus caloris, quo tempore, quod erat frigidum vt sex, euadit frigidum, & calidum vt quatuor, & quia frigidum etiam reagit in calidum, iam in eodem tempore introducet in illud duos gradus frigiditatis, & sic ambo miscibilia erunt alterata ad æqualitatem, & idem de humiditate, & siccitate differendum. Ioann. de S. Thom. & Complut. Resp. neg. antec. & ratio est, quia actio semper prouenit ex proportione maioris inæqualitatis, & cõsequẽter semper vna qualitas prædominari debet, ideòque repugnat naturaliter qualitates ad æqualitatem refrangi. Sed contra, si responsio hæc valeret, nulla vtique daretur reactio. Pr. sequela, si n. ad hoc vt qualitas in contrarium agat, requiritur dominium, & excessum secundum gradum, sæpè nunquam calidum vt tria posset reagere in frigidum vt quinque, quod est falsum.

Diximus non repugnare hoc temperamentum ad pondus, quod n. detur de facto, non est ita euidens, vt benè aduertit Angelus, nam si hoc temperamentum in mixtis reperiretur, maximè esset in viuentibus, & præcipuè in homine, quod est perfectissimum animal, sed corpus heterogeneum non potest secũdum quamlibet partem hoc exposcere temperamentum, quia cum illæ partes specie differant, diuersum etiam temperamentum requirunt, non idem, & simile. Nec dici potest in aliqua parte reperiri, nam estò hæc pars ex se hoc temperamentum postularet, qua ratione dicitur temperamentum innatum, cùm tamen in homine sint partes calidiores, imò in toto viuente, calor maximè vigeat propter sanguinis copiam, & caloris naturalis ab anima prouenientis, sequitur quòd ferè nulla pars habeat huiusmodi temperamentum, nam vna pars aliam alterat; Vnde licèt Cerebrum sit natura sua frigidum, attamen in homine ob actionem calidioris patris apparet calidum; quæ proportio qualitatum ab aliquib. appellatur temperamentum influxus, quod consurgit, per influxum, & actionem vnius partis cum alia. Et quamuis Aliqui asserant, ex hac partium difformitate in calore, & frigore consurgere temperamentum æquale ad pondus in toto heterogeneo collectiuè sũpto, quod temperamẽtum aggregationis appellant, non tamen tanta apparet necessitas, vt in viuentibus sit hæc æquilibratio partium, vt quantum frigoris, excedit in partibus frigidioribus, tantum caloris superet in calidioribus, & consequenter sit æqualis compensatio hinc inde. Tum quia in animalibus perfectis calor prædominari videtur, Vnde

aliqui Philosophi solùm in aliqua parte hominis æqualitatem ponũt, non Methematicam, sed physicam, & hanc in cute, nam hæc inter ordinem partium calidarum, frigidarum, humidarum, & siccarum vltimum locum obtinere videtur, q; est ad æqualitatem mediam accedere, & inter omnes partes cutis temperatior est cutis volæ manus, & præsertim quæ in digitorum extremitatibus reperitur, & super omnes partes, magis temperata censetur illa, quæ in pulpa extremitatis indicis existit, vt ex Auicẽna notauit Angest, quæ pars quasi regula, & iudex est à natura ordinata ad notitiam excessuum, & defectuum qualitatis. Est etiam verisimile fuisse in optimo statu, & temperamento in Corpore nostri Saluatoris, fortè etiam post resurrectionem in corporib. Beatorum.

Obiectiones.

Contra 1. partem vrget Aref. qui primò de gener. q. 53. sec. 2. vult in omni mixto frigus dominari, & consequenter solùm tria temperamenta admittit difformia, primum simplex, in quo solùm frigus excedit, alia duo composita; secundum, in quo frigus, & humiditas excedunt, tertium; in quo frigus, & siccitas superant, & sic arguit: omnia mixta saltem perfecta habent consistentiam, & crassitiem plusquam ignis, vel aer, ergo in omnibus mixtis prædominatur aqua, vel terra, & cõsequenter frigus. hinc Arist. 4. Meteor. sum. 2. c. 3. aiebat, oñia mixta esse aquea, vel terrea. ℞. neg. conseq. & ratio est, quia ex maiori consistentia, vel densitate, non semper licet arguere prædominium aquæ, vel terræ, nã hæc dẽsitas, & soliditas prouenire poterunt ex maiori copia aquæ, vel terræ, quæ solũ dominiũ extensiuum arguit, calor autem excedere potest quò ad intensionem, etenim ferrum candens, & metalla feruescentia maximum habẽt calorem, at non propterea sunt rariora aqua, vel aere.

Ob. videtur cadauer post animæ discessum frigescere secũdum omnes partes, etiam illas, quæ calidæ putantur, vt sunt cor, sanguis, iecur &c. signum euidens esse frigidi tẽperamenti; idemque apparet in sulfure, & alijs, quæ absolutè calida iudicantur, ergo &c. ℞. cum aliquibus, quòd licèt omnia membra quò ad temperamentum innatum sint frigida, calida tamen apparent propter temperamentum influxus; quo concesso, nõ sequitur inductio quædam vniuersalis, vel negatur assumptum, & ad experiẽtiam dicimus frigus illud in cadauere prouenire ab extrinseco .s. ab ambiente. Vel comparatiuè propter intensiorem calorem in manibus existentem.

Ob. è contra, quòd omnia mixta sint absolute calida, nam putredo fit ex prædominio caloris, sed omne mixtum putrescit, ergo omne mixtum est absolutè calidum. ℞. pro modo, q; putredo fit à calore

re ambientis, non à calore innato, & connaturali, vt infra patebit.

Contra 2. partem: In omni mixtione debet dari elementum prædominans, actio .n. non prouenit, nisi ex proportione maioris inæqualitatis ex dictis, ergo omne mixtum semper assimilabitur elemento prædominanti, nam quando plures causæ ad eumdem concurrunt effectum, si vna est potentior, & prædominans, effectus magis assimilatur isti, quàm illi, & cõsequenter mixtum nequit esse vniformiter temperatum. Nec valet resp. posse elementa misceri absq; eo, quòd vna alteri prædominetur, nã quod est actiuuius, posset aplicari in minori quantitate, & minus actiuum in maiori mole, & densitate, ita vt ex hoc capite fiat compensatio, nam contra hoc instant Complut. quia etiam facta tali applicatione, si vnum elementum nõ præualet, nulla esset actio, atque ideò nec mixtio. Pr. seq. quia actio semper à proportione maioris inæqualitatis prouenire debet.

℞. quòd si hæc ratio valeret, nulla esset reactio; quarè negamus, quòd cùm elementa æqualiter applicantur, nulla interueniat actio, nam adhuc est proportio maioris inæqualitatis potentiæ actiuæ v.g. caloris supra potentiam resistitiuã formalem frigoris inter quas potentias fieri debet comparatio, vt diximus supra. Indè negatur conseq. quòd elementum illud, seù calor dici debeat absolutè prædominans, cùm adhuc frigus, secundum suam actiuam virtutem excedat potentiam resistitiuam caloris, & sic ex hoc capite est vtrobiq; compensatio. Tum quia elementa agũt ante attemperationem, non quando sunt æqualiter temperata. Hinc notamus, quòd licèt non possit dari temperamentum vniforme in gradu, & actiuitate simul, sufficit vt detur in vno istorum, quia si est in gradu excessus actiuitatis, compensatur per excessum actiuitatis resistentiæ formalis in opposita qualitate.

Ob. nequeũt duo cõtraria instrumẽta esse æqualiter conuenientia eidẽ formæ, quia sese impedirẽt, & tolleretur actio, sed qualitates primę sũt instrumẽta substãtialis formæ, ergo in æquali gradu illi conuenire non possunt. ℞. neg. ma. cum sua probatione, sicuti .n. qualitates illæ attemperatæ faciunt vnum principium actiuum medium, ità possunt concurrere ad actionem mediam.

Ob. omnis operatio viui à calido, & humido perficitur .s. spiritu & sanguine, aut aliquo proportionabili, vndè Arist. lib. de Morte, & Vita, cap. 1. docet, quòd vita sit permansio calidi, & mors extinctio caloris, & lib. de longit. & breuit. vitę cap. 2. ait, animal esse natura calidum, & humidum, hinc quantum homo ad senectutem accedit, tantum calidum, & humidũ, decrescunt, & frigus, & siccitas augentur, ergo semper saltẽ in viuen-

nentibus prædominatur calor.

℞. concedendo totum de facto, neque hoc nos negamus, sed tantùm conamur ostendere non repugnantiam. de possibili igitur neg. conseq. & ratio est, quia licèt actio vitæ perficiatur calido, & humido, non tamen quòd necessariò frigidū & siccum, excedere debeant, calor enim naturalis, cuius virtute fit digestio, est complexio quædam, seù attemperatio qualitatum substantiali formæ conuenientum, quæ attemperatio estò quandoque sapiat plus frigidi, quàm calidi, digerit tamen virtute calidi, quod habet, hinc conuersio sanguinis in lac à memmillis fit à complexione naturali mammillarum, quæ sanguini comparatæ sunt frigidę; qualire concedimus, quòd actiones vitales præcipuè in calido, & humido consistant, & vt plurimum excedant, non tamen in omnibus, nam pisces, & formicæ, turtures, salamandra, cicuta, mandragora, & alia dominantur à frigore; Vnde viuens dicitur esse natura calidum, & humidum, comparatum sibi ipsi mortuo, & extincto, non absolutè, nisi vt in plurimum.

Ob. sequeretur, quòd hoc corpus haberet temperamētum æquale ad pondus secundum grauitatē, & leuitatem, nam grauitas, & leuitas ex mixtione primarum qualitatum proueniunt; sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. mi. quia nullum locum naturalem haberet, hic .n. maximè esset locus medius inter aquam, & aerem, qui tamen esse non potest, nam aer, & aqua sunt immediata, & superficies concaua aeris est locus naturalis aquæ; hinc Aristot. 1. de Cœlo 7. absolutè ait, mixtum moueri ab elemento prædominante. ℞. 1. neg. sequ. non enim semper grauitas, & leuitas primas insequuntur qualitates, vt de sulphure patet, in quo prædominatur ignis, & tamen descendit in aere, & aqua, nam prouenire potest à maiori mole grauioris elemēti; & concessa etiam sequela, negatur minor, tunc enim locus eius naturalis esset medium inter aquā, & aerem; nec aqua, & aer ità immediāta sunt, vt nequeat corpus aliquod mediare, vt de oleo, & ligno patet, sed immediata dicuntur respiciendo partes principales vniuersi, quæ sunt Cœlum, & quatuor elementa.

Hinc tandem adnotādum, quòd maior, & minor perfectio temperamenti præsertim attendi debet ex hoc, quòd inseruit perfectiori, vel imperfectiori operationi, ideoque parum refert, quòd sit temperamētum difforme, vel vniforme, quòd facile, vel difficulter acquiratur, & deperdatur; quia igitur ad perfectissimam sensationem tactus requiritur temperamentum vniforme, & hæc operatio in homine excellit, asserendum erit potius hoc temperamentum homini conuenire, quàm difforme.

AR-

ARTICVLVS QVARTVS.

De Causis mixtorum effectiuis, vbi præsertim de conuersione aquæ in vinum &c.

Scotus de his differit in 2. d. 19. qu. vn. A. & in 4. d. 11. qu. 7. Egimus vsque adhuc de causa materiali, & formali mixtorum, & & consequenter etiam de causa finali, nam forma est finis mixtionis; remanet modò, vt aliqua de causa efficiente dicamus; pro cuius resolutione supponimus ex Doct. in 2. d. 15. D. quòd miscibilia non sunt causæ effectiuæ mixtorum, & ratio est, quia quando fit mixti generatio, non sunt miscibilia, nam substantialiter corrumpuntur, ad causandum autem effectiuè requiruntur existentia ex dictis in Phys. Tum quia causa æquiuoca est perfectior suo effectu, & mixta sunt perfectiora miscibilibus, seu elementis etiam simul sumptis, hæc .n. se habēt veluti materia ad mixta ordinata, ergo alia erit causa inuestiganda, quæ vel erit aliud mixtum, vel Deus, vel Cœlum, quæ sunt causæ vniuersales. Quæritur igitur in præsenti, an mixta habeāt virtutem producendi sibi simile, siue ex vno, siue ex pluribus elementis; & non loquimur de mixtis animatis, nam de his dicemus infra, sed de inanimatis; & licèt de omnibus in communi determinandum erit, specialiter tamen controuersia agitatur de conuersione aquæ in vinum, cuius occasionem dedit Arist. in his libris, qui volens mixtionem explicare, exemplo aquæ, & vini ad inuicem permixtorum sæpè vsus est.

Arel. 1. de gen. cap. 10. q. 52. sec. 2. Morandus, Zabarell. Piccol. Licetus, Marsil. Dandin. Ioannes de lugo de Euchar. & alij, negant huiusmodi mixtionem, Suar. verò, Vasqu. Contar. Auersa, & alij affirmant.

Conclusio.

Dicimus, non esse ab omnibus mixtis denegandam virtutem actiuam alterius mixti, & præsertim, quòd modicissima aqua magno vino permixta à vino absorbetur, & in vini substantia conuertitur. est Scoti, loco citato, & in 4. d. 44. q. 1. supra F. & hāc etiā vt de mente D. Thom. sequuntur Thomistæ, vt videre est apud Magistr. Iacob. Brun. lib. de gen. q. 7. art. 3. hæc tamen conclusio non est de omnib. mixtis intelligenda; nam ex Scot. in 1. d. 7. q. vn. lit. V. non habemus pro statu isto rationem à priori, cur vna forma sit actiua, non alia, maximè .n. esset perfectio formæ, & tamen experimur perfectiores formas nec vniuocè. nec æquiuocè esse productiuas substantiæ, vt de Angelis patet, & de multis animatis, quæ non generant sibi similia, cuiusmodi sunt illa, quæ ex putri generantur, & tamen elementa, quæ sunt imperfectiora, talem virtutem habent; solùm igitur à posteriori cognoscere possumus, quænam substantia sit alterius productiua, vel non, ad hanc con-

conclusionem probandam, sufficit tantùm aliquas experientias addùcere, & rationes in oppositum soluere.

Sit igitur primum exemplum de magnete, de qua loquens Ferdin. Medicus tract. 2. de facult. qu. 1. conclus. 5. ait: *Magnes attrahit ferrum, vt ferrum transmutetur in substantiam Magnetis, vt vnusquisque poterit videre, si diutius Magnes retineat ferrum*, ergo hoc mixtum generat sibi simile. Secundum exemplum est de plumbo, vt Galen. & Georgius Agricola obseruat, quòd scil. plumbum in locis humidis asseruatum, vel in tectis domorum, notabiliter excrescat tàm mole, quàm pondere; quod esse nequit, nisi per conuersionem aeris humidi, vel aquei humoris in propriam naturā. quam virtutem Marsil. Ficinus, & Fernel. ad omnes lapides, & metalla extendunt. Tertium est de aceto, quod vinum in se conuertit, imò & aquam ipsam, maximè si feruens erit, in quo casu non solùm tàm acre sicut antea conseruatur, sed etiam acrius per talem infusionem euadet, dummodo quantitas sit proportionata. Quartum est de humoribus noxijs in homine existentibus, qui omnes secundum communiorem opinionem sunt inanimati, & tamē si in stomacho, vel in alijs partibus corporis reperiuntur, cibū in similes humores cōuertunt, & licèt etiā ad hoc potentia nutritiua corporis concurrat, negari tamen non potest, quin huiusmodi humores saltem partialiter influant; alioquin non posset assignari ratio, cur potentia cibum conuertat in tales humores, & non in alios.

Quintum tandem exemplum afferri solet de gutta aquæ in magno vino permixta, quæ à vino absorbetur, & in vini substantiam conuertitur, quo exemplo vsus est Arist. 1. de gen. 34. 39. & seq. ad explicandam naturam mixtionis, quæ est mutatio substantialis; & licèt aduersarij contendant, non esse multum exemplis fidendum, & ꝙ aqua in vinum tantùm apparēter, & mutatione quadam morali dicitur conuerti; quia tamen Arist. hic explicare intendit conuersionem substantialem augmentationis, veram, non apparentem, & tex. 39. non solùm affert exemplum de aqua vino immixta, sed etiam de igne, cui ligna apponuntur, quæ non est mutatio apparens, sed vera, & realis, idem quoque de mutatione aquæ in vinum in Aristot. sent. dicendum erit. Tum quia vinum est etiam alteratiuum, & facilè permeabile sicut aqua, ergo si gutta aquæ in dolio vini poneretur, quia in minutissimas partes diuideretur, quarum quælibet alteraretur à vino, sequeretur tādem, quòd corrumperetur, & in vinum conuerteretur. Tum quia potest vnum elementum pro nutritione tamquam alimentum alteri inseruire, vt infra patebit. ergo &c. Tū quia operationes sunt signa speciei,

ciei, ſed appoſitâ modica aqua in vino, experimur non manere operationes aquæ, ſed operationem vini, ergo aqua naturaliter in vinũ mutatur. Tum quia non alio fortiori argumento valemus probare ignem cõburere lignum, niſi quia lignum valet alterare, & contrarijs expulſis diſpoſitionibus inducere congruas diſpoſitiones ad formam ignis, & tandem ipſam formam, ergo ſimiliter in caſu diſcurrẽdum eſt de magno vino parum aquæ alterante &c. Quòd ſi inſtabis, quia ignis agit in cineres, & tamen eos non corrumpit, nec illis formam ignis inducit. ℞. quòd etiam hoc admiſſo, nihil indè contra nos infertur, nam hoc erit per accid. ex incapacitate paſſi, cineres .n. ſunt ignis excrementa, cuius calore iam omne conſumptibile cõſumptum eſt, ac conſequenter non ab igne, ſed ab aqua corrumpi valeat.

Confirmatur ex Innocentio 3. lib. 4. de Sacro Altaris Miſterio, vbi legitur: *Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* & Cathechiſmo Pij V. dicitur: *In Sacrificio Miſſæ, modicam aquam infundendam eſſe, nam Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia, & iudicio aqua illa in vinum conuertitur.* & ſuadet ratio, cũ .n. materia Calicis conſecrandi ſit vinum ex vite, aqua, quæ apponitur vino conſecrando, prius fieri debet vinum in ſubſtantia, & non tantùm in colore, vt in Sanguinem Chriſti conuerti poſſit.

Obiectiones.

Ob. 1. ex Areſio probando vniuerſaliter, quòd nullum mixtum ſit alterius ſimilis productiuum: Mixta habent qualitates primas refractas, non in gradu excellenti, vt elementa, ergo nõ poterunt per qualitates primas alia corpora in ſe conuertere; neque per qualitates virtuales, nam virtuales non agũt, niſi producendo qualitates formales. ℞. quòd nec etiam animata habent primas qualitates in excellenti gradu, & tamen alia in ſe ipſa conuertere poſſunt; Sicut igitur viuentia per qualitates formales, & occultas virtutes alterant cibum, & poſtea ſubſtantiali propria potentia in ſe ipſa conuertunt, cum ſubſtantia ſit illa, quæ immediatè productionem ſubſtantiæ attingat, idem quoque de quibuſdam mixtis aſſerendum erit.

Arguitur ſpecialiter de vino ex 1. de gen. tex. 34. vbi quærens Ariſt. cur in nutritione, quod nutritur dicatur augeri, in mixtione verò vtrumque miſcibile augeri dicatur, reſpondet, quia ſubſtantia alimenti non manet in nutritione, ſubſtantia autem miſcibilium manet in mixtione, & adducit exemplum de aqua in vino immiſſa, ergo in ſent. Ariſt. aquæ ſubſtantia non mutatur in vinum, ſed permanet. ℞. neg. conſequ. ratio eſt, quia exemplum de aqua, & vino, non ad mixtionẽ veram referri debet, ſed ad nutritionem, aliter ſequeretur ſubſtantiam miſcibilium for-

maliter in mixto remanere, quod supra confutatum est. Tum quia cùm aquæ gutta infunditur in vinum, hæc mixtio potius assimilatur nutritioni, quàm veræ mixtioni, quia in hac miscibilia debent in debita proportione misceri, in nutritione verò vinum excedit alimétum, sicut vinũ superat aquã, hinc sicut nutritũ dicitur augeri, sic ait Arist. vinum dicitur augeri in hac mixtione impropria, quia superat, & euincit aquam, ergo sicut cibus conuertitur in viuẽs, ità aqua in vinũ, & licèt hoc totum appellauerit mixturã, non vinũ, hoc fecit, vt innueret se loqui de vino, cui gutta aquæ opposita est, nõ de solo vino.

Ob. ratione: Vinum non habet accidentia, quib. aquam corrumpat, ergo non potest eam in se cõuertere, conseq. est clara, antec. Pr. nam vel essent qualitates formales, vel virtuales, non illæ, quia vinum est frigidum, & humidum formaliter, quæ sunt accidentia consentanea aquæ, & estò aliquos habeat gradus caloris admixtos, non sunt tamen aquæ corruptiui, nam aqua feruens non destruitur, & tamen maiorem retinet calorem formalem, quàm vinum; neq; qualitates virtuales aquam destruent, quia istæ non agunt, nisi à qualitatib. formalib. sint excitatæ, vt in pipere patet, veneno, & in ipso vino, quod non calefacit, nisi prius à calore stomachi excitetur. ℞. si hoc argum. valeret, probaret etiam nullam fieri nutritionem, nam sanguis, quò ad qualitates formales assimilatur carni, & iecori; Neque etiam aqua destrui posset ab aere, & in aerem conuerti, vel ab alio mixto etiam viuente, quia aer secũdum ipsum Aresf. est frigidus, & ità assimilatur aquæ in humiditate, & frigiditate, & omnia mixta in eius sent. à frigido prædominãtur. Nec etiam vinum eadem ratione posset in acetum conuerti. Dicimus igitur, quòd vinum non corrumpit aquam per qualitates, per quas solùm disponit ad propriam formam, sed illam corrumpit per formam substantialem, vt diximus in Phys. quod autem vinũ alteret ipsã aquã per propria accidentia, nec ab ipso Aresio negatur.

Vrget cum Morando: per quãlibet etiam minimã aquæ infusionem, vinum debilius euadit, ergo vinum non conuertit aquam in se, antec. patet experientia, nam aliter sequeretur facilè per solam infusionem aquæ, & multum lucrari, & in infinitum vinum augeri, vt in igne contingit, quod est falsum, probant conseq. quia natura non tribuit virtutem actiuam alicui, ex quo aliquod detrimentum illi resultet, nam finis potentiæ actiuæ est in perfectionem agentis, ergo si ex mixtione aquæ vinum debilitatur, non habebit potentiam agendi in aquam. Tum quia si vinum potuit aquam destruere, ergo non est ab illa repassum; vel si in pugna aliquid amisit, posset post victoriã ad pristinum statum se reducere, vt

in

in aqua calefacta euenit, & in nutritione viuentis, vbi potentia conuersiua in principio tam fortis est, vt possit conuertere non solùm, quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum, ergo virtus actiua vini saltè in principio non deberet debilitari, si aquam in se converteret, & consequenter si statim labefactatur, hoc erit, quia remanet aquæ substantia, R. quod si ratio hæc valeret, omnē actionē de medio tolleret, si agens à passo repati posset, nam per hanc repassionem virtus agentis debilitatur, ergo non debebat hæc virtus à natura concedi, cùm in detrimentum ipsius agentis resultet. Hinc sciendum, quòd in qualibet reactione virtus agentis debilitatur, vt omnibus patet. Potest autem hoc dupliciter contingere; nam post victoriam actionis, vel nihil remanet de passo, vel si aliquid remanet, hoc tamen non manet applicatum agēti, & in hoc casu, potest agens reassumere vires, vel aliquid remanet applicatum agenti quod agens non potest conuertere, & destruere, sed est impeditiuum actionum agentium, vt euenit in humoribus noxijs per concoctionem in stomacho genitis, in quo casu nunquam poterit agens, vires, quas in reactione amisit, recuperare. Cùm igitur vinum in aquam agit, hoc maximè erit medio calore, & consequenter actio hæc erit quædam digestio, seu depuratio purioris ab impuro, & purior pars aquæ in vinum conuertitur, impurior verò, & magis terrestris remanet, & hæc est causa, cur vinum debilitatur, & nunquam vires denouo recuperat, quod etiam patet in igne, qui licèt actiuissimus sit, sua tamen actione depurat partes ligni, & puriores in ignem conuertit, impuriores verò, & terrestriores in cineres, quas nunquam consumit; & sicut si maximo igni lignum, vel charta applicatur, quātumuis exigua, adhuc tamen pars aliqua in cineres conuertitur, ità quoque de paruula aquæ gutta dicendum est, quòd .s. nunquam totaliter in vinum conuertitur, sed semper aliquid impurius remanet, & eò minus, quò vinum est actiuius; & quia acetum est valde actiuum, ideo plus aquæ in se conuertit. Indè negamus posse vinum in infinitum crescere per aquæ appositionem, quia impurius euadēdo, nequit tandem aquam conuertere; igitur ad argumētum negatur cōsequ. & ad 1. probat. dicimus, hoc esse munus agētium sublunarium, vt possint ad inuicem agere, & pati, nec per virtutem actiuam patiuntur, sed agunt, & idcircò à natura conceditur, licèt per passiuam potentiā postea repatiantur. Ad 2. probat. R. non sēper post actionē Agens redire ad pristinum statū, nisi ab agente contrario sit expeditum, vt in aqua calefacta ab igne remota contingit. Exemplum de potentia nutritiua potius est ad oppositum, quia in principio etiā

virtus eius hebetatur, & nisi per expurgationem ab excrementis depuraretur, ad pristinum statum nō rediret, quæ depuratio non contingit in vino. Hæc Mastr. & Bell. lib. de gen. disput. 7. q. 5. Mag. Choquetius negat, quòd sit necessaria illa formalis excitatio respectu passi, & affert exemplum, nam calx accenditur aqua, & plantæ fimo nō formaliter calido, fouentur, & cōseruantur, & tamen in his nullus est calor formalis, qui virtualem excitet calorem calcis, ac fimi, vt suos effectus producant, ergo nulla excitatione opus est, vt vinum corrumpat aquam, quæ in ipsum per partes minores minimis se insinuat, & ab eo sic diuisa absumitur.

Ob. Accidentia aquæ post mixtionem manēt in vino, nam vinum aqua mixtum participat colorem, odorem, & saporem aquæ, si. V.g. aqua esset amara, vel dulcis, ergo etiam manet aqua, quia accidentia non migrant de subiecto in subiectum; ℞. concedendo accidentia aquæ manere in vino, nam tunc fit reactio, & illa similia accidentia in vino ab aqua causantur, quia vinum indifferenter se habet ad illa. Tùm quia remanent quædam partes aquæ grossiores, quæ accidentia illa in vino conseruant, posset etiam negari antecedens de minima gutta aquæ, nam solùm esset verum de magna quantitate aquæ, posset etiam admitti vinum in se non immediatè immutare aquā ex Doct. in 4. d. 3. q. 3. ad 3. vel si concedamus immediatam conuersionem in vinum, nullum sequeretur inconueniens, quia non omnes formæ substantiale; se habent vt extrema; & licèt à vite hæc immediata conuersio non fiat, hoc euenit, quia vitis se hab:t v: agens æquiuocum, respectu vini, & consequēter debet ordinatè procedere; sed vinum in conuersione aquæ est agens vniuocum, ideoque potentius, & actiuius est, quàm virtutem æquiuocè à vite habuit, dum propriam naturam ab illa recepit.

Dices, agens æquiuocum perfectius est agente vniuoco, ergo si vinum potest immediatè aquam cōuertere, multò magis æquiuocum. ℞. antec. esse verum quò ad entitatem, non semper quò ad actiuitatem, patet de sole, qui est æquiuocè productiuus ignis, & perfectior igne, & tamen facilius, & citius ignis ab igne vniuocè causatur, quàm æquiuocè à sole.

Ob. ex hac doctrina daretur aliquod vinum mixtum, quod non esset corpus mixtum, quia ex vno tantum elemento .s. aqua generaretur. Neque dicas dici mixtum, quia præsupposuit omnes quatuor qualitates, nam talis mixtio esset tantùm accidentalis. ℞. quòd etiā Arest. concedit non semper in generatione mixti omnia elementa quò ad substantiam interuenire, sed solùm quò ad virtutes, & accidentia, & tamen corpus dicitur mixtum ex quatuor elemētis; quare illud vinum dicitur mixtum, q̃a

poſtu-

postulat pro dispositionibus naturalibus omnes quatuor qualitates, & etiam quia in forma substantiali assimilatur formis substantialibus elementorum, quàm virtualiter continet, in eo sensu, quo diximus supra.

Ob. Vinum non est opus solius naturæ, sed etiam artis, quia natura producit vuam, ars exprimit vinum, ergo non potest in se aquam conuertere, & aliud vinum causare. antec. est clarum. conseq. prob. nam vt opus naturale, est ab anima vegetatiua, & non est causatiuum, nisi entis naturalis; vt est opus artificiale non est generatiuum alterius, quia ars non est principium substantiale, vndè effectus imitatur suam causam quò ad naturalia, nō quò ad artificialia; sic, licèt seminetur triticum sine cortice, nascitur tamen cum cortice, quia effectus imitatur causam quò ad naturalia, ergo si per vim naturalem vinum debet aliquid producere, potius vuam generare deberet, quàm vinum. ℞. quòd vinum est opus naturale quò ad substantiam, dicitur tamē opus artificiale, quatenus exprimitur, & ab alijs rebus distinctis segregatur, & vt sic poterit aliud ens naturale producere. Exemplum de tritico non est ad propositum, generatio enim illa est æquiuoca, & per virtutem seminalem, ideoq; poterunt planta, & aristæ à tritico generari, vinū autē vniuocè aliud vinum producit.

Arguitur tandem quibusdam experientijs, & præsertim apud Plinium lib. 16. capit. 35. habetur: *Hedera mira proditur natura ad experienda vina, si vas fiat ex ligno eius, vina transfundere, ac remanere aquam, si aqua fuerit mixta.* Ad quod etiam facit; q aliqui Medici, & chymici dicunt, quòd .s. per immissionem medullæ iunci, aut per spongeam oleo imbutam, vel per papyrum extrahi ex vino aquam, quæ illi admixta est, ergo aqua in vino mixta non conuertitur in vinum. ℞. ex Galeno lib. de elem. cap. vlt. has, & similes experientias procedere, quando statim post appositionem aquæ, extrahitur aqua, quia non fuit tempus, vt fieret substantialis mutatio; vel quòd tunc .n. non extrahitur aqua, sed humor, vel liquor aqueus, non ità exactè decoctus, aquæ similis in accidentibus, qui humor non ità facilè extrahitur à vino puro, quia non supponitur debilitatum ex reactione aquę. nec plᵒ habet de humore illo aquę.

Dices cum Aresl. si vinum humorem illum nequit in se conuertere, multò minus aquam elementarem. ℞. neg. consequ. nam humor ille est vino connaturalis, sicut in quolibet mixto, & viuente reperiuntur varij humores elementis similes. Vel istæ experientiæ solùm probant aliquas aquæ partes grossiores in vino remanere, quod nos concedimus. debet etiam ad hoc non solùm attendi tempus mixtionis, sed etiam generositas vini.

Quantum verò spectat ad materiam

riam consecrationis, Innocentius Tertius, vt refertur in capit. cum Marthæ interrogatus vtrum aqua cum vino in Sanguinem Christi cōuertatur, respondit ex tribus opinionibus circa hoc illam esse probabiliorem, quæ dicit aquam cum vino in sanguinem verti. Hæc sunt verba Pontificis: *Aliquibus videtur, quòd illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in calice Diuina virtute mutantur in Sanguinem Christi; alij verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino, licèt Physici contrarium asseuerēt, qui aquam à vino per artificium posse separari asserunt; præterea potest dici, quòd aqua non transit in sanguinem sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa.* Ex quibus trib. opinionibus quænam tenenda sit, subdit: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Sed non prima opinio, nec tertia, vt patet, ergo secunda, quæ asserit aquam cum vino transubstantiari in sanguinem, cùm in vinum trāseat mixta vino, hinc Diu. Thom. 3. p. qu. 74. art. 8. asserit, hunc esse sensum Pontificis, Dum Pontificis sententiā refert, dicens: *& ideo, sicut ipse dicit aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem.* Sicut à pari aqua mixta farinæ prius transit in panem, quàm vertatur in Corpus Christi.

Dices, in Concilio Triburensi c. 19. decretum fuit, vt tertia pars aquæ esse posset in Calice consecrando, sed hoc male statutum fuisset; si tota aqua deberet prius in vinum conuerti, non posset. n. tanta quantitas verti, ergo. At respōdet ad hoc Mag. Iacob. Brun. q. 7. de gen. art. 3. statutum talis Concilij fuisse reuocatum, & specialiter in Concilio Florentino, vbi in decreto Eugenij Papæ IV. decretatur: *Eucharistiæ materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui antea consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Vnde hæc opinio est de facto tenenda, vt rationabilior, & vtrique scholæ communior.

ARICVLVS QVINTVS.

De Corruptione Mixtorum.

Scotus de hoc art. discurrit in 2. d. 15. q. vn. lit. H. Pro cuius intelligentia supponimus, quòd corruptio omnibus mixtis competit, & quia nos ponimus in mixtis animatis formam corporeitatis dixtinctam; Notamus animata dupliciter considerari posse, vel vt mixta sunt, vel vt animata; vt mixta habent aliter corrūpi, quàm vt viuentia, nam vt animata interire possunt morte, morbo, iugulatione, suffocatione, rarefactione, & similibus, & tamen adhuc remaneret ratio mixtionis in illis, ratione formæ corporeitatis, licèt tandem subsequatur etiā mixti corruptio.

Loquens igitur Arist. de mixti corruptione 4. Meteor. cap. 2. duas assignauit species, vna dicitur corrup-

ruptio naturalis, quæ putredo, aut marcedo appellatur; altera dicitur corruptio violenta. Corruptio naturalis est; cùm mixtum resoluitur in omnia elementa, ex quibus constat, & ideo dicitur naturalis, quia secundum leges à natura vniuersali determinatas, debet mixtum destrui in ea, ex quibus componitur, qualia sunt omnia elemẽta supra declarata. Corruptio verò violenta est, cùm mixtum non resoluitur in omnia elementa, sed propter validam actionem vnius elementi, mixtum ferè totum in illud conuertitur. Huius autem corruptionis duæ sunt species, vna, quæ dicitur combustio, & est, cùm ignis aliquod mixtum in se conuertit præter paucas cineres, quæ remanent; altera dicitur petrificatio, quæ propter actionem summi frigidi condensantis euenit, hinc fertur de quercu, quòd diu sub aqua detecta conuertitur in lapidem, quod mirum non est; sicut enim quodlibet elementum potest in aliquod aliud elementum conuerti, quando proportio maioris actiuitatis adest, ità elementum summè frigidum poterit totũ mixtum in lapidem, vel in seipsum conuertere. Corruptio violenta dicitur, quia non est secundum leges naturæ vniuersalis, hinc mors à senectute proueniens ab Aristot. lib. de vita, & morte dicitur naturalis, quia fit secundum leges à natura præfixas, proueniens verò à morbo, iugulatione, incisione &c. dicitur violenta, quia præter modum à natura præfinitum.

Putredo sic ab Aris. loc. cit. definitur: *Est corruptio eius caliditatis, quæ in vnoquoque humido propriè, & secundum naturam inest, ab aliena caliditate, quæ est ambientis proueniens.* Explicatur, & à causa incipiendo, per ambiens non solum aer, & aqua intelligitur, sed quodlibet aliud habens calorem, qui moderatè excedat calorem mixti putrescentis, si namq; immoderatè excederet, non esset putredo, sed potius combustio; Vndè cùm sanguis putrefit in venis, ambiens putrefaciens est caro, aut aliqua alia pars corporis calore extraneo affecta, vt loc. cit. Scot. docuit. Calor iste ambiens dicitur corrumpere calorem naturalem, quia in vnoquoq; mixto, quamuis homogeneum appareat, sunt tamẽ reuera aliquæ partes dissimiles inter se agglutinatæ, quæ diuersitas aliquando est substantialis, quandoq; accidentalis, & quia propriũ est caloris dissimilia ab inuicem segregare, hinc calor ambiens in mixtum agit per calefactionem, intendendo calorem naturalem, seu partes illas calidiores, & subtiliores, & consequenter segregat partes mixti ad inuicem, & sic caliditatem naturalem corrumpere dicitur, non quia verè caliditatem illam destruat, sed calefactione relaxando poros, & attenuando partes calidiores, illas facit euaporare; at quia non possunt postea diù permanere, corrumpuntur, ad

quam

quam euaporationem ait Aris. sequitur coeuaporatio partium humidarum; & tandem continuando actionem, mixtum pænitus putrescit, ac dissoluitur in elementa, seù in partes elementi similes, vnde est, quòd putrescibile prius fit calidus, postea humidus, vt in aceruo tritici patet. Additur deinde *in vnoquoq; humido*; nam hæc est vna conditio putrescentis, vt humidũ sit, & hoc siue humiditate naturali, vt caro, lac, & similia, siue aduentitia, vt lignum ab aqua madefactũ, ratio est, quia humida facilius segregantur, quàm sicca, ac propterea humiditas esse debet vna ex præcipuis conditionib. putrescentis, & hæc est causa, cur lignum aridum non itá facilè putrescit, nisi humectetur aqua, vel aliquo alio humido, & caro nisi aspersa fuerit sale facilius putrescit ob maiorem humiditatem, quæ per salis aspersionem postea desiccatur. Ex his omnibus colligit Aris. facilius putrescere mixta humida, quàm sicca; facilius in æstate, & in loco calidiori, quàm in hyeme, & loco frigidiori propter calorem ambientis; facilius mixta moderatè calida, quàm frigida, quæ ambienti calori resistere possunt; item facilius diuisa, quam vnita, nam hæc magis resistunt, & difficilius calidiora putrescũt, in quib. ambiens nequit calorem inducere intensiorem; & tandem difficilius, quæ mouentur, quàm quæ quiescunt, quia. s. minus pati possunt ab ambiente.

Ex his deducitur, quòd hæc definitio non sit formalis, vt Zabar. putauit, sed causalis, ratio enim formalis putredinis consistit in corruptione formæ mixti, cuius corruptionis causa est segregatio illa partium dissimiliũ, & itá probatur: Putredo est corruptio opposita generationi mixti, vt ibi Aris. docet, sed generatio mixti nõ cõsistit propriè in illa præuia alteratione, sed in introductione formæ mixti, ergo putredo in corruptione eiusdem mixti consistit; nisi per corruptionem caliditatis intelligatur corruptio totius compositi, seu mixti, vt aliqui explicant, quo casu concedi posset esse definitionem formalem. Item sicut generatio quandoque sumitur pro illa præuia alteratione, quæ via est ad introductionem, itá etiam putredo hoc modo accipi potest, sed propriè, & rigorosè pro introductione, & corruptione formæ mixti sumi debet.

Sed contra allatam doctrinam vrgebis, nam aurum, metalla, lapides, adamas &c. non putrescunt, & tamẽ sunt mixta, ergo putredo non conuenit omnibus mixtis, & ex opposito multa putrescunt, non propter caliditatem ambientem, vt si aliquod mixtũ esset in vacuo, non esset Calor ambiens, & tamen deberet putrescere. Item castaneæ, & nuces intus putrescunt, & non extra, & tamen calor ambiens potius est in partibus exterioribus. Etiam in aere frigidissimo multa pu-


putrescunt; quæ calidiora sunt ipso aere ambiente, vt caro, sanguis, lac, &c. ergo causa putredinis non est caliditas. Zabarell. de mixtis nõ habentibus partes fluentes remansit dubius an marcescant. Mast. tamen & Bell. lib. de gen. disp. 7. q. 6. concedunt omnibus mixtis putredinem conuenire, quibus adhæreo, nam etiam metalla eruginem emittunt, vt patet in ferro, aurum verò antiquum, & argẽtum obscuriorem habent colorem, & idem de lapidibus experimur, & licèt ob magnam siccitatem, & frigiditatẽ, non faciliter putrescant, sufficit tamen, vt tandem post multum temporis marcescant, saltem propter humidum aliquod aduentitium. Mixtum in vacuo existens non putresceret actu, licèt esset putrefactibile ob contrariorum admixtionẽ, quæ vt Scot. docet quando sunt in medio, & in gradibus remissis, non agunt ad inuicem, sed requiritur causa extrinseca, qualis est calor ambiens; si autem mixtum in centro existeret, corrumperetur, vel per calorem si ibi esset, vel à summa frigiditate per petrificationẽ conuerteretur in lapidem. Nuces, & castaneæ intus putrescunt, quia partes internæ propter maiorem humiditatem magis aptæ sunt ad putrescendum, & potest etiam admitti actio caloris extrinseci, per poros ingredientis &c. Mixta tandem frigidissimo aeri exposita putrescunt, quia frigus aeris mortificat, & destruit calidum naturale, & ad gradum aerei caloris illum reducit, vnde faciliter postea mixtum tendit ad corruptionem.

Dices, Arist. post allatam definitionem putrefactionis subiungit: *Quare secundum indigentiam patitur calidi, qua autem indigens tali virtute frigidum omne, ambæ vtique causæ erunt, & putrefactio communis passio, & frigiditatis propria, & caliditatis alienæ*, ergo in sent. Arist. non solùm caliditas ambientis est causa putredinis, sed etiam frigiditas, ergo allata definitio non est sufficiens. ℞. alijs expositionibus relictis, quòd calor ambiens est per se causa actiua putrefactionis, frigus verò solùm causa per accid. & hac ratione in definitione solùm de calore mentionem fecit, postea vero de vtraq; causa quod sic declaratur, quod attenuat, & segregat partes, est calor extrinsecus, & quia segregantur partes calidiores, & humidiores, remanent partes frigidiores, quæ cũ nõ sint proportionatæ formæ mixti, sequitur ipsius destructio, & quia etiam frigus congregat partes sicciores, sicut calor euaporare facit calidiores, potest dici etiam actiuè ad putredinem concurrere, licèt calor fuerit causa principalior

Hinc Not. quòd cõbustio multipliciter differt à putredine; primò quia à combustione non destruitur calor innatus, sed potius augetur, in putredine verò destruitur, quia extrahitur; Secundò quia cõbustio primò, & per se tendit ad

corruptionem omnis humidi, & frigidi, putredo autem solùm ad segregationem, quæ diuersitas oritur, quia actio caloris in putredine est lenta, & tenuis, quare non absumit humidum antequam caliores partes corrumpantur, sed in combustione propter excessum caloris est intensior, ac consequenter statim ad exiccandum humidum tendit.

Est tandem pro complemento sciendum, ex Bell. & Mastr. loc. c. quòd si elementa sunt pura, non potrescunt, & ratio est, quia putredo competit mixtis, sed quia elementa pura recipere possunt peregrinas impressiones, hinc interire possunt, non putrescere; elementa verò impura sūt aliquo modo mixta, & consequenter aliquid caloris habent, vndè partes tenuiores extrahi possunt, & putredinem aliquam causare. Ignis autem propter maximam actiuitatem, quia omnia in se ipsum conuertit, dicitur propriè non putrescere; hinc Arist. loc. cit. ait, omnia elementa præter ignē putrescere, & licèt aliquando negauerit aerem putrescere, tunc locutus fuit de suprema aeris regione, quæ propter viciniā ignis, & intensionem caloris, non facilè peregrinas admittit impressiones. Terra, & Aqua calorem aliquē aduentitium habere possunt, & si putredo erit perfecta, fiet resolutio in elementa pura, sed hoc rarò euenit, sæpi' aliquod aliud mixtum generatur. Item frequentius ex putrefactione rerum, quando non totaliter finitur, generantur animalia, quàm plantæ, ratio est, quia planta habet multum de terresti substantia, humidum verò per putrefactionem eductum est subtile, & multum aereum, quòd materia apta plantæ non est, & hinc est, quòd talibus animalibus sæpè crescunt alæ, quia sunt de leuiori, & subtiliori humido, & valdè multiplicantur propter numerosam diuisionem partium rei putrefactæ, nam putredo habet diuidere, & segregare cōponentia rei putrefactę. Neque ex hoc sequitur quodlibet mixtum esse heterogeneum, interdum enim hæc diuersitas partium est accidentalis, cùm n. forma mixti petat aggregationem primarum qualitatum non est inconueniens reperiri in mixto partes aliquas, in quibus magis vigeat vna qualitas, quàm altera.



DIS-

DISPVTATIO VIII.

DE GENERATIONE VIVENTIVM.

EGimus in 1. Disp. de generatione substãtiali in communi, modò ad generationem viuentium in speciali descendimus, eorum naturam, & quidditatem indagantes. Generatio viuentium sic à D. Thom. definitur 1. p. qu. 27. art. 2. *Vitalis generatio est origo viuentis à viuente, a principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ, seù in similitudinem eiusdem naturę specificæ*. à Scoto verò in 1. d. 13. qu. vn. ad 1. *Princ.* & in 3. d. 8. q. vn. §. *ad questionem &c.* sic: *Est productio naturalis viuentis à viuente similis producenti in natura*. quæ definitiones non differunt in re, & formaliter, sed solùm in aliquibus verbis; Vndè præstabit vnam per aliam supplere, & declarare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & Qualis sit Viuentium Generatio.

SCotus Veritatem huius art. determinat loc. cit. cuius expositionem sequentes, faciliter naturam generationis viuentium percipiemus. Dicitur igitur *Origo, seù productio*; quia .n. generatio dupliciter considerari potest, vt sæpè dictum, .s. sub titulo mutationis, & sub titulo productionis, hic præsertim de ea loquimur sub ratione productionis, & originis, & hæc particula ponitur loco generis, quæ est cõmunis omni generationi, nẽpè cuicũq; productioni substãtiali. Dicitur, *naturalis*, quia vt Scot. docet in 1. cit. in tali productione ex parte agentis requiritur inclinatio naturalis, siuè forma naturalis, quę sit principium generandi. Subdens, quòd estò considerãdo generationem sub ratione mutationis naturalitas eius attendatur ex parte principij passiui, .s. subiecti naturaliter inclinati ad formam recipiendam, si tamen sumatur sub ratione productionis, vt est in proposito, naturalitas eius accipi debet ex parte principij actiui, quatenus .s. agens producit principio naturaliter inclinato ad agendum. quod colligitur ex Arist. 2. de Anima 24. vbi docet, per generationem, vt sic, produci terminum similem producenti in natura, naturalissimum .n. opus viuentis est, generare sibi simile, quia ex 2. phys. natura est determinata ad vnum specie effectum ex Doct. quol. 2. lit. F. Agens .n. naturales agit per formã determinatã ad vnũ, quatenus nõ est ibi principiũ indeterminatum respectu oppositorum, sicuti est voluntas, & per hanc particulam excluduntur productiones omnes viuentis à viuente factæ per

principium liberum, nam etiam primi homines facti sunt à Deo Viuente, aliquo modo ad eius imaginem, & similitudinem; sicuti etiam Angeli facti sunt viuentes à Deo Viuo, sed quia huiusmodi productiones viuentium sunt per Principium liberum, ideò à linea generationis vitalis naturalis meritò excluduntur; & ratione huius particulæ præcisè, ait Scot. in 3. loc. cit. Processio Spiritus Sancti in Diuinis nō dicitur generatio, sicut productio Verbi, quia scilic. procedit per principium liberum, nempè per voluntatem, non autem per intellectum, sicuti Verbum; Quare licèt Spiritus Sancti productio sit origo viuentis à viuente principio vitæ coniuncto, in similitudinem naturæ, quia processio Spiritus Sācti est intra Deum, & quicquid est in Deo, est ipsemet Deus, adhuc tamen non est generatio, quia non est origo naturalis, & facta per principium naturale, sed per principium liberū, & hæc est prima, & immediata ratio, cur Spiritus Sācti productio non sit generatio, cùm sit etiam productio viuentis à viuente. Cæterùm ratio, quam Thomistæ assignant, quia scil. Spiritus Sanctus non procedit vt similis ex vi productionis suæ, est vtique vera, sed non est prima, & immediata ratio, nam adhuc reddere debēt rationem, cur Spiritus Sanctus non procedit similis ex vi productionis suæ, & non poterunt aliam assignare, nisi quia ei' productio per principium liberum exercetur, non per naturale, sicuti productio Verbi, quod producitur per principium determinatum ex se ad vnum specie effectum; Agens. n. naturale est determinatum ad vnum. Spiritus Sanctus autem per principium indeterminatum procedit, & eadē ratione non sufficit illa responsio, quòd Spiritus Sancti productio nō sit generatio, ex eo quia Verbum ex vi suæ productionis procedit vt Imago Patris, non autem Spiritus Sanctus; nam cur Spiritus Sanctus non sit imago Patris, cùm sit ei similis in eadem numero natura, sicuti filius? & non poterit alia sufficiens ratio assignari, nisi quia imago naturaliter procedit, & imprimitur ab imaginato, quòd Subtilissimus Doctor paucis verbis docuit in 1. d. 10. ad 1. princ. & ideò in sua definitione apposuit *ly naturalis*.

Dicitur, *Viuentis à viuente*, vt excludantur generationes inanimatorum omnium, ac etiam illorum animalium, quæ à principio non viuente producuntur, vt aliqui tenent de Animalib. ex putri, à corporibus cælestibus, vt à causis Vniuersalibus prodeuntibus; licèt ergo ignis producat ignem sibi similem in natura specifica, quia tamē non producitur vt viuens à viuente, ideò talis productio non dicitur generatio in proposito; Item per hanc particulam excluduntur pili, vngues, & similia, estò enim actiuè à viuente procedant, & materia,

teria, ipso subministrante, ex qua formentur, quia tamen in se verè non viuunt secundum multorum opinionem, hac ratione eorum productio non potest in hoc sensu dici generatio; Si autem hæc animata ponantur, vt in libris de Anima patebit, tunc excludi debent per aliam particulam; quia .s. non producuntur in similitudinem naturæ, quia non conueniunt in eadē natura specifica cū illo, à quo procedunt; neque propriè sunt viuentia distincta, sed potius eiusdem viuentis partes.

Dicitur, *à principio vitæ coniuncto*. quod de principio actiuo intelligi debet, non de passiuo, quod se habet vt materia, qua de causa, nec Eua dici potest genita ab Adamo, quamuis ex eius costa formata fuerit. Neq; animalicula quædam vt vermes, ex animalium corporib. enascentes ex sudore, ac ex aliis excrementis, ab eis generari dici possunt, tantùm .n. materialiter, subministrando materiam concurrunt, ex qua formatur, at hoc principium esse debet aliquando coniunctum generanti intrinsecè, & consubstantialiter, vt genitum dici possit de substantia Patris; Vndè hæc coniunctio non explicari debet per solam præsentiam localem, sed per quamdam consubstantialitatem, vt Scot. docuit in 1. d. 5. q. 2. H. quatenus genito communicetur a generante aliquid, quod erat prius eius substantia, seu aliquo modo aliquid eius, quod in Diuinis est eadem numero natura, quæ à Patre communicatur Filio; in hominibus verò, brutis, & plātis est semen, quod à generante deciditur, qua ratione dicitur genitum fieri de substantia generantis; per quam etiam particulam excluduntur generationes, quæ fiunt à Demonibus per incum, & sucubum, in quibus Dæmon nihil sui, vel quod esset de eius substantia, communicat genito; sed solùm alienum semen in vas fœminæ transfert, vnde fœtus genitus dici debebit partus illius hominis, qui semē decidit, non Dæmonis, vt Doct. in 2. d. 8. q. vn. H. declarat; Indè etiam fit, vt in ouiperis generatio attribuatur auibus oua producentibus, non eis, quæ tantùm illa fouent, quæ veritas experientia comprobatur; pulli .n. ex ouis erumpentes, non incubanti assimilantur, sed ei, quæ oua dedit, vt cùm gallina oua anatis fouet, non gallinæ, sed anates prodeunt.

Dicitur tandem, *in similitudinem naturæ*. Per quam particulam scil. nomine naturæ, aliqui intelligunt, non quamcumque essentiam, sed talem, quā genitum sit potens producere viuens, sicuti generans, qua ratione negant Spiritum Sanctum oriri vt similem in natura, quia esto per suam processionem, Diuinam essentiam à Patre, & Filio mutuaret, non tamē vt naturam; quia non accipit ipsam, vt fecundam, & consequenter concludunt productionem Spiritus Sancti non esse gene-

generationem, nec ipsum esse Filium. Sed hæc expositio, quòd natura accipiatur pro virtute producendi, aut generãdi aliquid simile generanti non placet, nã ex hac expositione, vt benè arguit Bargius, sequitur ne dum productionẽ Spiritus Sancti non posse dici generationem, sed neque etiam productionem Filij, quia neque Filius potest producere alium Filium, vt Pater; quare ly natura accipi debet pro essentia, & quidditate, quam res in certo gradu participant; quã autem ratione productio Spiritus Sancti non dicatur naturalis, iam dictum est.

Solet tamen dubitari circa allatam particulam, quanta debeat esse similitudo, vt vnum viuens dicatur ab alio vitaliter genitum, ac eius Filius, & ratio dubitandi oritur, quia sola generica similitudo non videtur sufficere, tunc .n. vermis dici posset Filius Solis, cùm secum conueniat in aliqua ratione generica substantiæ, si verò requiratur similitudo vniuoca specifica, vt communiter amplectitur, tunc productio muli ex equa & asino, nõ erit vitalis generatio, nec mulus dici poterit filius eorum, cùm non sit cum ipsis eiusdem speciei. Ad hanc difficultatem respondere solent, quòd generatio muli, aliorumque similium deficit vtique à ratione veræ, & propriæ vitalis generationis, adhuc tamen dici debet generatio vitalis, & ratio est, quia vterque generans quantum in se est nititur sibi assimilare effectum, licèt deinde per accidens talis similitudo impediatur; Vndè ad hoc sufficiet, quòd ex intento naturæ debeat animal similẽ generare. Non placet, aliàs si natura intẽdens generare animal, & nõ produceret animal, sed mostrum quoddam inanime, adhuc talis productio vitalis dici deberet, & tale productum filius, quod falsum est, cùm filiatio ad minus in natura viuente fundetur. Quarè potius dicendum est similitudinem inter Patrem, & filium requisitam, nec rigorosè specificam, & athomam esse debere, nec præcisè in aliqua ratione generali entis, vel substantiæ consistere, sed satis esse, quòd si similitudo in aliquo genere vltimo, in quo diuersæ species conueniunt, & tale est brutum, quod commune est equo, asino, & mulo, eslò tale genus sit innominatum, & totum hoc ex Aristot. colligitur, 7. meth. 28. Aduertit tamẽ Scotus in 3. dist.8.q. vn.C. quod si generatio viuentium rigorosè sumatur pro ea, quæ fundat denominationes patris, & filij, addi debet alia particula .s. *in similitudinem naturæ intellectualis*, propriè .n. loquendo solus homo est, qui pater, & filius dici debet, Vel si ad bruta quoq; has denominationes extendere velimus, & ampliare, addere debemus, in similitudinem naturæ intellectualis, vel sẽsitiuæ, non tamen sufficit vt vnum viuens pater dicatur alterius, aut filius, sola similitudine naturæ vegita-

gitatiuæ, nec .f. planta generans dicitur mater, vel pater alterius, nec planta genita dicitur filia, vt ex communi vsu loquentium patet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Semine, quò ad suam Quidditatem, & An sit Animatum.

SCotus in 2. sent. d. 18. q. vn. F. sic semen definit, *est corpus quoddam, cuius forma non est per se intenta à natura, sed propter aliud*, vt .f. ex illo generetur aliquid simile generanti. Probat, quia videmus naturam non sistere in semine, sed vlterius procedere ad formam animalis, vel alterius viuentis. Hinc sciẽdum, quòd duplex est processus in formis, vnus ascendendo ab imperfecto ad perfectũ, vt à forma seminis ad formã Embrionis, ab hac ad formã animæ; Alter processus est descendendo è conuersò à perfecto ad imperfectum resoluendo .f. in cadauer, & in feces; semen est quoddam Corpus imperfectum productum à generante, vt sit via ascendendi ad vlteriores formas perfectiores, quæ descriptio per causã finalẽ data videtur. Est etiã notandum, ꝙ viuentia dupliciter produci possunt, vno modo per veram propugnationem, quo pacto definita fuit, quòd sit origo naturalis viuentis à viuente &c. Altero modo per putrefactionem, vt sunt plantæ, & animalia imperfecta ex putri genita, quæ productio licèt non sit generatio iam declarata, est tamen vera productio alicuius viuentis. In hac disputatione causas vtriusque inuestigare debemus. & in præsẽti art. de prima loquemur, cuius causa est semen, insinuatum, per ly *principio vitæ coniuncto*, inquirendo quidnam sit semen, & quomodo ad generationem concurrat, & an sit animatum.

Hurt. disp. 2. sec. 4. ex Laurentio Andræa lib. 8. q. 3. controuersiæ anatomicæ, sic exactè semen describit. *Semen est corpus humidum, album, spumosum ex reliquijs alimenti vltimi, spirituum vbique oberrantium permixtione prouenìens, vi sola testium elaboratum, ad perfectam animalis generationem.* Quæ definitio semini tantùm animalium perfectorum conuenit. Quòd sit humidum est clarum, quia nõn proprijs terminis continetur; est album, quia partes, quæ illud efficiunt, continent, & eo nutriuntur sunt albæ; est spumosum, quia materia validis est spiritibus plena, ex quorum agitatione ferueſcit, sicut etiam mare agitatione ventorum spumat, & secundũ omnes medicos est corpus heterogeneum, nàm in semine sunt aliquæ partes grossæ, & materiales, quæ non sunt actiuæ, sed passiuæ, aliquæ verò subtiliores, & spumosæ, & istæ sunt actiuæ, quod confirmari solet exemplo tritici, & castaneatum, in quibus particula quædam acuta reperitur, in qua vis actiua existit, qua corrupta, non amplius germinant; hinc formicæ, vt diutius in hyeme triticum confer-

feruent, ne germinet, particulam illam corrodũt, & fuit opinio Scoti in 3. d. 2. q. 3.

Dicitur, *ex reliquijs alimenti vltimi.* Circa quam particulam notandum est, quòd Magister sent. in 2. d. 30. tenet semen non esse superfluum alimenti, sed de substantia ipsius generantis, quam sent. volens Diuus Bonau. moderare, ait ibidem art. 3. q. 1. quòd semen partim est ex superfluo alimenti, partim ex substantia generantis, nam Pater generando transmittit in filium aliquid de radicali humiditate, seù de propria substantia, quod per virtutem naturæ toti filij corpori perfectè miscetur, vt nulla pars sit signabilis in corpore filij, in qua nõ sit aliquid de illo humido, quod à patre traduxit, & sic deinceps filius alium generando transmittit aliquid sui, quod est etiam aliquid patris. Communis tamen sentent. Philosophorum, Medicorum, ac Theologorum, est quod totum semen sit superfluum alimenti, sic Scot. loc. citat. & ibidem dist. 32. §. *circa secundum articulum*, & docuit expresè Arist. 1. de gen. animal. cap. 17. & 18. & Probatur ratione, nam in corpore tamquam superfluitas in quibusdam vasis, sicut cæteræ superfluitates continetur, hinc natura per moderatam seminis effusionem alleuiatur, quod nõ fit per abscissionem etiam minimæ partis substantialis. Tum quia vbi minimum, vel nihil de superfluo alimenti reperitur, ibi minimum, vel nihil reperitur de semine, vt in pueris patet, qui cibum ferè totum in substantiam conuertunt, Vndè est quod semẽ non amittunt. Tum quia pars substantialis decisa potius ad corruptionem tendit, vt patet de omnibus membris, at quod tendit ad corruptionem, nõ potest esse principium generationis in eadem specie, sicuti est semen. Nec opinio Magistri aliquid probabilitatis habet, .s. quòd eadem portio substantiæ ab Adamo per generationem communicata sit in omnes posteros transfusa absque aliqua noua additione, etenim naturaliter res non extenditur, nisi per rarefactionem, vel per iuxta positionem, ergo non potuit tot hominib. communicari, sine additione, aut rarefactione. Tum quia cum homo moritur tota substantia corrumpitur, & consequenter portio illa Adæ, ergo non potest in alijs conseruari, aliter idẽ esset, & non esset.

Semẽ igitur Animaliũ est superfluum Alimenti, non quidem inutile, nam qui ex inutili excremento generantur, vt pediculi, vermes &c. non dicuntur filij animalis; est autem vtile, quia licèt sit nutritioni superfluum, est tamen necessarium generationi, ratio est, quia viuens prius intendit propriam conseruationem, posteà conseruationem speciei; Ad cõseruationem sui per nutritionem alimentum in se transmutat, propter speciei permanentiam aliquam partem alimenti ipsi non necessariam cõseruat

uat ad alterius indiuidui generationem. Vndè Arist. 1. de generat. anim. cap. 18. docuit, quòd semen nec in prima etate, nec in morbis, nec in senectute adest; non reperitur in ægris propter imbecillitatē, neque in senibus, quia non satis natura coquere potest, neque in pueris, quia totum alimentum absumitur in corporis nutrimētum propter incrementum.

Sed Contra allatam Doctrinam obijcies. Diu. Aug. 9. sup. Gener. ad lit. docet nos omnes esse in Adā secundum rationem seminalem, & secundum corpulentam substantiā, qui est modus loquendi satis Patribus familiaris in assignanda ratione, Cur Adæ peccatum transfundatur in posteros. At R. faciliter, filius dicitur esse de substantia Patris, & in lumbis parentum contineri, quatenus substantia, quàm filius habet subministratur à parētibus per communicationem seminis, quod est aliquid parentum, & sicut in nutritione prolis in vtero, proles dicitur carnem à substantia matris accipere, licèt ex sanguine menstruo nutriatur, qui vtique est superfluum alimenti, & hoc quia sanguis ille est aliquid matris, licèt non de substantia, ità in generatione dicendum est; quia igitur omnes ab Adam per naturalem propagationem originē duximus, propterea in lumbis Adæ mediatè contineri dicimur.

Et ità intelligendus est Seraph. Doct. aliter graues etiam patitur difficultates, quomodo .n. intelligi potest, quòd portio substantiæ patris commisceatur perfectè cum tota substantia filij, vt in isto non sit pars aliqua assignabilis in qua non sit aliquid de substātia patris? nam vel in filio præter materiam humidi paterni adest alia materia, vel non. Si primum, cum ergo hæc alia materia suam habet formam substantialem à forma humidi paterni distinctam, ne eadem forma in pluribus materijs reperiatur, sequitur quòd in hac portione nulla erit pars assignabilis humidi paterni; si secundum, ergo eadem materia pluribus informaretur formis, nempè forma humidi paterni, & forma noua aduenjente filij, quòd etiam naturaliter implicat, & hoc etiam ostenditur in plantis, nam quo pacto substantia illa modica seminis poterit in qualibet arboris parte, tam in ligno, quàm in folijs, & fructibus reperiri?

Ob. Adam, & Eua in prima constitutione perfecti fuerunt, ergo tunc generare potuerunt, cùm hæc potentia sit de perfectione viuentis, & tamen tunc superfluum alimenti non habebant. R. in prima constitutione Primi parentes semen habuisse à Deo productum, sicut etiam sanguinem, aliosque humores, qui tamen ex alimenti concoctione generari solent.

Instabis. Filij magis assimilantur parentibus, quò ad substantiā, quā quò ad alimentū, Vndè ex parentibus leprosis, etiā filij leprosi ge-

nerantur, ergo filij substantiam parentum, non superfluum participant. Rn. filios quò ad substantiam parentibus assimilari, quia semini communicatur virtus productiua corporis, vt infra patebit, nascuntur tamen leprosi, quia materia illa prauis inficitur qualitatibus, quod tamen non semper verum est, vt experientia comprobatur. signum, quòd semen non est parêtum substantia.

Dices, hoc per legem cognationis patere, stipes n. non alia ratione contrahere non potest, quã propter vnitatem carnis & sanguinis; Rn. Cognatio contrahitur, ex eo, quia plures ab eodem stipite esse accipiunt per sanguinem, seu seminum communicationem, licèt n. sanguis non sit pars integralis, & substantia viuentis, est tamen quid substantiale, vel vt alij dicunt pars subintegralis, quatenus necessariò ad conseruationem viuentis requiritur; sic etiam in copula carnali, propter seminum commistionem contraitur affinitas, licèt viri semen in substantiam mulieris non vertatur, attamen modo quodam ciuili, ac si essent vna caro habentur, iuxta illud, *erunt duo in carne vna*, si igitur ad affinitatem sufficit sanguinum mixtio, multò magis ad cõsanguinitatem valebit.

Dicitur tandem in definitione, quòd sit, *vi sola testium elaboratum*. Pro cuius scitu notandum, quòd Hippocr. lib. de genit. & Alb. 2. de anim. cap. 7. tract. 2. asserúerunt semen decidi ab omnib. membris, nam totum corpus, & omnes eius partes Veneris frequenti vsu debilitantur. in semine etiam figura continetur membrorum omniũ, per quam filij sunt quandoque satis parentibus similes. Alij cum Suar. 2. de anim. cap. 12. volunt quòd pars materialis, seu crassior à testibus elaboretur; partes autẽ inclusæ, & pars seminis subtilior probabile est non fieri ab aliquo membro ignobili, sed fortè à corde, cuius est spiritus vitales procreare, iuuantibus tamen alijs partibus principalibus, vt debitum têperamentum, & virtutem ipsum semen recipiat, & aptum vndique instrumentum euadat ad admirabilem illam organizationem perficiendam.

Verùm Hippoc. sent. non satis quadrat, id .n. in arborum semine non experitur, nam non ex tota arbore, sed in determinata arboris parte formatur. Tum quia, si ideò decisio seminis ex omnibus partib. necessaria esset, vt illud similia membra efformare posset, sequeretur, quòd si generanti vtrumque brachium deesset, vel pes, vel si monoculus esset, non posset integrum filium generare, quod falsum comprobatur; quare similitudo illa non prouenit à materia seminis, sed à virtute ab anima in illud semen deriuata. Debilitas autem ex nimia seminis effusione in toto corpore, ex eo prouenit, quòd pars illa in qua fit semen, & ex qua decidi-

ciditur, fugit à vicinioribus partibus sanguinem, vndè debilitas illa consequitur.

Sententia Suarez non satis firma censetur, ratio est, quia si testes in confectione seminis solum partem materialem subministrarent, spiritus verò, seù pars actiuior proueniret à corde, sequeretur, quòd Eunuchi possent generare, cùm etiā hi aliquod semen emittant; patet sequela, quia iam partem materialem à testibus haberent, & quia etiam habent cor, aliasq; principales partes, conficerent quoq; semē fœcundum. Potius ergo asserendū est cum Mast. & Bell. disp. 8. de viuentium generatione, quæst. 2. art. 1. quòd materia seminis à renibus, lumbis, & venis præparatur, perficitur tamē à testibus, à quibus virtutem prolificam accipiunt, concurrentibus tamen spiritib. vitalib. per arterias à corde prouenientib. hinc in Sacra Script. castitas lūbis ascribitur, iuxta illud Luc. 7. *Sint lumbi vestri præcinti, &c.*

Deinde, vt clarius vis actiua seminis innotescat, quæritur, an sit animatum, & multi affirmant vt Galen. lib. de Marasmo. Peramatus lib. de semine. Valles. Camerarius, & alij, sequitur Licetus, qui asserit semen esse animatum anima vegetatiua in plantis; in Brutis verò etiam anima sensitiua, distincta ab Anima producentis semen; & ex Thomistis sequuntur, qui docent partes corporis fluidas esse animatas; à quibus parum distat Suar. de an. cap. 12. asserens semen viuere quoad partes subtiliores, & spiritosas, nō autem quò ad partes materiales, & crassiores. Scot. verò in 2. d. 18. q. vn. & d. 30. q. 2. & in 3. d. 3. q. 2. & in 4. d. 10. q. 4. lit. A. defendit partem negatiuam, quam sequuntur, quicumq; id de sanguine negāt, vt Fernel. lib. 7. suæ Physiol. ca. 13. Iandun. Conimb. Ruu. Hurt. Roccus, Auersa, Dandin. Arriag. disp. 1. de an. nu. 298. & alij.

Quæ sent. probatur 1. auct. Arist. 2. de an. 10. vbi clarissimè docet semen in potentia viuere, non actu, quod etiam de gen. animal. c. 1. & 3. repetit.

Probatur 2. ratione, nam vel semen est animatum eadem anima cum illa generantis, vel diuersa; nō primum, quia semen non est corpori continuum, vt patet, anima autem non potest partes discontinua informare, vt in lib. de an. patebit. Tum quia semen nō est pars integralis hominis, cùm sine illo homo perfectus esse possit, vt in pueris patet. Tum quia est contra partis inclinationem totum spontè deserere, vt de semine euenit, quod aliquando spontè è corpore fluit. Tum quia est superfluum alimenti, quod est inanimatum. Neq; secūdum, nam vel est eiusdem rationis cū anima generantis, vel alterius; non primum, quia animæ eiusdem rationis eadem organa exposcunt, sed semen non habet eadem organa cum corpore, non. n. os, carnē, neruos, &c. habet, nec in seminib.

apparent plantarum folia, truncus, rami, &c. Neq; secundum, s. diuersæ rationis, quia sic omnis viuentiũ generatio esset æquiuoca, nulla vniuoca, neq; aliquod viuens posset sibi simile generare, quæ omnia sunt falsa.

Obiectiones.

Ob. ex Arist. 2. de gen. animal. c. 3. in princip. vbi sic ait: *Quippe cum nihilominus semina, & conceptus animalium viuant, quam stirpes, & aliquando prolifica sunt*: poterat contra nos clarius loqui? ℞. Arist. intelligendum esse non de omni semine, sed de semine stirpium, vt modò dicemus, non de semine animalium, quod ab Aduersarijs affirmatur viuere anima sensitiua; vel asserimus hunc locum explicandum esse, vt locus ex 2. de anima, quod s. viuat in potentia, non in actu.

Ob. arborum semina nutriuntur, & augentur, dum sunt arbori vinita, ergo viuunt. Item semen animalis in vtero matris nutritur, & augetur, vt in corpus efformetur, quod ab anima matris prouenire nequit, quia non est pars ipsius integralis, ergo erit à propria anima seminis. ℞. concedendo arborum semina, & etiam plantarum aliquando viuere dum sunt arbori vnita, at non vt semina sunt, sed vt fructus; hinc est, quòd quandiu augentur non reputantur à rusticis semina, quia non adhuc sunt apta generationi, cum non sint maturata; quandò verò habent rationem seminis, discontinuantur, & animam amittunt, ex quo colligitur differentia inter semen animalium, & semen arboris, nam semen animalium est superfluum alimenti, vbi semen arboris est quid diuersum ab alimentis, & per mutationem substantialem ex alimento productum, nam habet rationem seminis & fructus, seu conceptus. Semen animalis in vtero matris ante informationem animæ non nutritur, sed solum augetur per iuxta positionem, in quam materiam ipsum semen formam corporeitatis introducit, alijs tamen causis concurrentibus.

Ob. Semen mouet materiam ad fœtum, & per spiritus vitales in eo existentes mouetur, quæ sunt inditia vitæ ergo &c. ℞. quòd sicut motus in spiritibus vitalibus non arguit animam in illis, vt suo loco patebit, ità nec in semine. hinc argentum viuum mouetur, & tamen anima caret, ergo nõ quilibet motus localis vitam arguit. Tum quia semen mouetur extra corpus à potentia expulsiua, à calore, & spiritibus excitata, non à seipso.

Ob. Virtus generatiua, & formatiua fœtus, est potentia vitalis, sed in semine est huiusmodi virtus, ergo etiam Vita. Admirantes Antiqui viuentium corporum compositionem, & structuram, & corporis humani præsertim negarunt in sublunaribus tàm admirabilis artificij virtutem productiuam, sed hunc effectum tamquam vires sublunares excedentem retulerunt, vel

in

in animam mundi, vel in aliquam Intelligentiam, aut in ipsum Deũ. Huius etiam opinionis est Faber, Theor. 69. sed alio fundamento, quia .f. tenet cum Scot. in 2.d. 18. semen esse homogeneum, & simi-lare; ex quo sequitur non posse se ipsum alterare, & in tot partes diuersas transmutare, quia igitur in rebus sublunaribus non datur sufficiẽs principium formatiuum corporis, ad Deum, tamquam ad authorem naturæ recurrit. At non placet Bell. & Mastr. quibus ego adhæreo, & ratio est, quia tunc ad causas vniuersales recurrendum est, quando sublunaria sunt illis effectibus imperfectiora, vbi sufficiens actiuitas argui non poterit, sed viuentia eiusdem speciei, sunt eiusdem perfectionis, ergo vnum poterit ab alio produci, & consequenter datur in viuente hæc virtus generatiua, de qua sequenti art. agemus, per quam virtutem communicat semini vim quamdã efformandi, non quidem viuens, quia cum non sit animatum, nequit principaliter viuens producere, imperfectum .n. non potest esse causa perfectioris, neque instrumẽtaliter, nam instrumentum non attingit terminum principalis agentis ex dictis in phys. vndè semen concurrit sua virtute solùm ad formationem corporis, quatenus secundum partes subtiliores agit in crassiores, quæ in corpus transformantur; aliæ verò post corporis efformationem, vel euanescunt, vel conuertuntur in substantiam viuẽtis virtute potẽtiæ nutritiuæ illius; quare ad argum. negatur hanc potẽtiam in semine esse vitalem, quia non est viuentis productiua, sed solùm corporis pro altera parte compositi.

At Ob. cum Fabro Scot. loc. cit. in 2. negat actiuitatem aliquam in semine, tùm quia semen in instanti generationis non est, & quãdo est, debet de proximo conuerti in id, quod generari debet, sed hoc habet rationem passiui, non actiui. Tùm quia imperfectius non potest esse causa perfectioris, at semen est imperfectius, non solùm viuente, sed etiam forma corporeitatis, ad quam essentialiter est ordinatum. Si dicas, non esse huius causam totalem, sed partialem quatenus cõcurrit vel cum matre, vel cum astris ad corporis productionem. Contra instat, quia sic dici posset etiam partialiter concurrere ad animationem, cùm non implicet imperfectius partialiter attingere perfectius. Rñt Mastr. & Bell. sequentes expositiones Gratiani in 2. d. 18. & Cauelli disput. 1. de an. sec. 15. Scot. ibi locutum fuisse secundum illam opinionem, quæ ponit semen vniforme, & homogeneum, quo sensu eius rationes concludunt, sic .n. non posset seipsum alterare. At Doct. in 3. d. 4. F. aliam veriorem sententiam ex professo amplexus est, quòd .f. sit corpus heterogeneum, vndè in instanti generationis formæ corporis, se-

men

men non est secundum partes crassiores, quæ in corpus conuertuntur. Sed tantũ secundum subtiliores, quæ ponũtur actiuæ. Ad aliud, concedimus vtique cum semine concurrere matrem, vel solem, & astra, vt dicemus, at ex hoc non debemus actiuitatem semini denegare, aliter pater nullo pacto actiuè ad generationem filij concurreret, sed solùm subministrando materiam, quod falsum est, cùm filius quandoque patri assimiletur, quod actiuitatis signum est. Addunt relati Doctores, quòd si aliquis assereret, semen adhuc partialiter cõcurrere ad animationem, certè nõ posset validè impugnari, quia potest non viuum ad aliquod viuens concurrere, vt patet de obiecto partialiter concurrente ad intellectionem, quæ actus vitalis est.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo parentes ad generationem prolis concurrant, an .s. actiuè, vel passiuè.

SCot. plurib. in locis de hoc art. disserit, vt videre est in 3. d. 4. q. vn. & in 1. d. 3. qu. 7. lit. L. & quol. 15. H. & in 4. d. 11. qu. 3. AA. & alibi sæpè. Supponimus tria in generatione interuenire, ad quæ parentes possunt actiuitatem, & concursum habere, .s. seminis decisionem, Corporis Organizationem, & Animæ informationem, ad quæ per tres articulos respondetur. Circa seminis decisionem est opinio Arist. 1. de gen. animal. cap. 19. & Thomist. dicentium matrem non concurrere actiuè emittendo verum semen, sed solùm passiuè subministrando materiam, iuxta quam virile semẽ agat, nempè sanguinem mestruum. Sanguis mestruus sic describitur: *Est excrementum sanguineũ genitũ à calore debili feminæ, & propter speciei conseruationem.* Dicitur *menstruus*, quia quolibet mense emittitur, & excernitur, cùm .n. feminæ sint hominibus frigidiores, & humidiores, & non possunt totum alimentum in substantiam corporis conuertere, idcirco multo sanguine abundant, qua ratione dicitur excrementitius, quia nutritioni superfluit, ideoque ne natura grauetur, paulatim ad venas vteri transmittitur, vt foras euomatur. Hæc purgatio regulariter incipit anno decimo quarto ætatis feminæ, nã tunc copia grauare incipit, & calor venas dilatare, cessat verò circa quingesimum annum, nãm tunc calor valdè debilitatur, ideò non potest cibum in sanguinem laudabilem conuertere, aut foras expellere; cessat etiam in lactantibus, & prægnãtibus, quia lac ex hoc sanguine fit, & ex eodẽ fœtus in vtero nutritur, qui sanguis in principio perfectus est, at cùm expurgatur est noxius, tunc enim tendit ad corruptionem, volunt igitur relati Philosophi matrem concurrere tantùm passiuè præbẽdo huiusmodi sanguinem, non emittendo semen, & consequenter

passi-

passiuè se habet, non actiuè.

Scot. verò in 3.d.4.q.vn. totum oppositum docet, matrem .s. non solùm sanguinem mẽstruũ subministrare, sed etiam semen, & consequenter actiuè, non tantùm passiuè se habere; & est sent. Hippocratis de Genitura, sequitur Galenus lib. 2. de semine c. 4. Ferrara, Conimb. Suar. Hurt. & Alij.

Conclusio.

Dicimus, Matrem actiuè concurrere in generatione prolis, non solùm sanguinem menstruum subministrando, sed etiam verum semen, est Scot. loc. & commmunis præsertim apud Medicos, qui in re medica Philosophis præferendi sunt. Pr. ex Anathomia, nam in fœminis eadem vasa conspiciuntur semen deferentia, coquentia, & seruantia, sicut in viris; Tria sunt membra ad seminis productionem necessaria, nempè vasa seminaria, testes, & parastatæ; vasa seminaria à testibus sursũ ascendunt deferentia superfluitatẽ sanguinis, & spiritus vitales, & sunt duo, dextrum à trunco venæ cauæ oriens, & sinistrum ab emulgente ramo; Testes sũt partes molles, glandulosæ, albæ, cauernosæ, in quibus semen excoquitur, & perficitur; Parastatæ sunt duo vasa candida, glandulosa, & cauernosa, orta à testibus, & semen in testib. elaboratum deferentia; sed hæc membra tàm in viribus, quàm in fœminis reperiuntur, nisi quòd testes in viris sunt maiores, & extra corpus, in fœminis sunt minores, & intra corpus, in dextero, & sinistro latere vteri collocati. Parastatæ in viris semen deferunt ad penis radicem, in fœminis ad fundum matricis, ergo in ambobus eumdẽ effectum causabunt .s. semen, cùm natura nihil frustra faciat.

Resp. Thomistæ in vasis fœminis nihil coctum, & elaboratum reperiri, sed quid aqueum, crudũ, & serosum; & eumdem finem istorum vasorum habuisse naturam in fœminis, ac mammiarum in viris. Non placet, nàm vasa hæc etiam in fœminis intorta gyris, & anfractibus implicata conspiciuntur, quos anfractus, & gyros ad nouam coctionem, & elaborationem natura ordinat, ergo sicut in viris semen coquũt, ità pariter in fœminis, hinc ante seminis emissionem ambo flãmis luxuriæ torquentur, post verò emissionem quietantur; & licèt etiam viri mammillas habeant, eas tamen habent ad ornatum, & ad robur præsertim, cùm glandosæ nõ sint vt in fœminis, & hæc vasa in mulieribus, & præsertim testes alios vsus habere nequeunt, quàm seminis productionem, cùm eorum substantia tàm in fœminis, quàm in viris æquè glandosa sint, præter quam quòd etiam in aliquorum virorum mammillis lac expertum est, vt videre est apud Vesalium lib. 5. c. 8. & Cardanum lib. 12. de subtilit. qui de quodam trigesimũ quartum annum agente narrant, tantùm lactis ex eius mammillis profluisse, vt infantem lactare potue-

fuerit; & Dandin. lib. 3. de part. homog. c. 18. testatur se à viris fide dignis accepisse, homines in Brasilia communiter tantum lactis deferre, vt ipsimet suas proles alent. idem refertur de Ametrio V. Hierosolimorum Rege, non minores, quàm fæminas habuisse mammas; quia verò fæmina rariorem habet mamillarum substantiam, vt Aristot. docet 1. de hist. animal. cap. 12. inde copiosiorem recipit lactis materiam. Ad hoc argumentum respondere solent ex Galeno lib. 14. de vsu partium cap. 2. quòd mulieribus dati sunt testes, & vasa non vt producant semen, sed humorem illum aqueum, & incoctum, vt in illo titillatæ, & præclusæ, fæminæ voluptate ardeant, incitentur ad copulam, & congressum viri expectent. Confirmant à simili de Spadonib. & Crastatis, in quibus similis humor cernitur, quo titillati suspirét, & feruent, quatenus humor ille non ordinetur ad generationem, sed tantùm ad voluptatem; quare in his subiectis feruor potius est rabies, quàm libido, quia libido est ex semine. Et hac doctrina respondent etiam, quòd fæminæ, quæ à Venere sed diù abstinent, non semine, sed humore crudo abundant, & ardent, quo proiecto mansuescunt. Ex quo etiam sequitur, quòd sicut gustus per se immediatè ordinatur ad saporem, & mediatè ad nutritionem, ita semen muliebre per se immediatè ordinatur ad veneream delectationem, quæ est dispositio instituta à natura mediatè ad generationem. Alij dicunt semen fæmineum per se ordinari ad generationem dispositiuè in quantum ordinatur ad veneream delectationem, sed non efficienter, quia non est causa efficiens generationis, nec materialiter per se, quia non est simpliciter materia fœtus, sed solùm per accidens. & ad melius esse in casu quo deficeret sanguis menstruus; indè colligentes, quòd si mulieres destructis testibus euadunt steriles, nō est quia semen fæminæ necessarium sit ad prolis generationem, sed quia cùm ex Galeno, testes sint alterum principium caloris natiui, & cæteris partibus robur tribuant, vterus ipsorum defectu ad generationem ineptus est.

Sed quia hæ solutiones infringunt aliqualiter argumentum; Ideò fortius arguit Scotus: Filius quandoque magis assimilatur Matri, quàm patri, ergo in matre est aliqua virtus actiua, patet conseq. quia agens est, quod intendit assimilare sibi effectum, ità vt effectus nulli assimiletur, nisi propter aliquam actionem illius, principium n. passiuum, non est principium distinguendi, nec assimilandi. Si dicatur, ait Scotus semen patris principaliter intendere assimilare prolem patri, sed propter inobedientiam materiæ deficere ab eo quod intēdit, & facit quod potest. Contra est, quia tunc calidum per

impedimentum non potens sibi assimilare effectum, assimilaret eum frigido, quòd est falsum.

Rñt 1. Thomist. quòd fœtus plus assimiletur matri, quàm patri non conuincit in Matre esse formatiuam actiuitatem, aliàs sequeretur, quòd plus ageret fæmina, quàm vir, quia plus assimilaret, quod non concederet Scot. potius ergo dicendum, quòd causa cur proles magis quandoque assimiletur fæminæ minus agenti, quàm patri plùs agenti, videtur esse debilitas paterni seminis, quæ non potest materiam à matre ministratam ad perfectam patris assimilationē perducere, sed talem similitudinem causat ad quam est in potētia proxima infra eamdem speciem cum patre .s. assimilationem ad matrē, vndè in casu filius per accid. assimilatur patienti, nō vt patiens est, sed quatenus actiuè concurrit ad disponendam materiam sanguineā pro fœtu, & eam exhibet masculo generando, qui ob debilitatem suæ actiuitatis, non potest eum organizare cum similitudine perfecta ad seipsum. Totus hic discursus est concedendus, sed in hoc deficit, quòd actiuitatem matris solùm ad disponendam materiā concedunt, quod non sufficit, nam etiam mater actiuè concurrit ad disponendam materiam pro verme, & tamen non est causa assimilationis.

Rñt 2. illam similitudinem prouenire, quia mater sanguinem præbet, ex quo filius nutritur. Non satisfacit, nam etiam materia, ex qua vermis efficitur est ab homine, cui tamen nunquam assimilatur, quod indè oritur, quia in ea nihil est, quod sit principium actiuum; & hinc est, quòd asinus ex equa, & equus ex asina generant mulum, si .n. fæminæ non concurrerent, vtique asinus cum equa, non nisi asinum produceret, sicut equus cum asina, non nisi equum, cum materia non sit efficiens. Tùm tandem, quia si mater solùm passiuè concurreret, non aliter in generatione se haberet, ac terra respectu mineræ, & homo respectu generationis pediculi, & cōsequenter sicut equa mater muli dici potest, licèt sint diuersæ speciei, ita etiam mulier mater pediculi dici posset.

Respondent aliqui Recentiores Thomistæ, opinio Diui Thomæ nō consistit, quòd mulier respectu generationis se habet præcisè vt vas, seu locus, in quo generetur proles, aliter homo esset mater vermis, & terra mater mineræ, quatenus præbent passiuè materiam, vt rationes Scoti vrgent; Se habet ergo media via, quia mater est principium positiuum, tum antecedenter ad formationem, ministrando materiam proximam prolis, tùm consequenter fouendo prolem iam genitam, & est etiam principium passiuum generationis.

Sed quomodocumq; explicent, semper in idem recidunt; nā quid est cōcurrere antecedenter ad formationem ministrando materiam pro-

proximam prolis? etiā homo præbet materiam proximam vermi, agens .n. naturale non inducit formam, nisi in materia proxima, præparata, & benedisposita; parum ergo refert, quòd fæmina illā materiam antecedenter præparet, & disponat, semper .n. hoc est in genere causæ materialis, & si per hoc actiuè concurrere dicitur, quia materiam præparat, & rectè mater prolis nominatur, non minus etiam mater vermis dicetur, ad quē vtiq; antecedenter materiam præparat, & disponit. Ad aliud, quod assumunt, .s. consequenter fouendo prolem iam genitam; hoc non est in controuersia, clarum est .n. tunc matrem actiuè se habere, prolem cibando, & nutriendo, sed difficultas est de emissione seminis, &c. Tū quia relatio maternitatis, quā habet mater ad filium genitum nō potest fundari in aliquo passiuo, ergo sequitur, quòd talis relatio esset solum ad patrem, à quo patitur, & non ad matrem à quo non patitur, ergo fundatur in aliqua actione respectu filij etiam in matre.

Rñt quòd etiam relatio matris est actiua, & licèt non fundetur in actione generatiua filij, fundatur tamen in actione disponente, & ministrante materiam; sed ex hac solutione sequitur fœminam dici posse matrem vermis, vt supra, cū etiā præparet, & disponat materiā.

Obiectiones.

Ob. 1. Auth. Galeni lib. 14. de vsu partium c. 1. vbi docet fæminā habere tenuem humorem, qui nihil confert ad prolis generationē, sed functus suo munere titillandi, & excitandi venerem, eijcitur in vterum. Sed quia Galenus licèt in mulieribus talem humorem aqueum admittat, non tamen negat in ipsis verum semen, ideò Thomistis nihil, vel parum fauet.

Ob. Fæminæ vsu veneris concipiunt, non tamen macrescunt, nec elanguent, vt viri, vt experientia constat, qua ratione Prouerb. 30. dicitur: *os vulua est insaturabile*; at si emitterent verum semen macrescerent, & languorem paterentur, quia semen fit ex sanguine, & spiritibus, quibus deficientibus succedit deliquium, ergo &c. Rñ. neg. ant. nam etiam fæminæ venere immoderata languescunt, esto rarò; vel nō languescunt, vt viri ex eo, quia intra se semen emittunt, sunt viris humidiores, & ex maiori sanguinis abundantia, facilius vitales spiritus refici possunt; textus Script. exponitur de insatiabilitate concupiscētiæ, quæ ad vsum veneris etiam impotentes excitat; imò ex hoc potius oppositum arguitur, si .n. fæminæ magis libidine æstuant, quàm viri, ergo valdè à seminis stimulis agitantur.

Ob. in omni motu reperiuntur agens, & patiens, sed in generatione animalium mas est principium actiuum, quia est calidior fæmina cerebro, corde, & iecore, & in eius testibus gignuntur spiritus calidiores,

res, fœmina est principium passiuū, ergo hæc non concurrit actiuè, aliter munia vtriusque parentis confunderentur, vterque .n. si ageret esset pater, & si pateretũr esset mater. ℞. concedendo patrem esse actiuum principium, & matrem passiuum quò ad seminis receptionem, adhuc tamen vtraque semina agere, & pati propter heterogeneitatem partium, vt infra patebit.

Ob. Ex hac sententia sequeretur Christum Dominum ex semine Virginis purissimæ cōceptum fuisse, ipsa .n. ad generationem filij cucurrit omnino sicut cæteræ matres, nè dimidiatum matris officium in Deipara inferamus; sed hoc videtur opponi sensui Ecclesiæ, quæ de Christo Dño loquens in officio Circumcisionis ait: *procedens homo sine semine*, quibus verbis videtur omne semen excludere. Videtur etiam contra multos Pres, nam deduceretur aliqualiter lædi Deiparæ purissima Virginitas, estò non fuerit ex coitu cum viro, sicut etiam vir viginitatem amittit seminis effusione, licèt non sit ex coitu cum muliere. ℞. concedendo Dominum nostrum ex semine Virginis esse conceptum, quod à multis Patribus docetur præsertim à D. Anselmo de Concept. Virginis, & peccato Orig. cap. 8. Beda in cap. 11. Lucæ lib. 4. cap. 49. & alijs, vt videre est apud Hurtad. qui hanc controuersiam sedulò, & diligenter examinat. Ecclesia, & Patres solùm intendunt virilis seminis exclusionem, quod ex eodem officio deducitur: *Templum Dei factus est vterus, nesciens virum*. Neque ex hoc Virginis integritas diminuta fuit, vt benè aduertit Hurtad. nam semper fuit in ea habitus virginitatis, cùm omnes etiam honestos viri congressus repudiauerit; sicut etiam integritas coporis perfectissima fuit, quia Christus Dominus claustra non erupit, & semē absque vlla sensuali motione in loco conuenienti collocatum fuit. Ad illud de viris, dicimus effusionem seminis in illis inuolūtariam, virginitatem non adimere.

Ob. Fortius: Si fœmina emittit semen, erit vtique eiusdem rationis cum semine virili, quia sanguis vtriusque, & potentiæ sunt eiusdem speciei, qua.e vtrorumque seminum, & massa viri, & mulieris solo numero differrent, & accidentaliter, substantialiter tamen eiusdem essent rationis; hoc supposito, semen muliebre posset ita augeri tàm quantitate, quàm qualitate, vt massam vtriusque seminis adæquet, potest .n. contingere vt aliqua fœmina reperiatur calidior, & siccior aliquo viro, ex quo tandē sequitur posse fieri generatio 1em sine virili semine, quod naturaliter implicat. Confirmatur ex eo, quòd quandoque quædam fœminæ inuētæ sunt, quæ sine proprio semine conceperunt .s. non percepta delectatione, vt Auerroes refert apud Zerb. 8. meth. q. 2. si ergo semen mulieris non est necessarium ad

generationem, asserendum est fæminas semen non efficere, cùm natura nihil frustra agat. Mayronus in 3. d. 4. art. 4. admittit posse fieri naturaliter generationem sine virili semine. Sed non placet, quòd .n. aliqua res, sit alicuius effectus actiua, tantùm ab experientia deduci potest, quia igitur expertum est nnuquam mulierem sine viri congressu concipere, imò potius in auibus oppositum experimur, nam oua gallinarum absque galli congressu non sunt ad generationem idonea, idcirco asserere non debemus hoc esse naturaliter possibile. Tum quia ex hoc sequeretur Christi conceptionem non fuisse miraculosam, & supernaturalem. Relicta igitur hac opinione, affirmandum est semen virile esse naturaliter necessarium ad prolis conceptionem; quod tamen intelligendum est de animalibus ex congressu maris, & fæminæ prodeuntibus, non quæ ex putri generantur. dantur etiam quædam animalia ouipara non distincta in sessum virilem, & fæmineum, & consequenter hanc indigentiam non habent, vt sunt rubelliones, seu pisces, & animalia imperfecta, quæ se habent, vt plantæ, in quibus hæc sexuum distinctio non apparet.

Breuiter igitur sic formatur argumentum: quando duæ causæ eiusdem speciei ad vnum effectum concurrunt, potest vnius concursus ab altera fortiori suppleri, vt in duobus trahentibus lapidem patet; sed semen maris, & semen fæminæ sunt duæ concausæ eiusdem speciei, & æqualis efficacitatis per Scotist. ergo potest cõcursus vnius per concursum alterius suppleri, & consequenter semẽ fæmineum posset tantum crescere in sua actiua virtute, quòd posset se sola absque coniunctione ad semen maris fœtum generare, & maximè in casu, quo per somnium fæmina satis calida fudit semẽ crassum in vterum. Rt. Lichet. in 3. d. 4. non semper maiorem esse veram, quando enim sunt aliqua entia, quorum vnum est tantùm natum esse causam partialem, principalem, vel non principalem, & aliud similiter causam partialem, nunquam vnam potest supplere vicem alterius, quia effectus ille solùm natus est produci à duabus causis partialibus secundis; affert exemplũ de intellectu Francisci, qui est eiusdem speciei cum intellectu Ioannis, & tamen ille quantumcumque intenderetur, nũquam supplere posset causalitatem istius respectu propriæ intellectionis; à qua sent. parum distant Conimbr. 1. de gen. c. 4. q. 27. art. 2. asserentes non posse dari huiusmodi incremẽtum virtutis in causis instrumentarijs, quarum vna necessariò, & ex naturæ lege quò ad suum concursum ab alterius cõsortio, & virtute dependet, quomodo virtus actiua vtriusque parentis se habet.

Sed bona pace, hæc solutio videtur principium petere; hoc est .n. quod

quod quæritur, vt benè Bellut. & Mastr. aduertunt, cur .s. causa partialis eiusdem rationis suppleri nequeat per augmentum virtutis alterius, vt intenditur virtus respectu illorum, qui podus ferunt, cùm sint eiusdem speciei. Vel si dicatur requiri aliud semen pro materia, posset dæmon vnius mulieris semen transferre in matricem alterius, & sic sine virili semine conceptio humana haberetur. Exemplum quod adducit Lichet. non est ad propositum, nam intellectus illi nunquam simul ad productionem eiusdem intellectionis concurrunt; limitatio de causis instrumentalibus à Conimb. videtur etiam principium petere, & multæ causæ instrumentales intendi cernuntur, præter quàm quòd semen cùm productionem formæ corporeitatis attingat, non erit causa instrumentalis, sed principalis ex dictis in Phys.

Melius igitur respondendum est cum Tatar. 2. phys. q. 2. §. *Primò sciendum*, & docuit Scot. in 1. d. 3. qu. 7. lit. L. & quol. 15. H. nempè patrem, & matrē esse causas essentialiter subordinatas, quæ ità se habent, vt vna sine altera agere nequeat; & quia in indiuiduis eiusdē rationis nō adest essentialis subordinatio, asserendū erit saltē potentias generatiuas esse alterius rationis, & differre specie; licèt igitur sāguis sit eiusdē rationis in vtroq; & similiter ipsi partes sint eiusdem naturæ, attamen sicut in organis differunt, ità etiam arguere debemus, virtutem vnius esse diuersam ab alterius virtute, loquendo de potentia generatiua completa, & totali scilicet ex organo corporeo, & anima constituta. Neque ex hoc debet inferri distinctio specifica in natura inter marem, & fæminam, nàm hæc distinctio ex principaliori actione, & ex plurib. deduci debet, nō ex vna tantùm; Sicut neque spadones, vel cæcus, aut surdus à natiuitate specie ab alijs hominibus differunt. Ad Confirmationem concedimus sæpè cōtingere mulieres semen non amittere in congressu, sed tunc non fit conceptio; vel quandoque non percipiunt delectationem, quia debiliores sunt naturæ, vndè parū caloris continent, vel propter vehementem animi auersionem, aut dolorem, ad delectationem sensualem non attendunt; Sic etiam respondet Angest. de propr. mater. pagin. 18. & sequuntur Mastr. & Bellut.

Posset etiam cum aliquibus dici, quòd semen viri, & semen fæminæ licèt sint eiusdem speciei, nō tamen æqualis actiuitatis, & efficacitatis, quia semen viri, vt potè calidius est actiuius semine fæmineo, & consequenter non potest semen mulieris naturaliter ad perfectionem seminis viri peruenire; probatur à pari; visus hominis, & visus aquilæ eiusdem sunt speciei, inæqualis tamen perfectionis indiuidualis, quia visus hominis non

potest in tantum intendi naturaliter, vt ad perfectè videndum solem pertingat, sicut visus aquilæ, sic in proposito de semine &c.

Ob. Fæminæ sunt similes pueris voce, & impubertate, sicut etiam spadonibus, at pueri, & spadones non efficiunt semen, ergo neq; fæminæ. R. negando paritatem in omnibus, aliter mulieres essent etiam infæcundæ sicuti spadones, & pueri. Tum quia sunt aliqui viri mulieribus similes, & sunt etiam quædam fæminæ similes viris in barba, & voce, ergo saltem istæ deberent semen emittere, quod est contra Aduersarios.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo parentes ad prolis corporis organizationem concurrant.

SCot. hoc quæsitum resoluit in 3. d. 4. q. vn. & d. 2. q. 3. lit. C. supponimus tamquam certum, vel saltem probabilius, quòd post quam semina vtriusque parentis in matrice recipiuntur, exquisitè inter se miscentur, & matris orificium ità perfectissiè clauditur, vt nec cuspis acus ingredi possit, matrix verò sese contrahit, & circa massam illam ità corrugatur, vt nullum spatiũ intus relinquat, sed comprehendendo semen proprio calore, & actiua virtute illud fouet, & ad agẽdum præmouet; & primo ex vtroq; semine fit segregatio partium crassiorum à subtilioribus, illæ in extremitatibus circumferentiæ pelluntur, istæ intrinsecus reconduntur; ex illis fit membrana, quâ fœtus tegitur, quæ à latinis *Secundina* appellatur, & in se continet excrementum quoddam serosum, in quo fœtus veluti natat; ex subtilioribus accedente sanguine menstruo formatur fœtus; ex sanguine fiunt partes carnosæ, ex semine fiunt partes spermaticæ, quæ solidiores, & fsicciores sunt, vt ossa, nerui, &c. Sed antequam fœtus esformatio fiat, per sex dies massa illa spumosi lactis habet similitudinem.

Deinde incipit membrorum esformatio, circa quam est dissidium inter Philosophos, vt apud Conim. videre est 1. de Gen. cap. 4. q. 29. art. 2. nam Empedocles ait medullam spinalem primò produci tamquam carinam in naui, Democritus vmbilicum, Alchemeon caput, Hippocrates, & Medici iecur, Arist. verò lib. de iuuent. & senect. cap. 1. Cor. Arist. & Hippocrat. propriam sententiam experientijs comprobant. Hippocrat. testatur, in quadam genitura se vidisse solũ iecoris vestigium. Arist. idem de corde fatetur, hinc aiebat; inter alia membra cor est primum viuẽs, & vltimum moriens, & quia vna experientia aliam destruit, propterea neutri fides adhibẽda est. Alij docent tria præcipua membra simul confici .s. Cor, iecur, & cerebrum, eo quia circa sextum diem in illa massa tres apparent bullæ, ex crassiori efficitur iecur, ex tenuiori

maiori cor, ex humidiore cerebrū; valdè est tamen probabilis opinio, quæ docet omnia membra saltem principalia delineari simul, licèt postea ordinatim perficiātur, prius .s. quæ minorem exigunt concoctionem, & heterogeneitatem partium, ità Vallef. lib. 2. controuersi. cap. 7. & alij quos refert, & sequitur Hurt. disp. 2. de gen. sec. 7. ego tamē absolutè sententiam proferrem de corde; & ratio est, quia natura magis solicita est de membris principalioribus, quàm de minus principalibus; & primò iacit fundamenta vitæ, quàm nutritionis, sed cor suo natiuo calore est principium vitæ, & fundamētū mēbrorū, hepar verò suo calore est officina nutritionis, ergo prius cor, quā iecur efformatur, & huius sent. est D. Tho. 2. 2. quest. 112. artic. 2.

Post diebus nouem, massa illa conuertitur quasi in sanguinem coagulatum, in quo distincta apparent illa tria membra, & quædam guttæ rubræ, & quasi filia, deindè sequentibus diebus, massa illa solidatur, & lineamenta perfecta membrorum inducit, vsque ad tēpus animationis; temporis huius periodus citius in maribus absoluitur, quàm in fæminis, illi .n. ex semine calidiori, & robustiori gignū ur, istæ ex frigidiori, & imbecilliori, quot autem dies consumātur, Philosophi non conueniunt; Quidam .n. in maribus à conceptione vsque ad animationem quadraginta circiter dies enumerant, in fæminis verò octuaginta, & hoc quia in lege veteri fæmina si masculū pepererit, quadraginta diebus domi continebat, si fæminā octuaginta ab ingressu templi cessabat, quem numerum Scripturarum interpretes ad imitationem naturæ, ac temporis, quo in vtero corpus efformatur, fuisse præscriptum affirmant; Medici verò ferè omnes solùm triginta dies in maribus cōputant, in fæminis quadraginta, desumentes fundamentum ex anatome, quod experimentum si est verum, sequitur motiuum veteris legis non fuisse imitationem temporis confectionis prolis in vtero, sed aliud. Theodoretus vult motiuum fuisse, vt fæminæ post partum quiescerent, & vires assumerent, & quia magis in gestatione fæminæ in vtero laborant, quàm in gestatione maris, propterea tēpus purgationis in generatione fęmellæ duplicatur. Sed quidquid sit de hoc, quia est parui momenti.

Quæritur in præsenti, quomodo parentes ad hanc organizationem concurrant, pro cuius resolutione sciendum est ex Arist. 1. de Hist. animal. c. 5. quòd generantium ex congressu maris, & fæminæ alia sunt viuipara, quæ prolem viuam pariunt, alia ouipara, quæ oua, alia verò vermipara, quæ vermem informem gignunt, papilione inuolutum. Item certum est patrem post seminis decisionem non immediatè concurrere ad organizationem, quia contingere potest esse mor-

se mortuum, & tamen fœtus adhuc efformaretur.

Conclusio.

Dicimus ad formationem corporis tā patrem, quàm matrem vi seminum actiuè, & passiuè concurrere, ità tamen vt mater propria virtute immediatè organizationem attingat, præter quam in Ouiparis. ità Scot. loc. cit. & primò, quòd vi seminum vterque parens actiuè, & passiuè concurrat, indè patet, quia semen ex dictis est heterogeneum, ergo partes subtiliores vtriusque agunt in partes crassiores. Tum etiā quia ex Mayr. in 3. cit. si semen patris non concurreret etiam passiuè, & per modum materiæ remanentis in prole, iam fœtus nullam consubstantialitatem haberet cum patre, quia nō transiret aliquid de substantia patris in prole, & consequenter talis generatio non esset principio vitæ coniuncta, licèt hoc cōcursu principalius mater concurrat, quia semen matris est magis passiuum, sicut concursu actiuo seminis principalior est pater; excedit tamen mater concursu immediato, quia propria virtute etiam concurrit ad organizationem, quod inde patet, quia extra vterum non potest fieri conceptio, licèt vtrumquue semen adsit cum materia necessaria. Tum quia effectus non videtur excedere actiuitatem matris, & semen est ipsa forma corporeitatis imperfectius, vnde alia causa assignanda est principaliter huius organizationis, quæ aptior assignari nequit quàm mater. Excipiuntur ouiparæ, nàm gallina V.g. pariens oua, si moriatur, adhuc ex ouis educi pulli possent, ergo ad hanc eductionem non requiritur gallinæ concursus immediatus.

Dices, saltem in hoc casu auis incumbens potest immediatè concurrere. ℞. auem incumbentem solum excitare proprio calore virtutem seminalem ouorum, quod patet, quia etiam si alteri diuersæ speciei supponerentur, generarentur pulli ejusdem speciei cum gallina, quod signum est non concurrere concursu immediato. Tum quia si oua fimo subijcerentur, adhuc pulli producerentur; vt experientia comprobatum est.

Quæres, quænam sint tempora partus? ℞. esse mensē 7.8 9.10. & 11. Septimestris partus est frequēs, Nonmestris frequentior, & naturalis. Decimestris etiam satis frequens. Vndecimus rarissimus, & omnes isti vitales sunt; Octimestris verò potius est mortalis, & Hippocrates docet nunquam partum viuere. Huius rationem Astrologi assignare satagunt singulis mensibus aliquem Planetam, ità vt Primo Mense præsit Saturnus, quia cùm sit frigidus, & siccus semen retinet in vtero, & humidam materiam cogit. Secundo, Iuppiter, qui calidus, & humidus, fœtum format, & auget. Tertio, Mars, qui calidus, & siccus superflua siccat, & moueri incipit. Quarto, Sol maiori calore perficit, & ampliores meatus reddit.

dit. Quinto Venus, quæ carnem auget, & venustatem affert. Sexto Mercurius, qui motus instrumenta perpolit. Septimo Luna, quæ carne, & pinguedine omnia fibrarum spatia implet, & vteri os ad partum humectat. Planetis itaque omnibus excultus; si octauo mense maleficus Saturnus redeat, fœtum refrigerat, & constringit vterum, omniaque infausta succedunt, nam difficilis redditur partus, calore enim, & humore qualitatibus vitæ destitutus, fœtus viuere nō potest; Si verò benignum expectet Iouem, vel Martem, aut Solem prospera succedent. Hæc tamen sunt dicta Astrologorum, quæ nullo, vel paruo fulciuntur fundamento. Vallesius autumat, quòd septimo mense infans mouetur ad exitum, qui nisi exeat, laborat, à quo labore recreatur benignis vteri influxibus cui labori si in octauo mense nouus labor parturitionis addatur, viribus deficiens, perit. Alij aliter respondent, sed quia res est occulta, & causa recōdita, & possunt esse diuersæ, solutio difficilis redditur.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Parentes vnionem animæ rationalis cum corpore attingant.

SCot. Ad hanc difficultatem respon. in 4. d. 43. q. 3. artic. 3. & q. 12. q. 1. O. vbi docet solùm Deum esse causam effectiuam huius vnionis creando, & infundendo animam, idem insinuauit in 3. d. 16. q. 2. F. & G. vbi asserit, agens causans formam, causare quoque vnionem, & compositum. De concursu in ordine ad animas sensitiuas, non est magna difficultas, asserimus .n. matrem immediatè concurrere ad eductionem animæ, & informationem, si sunt viuiperæ, aut vermiperæ, dummodo tamen supponatur vermem illum esse viuum, ità manifestè à Doct. colligitur in 4. d. 11. qu. 3. AA. & in 3. d. 4. F. Fundamentum est, quia non est recurrendum ad causas vniuersales, nisi quando necessitas vrget, quod in proposito non accidit, tunc .n. effectus ad causam vniuersalem referri debet, quando vires agentis creati excedit, sed hic effectus vires matris nō excedit, cùm eiusdem sit perfectionis, ergo &c. vtrum autem semen concurrat partialiter ad talis animæ eductionem, licèt inanimatum, est dubium, vt supra diximus, & quidem si in partibus subtilioribus seminis actiuitatem hanc admittamus, saluaretur in mari mediatus concursus in prolem, etiam vt animatam; si verò talis concursus negatur, sic mas immediatè cōcurrit ad seminis decisionem, & mediante semine ad solam organizationem, non ad animationem, cùm in eo instanti semen non ponatur agere.

Dices, Si mater animas sensitiuas immediatè attingeret, sequeretur matrem perfectius attingere generationem prolis, quàm pater,

& ita esset causa principalior, quod falsum est. Rt. Scot. in 3. d. 4. F. Patrem nobilius agere quò ad decisionem seminis, quod etiam est perfectius, nobilius verò matrem, quò ad corporis formationem, neque hoc est inconueniens, quia facta seminis decisione, tota sequens formatio vsque ad partum videtur principaliter ad matrē aspectare.

Instabis: Asina mulum producens, nequit ad eius animationem concurrere, nam mulus est asina perfectior, ergo saltem ad hoc recurrendum est ad causam vniuersalem. ℞. neg. antec. & ad probationem negatur mulum esse asina perfectiorem, licèt grandiorē, & robustiorem, cùm etiam producatur ex semine equi, & ratio est, quia motus inter materiales est actio satis nobilis, cùm ergo asina generare possit, non autem mulus, inferendum est asinam esse mulo perfectiorem. Tota igitur difficultas est circa vnionem animæ rationalis, an .s. Parentes huiusmodi vnionem attingant. Recētiores ferè omnes affirmant, ita Ruu. Conimb. Hurt. Arriag. Auersa, & alij), qua ratione aiunt patrē dici causam filij, quamuis animam non producat. Moris. estò hoc negat de patre, concedit tamen de matre.

Conclusio.

Dicimus iuxta nostra principia, neq; patrem, neque matrem attingere vnionem animæ rationalis cum corpore, sed à solo Deo fieri. est Scoti loc. cit. Pr. ex dictis in phys. Vnio .n. est relatio extrinsecus adueniens, de cuius ratione est, quòd propriam nouitatem, & efficientiam habeat, nec causatur necessariò à causa extremorum, sed ab alia distincta. V.g. informatio caloris non causatur in manu efficiēter à producente manum, quia potest esse manus sine calore, neque ab ipsa manu nisi in genere causæ materialis, & subiectiuæ; nec etiam à calore, nam possunt esse calor, & manus in rerum natura absque hac vnione, & informatione, fit igitur ab igne, non quatenus producit calorem, sed vt inducit illum in manu, & est causa informationis actiuę caloris, & passiuæ in manu, sed parentes non inducunt animam rationalem in corpore, nam possunt esse parētes, & anima in rerum natura absq; hac informatione, sed Deus immediatè illam creat, & inducit causando animationem, ergo parentes non causant talem vnionem, sed solus Deus. Pr. min. post corporis organizationem, non sequitur necessariò animæ infusio, aliter nō liberè crearetur anima, solùm .n. ex libero Dei decreto ad organizationē corporis completa, sequitur animatio, sed partes solùm corporis organizationē attingunt etiam in sent. Arist. qui posuit animam rationalem de foris aduenire, ergo non possunt huiusmodi vnionem & informationem causare, vt melius ex solutione obiectorum patebit. Tum quia difficile est saluare,

quo-

quomodo homo, qui est agens corporeum, hanc vnionem attingat, quæ est spiritualis saltem ex parte animæ, & diuersimodè Aduersarij explicant.

Obiectiones.

Ob. Si homo non attingeret vnionem animæ, ergo non generaret realiter alium hominē, sed hoc est falsum, ergo &c. probatur sequela, producere dispositiones hominis non est producere substantiā hominis, sed accidentia, ergo præter dispositiones, substantiam attingere debet, at non potest materiam, vel animam producere, ergo vnionem. ℞. neg. seq. licèt .n. homo attingeret vniodē, non propterea substantiā hominis attingeret, cū vnio in sent. nostra sit accidens.

Ad probat. neg. antec. nam dispositiones hominis non sunt pura accidentia, sicut in non viuentibus, sed sunt formæ partiales substātiales formam corporeitatis integrantes; quæ cùm ab homine realiter producantur, & sint partes intrinsecę, hominem genitum cōstituentes, producendo homo talem formam, vere dici potest substantialiter hominem producere. Patet de Beatissima Virgine Deipara, quę verè dicitur Mater Dei, & Christi, licèt vnionem hypostaticam non attingerit, sed solùm quia produxit humanitatem Christi, quæ in eodē instanti productionis fuit hypostaticè Verbo vnita, ità quod actio Deiparę non fuit terminata ad humanitatem in se, sed vnitam ex Scot. in 3. d. 4. q. vn. & d. 2. q. 3. quæ humanitas est de intrinseca ratione Christi; ità de homine asserendum erit, actio .n. parentum non terminatur ad corpus in se, sed animæ vnitum, quatenus in eodem instanti, in quo vltimò fit corpus, animatur.

Sed Contrà, ex hac responsione colligitur, non magis hominem concurrere ad generationem hominis, quàm Cœlum ad generationem animalium ex putri; imò cùm de facto in generatione hominis etiam Cœlum concurrat, iuxta illud: *Sol, & homo generant hominem*, non magis ad hominem generandum concurret homo, quàm Cœlum. ℞. neg. sequ. & ratio est, quia Cœlum producit formam illam animalis, non communicando aliquid sui, homo verò cōmunicat, prętādo materiā, ex qua homo fit.

Ob. Attingens vltimam dispositionem, producit formam, potens .n. in media, potest etiam in fine ex 7. Meth. 30. & forma est finis 2. phys. c. 7. sed homo producit omnes dispositiones vnionis animæ, ergo &c. ℞. antec. non esse vniuersaliter verum, maximè quando forma est alterius ordinis à dispositionibus, vt est anima rationalis, quæ est forma spiritualis; & quando etiam sunt eiusdem ordinis, sed alterius prædicamenti, calor enim ignis est causa vltimæ dispositionis formæ ignis, non tñ causat ignem; neque hoc ibi Arist. asserit, sed solùm ostendit omnia fieri quodam-

modo vniuocâ generatione, & estò hoc doceret, intelligendus est de dispositionibus, & forma eiusdem ordinis, & generis.

Ob. si homo generans producit tantùm dispositiones, homo genitus non posset dici filius eius, quia filius fundat relationem filiationis secundum illud esse quod producitur, & in quo substantialiter assimilatur, cùm filiatio sit essentialiter relatio geniti secundum substantiā in similitudinem naturæ, ergo si filius à patre produceretur, solùm quia pater dispositiones producit, non diceret relationem filiationis, nec talis generatio vniuoca esset, quia actio agentis non terminaretur ad aliquod simile, & eiusdem rationis cum natura patris. ℞. neg. sequelam, ad probat. dicimus, illā naturam productam, quæ est illa tertia entitas, verè dici posse à patētibus produci, quatenus aliquid eius .s. corpus ab illis causatur, & actio illorum non prius terminatur, quàm sit animatio ex Doctor. Tum quia vt Scot. docet in 1. d. 5. q. 2. H. Pater intedit statim per decisionem seminis compositum producere, quod si nisi medijs illis mutationibus producit, hoc prouenit ex imperfectione agentis, ac consequenter verè vniuoca generatio dici potest.

Ob. Accidens attingit vltimam dispositionem formæ substantialis, non tamē dicitur causa formæ substantialis, ergo vt homo dicatur causare hominem, præter attingētiam vltimæ dispositionis, aliquid aliud exigitur, quòd nempè vnionem attingat. ℞. neg. paritatem de forma accidentali respectu formæ substantialis, & de forma corporeitatis, nam hæc est de intrinseca ratione hominis producti, non illa, vt eruditè Scot. docet 7. meth. q. 10. & sequitur Mauritius ibidē.

Ob. Vnio animæ ad nouas partes comparatas per nutritionem fit à causa secunda, putà ab homine, nutritio .n. est à principio vitali se mouente ab intrinseco, ergo prima vnio in generatione fiet etiā ab homine. ℞. esse disparem rationem, nam plus ad generationē requiritur, quam ad nutritionem, generatio .n. nō præsupponit corpus anima informatum, vt nutritio supponit; hinc experimur spadones, mulos, & animalia ex putri genita se ipsa nutrire, non tamen generatiuam virtutem habere.

ARTICVLVS SEXTVS.

De causis generationis viuentium ex putri nascentium.

SCot. resolutionem huius dubij indagauit in 2. sent. d. 18. q. vn. & alibi pro cuius intelligētia supponimus, aliqua viuentia talis esse naturæ, vt solùm oriri petant per veram generationem vitalem, de quibus hucusq; egimus; alia verò sponte oriri, & ex putrescente materia, vt sunt quidam vermes, culices, pediculi, &c. qui solùm generant lmines; & formicæ quædam,

quæ

quæ non generant formicas, sed aliud genus .f. oua, quædam tandē vtroq; modo gigni, quæ differentia tam in plantis, quàm in brutis reperitur; equi, leones, &c. solùm ex semine per propagationem generantur, apes tantùm ex putri, mures vtroq; modo, idem in plantis contigit, estò non tàm euidenter appareat. Quæ igitur per solam propagationem ex semine fiūt, appellantur viuentia perfecta, quia plura ad illorum constitutionem requiruntur, alia verò dicūtur imperfecta, quia pauca exigunt, vndè oritur, quòd à pluribus, & diuersimodè produci possunt, facilè .n. est talem virtutem in pluribus reperiri. De generatione, & semine egimus supra, remanet modo, vt aliqua de genitis ex putri dicamus, illorum causas inuestigando.

Fortunius Licetus in libro de *Spontaneo viuentium ortu*, prolixè de hoc articulo differit; & quantùm ad causam finalem, non est ardua difficultas, licèt .n. varij fines à Doctoribus assignentur, potest tamen in his ex putri genitis, finis intrinsecus faciliter assignari ipsa anima, vel compositum; sicut finis cuiuscumq; actionis est terminus ex ea productus; finis verò extrinsecus potest esse multiplex, puta vel bonum vniuersi ex specierum varietate, & conseruatione resultans, vel vtilitas, quàm viuentibus perfectis, hæc imperfecta afferunt, & præcipuè homini, cui inseruiunt, vel pro alimento, vel pro medicina, vel aliquo alio fine; indè non rectè dicitur hæc viuentia temerè, & casu produci, cuius ratio est, qa quæ casu, & per accidens fiunt, nō habent determinata principia, nec semper eodem modo, & immutabiliter generantur, at hæc viuentia à determinatis causis proueniunt, & determinato modo produci exposcunt. Possunt iam effectus casuales aliqualiter appellari, quatenus non fiunt iuxta intentionem agentis particularis sibi simile assimilare intendentis.

Difficultas igitur vrget de alijs causis, nam à Doctoribus iuxta opinionum varietatem tamquam causæ effectrices eorum assignantur, vel Deus, vel Intelligētia quædam Deo inferior, à materia separata, anima mundi appellata, aut Cœli, aut Calor ambientis, vel alterius causæ instrumentalis; & relicta Liceti singulari sententia.

Conclusio.

Dicimus, Causam effectiuam horum viuentium, quò ad animationem esse Deum; materialem causam esse substantiam putrescentem, & concoctam; formalem verò esse animam eiusdem speciei cum illa, quæ ex semine educitur. est ad mētem Scoti, & communior, & quò ad causam efficientem, non potest efficacius probari, quàm ex confutatione aliarum opinionum, tunc .n. ad causam primam recurrendum est, cùm in causis secundis sufficiens actiuitas producendi effectum non reperitur, at in proposito, nec Angelus potest hæc viuen-

tia producere, nam Angeli in communi sent. Theolog. non possunt aliquam formam absolutam causare, nisi solū in se ipsis, actus producendo vitales, in his verò inferioribus in quibus motum localē, & secundum aliquos impulsum causant, tantùm possunt actiua passiuis applicare. Neq; pro causa anima mundi assignari potest, quia hæc non datur, vt in lib. de Cœlo patebit. Neq; Cœli hoc possunt, licèt .n. possent formam corporeitatis gignere, non tamen animam, vt infra ostendemus. Neq; calor, nam cùm sit accidens, neq; ex se, neq; in virtute superioris agentis poterit substantiam aliquam attingere, vt latè in phys. probatum est.

Secunda pars, quòd causa materialis sit aliqua substātia putrescēs; est sent. communis, estq; tamen aduertendum, quòd hic non accipimus putredinem strictò modo, vt solis mixtis conuenit, aliàs sequeretur, nunquam ex sola aqua, vel aqua, & terra posse aliquod viuens generari, nam hoc est contra experientiam, ranæ .n. ex mixtione pluuiæ, & pulueris producuntur, testacea animalia ex mixtione aquæ, & terræ; & in stagnis, ac paludibus lenticula palustris, Folium, & aliquæ herbæ nascuntur, quæ radicibus minimè terram attingūt, quare solùm intelligendum est de putredine largè sumpta, vt etiam elementis conuenit.

Tertia Concl. pars, quòd .s. forma sit eiusdem rationis in his, quæ simul ex putri, & propagatione sūt generabilia, est Scoti in 2.d. 2.q.7. R. ad 1. princ. quē sequuntur Scotistæ, est etiam D. Tho. 6. met. lec. 6. & plurium Thomistarum contra Auerroem, Iandunū, & alios. Probat Scot. inductione. Nam in accidentibus generari videmus eumdem specie calorem vniuocè, & æquiuocè à sole, & ab igne. Idem in substantijs inanimatis experimur, ignis .n. ex chalybe, & silice productus eiusdem est speciei cū igne vniuocè ab altero genito, ergo idē de viuentibus dicendum est, aliter ratio disparitatis assignari deberet, quæ tamen ab Aduersarijs non assignatur, cùm eorum rationes de omnibus concludant. Tùm quia genita per propagationem, & ex putri, eadem omninò habent accidentia, easdem circa eadem obiecta operationes, ab eisdem causis conseruantur, & corrumpuntur; eumdem habent motum siuè sursum, siuè deorsum, siuè progressiuum, & eadem organa; Item eamdem habent figuram, compositionem, complexionem, & proprietates, ergo omnes sunt eiusdem speciei. patet conseq. quia ex accidētibus eiusdem omninò rationis efficaciter colligimus substantias eiusdem esse rationis, & essentiæ.

Aduersarij resp. inter hæc reperiri differentiam essentialem; & ratio est, quia genita ex putri non sunt fæcunda, & alterius eiusdem rationis productiua, vt sunt genita per propagationem, operatio autem

tem

tem principalior in naturalibus est sibi simile generare ex Arist. 1. de gen. animal. c. 20. cùm ergo differant in principali operatione, parum refert, quòd in alijs conueniant. R. neg. assumptum, adest.n. experientia in contrarium, multæ .n. plantæ, & animalia spontè nata alia sibi similia producunt, vt videri poterit apud Conimb. lib. 2. de Cælo c. 3. q. 7. & Ioann. Bapt. Porta lib. 2. Magiæ natur. cap. 2. & certissimum est, quòd in nauibus recenter constructis sæpè muri ex putri generantur, qui nisi capiātur, breui tempore magnus murium prouentus cernitur, idemque de Scorpionibus, & Serpentibus ab Apponense, & Auicenna refertur; eiusdemque opinionis sunt D. August. 3. de Trinitat. cap. 3. & 9. & D. Ambros. de Incarnat. Verbi, in fine; & licèt Aduersarij quamdam Aristot. auctoritatem pro eorum sententia afferant, quàm infra in obiect. adducemus, in experientijs tamen magis pluribus credendum est, quàm vni, etiam perspicacissimi ingenij. Tùm quia non desunt author. Arist. etiam pro nobis, nā 7. meth. 22. & 23. ait: sicut aliqua eadem fiunt ab arte, & casu, ità quædam fiunt natura, & casu; & 6. Hist. animal. c. 15. & lib. 5. c. 1. docet quædam animalia coitu, & sponte produci; & quamuis ab Aduersarijs de identitate generica, nō specifica explicentur, ad libitum tamen, & sine certo fundamento id asserunt. Et quando etiam assumptum esset verum, non propterea talis differentia sufficiens esset ad differentiam specificam inferendā, si in omnibus alijs accidentibus conueniunt, multi .n. homines ex propria complexione sunt infæcundi, & tamen eiusdē speciei sunt cum alijs.

Obiectiones.

Contra primam particulam arguit Licet. Deus non mouet physicè, & efficienter, sed solùm metaphoricè, & in ratione finis, quia inter mouens, & mobile debet esse proportio, at inter Deum infinitum, & materiam horum viuentiū finitam, nulla est proportio, ergo &c. R. neg. assumptum, Deus .n. cum omnibus causis secundis effectiuè concurrit, vt diximus in phy. & hoc etiam in sent. Arist. & si hoc non esset verum, neque anima rationalis immediatè produceretur à Deo, quod est contra ipsum Licetum. Ad probat. dicimus inter mouens, & mobile non requiri proportionem in entitate, sed in potentia actiua, & passiua, qualis etiam reperitur inter Deum, & materiam putrescentem, quis .n. negabit posse Deum materiam aliquam transmutare, sicut corpus humanum transmutat, animam rationalem inducendo?

Ob. Ex 2. de Gen. animal. cap. 3. vbi Arist. docet solam animam rationalem de foris aduenire, nempè à Deo produci, ergo omnes aliæ animæ ab aliquo creato agēte producuntur, & confirmatur ex Sacra

Gen.

Gen. 1. vbi Moyses loquens de generatione plantarum, & animaliũ omnium, non ait illa immediatè à Deo producta fuisse, sed plantas, iumenta, & reptilia à terra, pisces, & volucres ab aqua, cùm autem ad hominis productionẽ peruenerit, tunc Deus dixit: *facimus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; vt ostenderet solùm hominem immediatè à Deo fuisse creatum. ℞. neg. consequ. ideò namque Arist. docuit solùm animam rationalem de foris aduenire, quia sola hæc est à corpore independes, estò temporaneam creationem nõ agnouerit, reliquæ verò animæ à corpore dependenter fiunt, & hoc innuere voluit D. Script. non tamen intelligitur, quòd terra, & aqua in genere causæ efficientis omnia viuentia produxerint, sed tantùm in genere causæ materialis; ità Abulens. & Perer. super Gen. cap. 2. *In die, qua produxit Deus Cælum, & terram, & omne virgultum agri.* & rursus: *Plantauerat autem Dominus Paradisum voluptatis, produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* ex quibus colligitur, quòd omnia efficienter à Deo producta fuerunt, cum hac temen differentia; quòd in productione aliornm viuentium, terra, & aqua habuerunt cõcursum materialem, in productione verò hominis solus Deus concurrit, quia anima humana non educitur, sed creatur.

Ob. in prima Mundi constitutione non fuerunt à Deo viuentia imperfecta creata, non .n. verisimile videtur in primis nostris parentib. pedicullos reperiri, vermes intestinarios, & volucellas è musto producibiles, si muxtum tunc non existebat; Si ergo in mundi principio Deus viuentia spontè nascentia non produxit, quia à causis secundis pendẽt, neque post mundi cõstitutionem illas producit. ℞. non deesse Doctores, qui affirment in mundi primordio, Deum viuentia illa, quæ ex elementorum putredine oriuntur, produxisse, non tamen quæ ex mixtis putrescentib. cùm non adhuc ad fuerit congrua materia, vt videre est apud Alens. Perer. Mol. & Alios, sed quidquid de hoc sit, concedimus hæc viuentia Deum tunc non produxisse, at non sequitur postea non efficere animas illorum, quando materia rectè disposita inuenitur; sic .n. mundum condidit, vt deindè sua prouidentia, regat, & conseruet, & consequenter, vt Author est naturæ, defectus secundarum causarum suppleat.

Ob. Motus est actus imperfectus tum mobilis, quia perfectione caret per motum acquisibili; tum mouentis, quia non simul totam habet perfectionem operationis, at Deus omnes functiones perfectissimas habet, ergo non potest materiam horum viuentium mouere, animam producendo. ℞. tũc motum imperfectionem in mouẽte arguere, quando in illo nõ adest perfecta potentia productiua, si

autem

autē imperfectū causat, vel quia sic vult, vel quia sic exigit natura effectus, motus nō infert imperfectionē in mouēte, ità in casu euenit &c.

Ob. Possunt causæ secundæ viuentia perfectioris cōditionis producere, ergo multo magis viuentia ex putri quæ imperfectiora sunt, vt .n. Arist. ait lib. de Mundo cap. 7. longè minus conuenit functione propria immediatè administrare omnia, quæ in hoc sub cœlesti mūdo quomodocumque fiunt, & speciatim materiam putrescentium animare in viuens fœditissimæ conditionis. ℞. vt sæpè dictum est, ex maiori perfectione non argui in rebus actiuitatem, alioquin posset homo omnia producere, cùm omnium sit perfectissimus; Hinc dicimus causas secundas hanc vim non habere producēdi genita ex putri, quia concurrunt vt inanimata, ac consequenter imperfectiora. Neque ex hoc concursus Diuinus vilescit, nam indecens esset vtique Regem omnia immediatè, & solo efficere, valdè verò consonum est ipsius prouidentiæ, supplere inopiā, & imbecillitatem subditorum suorum, ità se habet Deus, qui sūma prouidentia omnia suauiter disponit, imo maior admiratio ex istis minutissimis animalibus desumitur, vberioremque laudem in summum Artificem rependere debemus, qui tam minima corpora organis, & sēsibus autissimis ornat, magis .n. formicarum opera stupemus, quàm leonis fortitudinem.

Ob. Effectuum genere differentium, non est eadem numero per se causa efficiens ex 2. phys. 30. At Deus est summè vnus, estque animæ rationalis proxima causa, ergo non est causa animarum sensitiuæ, & vegetatiuæ, quæ à rationali genere differunt, ℞. Doctrinam Aristot. valere de causis creatis, & particularibus, non de vniuersali, & increata, cuius est secundarum defectus supplere.

Arguitur contra vltimam partē de causa formali, probando q̀ genita ex semine, & putri specie differunt: Quæ diuersam habent materiam, diuersam etiam habēt formam. cùm non quodlibet ex quolibet generetur, sed genitá ex putri, & ex semine diuersam habent materiam, vt euidens est, ergo &c. ℞. ex Doct. cum distinctione, nam vel intelligitur de materia prima, & sic assumptum est verum, sed falsa minor, vel de materia secunda, seu vt informata est substantiali forma, & sic maior est falsa, nam idem ignis specie, ex ligno, aere, & terra fieri potest. Non potest tamen negari, quòd aliqua entia sunt, quæ non possunt nisi ex aliquo determinato generari, vt acetum ex vino, sed hoc parum vrget.

Ob. ex Arist. 1. de gen. animal. cap. 1. vbi sic ait: *Quæ non ex coitu, sed ex putri materia oriuntur, ea generāt quidem, sed genere diuersum quod gignitur.* & 5. de hist. animal. cap. 1. docet, quòd in gen. piscium, quidam ex limo gignuntur, cum

alijs sunt eodem genere, sed specie distincti, & 2. de anima 34. affirmat naturalissimum esse omni viuenti sibi simile generare, præter imperfecta, & sponte genita. si ergo hæc non generant sibi simile, orta verò ex semine talem habent facultatem, specie differunt. ℞. cũ Liceto lib. 4. c. 24. quòd animantium ex putri alia sunt imperfectissima, quæ nihil generant; alia imperfectiora, quæ aliquod viuens generant alterius speciei, prorsus in fæcundum, vt pediculi generant lendes, & muscæ vermiculos, alia imperfecta, quæ ex coitu alia similia procreant etiam fæcunda, quãuis ob imbecillitatem naturę, quartam non trascendant generationẽ. Arist. loquitur de viuentibus imperfectioribus, & medijs, vt ex verbis ipsius colligitur, dum ait: *talia sunt nonnulla in genere insectorum*, vbi non ait omnia, sed nonnulla, & per hoc ad alias authoritates patet.

Ob. Si hæc doctrina esset vera, frustra natura parasset distinctionẽ sexuum maris, & fæminæ, quia species illa per generationem ex putri conseruari posset. ℞. negan. sequelam, sicut non frustra natura dedit igni virtutem productiuam alterius ignis, licèt æquiuocè possit ab alijs agentibus generari, ità de istis viuentibus philosophãdum est; illa verò propositio, frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora, in casu verificatur in eadem numero generatione V.g. si res hæc fit ex semine, frustra materia putrida concurrit.

Ob. quod ex putri casu fit, non per se fit, & consequenter specie differt à re, quæ per generationem fit, quia quod fit à casu, specie distinguitur ab eo, quod per se fit, estque illi contrarium, nam hoc contingenter fit, illud vero necessariò. ℞. ex Doct. quòd genita ex putri non propriè sunt effectus casuales, quia habẽt causam determinatam, vndè non fiunt ex qualibet materia putrescente, dicuntur autem casuales similitudinariè, quatenus eueniũt preter intentionem inferioris causæ, calor .n. putrescens materiam non intendit generationem viuentium, in ordine verò ad causam vniuersalem, per se fiunt.

Ob. Motuum specie diuersorũ, diuersi specie sunt termini, sed productiones ex putri, & ex semine specie distinguuntur, nam vna est vitalis, alia non vitalis, ergo & terminis .s. animalia per ipsas producta. ℞. cum Scot. vt diximus in phys. non semper distinctionem specificam motuum inferri distinctionem specificam terminorum. Dicimus 2. generationem vniuocam, & æquiuocam sumi posse vel pro toto progressu, quo termini generantur, & sic specie differunt, quia aliæ mutationes in generatione ex semine interueniũt, aliæ verò in generatione ex putri; vel pro productione vltimæ formæ substãtialis .s. animæ, & hoc pacto sunt eiusdem speciei, quælibet .n. anima suum corpus supponit organizatum,

zatum, cùm anima sit actus corporis physici organici &c. vndè solùm distinguuntur respectu agentium. Dicimus 3. disting. terminos diuersos in ratione terminãdi cõc. in esse rei, neg. actio .n. est quid extrinsecum quidditati rei, non habens necessariam connexionem cum illa, hinc sicut homo productus per creationem, & homo productus per generationem, distinguuntur specie in ratione terminãdi actiones specie diuersas, non verò in ratione naturæ, ità animal genitum ex putri, & ex semine distinguuntur specie in ratione terminandi, non verò in rõne naturæ.

Ob. Idem numero effectus non potest naturaliter produci ab agente numero diuerso, ergo neque effectus vnus specie. ℞. neg. conseq. ratio est, quia identitas numerica est omnino determinata, non ità specifica, sub se .n. continet plura indiuidua, quorum vnum esse potest ab vna causa, & aliud ab alia.

Ob. ex D. Thom. in 1. d. 10. q. 1. art. 5. vbi ait: *vnam rem vnum tantùm habere modum, quo ex allio oriatur, vndè non est idem specie, quod fit à natura, & ab arte, nec per putrefactionem, & seminationem.* ℞. hoc intelligendum esse, vt supra, fundatur .n. in hoc principio, quòd natura abhorret superfluum, & est determinata ad vnum, vnde valet de indiuiduis, non de speciebus. Hinc not. quòd ex perfectione naturæ aliquando prouenit, vt pluribus modis communicetur, vt patet de natura Diuina, quæ per generationẽ, & spirationem communicatur; aliquando prouenit ex imperfectione, vt cùm per propagationem, & putrefactionem communicatur, & producitur, vnde ad propositum, vnius rei perfectæ, vnicus est productionis modus, est propositio ambigua.

DISPVTATIO IX.

DE NVTRITIONE, ET AVGMENTATIONE.

POST doctrinam habitam de generatione, & corruptione in communi, & de alteratione, quæ disponit, & consequitur ad generationem, disputat Arist. in hoc secundo libro cap. 5. de motibus conuenientibus substantiæ genitæ, qui sunt nutritio, & augmentatio, & rationabiliter quidem, prius .n. est rem esse, quàm maiorem fieri; & quamuis de his motibus agere, quatenus vitales sunt ad Animasticum spectet, agere tamen de his prout cum aliqua

generatione, & corruptione fiunt, ad hos spectat libros.

ARTICVLVS PRIMVS.
De Viuentium nutritione, & nutrimento.

Scot. in 4. d. 44. qu. 1. fusè explicat dari nutritionem. idem docet S. Thom. 1. de gen. lec. 10. & in 1. p. q. 119. art. 1. arg. 1. & sæpè alibi. D. Bonau. in 2. d. 30. art. 3. q. 2. affirmat dari veram nutritionem, & augmentationem in rerum natura, ait enim, natura, quod in prima actione generando inchoat, per nutritionem, & acretionem ipsi genito absoluendum reliquit. Pro cuius scitu supponimus nutritionem dupliciter sumi, vno modo impropriè, pro quacumque côuersione vnius corporis in alterius substantiam, quô pacto etiam non viuentibus conuenit, hinc ignis nutriri dicitur oleo, ligno, stuppa, &c.

Altero modo propriè, nempè pro conuersione alicuius substãtiæ in substantiam alterius, facta à virtute vitali intrinseca per intus susceptionem alimenti secũdum omnes partes viuentis propter restaurationem deperditi, & hæc est propria viuentium; & differt à prima, quia illa non est actio vitalis, & non fit regulariter per intus susceptionem, & secundum omnes partes, sed per iuxta positionem, & secundum aliquas partes, vt cùm v. g. igni apponitur ex vna parte pabulum, & combustibile; vel si fieret aliquo modo per intus susceptionem, vt cùm vinum ex appositione aquæ augetur, aqua .n. secundum omnes partes cum vino augetur, hæc tamen auctio, & conuersio non est propter restaurationem deperditi, ità vt vinum in se aquam conuertat, quatenus prius secundum aliquas partes corruptum fuerit. Nutritio igitur viuentium fit per intus susceptionem alimenti in ipso viuente, à virtute vitali, qualis est potentia nutritiua secũ- omnes partes, quia quælibet pars viuentis nutritur. Fit etiam propter restaurationem deperditi, non equidem ex mutua actione viuentis, & nutrimenti, sed ex actione caloris naturalis in humidum radicale. Pro qua doctrina notãdum est, vt fusius infra dicemus, quòd cùm quælibet forma ideo in subiecto permaneat, quia qualitates, & dispositiones conuenientes habet, quæ temperamentum appellatur, idem etiam de anima rationali dicendum erit, quæ licèt quò ad essentiam non dependeat à corpore, quo ad informationem tamen, præuias requirit dispositiones, seu proprium temperamẽtum, & mixturam primarum qualitatum, sed præsertim calidum, & humidum. Hic calor dici solet innatus, quia ab initio vitæ viuens comitatur; & naturalis, quia ad omnia opera vitæ est naturale instrumentum; & esto ab aliquibus existere ponatur in spiritibus vitalibus, rectius tamen ponitur subsistere in humido radi-

radicali, seu in carne, & partibus humidis, licèt à spiritibus maximè foueatur, cuius ratio est, quia calor iste dicitur implantatus, & ꝙ partibus viuentis inhæreat, spiritus autem huiusmodo nō sunt partes animæ viuentis. Reperitur igitur hic calor in omnibus viuentib. etiam in plantis, quia etiam istæ coquere debent alimentum, concoctio autem fit per calorem, vndè plantæ melius, & copiosius nutriri incipiunt, quando accidente sole, exiguus illarum calor cœlesti calore fouetur; Calor autem talis est naturæ, quòd nisi ei alimentum, detur, consumit humidum, vnde arbor euulsa arescit; Cùm igitur calor naturalis cōsumat humidum radicale, seu substantiale, viuens indiget cibo, qui humidum nutrimentale vocatur, vt restaurare possit quod perditum erat per calorē, alioquin destrueretur, quia pro sui conseruatione determinatum temperamentum requirit. De hac igitur nutritione in præsenti loquimur, quam dari supponimus contra Magistrum sent. in 2. d. 30. ad quam tria concurrunt .s. nutrimētum, potentia nutritiua, & actus ipse nutritionis.

Quò ad primum, Nutrimentum quod ab Arist. appellatur potentię nutritiuæ obiectum, & alimentum, *est id, ex quo fit nutritio*; & duplex est proximum, & remotum, primum est id, quod immediatè verti debet in substantiam aliti, quod in plantis est succus ille per radices attractus, in quem terra & aqua est cōuersa, sicut in animalibus exanguibus est humor quidam sanguini proportionalis ex Arist. 2. de partib. Animal. cap. 3. in sanguinibus verò ab eodem ponitur sanguis, ꝙ tamen principaliter, & originatiuè intelligendum est, cùm etiam probabilis sit illorum opinio, quos sequitur Angest. de propr. form. & Conimb. asserentium alios humores in corpore .s. chylum, pituitā, atram, & flauabilem, saltem quibusdam corporis partibus inseruire pro immediato alimento.

Nutrimentum remotum est id, ex quo proximum conficitur, & in cibum assumitur, variumque est, iuxta diuersitatem viuentium, non .n. quodlibet nutrimentum est cuilibet viuenti proportionatum, nam quod vni venenum est, alteri est salubre alimentum; Attamen de aliquibus dubitari solet, an possint esse alimentum, & in speciali de Accidentibus, de Odore, de Vino, & de singulis elementis. Quidam ex Thomistis concedunt accidentia nutrire posse propter auth. D. Thom. 3. p. q. 77. art. 5. & 6. asserentis, vermes, & cineres, quæ ex speciebus sacramentalibus generantur, ex quantitate supplente vices materiæ generari, eademque quantitate ali, qua nutriuntur. De Odore aliqui distinguunt, potest enim accipi dupliciter, vel pro qualitate, vel pro exhalatione vaporosa è corporibus odoriferis egrediente, quæ est corpus sub-

substantiale, tenue, rarum, & facile adhærescens, vnde est quòd ex tactu odoriferi corporis aliquãdiu odorem retinemus, nam ex tactu exhalationes illæ ad tangentem transierunt, illique adhæserunt, qua etiam de causa rosa euaporando marcescit, & poma corrumpuntur, sola .n. specierum emissio non sufficit sine euaporatione substantiæ. De odore in prima acceptione, idem iudicium ferendum est, quod de puro accidente; at in secundo sensu aliqui apud Conimbr. & Suar. concedunt posse nutrire. Hieronimus Mercurialis negauit vinum pro alimento inseruire posse, quod est contra communem sent. Quidam hoc negant de simplici elemento, vt Licetus, Bonamicus, Dandinus, Aref. & Alij. affirmat Auersa cum Theophrasto, & Alijs.

Conclusio.

Dicimus, nec accidentia, nec odoriferam exhalationem posse habere rationem nutrimenti, benè tamen vinum, & probabiliter singula elementa. Probantur Singula, & de puris accidentibus patet ex Scot. in 4. d. 12. q. 6. A. vbi docet in nutritione formam viuentis induci in materia alimenti per conuersionem illam substantialem, sed sola accidentia non possunt recipere in se substantialem formam, ergo &c. maior est euidens, minor probatur, forma determinata ad aliquod receptiuum, nullo modo potest aliud receptiuũ perficere, sicut nec albedo Angelũ, nec sapientia lignum, sed forma substantialis determinatur ad materiam substantialem, vt ad proprium susceptiuum, ergo nullo modo quantitatem, vel aliquod accidẽs perficere potest. Tum quia forma de genere priori perficere nequit susceptiuum de genere posteriori, quia actus ordine originis potentiam præsupponit, sed substantia est genere prior quolibet accidente, ergo non potest ipsum perficere &c. Tum quia in nutritione fit vnum per se, at ex forma substantiali, & accidente non fit vnum per se, ergo &c. Tum tandem, quia in nutritione forma materialis educitur de potentia materiæ alimenti, sed nulla forma substantialis educitur de accidente, & in ipsius potẽtia continetur, ergo &c.

Addunt Mast. & Bell. quòd neq; Deus communicare potest quantitati proprietates materiæ, quòd .s. per se subsistat, & sit subiectũ formæ substantialis, quacumq; enim proprietate communicata quantitati, adhuc quantitas esset essentialiter accidens, ergo constituere nõ posset vnum per se cum forma substantiali, nec illam in sua potentia cõtinere. Tum quia vt arguit Scot. si ex speciebus sacramẽtalibus posset quis nutriri, ità vt talis quantitas sit subiectum substantialis formæ, tunc puer ex istis speciebus nutritus vsq; ad finem vitæ, non resurgeret, nisi homo compositus ex quantitate, & forma substantiali, & ità non esset eiusdem rationis cũ cæte-

cæteris hominibus, materia .n. est pars quidditatis compositi, ex dictis in physica, & idem de cineribus infertur, si solùm ex quantitate, & forma substantiali cōstarent. Admittimus vtiq; quòd si quis speciebus sacramentalibus cibaretur, nutriretur, quia accidentibus illis vi caloris naturalis alteratis, dum sunt in vltima dispositione, quæ alioquin sufficiens esset ad introducendam formam substantialem, si sub illis materia panis existeret, tunc crearetur à Deo, vel sola materia prima, in quam viuens agere posset educendo formam substantialem, vel vt alijs placet, produceretur à Deo simul materia, cum forma substantiali. Tum quia potentia materiæ, vel est de essentia materiæ, vt Thomistis placet, vel eius proprietas, ergo non potest à Deo quantitati communicari, sicut nec essentia hominis, nec passio risibilitatis potest etiam supernaturaliter cōmunicari equo, leoni, &c.

Secundò, quòd nec odores nutriant, est Arist. 3. de an. 64. & lib. de sensu, & sensi. cap. 5. in fine, vbi duabus rationibus contra Pythagoram hoc ostendit; Prima, sic: q' non est incrassabile, non est nutritiuum, sed odoratæ exhalationes non sunt incrassabiles, ergo, &c. probatur mi. quia exhalationes sūt maximè similes aeri, aer autem nō videtur posse incrassari, vt oportet. Secunda ratio, quæ est efficacior, & magis conuincit, est, quia exhalatio odorifera, non seruatur in ea sede, in qua alimentum conficitur, ergo non immutatur à virtute nutritiua, patet assumptum, quia nutrimenta conficiuntur in stomacho, in hepate, in corde, vel etiam in venis, at odores directè petunt cerebrum, vbi nō reperitur instrumentum concoctionis alimentorum, nam experimur cerebrum immediatè cibo non ali, nisi prius per varias digestiones depuretur, & concoquatur; licèt aliqui contendant odorosos halitus per poros corporis intrudi, ibiq; in substantiam aliti conuerti, quod aliqualiter concedi posset, si hac intrusione ad ventriculum peruenirent, in quo posset deinde fieri debita concoctio, si .n. poma V.g. esse possunt alimenta, multo magis vaporosę exhalationes, quæ puriores sunt, & ad conuersionem magis idoneæ, & solùm obstare posset ipsarum tenuitas. Verum tamen est, quòd cùm huiusmodi exhalationes propter subtilitatem facilè digerantur, sic etiam sanguinem subtilem generant, & facilè à membris digeruntur, hinc Hippoc. lib. de alimentis, & aphor. 18. ait, quæ cęleriter nutriūt, celeriter etiā cōsumuntur, & euanescūt, quare rustici, & laborantes grossibus, & crassioribus cibis vesci debēt, qui sanguinem grossum generant, & tardioris sūt resolutionis, vndè rustici propter laborē multū cibi consumunt.

Tertiò, quòd vinum solùm ex se nutriat inde patet, quia non apparet ratio incōtrarium, nam vinum

ad locũ concoctionis accedit, estq; incrassabile vi caloris, vt Arist. docet 4. Meteor. sum. 4. c. 1. vbi ait, vinum condensari, & magis nouũ, quia magis terreum est, quàm antiquum, vndè plures fęces, & excrementa conficit, ergo erit nutritiuũ; & Licetus lib. 2. *de his, quæ diu viuunt sine alimento*, Cap. 118. refert quãplures solo vino per aliquos dies nutritos esse. Tandem, quòd simplex aliquod elementum possit esse nutrimentum, ex eo patet, quia serpentes terra nutriuntur iuxta illud Gen. 3. *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Item talpa, ex Plinio lib. 10. natur. hist. & lupus teste Aris. de hist. animal. interdum terra nutriuntur, & cap. 2. docet capitones, & testacea limo, & luto ali, quod est quid ex aqua, & terra cõmixtum, additq; anguillas aqua dulci vesci, & eo magis, quo aqua purior fuerit. & sec. 1. prob. 13. clarissimè ait, aquam esse alimentum ad differentiam aeris, plantæ, & flores è terra auulsi in aquis aliquandiu viuunt, & augentur, herbę quædam radicibus nulli infixę fluitant, & crescunt in mari. Chamaleon ex Plinio, & Tertul. lib. de balneo, solo aere viuit, & licèt à Scaliger. asseratur muscis cibari, hoc tamen conuincit, non solùm pasci aere, sed etiam aliquando muscis, quę tamen cũ non semper, sed raro adsint, fateri debemus aere ali, si non alio cibo nutritur. De igne patet etiã ex Aris. 5. de hist. animal. cap. 19. & Plin. lib. 11. cap. 36. qui asserunt in erareijs Cypri fornacibus degere bestiolas quasdam muscis aliquantum grandiores, quæ si ex igne exeant pereunt, qua de causa eas igne pasci arbitrãtur, & Pyraustas vocari, idemq; de salamandra asseritur communiter.

Aduersarij ad has experientias respondent, elemẽta apud nos pura non esse, ac proinde quæ vno elemento nutriri videntur, multis nutriuntur, & præsertim aqua maris plurium sordium exhalationũ, & mixtorum collectionem continet, vndè mirum non est, si herbæ ibi nascantur, ijs .n. sordibus generantur, & nutriuntur. Quod de Pyraustis additur fabulosum putant, & ab Aris. narratiuè tantùm, non assertiuè pronunciatum fuisse, cùm ipse 3. de hist. animal. cap. 19. expresè docuerit, nullum animal in igne viuere posse; & multi etiã experientia testantur Salamandrã in igne non diu viuere, sed vri, & consumi; quoniam tamen satis frigidæ, & humidæ est naturæ, & aliquando suo tractu prunas extinguit, æstimatur impunè in igne aliquantulum conseruari.

Attamen estò libenter admittamus, ignem propter maximã actiuitatem, quam habet non esse pabulum idoneum viuentium, non propterea idem de alijs elementis asserendum; licèt .n. elementa reuera apud nos sint impura, adhuc tamen, vt aduertit Auersa, proprias formas substantiales retinent; & in illa mixtura aliqua dabitur V. g. aquæ

aquæ particula, quæ alijs exhalationibus non sit mixta, alias si quęlibet pars aquæ esset exhalationibus, alijsq; sordibus compacta, vtique in eadem materiæ portione reperirentur simul forma aquæ, exhalationum, &c. & consequenter admitteretur etiã penetratio corporum. Illa igitur aquæ puræ particula verè nutriret, & si penitus separata ab extraneis viuenti applicaretur, adhuc verum alimentũ esset, sicut in alijs cibis. Nec obstat, quòd illa particula esset saltem alienis qualitatibus affecta, nam hæc impuritas stat cum puritate substantiali, & cibus nutrire dicitur secundum propriam substantiam, non secundum accidentia. Tum quia controuersia est de elementis pro vt de facto apud nos existunt, & exemplum de floribus, & plãtis è terra diuulsis, & in aqua etiam igne valdè purificata immersis, vrget satis.

Obiectiones.

Ob. quòd odores nutriant, nam cerebrum, & spiritus odoribus cõfortantur. ℞. odores confortare cerebrum, non nutrire, & hoc quia vt Arist. docet de sensu cap. 2. cerebrum est frigidum, & vapore odorifero, vt calido temperatur, & fouetur, vnde potius vt medicamentum se habet, quàm vt alimentum.

Dices, Democritus odore calidi panis, & vini quatriduo vitam traduxit; & Plinius lib. 7. cap. 2. refert populos in India reperiri ad Gangis fontes, qui solo odore, & halitu florum, & pomorum vitam conseruant. ℞. si relatio de Democrito est vera, oriri potuit, quia huiusmodi exhalationes multum corporis humidi admixtum habẽt, & per continuam applicationem vsq; ad ventriculum peruenisse, & inde aliquantulum pro alimento inseruisse. Plinij relatio ridicula, & fabulosa censetur.

Ob. quòd vinum non nutriat: si .n. nutriret, sine fundamẽto Theologi docuissent, vinum quantumuis copiosè haustum, ecclesiasticum ieiunium non frangere, si .n. quilibet cibus nutriens frangit, cur non etiam vinum potum si nutrit? ℞. 1. Ecclesiam pro ieiunij obseruantia prohibuisse, quæ propriè, primò, & per se ad nutriendum recipi solẽt, vt sunt cibi, cuiusmodi non est potus, vel quę ad potum instituta sũt, vt aqua, vinum, ceruisia pomorum, & alia huiusmodi. Vnde Ecclesia in die ieiunij pluralitatem commestionis prohibet, non potus, sicuti etiam licèt quidam pisces plus nutriant, quàm quædam carnes, quia tamen ex genere suo plus nutriunt carnes, quàm pisces, illæ interdicũtur, non pisces. Confirmatur ex institutione Eucharist. Sacramenti, quod sub speciebus panis, & vini conditum fuit per analogiam ad nutritionem corporalem, sicut .n. corpus viuens pane, & vino nutritur, ita viuens spiritualiter illo duplici alimento Eucharistico nutritur. Tum quia sicut nutrimẽtum ex vino citissimè fit, ita etiam sta-

tim euanescit, ac consequenter nō magis æstimatur, & hac ratione nō potest homo solo vino diu conseruari.

Ob. tandem, quòd elementa simplicia non nutriant ex Arist. 2. de gen. 90. vbi ex eo, quòd nihil ex vnico alimento nutritur, probat illa, quæ nutriuntur esse mixta ex pluribus elementis, cùm ijsdem nutriamur, ex quibus constamus. R. benè Arist. ostendere animata cōstare ex quatuor elementis, nutrimentum .n. ex quo aluntur, ex illis constat, non tamen quòd semper, & necessariò viuentia debeant ex quatuor elementis ali, nam hoc cōtra ipsum Arist. est qui ibidem ait, plantas ex terra, & aqua nutriri, licèt ex omnibus quatuor elementis constent, vnde Arist. loquitur vt plurimum, & facilius, ex quo non rectè infertur nullum elementum quandoque se solo nutrire posse. Quòd igitur nutricio substantialis datur, sic R. Vbi alimentum conuertitur in substantiam aliti, ibi est vera nutricio, sed in rerum natura hæc conuersio inuenitur; ergo in rerum natura est vera nutricio. Ma. patet ex definitione nutritionis. Min. experientia, videmus .n. homines, & animalia per graue morbum deperdere substantiam, & per nutritionem reparare, at non reparant per veram generationem, ergo per nutritionem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Potentia nutritiua, & actu nutritionis.

Scotus de his agit in 4. sent. d. 44. q. 1. lit. C. & alibi sparsim. Potentia nutritiua sic ab Arist. 2. de anim. 48. definitur: *Est potentia, qua viuens conseruat seipsum, quatenus est huiusmodi*, & illo ly *quatenus est huiusmodi*, à quibusdam explicatur quatenus viuens est, alij tamen & rectius explicant, quatenùs est hoc in indiuiduo, ratio est, quia potest viuens vt viuens conseruare seipsum in specie per multiplicationem indiuiduorum, quod vt fit non fit potentiam nutritiuam, sed generatiuam, potentia autem nutritiua viuēs seipsum in indiuiduo conseruat. Aliqui potentiam hanc nutritiuam, cum calore naturali, vel temperamento primarum qualitatum confundunt, sed certè falluntur, nam potentia nutritiua est principium transmutationis alimenti in substantiam aliti, substantiamque de nouo generatam attingit; calor autem, aut temperamentum cùm sit accidens, generationem substātiæ attingere nequit ex dictis in phys. Vndè hæc potentia est facultas quædam, seu virtus animæ vegetatiuæ, quæ in omnib. partibus viuentis animatis residet, nam ex infra dicendis omnes partes viuentis nutriri debent, ita vt facultas animæ erit potentia quædam partialis nutritiua, totum autem coniunctum ex hac facultate, & par-

& parte corporis animata erit potentia totalis, & adæquata, & licèt interdum ab Arist. nutritio calori tribuatur tãquam potentiæ, intelligi tamen debet de potentia instrumentali, non principali, inter alias enim qualitates maximè calor ad hanc vitalem operationem inseruit. Hæc autem potentia, seu virtus adæquata, & totalis, diuersæ est rationis, non solùm in varijs speciebus viuentium, sed etiam in eodem indiuiduo iuxta diuersitatẽ partium formæ corporeitatis, nam potentia nutritiua carnis producit carnem, potentia ossis producit os &c. Verùm quia multæ ad nutritionem præsupponuntur actiones, per quas paulatim alimentum ad conuersionem substãtialem disponitur, hinc præter potentiam nutritiuam, cuius principaliter est conuertere alimẽtum in substantiã aliti, plures etiam virtutes ei inseruientes concurrunt, vel per totum corpus diffusæ, vel in quibusdam partibus residentes, vel communes omnibus viuentibus, vel propriæ quibusdam tantùm. Primò igitur dicitur virtus attractiua, qua mediante partes omnes ad se alimentum necessarium trahunt, & maximè partes illæ, quæ præparare, aut immittere, vel deferre debent alimentum, vt sunt radices in plantis, ventriculus, iecur, & venæ in animalibus. Secunda potentia dicitur retentiua, qua partes illæ retinent alimentum attractum, & proportionatum, vel vt in se conuertat, vel vt disponat, & perfectius præparet, vel ad alium vsum. Tertia appellatur expulsiua, qua partes à se reijciunt partem alimenti, vel quia noxia, & inutilis est, vel ad aliam transmittant partes. Quarta vocatur secretiua, seu separatiua, qua partes puriores alimenti ab impurioribus segregantur, in qualibet .n. digestione nutrimentum depuratur, & ab ipso aliqua superfluitas secernitur. Quinta tandem dicitur appetitiua, qua pars quælibet appetit alimentum necessariũ, quando illo caret. Sunt aliæ potentiæ peculiares concoctiuæ diuersimodè alimenti iuxta varias mutationes, & digestiones, quas nutrimentum expostulat, vt est in stomacho virtus chylifactiua, in hepate virtus sanguifactiua, &c. quomodo autem hæ potentiæ ab anima, & inter se distinguantur .s. vel realiter, vel formaliter, vel ratione, in lib. de anima patebit.

2 Hæc breuiter de potentia nutritiua, quò verò ad aliam partem, de actu nutritionis, sciedũm quòd plures alterationes, & actiones præcedunt, antequam alimentum in substantiam aliti conuertatur, quod oritur, quia inter substantiam viuentis, & cibum est magna distantia, ideoq; per varias actiones disponi debet, & in nutrimentum proximum conuerti.

Primã igitur alteratio fit in ore, vbi & si cibus substantialiter non mutetur, alteratur tamen, & ad digestionem præparatur, tum diui-

sione, tùm qualitate; præparatur diuisione, quia cibus in minutas partes diuisus, melius in stomacho digeritur, & citius, si .n. in grossas partes diuisus deglutiatur, cum difficultate, & tardius digeritur, quare manens aliquandiu indigestus ad putrefactionem tendit, vnde anhælitus fætidus producitur; Alteratur qualitate propter admixtionem saliuæ, quæ innatum habet calorem, aliasque dispositiones, nam à stomacho, hepate, corde, & cerebro ad radices linguæ transmittitur, hinc propter saliuam cibus in colore, odore, & sapore alteratur; deinde agitatione linguæ, quę veluti manus est ventriculi, & gulæ attractu cibus sic alteratus defertur in stomachum, seu ventriculũ, vbi secunda alteratio fit, & prima digestio.

Ventriculus est veluti promptuarium, quia est primum vas cibi, membris omnibus commune, & veluti pater familias prouidens omnibus de alimento, propterea in medio corporis situatus. Est etiam membris calidis circumuallat', vt in cibi coctione adiuuetur, veluti vas carnes decoquens est carbonibus circumseptus, quæ mẽbra sunt hepar à dextro, splẽ à sinistro, cor à parte superiori mediãte diaphragmate, musculi dorsi è posteriori, & à parte anteriori musculi ventris, & Zirbus adipinus, quæ oĩa proprio calore fouent, & ventriculi calore iuuant. Figura eius est rotunda, quatenus omnium capacior, & ad digestionem aptior, quia cibus vnitus secũdum omnes partes magis conseruatur, quàm si figuræ esset angularis, non est tamen perfectè sphæricus, sed aliquãtum oblongus, & duo habet orificia, vnum superius pro ingressu cibi, & os appellatur; alterum inferius pro eiusdem Egressu Ianitor vocatum, in quo loco cibus digeritur, & in quadam massa veluti lactea conuertitur, quæ à Medicis Chylus dicitur.

Digestione peracta, ventriculus dimittit Chylum per orificium inferius virtute potentiæ expulsiuæ in quædam intestina, vbi fit aliqua segregatio, partes .n. terrestriores veluti excrementa, & fæces in alia inferiora intestina pelluntur, partes verò puriores, Chylus propriè appellatæ, per venas meseraicas transmittũtur ad hepar, & per quãdam amplam venam, quæ Porta vocatur, ingrediuntur, & in hoc fit tertia alteratio, & Secunda concoctio. Iecur est membrum quasi conuexum, & gibosum ea parte, qua diaphragmati vnitur, & ex opposito est concauum, quinque pennulis, seu alis stomachum amplectens, quamuis in homine istæ alulæ non sint semper separatæ; estque substantię tãmquam sanguinis congelati, venarum origo, & quatuor humorum principium effectiuum; nam Chylus in hepate depuratur, & quia in se partes difformes continet, quædam .n. sunt aereæ, quædam igneæ, quædam aqueæ, & quæ-

& quædam terreæ, idcircò iecur propria actiuitate ex chylo quatuor deducit humores .s. sanguinē, pituitam, seu flegma, flauabilem, siuè coleram, & atrabilem, seù malencholiam. Sanguis est calidus, & humidus, correspondens aeri; flauabilis ignea, calida, & sicca; pituita frigida & humida, vt aqua; atrabilis frigida, & sicca, vt terra. Qui humores necessarij sunt in corpore animali, cùm .n. opponātur, vnus vires alterius retundit, ne nimis excedat. Tùm quia sanguis corporis inseruit tamquam principale nutrimentum. Pituita liquiditatem sanguis conseruat, illúmque per totum corpus defert, ac membra corporis humectat, ne frequōti motu exiccentur, & quia est sanguis incottus, faciliter in sanguinem vertitur, & nutritioni inseruit. Flauabilis est nutrimentum fellis, & membrorum etiam aliorum simul cum sanguine, vndè etiam in venis reperitur, & à felle profluit, partim ad intestina, punctionem, & absterfionē pro secessu sua mordacitate causans, partim ad fundum ventriculi suo calore ad digestionem iuuans. Atrabilis etiam pro nutrimento inseruit, & à splene pergens ad orificium stomachi, sua acerbitate famem, & appetitum prouocat. Postquam igitur hi quatuor humores in iecore sunt geniti, segregantur; flauabilis mittitur ad folliculum fellis, atrabilis ad splenem, pituita verò nullum locum habet specialem, sed simul cum sanguine per totum corpus defertur. Fit etiam alia segregatio, cum chylo .n. è ventriculo ad hepar humor quidàm prouenit dictū Vehiculum nutrimenti, & quia ad nutritionem idoneus non est, per quasdam venas Emulgentes dictas, egreditur, & transiens per renes, in ipsis per poros vrinam in vesicam defluit. Sciendum est tamen, quædam animalia reperiri, quæ flauabili, vel atrabili carent, ob causas tamen occultas, quas nescimus, sic mulus, camelus, asinus, ceruus, caper, & alia, fel non habent.

Hac tandem peracta concoctione, sanguis alijs humorib. permixtus, per quamdam magnam venam effluit, quæ Caua appellatur, estq; in plures alias venas ramificata, & per vniuersum corpus dispersa, è qua membra corporis sanguinem attrahunt, & post varias alterationes iuxta membrorum diuersitatem, vnumquodque in propriam substantiam conuertitur. Est tamē circa hoc controuersia inter Medicos, & Arist. nam hic 3. de partib. animal. cap. 4. & 5. vult sanguinē in corde concoqui, & è corde, in alia membra diffundi; Medici verò in iecore sanguinis originem ponunt, quod probabilius iudicamus, nam in corde præter venam cauam per quam ab hepate cor sanguinē haurit, nulli sunt meatus, per quos posset aliquos humores ad proprias sedes dimittere; neque cordis capacitas tanta est, vt vniuersam

dam alimẽti massam capere possit, & decoquere; nec alij humores in corde generantur; sed in hepate, in quo radix omnium venenarum radicata experitur, quæ est vena caua, & licèt hæc ad cor perueniat, in illud tamen terminatur, nec rursus per alios ramos egrediens in cæteras partes distribuitur.

Buccius, & Dandinus defendere Arist. conantur, quòd loquatur de sanguine arteriali, qui per arterias in corde diffunditur: verùm hoc non videtur ad mentem Philos docere, n. videtur omnem sanguinem è corde prouenire, hæc tamen doctrina de sanguine arteriali est verissima; nam sanguis in corde receptus magis pficitur, & expurgatur; ac in spiritus vitales conuertitur, qui non sunt, nisi quædam purissima, & subtilissima substantia ex purissimo sanguine ad modum vaporis extracta, quæ deinde per venas arteriales, vbique diffunditur, & suo calore motui, ac membrorum nutritioni inseruit, vt sanguinem nutrimentalem à iecore prouenientem in se conuertant, quorum aliqua pars per quasdam obliquas, & angustas vias à corde ad cerebrum peruenit, ibique magis depuratur, & in spiritus animales mutatur, sensationibus, ac alijs animæ sensitiuæ operationibus inseruiens.

In his igitur digestionibus semper aliqua separatio superfluitatis fit, & purioris ab impuro; In prima digestione superfluitas Chyli dicitur fex, siuè stercus. In secunda, quæ fit in iecore, superfluitas est præcipuè vrina; aliarum verò digestionum superfluitates resoluuntur vel per nares, & aures, vel per apostemata cum aperiuntur, aut in vngues, & pilos vertuntur, aut insensibiliter per poros egrediuntur, sed maximè expurgãtur per sudorem. Sudor autem est superfluitas humorum præsertim sanguinis, vndè habentes sanguineam complexionem plus, quàm alij sudore abundant. Causæ sudoris sunt fortitudo virtutis expulsiuæ, cũ spiritu quodam fumoso, raritas pororum, & superfluitas aquositatis; cui pus colericum, seu putredo coleræ misceatur, vt sui acritate humidum aquosum ad externa peruenire faciat, & quia amaritudinem habet, sudorem reddit salsum; item quia calor extraneus valdè ad sudorem concurrit, causaque est putredinis, ideoque sudor fætet, licèt sanguis dulcis sit, & malo odore carens, & eò magis sudor fætidus redditur, quò magis partes corporis sunt calidæ ab extrinseco. Ex his deprehẽditur ratio, cur partes superiores corporis magis sudẽt, quã inferiores, sunt .n. magis porosæ, magisq; materia sudoris abundant, caloris .n. est sursum mouere, & fumos sursum eleuare, materia autem sudoris est humidum aquosum; & quia cerebrum fons est humiditatis, hinc facies maximè sudat, & inter partes faciei magis frons sudat, quia primò parti anteriori cerebri subest,

subest, quæ alijs partibus est humidior. Infertur etiam motus immoderatos sudores prouocare, cùm n. sint calefactiui, poros aperiunt, & corporis superfluitates per illos expellunt, magis etiam sudor fit post quietem, quàm in ipso motu, nam in quiete refrigerio adueniente, spiritus circa partes corporis externas propter motum multiplicati ingrossantur, & in materiam sudoris conuertuntur.

Quoniam igitur tot mutationes tum accidentales, tum substantiales in nutritione interueniũt, actus nutritionis propriè cõsistit in actu illo, quo sanguis, vel alius humor vltimo à membris dispositus propriam amittit formam substantialem, & in formam carnis, vel ossis, vel nerui, &c. conuertitur, hinc rectè Scot. loc. cit. ait nutritionem esse generationem quamdam substantiæ, extendendo generationẽ ad omnem inductionẽ formæ substantialis in materia post priuationem, propriè tamen non potest dici simpliciter generatio per se entis, sed potest dici aggeneratio, quia est generatio alicuius: quod per generationem fit idem alicui præexistẽti, seu est generatio partis in toto; & sicut generatio dupliciter sumitur, & vt mutatio est; & vt productio, sic etiam nutritio, ita quòd vt mutatio, est transitus materiæ alimenti à priuatione illius partialis formæ aliti ad talem formam; nutritio vt productio, est productio substantiæ partialis viuentis ex cõuersione substantiali alimenti, virtute potentiæ nutritiuæ facta.

Attamen, quia animalia nõ existunt in vno determinato loco, nec semper in promtu, & approximatũ alimentum habent, sicut plantæ, sed huc, & illuc mouentur, cibumque in diuersis locis quærere debent, idcirco in ipsis quidam appetitus reperitur, qui per famem, & sitim ad appetendum alimentum mouetur; & consequenter virtutem motiuam ad illud quærendum impellit; Fames n. oritur, quando in membris non est sufficiens sanguinis copia, & membra sugunt venas, venæ sugunt iecur, hoc sugit venas miseraicas, & alias, quæ ad stomachum pertingunt, istę à stomacho exugunt; quidquid in ipso est, quo facto stomachus corrugatur, & in ipso causatur dolor, & maximè circa os stomachi, quod etiam humore acido ex splene effuso per illud tempus inficitur, qui humor sua mordacitate accumulat dolorem; & quia defectu alimenti, spiritus quoq; vitales in toto corpore deficiunt, hinc non solùm dolorem in stomacho experimur, sed etiam membrorum omnium lassitudinẽ, spiritus n. vitales vires corporis fouent, quare cùm phantasma percipit emulsionẽ, & ventriculi corrugationem ob alimẽti penuriam, apprehendit alimentum, vt conueniens, & necessarium, illudq; appetitui sensitiuo proponit, qui statim in ipsum tendit per actum appetẽdi, & virtutem motiuam impellit

ad ipsius acquisitionem pro animalis conseruatione. At quia non solũ cibus est animali necessarius, sed etiam potus, vt sua tenuitate in anfrantibus venarum solido cibo sternat viam, & ventriculi concoctioni inseruiat, ac etiam vt ariditatem membrorum, sanguinisque caliditatem mitiget, propterea quando succus iste deficit in corpore, vel propter exercitationem, aut calorem, vel esum cibi salsi, membra inarescunt, & oritur attractio humidi suo modo succo similis, & generatur sitis.

Ex hac doctrina, occasionem arripimus explicandi definitiones famæ. & sitis ab Aris. traditas 2. de an. 28. vbi sic ait: *Fames est appetitus calidi, & sicci; Sitis verò est appetitus frigidi, & humidi*. Dicuntur appetitus, non formaliter, quia propriè sunt dolores quidam anxiè torquẽtes animantia, sed causaliter, quatenus ex isto dolore à phantasia representato, producitur appetitus calidi, & sicci, non absolutè, nã plures sunt cibi, qui frigidi, & humidi existunt; nec fames primò à natura instituta est ad reparandum siccum, sed humidum pingue, quod est pabulum caloris naturalis, vnde per calidum, & siccum intelligi debet omnis cibus, comparatione facta ad potum, regulariter .n. cibus calidior, & siccior potu est. Similiter sitis dicitur appetitus frigidi, & humidi, non quòd omnia poculenta talia sint, sed quòd vel ambas qualitates possident, vel saltem alteram illarum, vnde licèt vinum sit calidum, est tamen humidum, & ad potum aptum.

Dices, quandoq; sitis contingit, estò in ventriculo humidi copia adsit, ergo non prouenit ex inopia potus. Tum quia si talis succus esset necessarius, maximè illo egerent animalia calidiora, & tamen hæc, vt sunt volucres rapaces, rostrum habentes aduncum, & vngues, nunquam bibere cernuntur, ergo &c. ℞. ad 1. nos loqui de siti, vt vniuersaliter cõtingit, potest tamen euenire, quod os ventriculi, vel oesephagus, aut fauces sint humore salso, & acido imbutæ, vt accidit hydropicis, vel ex hepatis intemperie, vt nunquam humectari possint; licèt continuè bibatur. Oesephagus est pars membranea neruea, duabus tunicis constans à faucibus ad superius os ventriculi desinens, cibumque, & potum in vẽtriculum deferens. Ad 2. volucres illæ carnibus crudis vescuntur, & sanguinolentis, quare sanguine, & humoribus crudorum carnium, cibum satis humidum reddunt. Referunt etiam de quodam Oratore famoso Galliarum Regis apud Sixtum Quintum, nunquam bibisse. ad quòd Respond. hoc in illo legato accidisse, quia iusculis, alisque cibis humidioribus vtebatur, vt illi tradiderunt, qui cum eo familiariter versabantur. ideò nihil. Nutritio sic communi ter definitur, vt videre est apud Diu. Thom. lection. 17. 5. *est conuersio, seu transmu-*

ſmutatio vitalis ⁊ nutritiua alimenti in ſubſtantiam aliti. A Scoto verò ſic magis adæquatè: *nutritio eſt conuerſio alicuius ſubſtantiæ in ſubſtantiam alterius facta à virtute vitali intrinſeca per intus ſuſceptionem alimenti, ſecundum omnes partes viuentis, propter reſtaurationem deperditi*. Hinc notan. quòd nomine conuerſionis alimẽti intelligitur non ſolùm conuerſio alimẽti extrinſeci ſ. ſanguinis crudi in ſanguinem decoctum, & cæteras partes integrales, ſed etiam conuerſio alimenti intrinſeci ſcil. ſanguinis decocti in partem ſolidam viuentis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An per Nutritionem acquiratur noua ſubſtantia.

SCot. ad hoc dubium affirmatiuè reſpondet in 4. d. 44. q. 1. & in 2. d. 19. contra Mag. ſent. qui vult, viuens ſemper conſeruari per ſubſtantiam acceptam in prima generatione, & indigere alimento, non vt illud conuertat in ſubſtantiam propriam, ſed vt ſit pabulum ſui caloris naturalis, illudque vertat in excrementa, & ne calor in propriam ſubſtantiam agat. Henr. quol. 2. qu. 10. quem ſequuntur Durand. Zabarell. Contar. & Aliqui, vult in nutritione fieri acquiſitionem nouæ partis materiæ, nō autem formæ, nam hæc ſecundum omnes partes eadem ſemper manet, & vbi prius informabat vnam partem materiæ, quia hæc propter caloris actionem defluit, informat deinde materiam alimenti, eo modo, quo communiter aſſeritur de anima rationali propter ſui indiuiſibilitatem. Communis tamen opinio docet fieri in nutritione acquiſitionē tàm nouæ materiæ, quā nouæ formæ, quando forma eſt in partes diuiſibilis.

Thomiſt. quia ſuſtinent ſubſtantiam præciſa quantitate, partibus carere, nimis vrgentur ad hanc partialem, & nouam acquiſitionē explicandam. Complut. de gener. diſp. 5. qu. 3. & ſequ. volunt duas ſubſtantias ſeperatas, ſi vniantur, vbi prius erant duo tota realiter diſtinſtincta, realiter deinde in vnione identificari, ità vt nulla ſit inter illas diſtinctio realis quò ad ſubſtantialia, nam prius ſigillatæ erant duabus quantitatibus totalibus, poſt verò vnionem, vna ſolùm quantitate, à qua ſumitur ratio indiuiduationis, quia tamen poſſunt iterum per diuiſionem ſeparari, aut per corruptionem, idcircò aiunt cum hac actuali identificatione ſtare realem quamdam diſtinctionem potentialem, qua, poſſint denuò actualiter diſtingui ſi ſeparentur; quæ diſtinctio potentialis maior eſt diſtinctione virtuali, quæ enim hac diſtinctione differunt, vt ſunt prædicata quidditatiua; nullo modo ſeparari poſſunt. Vndè volunt per nutritionem acquiri ſubſtantiam viuam de nouo ex materia alimenti productam, non quidem, vt habet rationem partis, quia hæc de-

denominatio est à quantitate, & accidentalis, & ità nequit sub hac ratione terminare nutritionem, quę respicit substantiam sub ratione substantiali, sed terminat, vt sit realiter,& actu vnum per se,& identificatum cum præcedenti substantia, licèt postea per quantitatem extēdatur,& habeat rōnem partis.

Non placet, nouum est .n. in Scholis, vt etiã Ipsi Thomistæ docent, quòd aliqua realiter identificata possint separari, vt .n. in log. & pysic. diximus, signum præcipuum, & irrefragabile distinctionis realis, est possibilitas separationis, non actualis separatio ex 7. Topic. cap. 1. loc. 16. quæ .n. actu separata non sunt, sed separari possunt, non dicuntur actu realiter identificata,& potentialiter distincta, aliàs quia materia, & forma non sunt actu separata; imò magis vnita, quàm duæ partes materiæ, quæ conficiunt totum integrale entitatiuum, illæ verò totum per se physicum ex actu & potentia, quod est magis vnum, quàm illud, essent materia, & forma realiter identificata,& potentialiter distincta, quod est falsum. Tum quia vnio per nutritionem habita non tollit distinctionem, sed diuisionē, & separationem, ergo si illæ partes substantiales prius distinctæ erant, similiter, & postea. Hinc Mag. Iacobus Brun. qu. 4. de gen. art. 1. fol. mihi 139. hanc sent. spernens, ait: *Partes integrales per nutritionem quando conueniunt, quando coniunguntur, non erunt identificatæ, sed solùm vnitæ, & ratio est, quia quæ fiunt vnum per substantialem identificationem separari non possunt, partes autem integrales materiæ separari possunt, vt cum resultant diuersa indiuidua, ergo quando coniunguntur non erunt identificatæ, sed vnitæ, vndè etiam materia, & forma quæ sunt partes essentiales dum vniuntur ad vnum totum constituendum, non identificantur, vt ait D. Thom. de spirit. creat. art. 4. ad 14. ergo à fortiori, nec partes integrales substantialiter identificabuntur.* hæc relatus Thomista. Quòd deindè quãtitas sit principium indiuiduationis, suo loco falsum esse ostendemus.

Ioan. de S. Tho. q. 8. de gen. art. 2. autumat, per nutritionē acquiri partialem entitatem substantiæ, quæ est pars formaliter per quantitatem, ex se tantum est pars solū radicaliter, vndè non acquiritur formalitas partis, sed radix, quæ est illa substantialis entitas, & videtur doctrina cōmuniter recepta à Thomistis. Sed non valet, quia vt phys. habuimus, verè substantia illa prēsupponitur quantitati, & materiæ aliti cum materia alimenti substātialiter, & entitatiuè vnitur, & vna non est alia formaliter, etiam præscindendo à quantitate, ergo actu erit pars formaliter, non tantùm radicaliter, hanc .n. compositionē facit per suam entitatem, non per quantitatem. Tum quia vt dicebāt Complut. nutritio respicit substantiam sub ratione substantiali, & vt sit realiter, & actu vnum per se, licèt

cèt per quantitatem postea extendatur, & habeat rationem partis. Sed contra, quod est vnum per se actu, actu constat ex partibus, ex actu .n.& potentia fit vnum per se, ergo independenter à quantitate nutritio ad substantiam terminatur, ne cogamur ponere ens per se vnum compositum actu, constare sine partibus in actu. Tum quia Thomistæ nobiscum fatentur subiectum accidentium esse compositum actu substantiale, sed in nutritione fit vnum ens per se compositum actuale, ergo ante quantitatem erant partes in actu, compositum .n. actuale non est sine partibus actualiter componētibus. Compositum in potentia habet partes in potentia, sed compositum in actu, ex partibus in actu constare debet.

Conclusio.

Melius igitur asserendum est cū Scot. loc. cit. *in nutritione acquiri nouas partes materiæ, & formæ quando hæc est diuisibilis, ex se ipsis actu realiter distinctas à substantia præcedente viuētis, tamquam partes substantialiter, & entitatiuè diuersas, quæ verè transeunt in substantiam aliti*, est ferè communis, & ità à Doctore probatur: omnis forma pręter rationalem est diuisibilis, materialis, & educitur de potentia materiæ, ergo ad extensionem materiæ extenditur quoq; forma, antecedens supponitur tū ex dictis in phys. tum ex dicendis in lib. de an. conseq. prob. ex Arist. cap. de quantitate, vbi ait: quanta est superficies, tanta est albedo ergo quanta est materia, tāta est forma. Tum quia cùm noua pars materiæ viuenti aduenit, vel pars formæ hanc nouam materiam perficiens, cessat informare priorem materiam, vel non (& per materiā priorem non intelligimus illam, quæ fluxit actione caloris, sed quæ adhuc in viuente permanet) si primum, ergo illa prior materia debet ab alia forma informari, & sic daretur noua pars formæ, quod est contra Aduersarios, vel relinquēda esset materia sine forma, quod est naturaliter impossibile; Si secūdum, ergo idem perfectiuum duo perficeret perfectibilia adæquata, quod est Impossibile, nequit .n. forma materialis duas adæquatas informare materias, vt in phys. ostēdimus. Tum quia sicut forma accidentalis de subiecto in subiectū migrare non potest, quamuis vnū subiectum esset alteri continuum, sed extenditur ad extensionem subiecti per nouas partes, multò minus hoc de forma substantiali affetēdum erit, etiam si continuentur, cùm maior sit vnio formæ substantialis cum materia, quam accidentis cum subiecto. Tum quia in illa partiali corruptione per actionem caloris, viuēs partem aliquam materiæ amittit, vt etiam Aduersarij fateri tenētur, quo supposito quærimus de parte illa formæ, an ad partem materiæ remanentem se restringat, & sic est migratio de subiecto in subiectum, & duæ formæ

partiales in eodem subiecto, vel ibi sola persistere sine materia, quod impossibile est naturaliter; vel tandem fluit simul cum materia, & tūc sicut per nutritionem materiæ deperditio restauratur per acquisitionem materiæ alimenti, ità etiā restaurari debet formæ deperditio per nouæ formæ acquisitionem.

Zabarella lib. de accret. cap. 15. & 16. resp. ad 1. duplicem esse adæquationem, vel secundum quantitatem, vel secundum proportioné; Prima non adest inter corpus, & animam, cùm hæc non sit quanta, vndè eadem anima vegetabilis est adæquabilis corpori formicæ, & elephantis, nata est .n. in magna, & parua materia extendi; hinc quādo caro facta est maior non sunt duo perfectibilia, sed vnum, quod prius erat paruum, postea fit magnum; Secunda adæquatio adest inter totum corpus, & animam, nō inter partem aliquam, nam hæc nō est adæquatum perfectibile respectu totius animæ, sed totum corpus, ideòq; nunquam anima informabit duo perfectibilia adæquata.

Ad illud de migratione resp. migrationem totalem, qua forma totum subiectum deserat, esse naturaliter impossibilem, at migrationem quasi partialem, qua forma totum suum subiectum non deserat, sed in eo maneat, & ab vna eius parte ad alia informandam transeat, non esse in anima impossibilem, estò nō admittatur in alijs formis; ratio est, quia aliæ formæ informant corpus similare, in quo est eadem conditio totius, & cuiuslibet partis, & ità in informatione vna pars non dependet ab alia. Anima verò est forma corporis dissimilaris, cuius partes necessario ordine informat; vnam quidem primò, ac præcipuè, deinde alias per illam, & consequenter poterit anima à membro præcipuo, in quo est radicata ad alias partes aggeneratas protendi.

Sed primum non valet, nos .n. hic loquimur de æqualitate secundum partes entitatiuas, secundum quas anima extenditur corpori extensione entitatiua, correspondés tota toti corpori, & pars parti; & vtique maior est secundum istas partes anima vegetans, quando arbor ingentis est magnitudinis, ac cùm erat planta, alioquin asserere oporteret, vel omnem animam indiuisibilem esse, quod falsum esse in lib. de anim. ostendemus, vel anima extendendo se ad totum corpus, geminabitur, & reduplicatione quadam informabit totum corpus, sicut albedo palmaris nō posset extendi subiecto bipalmari, nisi vel per additionem, vel per replicationem, sed hoc secūdum est impossile, nam idem penderet à pluribus causis materialibus adæquatis, ergo primum. Quare sicut totum corpus est adæquatum perfectibile totius animæ, ità quælibet pars est adæquatum perfectibile cuiuslibet partis animæ, quamuis cum aliquali dependentia partium

tium minus principalium ad principaliores, & consequenter si eadē pars formæ duas informaret partiales materias, idem perfectiuum existeret in duobus adæquatis perfectibilibus.

Neque secundum placet, licèt .n. partialis transmigratio in forma indiuisibili admitti debeat, qualis est anima rationalis, quia non dependet à subiecto, non tamen in forma diuisibili, quæ cùm sit materialis in suo esse, fieri, & conseruari à materia dependet, ita q́ sine illa nec esse, nec fieri possit, nec à qualibet materia pendet, sed ab illa, quam informat, vnde pars animæ, quæ est in arboris ramis non pendet à materia, quæ est in radice, si .n. ramus præscinderetur adhuc anima vegetās permaneret, licèt nō longo tempore, quod prouenit defectu absentiæ terræ, à qua compositum illud accipit alimentum. Idem dicendum erit de sensitiua in animalibus imperfectis, quæ diuisionem patiuntur, vt lacertæ, vermiculi &c. Si ergo pars formæ essentialiter ab eadem materia dependet, quam informat, sequitur, quòd si hæc in viuente diffluit, etiam forma, illam materiam informans perit; quòd autem primò informet aliquas partes, deinde alias, arguit solùm dependentiam, & subordinationem in partium informatione, non tamen quòd anima totaliter à principalioribus partibus dependeat, & nullo modo ab alijs, quas informat. Neque affirmari potest partes illas formæ tunc ad materiam remanentem confugere, videmus .n. in decisione caudæ lacertæ, vel rami pars formæ in eadem materia remanere, ergo si hæc materia flueret, etiā pars formæ simul flueret.

Secundò, quòd hæ nouæ partes in nutritione à præcedentibus substantialiter, seu entitatiuè actu distinguantur, patet ex dictis in logica, & in physica, vbi ostendimus substantiam præcisa quantitate habere partes entitatiuas, q́ adhuc probatur, nā nutritio de sua ratione formali pro termino respicit substantiā viuentis, nō totalem, aliter à generatione simpliciter non differret, sed partialem, quare aggeneratio dici solet, non generatio, & hoc à quantitate præscindendo, seu vt talis substantia quantitatē natura præcedit, sicut corruptio, cui nutritio opponitur, non est destructio alicuius substantiæ totalis, sed partialis, ergo hæc noua substantia se ipsa à prima substantia distinguitur, non per quantitatem, cùm hæc potius sequatur ad illam, at non distinguitur vt totum à toto, quia non sunt duo diuisa, sed vnita, ergo vt pars à parte.

Quòd tandem in nutritione hæc substantia alimenti verè in substātiam aliti cōuertatur, probat Scot. contra magistrum in 4. cit. §. *Circa istam quæstionem &c.* qui solùm de homine hoc negare videtur: Non minus perfectè nutritur homo, quā brutum (ait Scot.) nam ità generatur

tur homo imperfectæ quantitatis, sicut brutum, & ita in illo sic continua partium deperditio sicut in isto, ergo sicut in brutis nutritio fit per conuersionem alimenti in substantiam brutorum, & augmentatio terminatur ad aliquid de esse ipsorum, ita in homine continget. Deinde probat vniuersaliter: Si caro illa quæ à parentibus contrahitur solùm adest in sensitiuis toto vitæ tempore, iam esset incorruptibilis, sed hoc est falsum, cùm sit eiusdem rationis cũ altera carne, quæ de nouo aggeneratur, ergo &c. Tum quia tota caro est in sẽsitiuis animata, tàm anima vegetatiua, quàm sensitiua, ergo tota est de eorum substantia, tàm illa, quam habuit per generationem, quàm ista, quam possidet per aggenerationem. Confirmatur: viuens secundum suam substantiam fit maius, ergo vel per replicationem eiusdem substantiæ, vel per rarefactionem, vel tandem per veram additionem nouæ substantiæ; non primum, quia replicatio in pluribus locis non est naturalis, nutritio verò, & auctio est naturalis; non secundum, quia sic corpus viuentis aucti esset rarius, & tenuius, & leuius, corpore viuentis parui, quod est falsum, ergo remanet, quòd fiat maius per veram additionem nouæ substantiæ partialis, quæ fit de ratione viuentis.

Obiectiones.

Obijcitur ex Aristot. 1. de anim. 94. vbi docere videtur omnem animam esse indiuisibilem, ergo saltem anima non acquiritur de nouo secundum partes. ℞. variè apud Interpretes locum illum exponi, & Argyropolus illũ vertit *Diuisibilem*, quod tamen de vegetatiua, & sensitiua intelligendum est, de quibus prius locutus fuerat; & quando etiam indiuisibilem diceret, intelligi debet de indiuisibilitate secundum speciem, non secundum extẽsionem, vt ex ipso text. colligitur, vel loquebatur de animabus animalium perfectorum, quatenus eorum animæ non possunt separatæ existere, ad differentiam aliquorũ animantium imperfectorum.

Ob. ratione: Si de noua parte carnis noua pars animæ educeretur, quia hæc pars carnis est homogenea, iam illa pars animæ non esset actus corporis organici, sed homogenei, quod est contra animæ definitionem: Neque in viuente esset aliquod membrum principale, à quo diffunderetur vita in cætera membra, & in illis ab illo dependenter reperiatur, hoc autẽ est falsum, cætera .n. membra à corde dependenter animantur. Pr. sequ. nam res non pendet in conseruari ab eo, à quo non pendet in educi, sed pars illa animæ educitur à parte carnis, non à corde, ergo &c. ℞. in omnium sententia asserendum est partem illam animę esse actũ corporis homogenei, ideò .n. anima corpus informat dissimilare, quia partes informat similares, definitio autem animæ non debet

bet de qualibet parte verificari, sed de tota anima, nam nequit anima tota existere, quin corpus hæterogenum informet. Negatur etiam secunda seq. aliæ .n. partes in tantum animantur, quia à corde vitam participant, ad probationem dicimus, animam partialem à corde dependere inconseruari, & produci in genere causæ efficientis, à parte verò carnis, à qua educitur, in genere causæ materialis, licèt in aliquibus præsertim in plantis tanta dependentia non vrgeat.

Ob. ex hac sent. sequeretur, non vnicam animam esse in viuente, nisi per aggregationem plurium, quod est contra Arist. 3. de part. animal. cap. 4. & sequ. vbi docet animal esse vnum propter animam vnam, & hanc esse vnam propter vnum principium, quod est cor. ℞. neg. sequ. in viuente enim vna anima reperitur, per continuationem tamen, non plures, alioquin omnem animam indiuisibilem ponere oporteret, quod experientiæ repugnat in plantis, & animalibus imperfectis.

Deinde instari potest contra aliam partem cõclusionis, quòd istæ partes nõ sint distinctæ substantialiter actu independenter à quantitate, rationibus illis, quibus Thomistæ impugnãt diuisibilitatem substantiæ, sed præsertim sic Complut. arguũt: substantia materialis, & completa debet esse quid per se vnum, vt est genus intra lineam substantiæ, at si haberet partes entitatiuas vnà cum partibus physicis, non esset quid per se vnum, quia ex duobus totis completis nõ fit per se vnum, at data nostra sententia, in hac substãtia esset totum resultans ex partibus entitatiuis, & totum resultans ex partibus physicis, & ità includeret duas totalitates cõpletas, & consequenter esset vnum per accidens.

℞. quòd si hæc ratio concluderet, probaret etiam quantitatem non esse vnum per se, cũ in ipsa adsit totalitas integralis, & totalitas methaphysica, & sint per se de conceptu quantitatis, nam extensio partium impenetrabilium est ratio quantitatis, in qua totalitas methaphysica includitur, nec vna totalitas se habet per modum actus, & potentiæ respectu alterius. Asserimus igitur, idem ens substantiale completum includere essentialiter vtramque compositionem, compositio .n. ex partibus integralibus est de essentia rei materialis nam per hanc distinguitur à substantia spirituali, vt melius suo loco patebit; nec sunt duo tota realiter distincta, sed idem omnino est totum physicum, & totum integrale, nam partes totius physici sunt materia, & forma; partes totius integralis sunt caput, brachia, pes, &c. quæ etiam sunt eadem materia, & eadem forma totius physici, licèt alia sit ratio totius physici, & totius integralis.

Arguitur tandem, ex Magistr. Sent. quòd alimentum non transeat

ſeat in ſubſtantiam aliti; & primò ex illo Matth. 15. *Omne, quod intrat in os, in ventrē vadit, & in ſeceſſum emittitur*, ergo nulla pars cibi tranſit in ſubſtantiā aliti, ſi omne in ſeceſſum emittitur. ℞. communiter cū D. Thom. 1. p. qu. 119. art. 1. ly *omne* accipi in ſenſu diſtributionis accommodæ. ſ. ex omni aliquid emittitur, quod eſt dicere diſtribuitur pro quolibet cibo, nō pro qualibet parte cibi, de quolibet .n. verum eſt dicere, quòd per ſeceſſum emittatur, cùm in qualibet digeſtione fiat ſemper aliqua fæcum ſegregatio, non tamen de omni parte, ſed ſolùm de terreſtrioribus, puriores verò in ſubſtantiam aliti cōuertuntur.

Dices cum Arriag. diſp. 2. de gen. num. 77. hæc propoſitio ſic explicata inepta eſt ad intentum Domini Saluatoris, qui probare voluit, quod in os intrat, nō coinquinare hominem, quia in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur, ad hoc autem exigitur, vt totum eat in ſeceſſum, aliter ab illa parte remanēte, poſſet coinquinari homo. Tum quia ly *omne* neutraliter poſitum idem eſt ac totum. Non valet, nam vt bene aduertunt Baſſol. in 2. d. 30. q. vn. art. 1. & Ruu. hic, Chriſtus per illam propoſitionem oſtendere voluit hāc cibi digeſtionem eſſe actionem naturalem nutritiuæ potentiæ, ideoque non inquinare, nam quod coinquinat, de ore exit, .ſ. de corde, & manet in illo, actus .n. voluntatis eſt primò peccatum, & de hoc exeunt furtā, adulteria, homicidia &c. Neque illud *omne* vrget, nam etiam Apoſtolus 1. Corinth. 10. ait: Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur manducate, vbi ly *omne* non neceſſariò totū cibum ſignificat, quaſi quòd Apoſtolus conſulerit, vt omnes cibos, & ſecundum quamlibet partē manducemus, ſed diſtributio fieri debet ad omnes, & ſingulos cibos, non autem ad omnes, & ſingulas partes.

Ob. Ex hac opinione ſequeretur naturaliter hominis immortalitas, per continuam .n. alimenti ſumptionem ſubſtantia humidi radicalis continuò repararetur, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. ℞. neg. ſequelā, nam & ſi per nutritionem partes deperditæ reparentur, non tamen cum tanta virtute, ex continua .n. reactione, debilitatur virtus, & tādem euaneſcit, nō minus ac vinum euaneſcit, ſi guttatim in eo aqua infunditur.

Ob. Non poteſt homo vnionem animæ rationalis in generatione attingere, ergo neq; in nutritione, ergo ſaltem in homine non erit naturalis nutritio, & conuerſio cibi in ſubſtantiam aliti. Baudunius noſter reſp. vnionem animæ rationalis non eſſe ſpiritualem, ſed corporalem, & ideò nutritio poteſt illam attingere. Sed hæc propoſitio ſic abſolutè pronunciata nō debet admitti, ſi .n. corporalis eſt, quare non educitur de potentia materiæ,

vt aliæ formæ materiales, sed potius de foris aduenit, & creatur à Deo? Vndè potius respondendum est cum Mastr. & Bell. quòd licèt homo non possit propria virtute vnionem animæ rationalis attingere in generatione, vbi totaliter, & liberè à Deo creatur; at postquā habet in sua potestate animam, virtute propria, vnionem hāc partialem animæ in nutritione attingere potest, quare non est idem iudiciū ferendum de generatione, vbi anima de foris aduenit, & de nutritione, vbi iam anima intus est, & informare debet totum illud, quod aptum est ab ipsa informari, vt est pars illa corporea de nouo à viuēte aggenerata.

Ob. Puer statim mortuus, resurget in ætate perfecta, & mole corporis illi ætati proportionata; & tamē nouam carnem per nutritionem non acquisiuit, ergo eodem modo homo adultus in mole corporis absq; conuersione cibi in substantiam propriam augetur. ℞. cū D. Tho. in 2. d, 30. q. 2. art. 1. ad 7. quòd talis puer per miraculum ad debitam quantitatē perueniet, non per multiplicationem materiæ, sed per additionē exterioris materiæ. Hinc D. Aug. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. ad propositum ait: *supplebit Virtus Diuina, vbi deficit natura, vbi verò sufficienter natura parauit materiam, Deus nō agit supplēdo, sed in formando.*

Ob. Si talis nutritio daretur, sequeretur hominem in resurrectione ingentis magnitudinis resurgere deberet .n. reassumere totam carnem nutrimentalem, quam in hac vita habuit, imò potest dari casus, quòd aliquis nutriatur carne humana, ergo si fieret ista conuersio, eadem caro in resurrectione in duobus reperiretur. ℞. Scot. hominem in resurrectione solùm habere non quidem omnem carnem, quam per nutritionē in via acquisiuit, sed quantum ad perfectam ætatem corporis viriliis sufficit; & de omnibus partibus carnis habebit puriores. Si eadem portio materiæ in duobus hominibus fuisset, resurgeret illa portio in illo homine, qui prius fuerit de illo nutrita.

Ob. Ex D. Aug. lib. 10. super Gen. ad lit. C. 19. vbi ait: *omnes homines fuerunt in Adamo, non solùm secundum seminalem rationem, sed etiam secundum corpulentam substantiam,* hoc autem impossibile videtur, si homines per nutritionem nouam acquirerent substantiam per nutritionem, quæ fit de veritate naturæ. ℞. communiter cum omnibus Theolog. ideò homines in Adamo contineri, quia ab eo tanquam à causa remota, & originaria descendunt secundum naturalem propagationem per virtutem generatiuam, quæ est ratio seminalis, & secundum corpulentam substantiam, quæ est materia subministrata in generatione à parentibus, non autem, quòd caro omnium hominū in Adamo extiterit.

iam alimẽti massam capere possit, & decoquere; nec alij humores in corde generantur; sed in hepate, in quo radix omnium venenarum radicata experitur, quæ est vena caua, & licèt hæc ad cor perueniat, in illud tamen terminatur, nec rursus per alios ramos egrediens in cæteras partes distribuitur.

Buccius, & Dandinus defendere Arist. conantur, quòd loquatur de sanguine arteriali, qui per arterias in corde diffunditur: verùm hoc non videtur ad mentem Philos. docere. n. videtur omnem sanguinem è corde prouenire, hæc tamen doctrina de sangnine arteriali est verissima; nam sanguis in corde receptus magis pficitur, & expurgatur; ac in spiritus vitales conuertitur, qui non sunt, nisi quædam purissima, & subtilissima substantia ex purissimo sanguine ad modum vaporis extracta, quæ deinde per venas arteriales, vbique diffunditur, & suo calore motui, ac membrorum nutritioni inseruit, vt sanguinem nutrimentalem à iecore prouenientem in se conuertant, quorum aliqua pars per quasdam obliquas, & angustas vias à corde ad cerebrum peruenit, ibique magis depuratur, & in spiritus animales mutatur, sensationibus, ac alijs animæ sensitiuæ operationibus inseruiens.

In his igitur digestionibus semper aliqua separatio superfluitatis fit, & purioris ab impuro; In prima digestione superfluitas Chyli dicitur fex, siuè stercus. In secunda, quæ fit in iecore, superfluitas est præcipuè vrina; aliarum verò digestionum superfluitates resoluuntur vel per nares, & aures, vel per apostemata cum aperiuntur, aut in vngues, & pilos vertuntur, aut insensibiliter per poros egrediuntur; sed maximè expurgãtur per sudorem. Sudor autem est superfluitas humorum præsertim sanguinis, vndè habentes sanguineam complexionem plus, quàm alij sudore abundant. Causæ sudoris sunt fortitudo virtutis expulsiuæ, cũ spiritu quodam fumoso, raritas pororum, & superfluitas aquositatis; cui pus colericum, seu putredo coleræ miscetur; vt sui acritate humidum aquosum ad externa peruenire faciat, & quia amaritudinem habet, sudorem reddit salsum; item quia calor extraneus valdè ad sudorem concurrit, causaque est putredinis; ideoque sudor fætet, licèt sanguis dulcis sit, & malo odore carens, & eò magis sudor fætidus redditur, quò magis partes corporis sunt calidæ ab extrinseco. Ex his deprehẽditur ratio, cur partes superiores corporis magis sudẽt, quã inferiores, sunt. n. magis porosæ, magisq; materia sudoris abundant, caloris. n. est sursum mouere, & fumos sursum eleuare, materia autem sudoris est humidum aquosum; & quia cerebrum fons est humiditatis, hinc facies maximè sudat, & inter partes faciei magis frons sudat, quia primò parti anteriori cerebri

subest,

subest, quæ alijs partibus est humidior. Infertur etiam motus immoderatos sudores prouocare, cùm.n.sint calefactiui, poros aperiunt, & corporis superfluitates per illos expellunt; magis etiam sudor fit post quietem, quàm in ipso motu; nam in quiete refrigerio adueniēte, spiritus circa partes corporis externas propter motum multiplicati ingrossantur, & in materiam sudoris conuertuntur.

Quoniam igitur tot mutationes tum accidentales, tum substantiales in nutritione interueniūt, actus nutritionis propriè cōsistit in actu illo, quo sanguis, vel alius humor vltimo à membris dispositus propriam amittit formam substantialem, & in formam carnis, vel ossis, vel nerui, &c. conuertitur; hinc rectè Scot. loc. cit. ait nutritionem esse generationem quamdam substantiæ, extendendo generationē ad omnem inductionē formæ substantialis in materia post priuationem, propriè tamen non potest dici simpliciter generatio per se entis, sed potest dici aggeneratio, quia est generatio alicuius: quod per generationem fit idem alicui præexistēti, seu est generatio partis in toto; & sicut generatio dupliciter sumitur, & vt mutatio est; & vt productio, sic etiam nutritio, ita quòd vt mutatio, est transitus materiæ alimenti à priuatione illius partialis formæ aliti ad talem formam; nutritio vt productio, est productio substantiæ partialis viuentis ex cōuersione substantiali alimenti, virtute potentiæ nutritiuæ facta.

Attamen, quia animalia nō existunt in vno determinato loco, nec semper in promptu, & approximatū alimentum habent, sicut plantę, sed huc, & illuc mouentur, cibumque in diuersis locis quærere debent, idcirco in ipsis quidam appetitus reperitur, qui per famem, & sitim ad appetendum alimentum mouetur; & consequenter virtutem motiuam ad illud quęrendum impellit; Fames .n. oritur, quando in membris non est sufficiens sanguinis copia, & membra sugunt venas, venæ sugunt iecur, hoc sugit venas miseraicas, & alias, quæ ad stomachum pertingunt, istę à stomacho exugunt quidquid in ipso est, quo facto stomachus corrugatur, & in ipso causatur dolor, & maximè circa os stomachi. quod etiam humore acido ex splene effuso per illud tempus inficitur, qui humor sua mordacitate accumulat dolorem; & quia defectu alimenti, spiritus quoq; vitales in toto corpore deficiunt, hinc non solùm dolorem in stomacho experimur, sed etiam membrorum omnium lassitudinē, spiritus .n. vitales vires corporis fouent, quare cùm phantasma percipit diuulsionē, & ventriculi corrugationem ob alimēti penuriam, apprehendit alimentum, vt conueniens, & necessarium, illudq; appetitui sensitiuo proponit, qui statim in ipsum tendit per actum appetēdi, & virtutem motiuam impellit

ad

ad ipsius acquisitionem pro animalis conseruatione. At quia non solũ cibus est animali necessarius, sed etiam potus, vt sua tenuitate in anfractibus venarum solido cibo sternat viam, & ventriculi concoctioni inseruiat, ac etiam vt ariditatem membrorum, sanguinisque caliditatem mitiget, propterea quando succus iste deficit in corpore, vel propter exercitationem, aut calorem, vel esum cibi salsi, membra inarescunt, & oritur attractio humidi suo modo succo similis, & generatur sitis.

Ex hac doctrina, occasionem arripimus explicandi definitiones famæ, & sitis ab Arist. traditas 2. de an. 28. vbi sic ait: *Fames est appetitus calidi, & sicci; Sitis verò est appetitus frigidi, & humidi*. Dicuntur appetitus, non formaliter, quia propriè sunt dolores quidam anxiè torquẽtes animantia, sed causaliter, quatenus ex isto dolore à phantasia repræsentato, producitur appetitus calidi, & sicci, non absolutè, nã plures sunt cibi, qui frigidi, & humidi existunt; nec fames primò à natura instituta est ad reparandum siccum, sed humidum pingue, quod est pabulum caloris naturalis, vnde per calidum, & siccum intelligi debet omnis cibus, comparatione facta ad potum, regulariter .n. cibus calidior, & siccior potu est. Similiter sitis dicitur appetitus frigidi, & humidi, non quòd omnia pocuIenta talia sint, sed quòd vel ambas qualitates possident, vel saltem alteram illarum, vnde licèt vinum sit calidum, est tamen humidum, & ad potum aptum.

Dices, quandoq; sitis contingit, estò in ventriculo humidi copia adsit, ergo non prouenit ex inopia potus. Tum quia si talis succus esset necessarius, maximè illo egerent animalia calidiora, & tamen hæc, vt sunt volucres rapaces, rostrum habentes aduncum, & vngues, nunquam bibere cernuntur, ergo &c. ℞. ad 1. nos loqui de siti, vt vniuersaliter cõtingit, potest tamen euenire, quod os ventriculi, vel oesephagus, aut fauces sint humore salso, & acido imbutæ, vt accidit hydropicis, vel ex hepatis intemperie, vt nunquam humectari possint; licèt continuè bibatur. Oesephagus est pars membranea neruea, duabus tunicis constans à faucibus ad superius os ventriculi desinens, cibumque, & potum in vẽtriculum deferens. Ad 2. volucres illæ carnibus crudis vescuntur, & sanguinolentis, quare sanguine, & humoribus crudorum carnium, cibum satis humidum reddunt. Referunt etiam de quodam Oratore famoso Galliarum Regis apud Sixtum Quintum, nunquam bibisse. ad quòd Respond. hoc in illo legato accidisse, quia iusculis, aliisque cibis humidioribus vtebatur, vt illi tradiderunt, qui cum eo familiariter versabantur. ideò nihil. Nutritio sic communi ter definitur, vt videre est apud Diu. Thom. lection. 17. 5. *est conuersio, seu transmu-*

ſmutatio vitalis ex nutrſiua alimenti in ſubſtantiam aliti. A Scoto verò ſic magis adæquatè: *nutritio eſt conuerſio alicuius ſubſtantiæ in ſubſtantiam alterius facta à virtute vitali intrinſeca per intus ſuſceptionem alimenti, ſecundum omnes partes viuentis, propter reſtaurationem deperditi*. Hinc notan. quòd nomine conuerſionis alimẽti intelligitur non ſolùm conuerſio alimẽti extrinſeci .ſ. ſanguinis crudi in ſanguinem decoctum, & cæteras partes integrales, ſed etiam conuerſio alimenti intrinſeci ſcil. ſanguinis decocti in partem ſolidam viuentis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An per Nutritionem acquiratur noua ſubſtantia.

SCot. ad hoc dubium affirmatiuè reſpondet in 4. d. 44. q. 1. & in 2. d. 19. contra Mag. ſent. qui vult, viuens ſemper conſeruari per ſubſtantiam acceptam in prima generatione, & indigere alimento, non vt illud conuertat in ſubſtantiam propriam, ſed vt ſit pabulum ſui caloris naturalis, illudque vertat in excrementa, & ne calor in propriam ſubſtantiam agat. Henr. quol. 2. qu. 10. quem ſequuntur Durand. Zabarell. Contar. & Aliqui, vult in nutritione fieri acquiſitionem nouæ partis materiæ, nõ autem formæ, nam hæc ſecundum omnes partes eadem ſemper manet, & vbi prius informabat vnam partem materiæ, quia hæc propter caloris actionem defluit, informat deinde materiam alimenti, eo modo, quo communiter aſſeritur de anima rationali propter ſui indiuiſibilitatem. Communis tamen opinio docet fieri in nutritione acquiſitionẽ tàm nouæ materiæ, quã nouæ formæ, quando forma eſt in partes diuiſibilis.

Thomiſt. quia ſuſtinent ſubſtantiam præciſa quantitate, partibus carere, nimis vrgentur ad hanc partialem, & nouam acquiſitionẽ explicandam. Complut. de gener. diſp. 5. qu. 3. & ſequ. volunt duas ſubſtantias ſeperatas, ſi vniantur, vbi prius erant duo tota realiter diſtinſtincta, realiter deinde in vnione identificari, ità vt nulla ſit inter illas diſtinctio realis quò ad ſubſtantialia, nam prius ſigillatæ erant duabus quantitatibus totalibus, poſt verò vnionem, vna ſolùm quantitate, à qua ſumitur ratio indiuiduationis, quia tamen poſſunt iterum per diuiſionem ſeparari, aut per corruptionem, idcircò aiunt cum hac actuali identificatione ſtare realem quamdam diſtinctionem potentialem, qua, poſſint denuò actualiter diſtingui ſi ſeparentur; quæ diſtinctio potentialis maior eſt diſtinctione virtuali, quæ enim hac diſtinctione differunt, vt ſunt prædicata quidditatiua; nullo modo ſeparari poſſunt; Vndè volunt per nutritionem acquiri ſubſtantiam viuam de nouo ex materia alimenti productam, non quidem, vt habet rationem partis, quia hæc de-

denominatio est à quantitate, & accidentalis, & ita nequit sub hac ratione terminare nutritionem, quę respicit substantiam sub ratione substantiali, sed terminat, vt fit realiter, & actu vnum per se, & idẽtificatum cum præcedenti substantia, licèt postea per quantitatem extẽdatur, & habeat rõnem partis.

Non placet, nouum est .n. in Scholis, vt etiã Ipsi Thomistæ docent, quòd aliqua realiter identificata possint separari, vt .n. in log. & pysic. diximus, signum præcipuum, & irrefragabile distinctionis realis, est possibilitas separationis, non actualis separatio ex 7. Topic. cap. 1. loc. 16. quæ .n. actu separata non sunt, sed separari possunt, non dicuntur actu realiter identificata, & potentialiter distincta, alias quia materia, & forma non sunt actu separata; imò magis vnita, quàm duæ partes materiæ, quæ conficiunt totum integrale entitatiuum, illæ verò totum per se physicum ex actu & potentia, quod est magis vnum, quàm illud, essent materia, & forma realiter identificata, & potentialiter distincta, quod est falsum. Tum quia vnio per nutritionem habita non tollit distinctionem, sed diuisionẽ, & separationem, ergo si illæ partes substantiales prius distinctæ erant, similiter, & postea. Hinc Mag. Iacobus Brun. qu. 4. de gen. art. 1. fol. mihi 139. hanc sent. spernens, dit: *Partes integrales per nutritionem aduenientes quando coniunguntur, non erunt identificatæ, sed solùm vnitæ, & ratio est, quia quæ fiunt vnum per substantialem identificationem separari non possunt, partes autem integrales materiæ separari possunt, vt cùm resultant diuersa indiuidua, ergo quando coniunguntur non erunt identificatæ, sed vnitæ, vndè etiam materia, & forma quæ sunt partes essentiales dum vniuntur ad vnum totum constituendum, non identificantur, vt ait D. Thom. de spirit. creat. art. 4. ad 14. ergo à fortiori, nec partes integrales substantialiter identificabuntur*. hæc relatus Thomista. Quòd deindè quãtitas sit principium indiuiduationis, suo locò falsum esse ostendemus.

Ioan. de S. Tho. q. 8. de gen. art. 2. autumat, per nutritionẽ acquiri partialem entitatem substantiæ, quæ est pars formaliter per quantitatem, ex se tantùm est pars solũ radicaliter, vndè non acquiritur formalitas partis, sed radix, quæ est illa substantialis entitas, & videtur doctrina cõmuniter recepta à Thomistis. Sed non valet, quia vt phys. habuimus, verè substãtiã illa prę supponitur quantitati, & materia aliti cum materia alimenti substãtialiter, & entitatiuè vnitur, & vna non est alia formaliter, etiam præscindendo à quantitate, ergo actu erit pars formaliter, non tantùm radicaliter, hanc .n. compositionẽ facit per suam entitatem, non per quantitatem. Tum quia vt dicebãt Complut. nutritio respicit substantiam sub ratione substantiali, & vt fit realiter, & actu vnum per se, licèt

cèt per quantitatem postea extendatur, & habeat rationem partis. Sed contra, quod est vnum per se actu, actu constat ex partibus, ex actu .n.& potentia fit vnum per se, ergo independenter à quantitate nutritio ad substantiam terminatur, ne cogamur ponere ens per se vnum compositum actu, constare sine partibus in actu. Tum quia Thomistæ nobiscum fatentur subiectum accidentium esse compositum actu substantiale, sed in nutritione fit vnum ens per se compositum actuale, ergo ante quantitatem erant partes in actu, compositum .n. actuale non est sine partibus actualiter componētibus, Cōpositum in potentia habet partes in potentia, sed compositum in actu, ex partibus in actu constare debet.

Conclusio.

Melius igitur asserendum est cū Scot.loc. cit. *in nutritione acquiri nouas partes materiæ, & formæ quando hæc est diuisibilis, ex se ipsis actu realiter distinctas à substantia præcedente viuētis, tamquam partes substantialiter, & entitatiuè diuersas, quæ verè transeunt in substantiam aliti*. est ferè communis, & ità à Doctore probatur: omnis forma præter rationalem est diuisibilis, materialis, & educitur de potentia materiæ, ergo ad extensionem materiæ extenditur quoq; forma, antecedens supponitur tū ex dictis in phys. tum ex dicendis in lib. de an. conseq. prob. ex Arist. cap. de quantitate, vbi ait: quanta est superficies, tanta est albedo ergo quanta est materia, tāta est forma. Tum quia cùm noua pars materiæ viuenti aduenit, vel pars formæ hanc nouam materiam perficiens, cessat informare priorem materiam, vel non (& per materiā priorem non intelligimus illam, quæ fluxit actione caloris, sed quæ adhuc in viuente permanet) si primum, ergo illa prior materia debet ab alia forma informari, & sic daretur noua pars formæ, quod est contra Aduersarios, vel relinquēda esset materia sine forma, quod est naturaliter impossibile; Si secūdum, ergo idem perfectiuum duo perficeret perfectibilia adæquata, quod est Impossibile, nequit .n. forma materialis duas adæquatas informare materias, vt in phys. ostēdimus. Tum quia sicut forma accidentalis de subiecto in subiectū migrare non potest, quamuis vnū subiectum esset alteri continuum, sed extenditur ad extensionem subiecti per nouas partes, multò minus hoc de forma substantiali assertēdum erit, etiam si continuentur, cùm maior sit vnio formæ substantialis cum materia, quam accidentis cum subiecto. Tum quia in illa partiali corruptione per actionem caloris, viuēs partem aliquam materiæ amittit, vt etiam Aduersarij fateri tenētur, quo supposito quærimus de parte illa formæ, an ad partem materiæ remanentem se restringat, & sic est migratio de subiecto in subiectum, & duæ formæ

partiales in eodem subiecto, vel ibi sola persistere sine materia, quod impossibile est naturaliter; vel tandem fluit simul cum materia, & tūc sicut per nutritionem materiæ deperditio restauratur per acquisitionem materiæ alimenti, ità etiā restaurari debet formæ deperditio per nouæ formæ acquisitionem.

Zabarella lib. de accret. cap. 15. & 16. resp. ad 1. duplicem esse adæquationem, vel secundum quantitatem, vel secundum proportionē; Prima non adest inter corpus, & animam, cùm hæc non sit quanta, vndè eadem anima vegetabilis est adæquabilis corpori formicæ, & elephantis, nata est .n. in magna, & parua materia extendi; hinc quādo caro facta est maior non sunt duo perfectibilia, sed vnum, quod prius erat paruum, postea fit magnum; Secunda adæquatio adest inter totum corpus, & animam, nō inter partem aliquam, nam hæc nō est adæquatum perfectibile respectu totius animæ, sed totum corpus, ideòq; nunquam anima informabit duo perfectibilia adæquata.

Ad illud de migratione resp. migrationem totalem, qua forma totum subiectum deserat, esse naturaliter impossibilem, at migrationem quasi partialem, qua forma totum suum subiectum non deserat, sed in eo maneat, & ab vna eius parte ad alia informandam transeat, non esse in anima impossibilem, estò nō admittatur in alijs formis; ratio est, quia aliæ formæ informant corpus similare, in quo est eadem conditio totius, & cuiuslibet partis, & ità in informatione vna pars non dependet ab alia; Anima verò est forma corporis dissimilaris, cuius partes necessario ordine informat; vnam quidem primò, ac præcipuè, deinde alias per illam, & consequenter poterit anima à membro præcipuo, in quo est radicata ad alias partes aggeneratas protendi.

Sed primum non valet, nos .n. hic loquimur de æqualitate secundum partes entitatiuas, secundum quas anima extenditur corpori extensione entitatiua, correspondēs tota toti corpori, & pars parti; & vtique maior est secundum istas partes anima vegetans, quando arbor ingentis est magnitudinis, ac cùm erat planta, alioquin asserere oporteret, vel omnem animam indiuisibilem esse, quod falsum esse in lib. de anim. ostendemus, vel animam extendendo se ad totum corpus, geminabitur, & reduplicatione quadam informabit totum corpus, sicut albedo palmaris nō posset extendi subiecto bipalmari, nisi vel per additionem, vel per replicationem, sed hoc secūdum est impossile, nam idem penderet à pluribus causis materialibus adæquatis, ergo primum. Quare sicut totum corpus est adæquatum perfectibile totius animæ, ità quælibet pars est adæquatum perfectibile cuiuslibet partis animæ, quamuis cum aliquali dependentia partium

tium minus principalium ad principaliores, & consequenter si eadē pars formæ duas informaret partiales materias, idem perfectiuum existeret in duobus adæquatis perfectibilibus.

Neque secundum placet, licèt .n. partialis transmigratio in forma indiuisibili admitti debeat, qualis est anima rationalis, quia non dependet à subiecto, non tamen in forma diuisibili; quæ cùm sit materialis in suo esse, fieri, & conseruari à materia dependet, ita ꝙ sine illa nec esse, nec fieri possit, nec à qualibet materia pendet, sed ab illa, quam informat, vnde pars animæ, quæ est in arboris ramis non pendet à materia, quæ est in radice, si .n. ramus præscinderetur adhuc anima vegetās permaneret, licèt nō longo tempore, quod prouenit defectu absentiæ terræ, à qua compositum illud accipit alimentum. Idem dicendum erit de sensitiua in animalibus imperfectis, quæ diuisionem patiuntur, vt lacertæ, vermiculi &c. Si ergo pars formæ essentialiter ab eadem materia dependet, quam informat, sequitur, quòd si hæc in viuente diffluit, etiam forma, illam materiam informans perit; quòd autem primò informet aliquas partes, deinde alias, arguit solùm dependentiam, & subordinationem in partium informatione, non tamen quòd anima totaliter à principalioribus partibus dependeat, & nullo modo ab alijs, quas informat. Neque affirmari potest partes illas formæ tunc ad materiam remanentem confugere, videmus .n. in decisione caudæ lacertæ, vel rami pars formæ in eadem materia remanere, ergo si hæc materia flueret, etiā pars formæ simul flueret.

Secundò, quòd hæ nouæ partes in nutritione à præcedentibus substantialiter, seu entitatiuè actu distinguantur, patet ex dictis in logica, & in physica, vbi ostendimus substantiam præcisa quantitate habere partes entitatiuas, ꝙ adhuc probatur, nā nutritio de sua ratione formali pro termino respicit substantiā viuentis, nō totalem, aliter à generatione simpliciter non differret, sed partialem, quare aggeneratio dici solet, non generatio, & hoc à quantitate præscindendo, seù vt talis substantia quantitatē natura præcedit, sicut corruptio, cui nutritio opponitur, non est destructio alicuius substantiæ totalis, sed partialis, ergo hæc noua substantia se ipsa à prima substantia distinguitur, non per quantitatem, cùm hæc potius sequatur ad illam, at non distinguitur vt totum à toto, quia non sunt duo diuisa, sed vnita, ergo vt pars à parte.

Quòd tandem in nutritione hæc substantia alimenti verè in substātiam aliti cōuertatur, probat Scot. contra magistrum in 4. cit. §. *Circa istam quæstionem &c.* qui solùm de homine hoc negare videtur: Non minus perfectè nutritur homo, quā brutum (ait Scot.) nam ità generatur

tur homo imperfectæ quantitatis, sicut brutum, & ità in illo sic continua partium deperditio sicut in isto, ergo sicut in brutis nutritio fit per conuersionem alimenti in substantiam brutorum, & augmentatio terminatur ad aliquid de esse ipsorum, ità in homine continget. Deinde probat vniuersaliter: Si caro illa quæ à parentibus contrahitur solùm adest in sensitiuis toto vitæ tempore, iam esset incorruptibilis, sed hoc est falsum, cùm sit eiusdem rationis cũ altera carne, quæ de nouo aggeneratur, ergo &c. Tum quia tota caro est in sẽsitiuis animata, tàm anima vegetatiua, quàm sensitiua, ergo tota est de eorum substantia, tàm illa, quam habuit per generationem, quàm ista, quam possidet per aggenerationem. Confirmatur: viuens secundum suam substantiam fit maius, ergo vel per replicationem eiusdem substantiæ, vel per rarefactionem, vel tandem per veram additionem nouæ substantiæ; non primum, quia replicatio in pluribus locis non est naturalis, nutritio verò, & auctio est naturalis; non secundum, quia sic corpus viuentis aucti esset rarius, & tenuius, & leuius, corpore viuentis parui, quod est falsum, ergo remanet, quòd fiat maius per veram additionem nouæ substantiæ partialis, quæ fit de ratione viuentis.

Obiectiones.

Obijcitur ex Aristot. 1. de anim. 94. vbi docere videtur omnem animam esse indiuisibilem, ergo saltem anima non acquiritur de nouo secundum partes. ℞. variè apud Interpretes locum illum exponi, & Argyropolus illũ vertit *Diuisibilem*, quod tamen de vegetatiua, & sensitiua intelligendum est, de quibus prius locutus fuerat; & quando etiam indiuisibilem diceret, intelligi debet de indiuisibilitate secundum speciem, non secundum extẽsionem, vt ex ipso text. colligitur, vel loquebatur de animabus animalium perfectorum, quatenus eorum animæ non possunt separatæ existere, ad differentiam aliquorũ animantium imperfectorum.

Ob. ratione: Si de noua parte carnis noua pars animæ educeretur, quia hæc pars carnis est homogenea, iam illa pars animæ non esset actus corporis organici, sed homogenei, quod est contra animæ definitionem: Neque in viuente esset aliquod membrum principale, à quo diffunderetur vita in cætera membra, & in illis ab isto dependenter reperiatur, hoc autẽ est falsum, cætera .n. membra à corde dependenter animantur. Pr. sequ. nam res non pendet in conseruari ab eo, à quo non pendet in educi, sed pars illa animæ educitur à parte carnis, non à corde, ergo &c. ℞. in omnium sententia asserendum est partem illam animę esse actũ corporis homogenei, ideò .n. anima corpus informat dissimilare, quia partes informat similares, definitio autem animæ non de-

bet

bet de qualibet parte verificari, sed de tota anima, nam nequit anima tota existere, quin corpus hæterogenum informet. Negatur etiam secunda seq. aliæ .n. partes in tantum animantur, quia à corde vitam participant, ad probationem dicimus, animam partialem à corde dependere in conseruari, & produci in genere causæ efficientis, à parte verò carnis, à qua educitur, in genere causæ materialis, licèt in aliquibus presertim in plantis tanta dependentia non vrgeat.

Ob. ex hac sent. sequeretur, non vnicam animam esse in viuente, nisi per aggregationem plurium, quod est contra Arist. 3. de part. animal. cap. 4. & sequ. vbi docet animal esse vnum propter animam vnam, & hanc esse vnam propter vnum principium, quod est cor. ℞. neg. sequ. in viuente enim vna anima reperitur, per continuationem tamen, non plures, alioquin omnem animam indiuisibilem ponere oporteret, quod experientiæ repugnat in plantis, & animalibus imperfectis.

Deinde instari potest contra aliam partem cõclusionis, quòd istæ partes nõ sint distinctæ substantialiter actu independenter à quantitate, rationibus illis, quibus Thomistæ impugnãt diuisibilitatem substantiæ, sed præsertim sic Complut. arguũt: substantia materialis, & completa debet esse quid per se vnum, vt est genus intra lineam substantiæ, at si haberet partes entitatiuas vnà cum partibus physicis, non esset quid per se vnum, quia ex duobus totis completis nõ fit per se vnum, at data nostra sententia, in hac substãtia esset totum resultans ex partibus entitatiuis, & totum resultans ex partibus physicis, & ità includeret duas totalitates cõpletas, & consequenter esset vnum per accidens.

℞. quòd si hæc ratio concluderet, probaret etiam quantitatem non esse vnum per se, cũ in ipsa adsit totalitas integralis, & totalitas methaphysica, & sint per se de conceptu quantitatis, nam extensio partium impenetrabilium est ratio quantitatis, in qua totalitas methaphysica includitur, nec vna totalitas se habet per modum actus, & potentiæ respectu alterius. Asserimus igitur, idem ens substantiale completum includere essentialiter vtramque compositionem, compositio .n. ex partibus integralibus est de essentia rei materialis nam per hanc distinguitur à substantia spirituali, vt melius suo loco patebit; nec sunt duo tota realiter distincta, sed idem omnino est totum physicum, & totum integrale, nam partes totius physici sunt materia, & forma; partes totius integralis sunt caput, brachia, pes, &c. quæ etiam sunt eadem materia, & eadem forma totius physici, licèt alia sit ratio totius physici, & totius integralis.

Arguitur tandem, ex Magistr. Sent. quòd alimentum non transeat

feat in substantiam aliti; & primò ex illo Matth. 15. *Omne, quod intrat in os, in ventrē vadit, & in secessum emittitur*, ergo nulla pars cibi transit in substantiā aliti, si omne in secessum emittitur. ℞. communiter cū D. Thom. 1. p. qu. 119. art. 1. ly *omne* accipi in sensu distributionis accommodæ. s. ex omni aliquid emittitur, quod est dicere distribuitur pro quolibet cibo, nō pro qualibet parte cibi, de quolibet .n. verum est dicere, quòd per secessum emittatur, cùm in qualibet digestione fiat semper aliqua fæcum segregatio, non tamen de omni parte, sed solùm de terrestrioribus, puriores verò in substantiam aliti cōuertuntur.

Dices cum Arriag. disp. 2. de gen. num. 77. hæc propositio sic explicata inepta est ad intentum Domini Saluatoris, qui probare voluit, quod in os intrat, nō coinquinare hominem, quia in ventrem vadit, & in secessum emittitur, ad hoc autem exigitur, vt totum eat in secessum, aliter ab illa parte remanēte, posset coinquinari homo. Tum quia ly *omne* neutraliter positum idem est ac totum. Non valet, nam vt bene aduertunt Bassol. in 2. d. 30. q. vn. art. 1. & Ruu. hic, Christus per illam propositionem ostendere voluit hāc cibi digestionem esse actionem naturalem nutritiuæ potentiæ, ideoque non inquinare, nam quod coinquinat, de ore exit, s. de corde, & manet in illo, actus .n. voluntatis est primò peccatum, & de hoc exeunt furtā, adulteria, humicidia &c. Neque illud *omne* vrget, nam etiam Apostolus 1. Corinth. 10. ait: Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur manducate, vbi ly *omne* non necessariò totū cibum significat, quasi quòd Apostolus consulerit, vt omnes cibos, & secundum quamlibet partē manducemus, sed distributio fieri debet ad omnes, & singulos cibos, non autem ad omnes, & singulas partes.

Ob. Ex hac opinione sequeretur naturaliter hominis immortalitas, per continuam .n. alimenti sumptionem substantia humidi radicalis continuò repararetur, sed hoc est falsum, ergo, &c. ℞. neg. sequelā, nam & si per nutritionem partes deperditæ reparentur, non tamen cum tanta virtute, ex continua .n. reactione, debilitatur virtus, & tādem euanescit, nō minus ac vinum euanescit, si guttatim in eo aqua infunditur.

Ob. Non potest homo vnionem animæ rationalis in generatione attingere, ergo neq; in nutritione, ergo saltem in homine non erit naturalis nutritio, & conuersio cibi in substantiam aliti. Baudunius noster resp. vnionem animæ rationalis non esse spiritualem, sed corporalem, & ideò nutritio potest illam attingere. Sed hæc propositio sic absolutè pronunciata nō debet admitti, si .n. corporalis est, quare non educitur de potentia materiæ,

vt aliæ formæ materiales, sed potius de foris aduenit, & creatur à Deo? Vndè potius respondendum est cum Mastr. & Bell. quòd licèt homo non possit propria virtute vnionem animæ rationalis attingere in generatione, vbi totaliter, & liberè à Deo creatur; at postquã habet in sua potestate animam, virtute propria, vnionem hãc partialem animæ in nutritione attingere potest, quare non est idem iudiciũ ferendum de generatione, vbi anima de foris aduenit, & de nutritione, vbi iam anima intus est, & informare debet totum illud, quod aptum est ab ipsa informari, vt est pars illa corporea de nouo à viuẽte aggenerata.

Ob. Puer statim mortuus, resurget in ætate perfecta, & mole corporis illi ætati proportionata; & tamẽ nouam carnem per nutritionem non acquisiuit, ergo eodem modo homo adultus in mole corporis absq; conuersione cibi in substantiam propriam augetur. ℞. cũ D.Tho. in 2.d, 30.q.2. art. 1. ad 7. quòd talis puer per miraculum ad debitam quantitatẽ perueniet, non pèr multiplicationem materiæ, sed per additionẽ exterioris materiæ. Hinc D. Aug. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. ad propositum ait: *supplebit Virtus Diuina, vbi deficit natura, vbi verò sufficienter natura parauit materiam, Deus nõ agit supplẽdo, sed in formando.*

Ob. Si talis nutritio daretur, sequeretur hominem in resurrectione ingentis magnitudinis resurgere deberet .n. reassumere totam carnem nutrimentalem, quam in hac vita habuit, imò potest dari casus, quòd aliquis nutriatur carne humana, ergo si fieret ista conuersio, eadem caro in resurrectione in duobus reperiretur. ℞. Scot. hominem in resurrectione solùm habere non quidem omnem carnem, quam per nutritionẽ in via acquisiuit, sed quantum ad perfectam ætatem corporis virilis sufficit; & de omnibus partibus carnis habebit puriores. Si eadem portio materiæ in duobus hominibus fuisset, resurgeret illa portio in illo homine, qui prius fuerit de illo nutrita.

Ob. Ex D. Aug. lib. 10. super Gen. ad lit. C. 19. vbi ait: omnes homines fuerunt in Adamo, non solùm secundum seminalem rationem, sed etiam secundum corpulentam substantiam, hoc autem impossibile videtur, si homines per nutritionem nouam acquirerent substantiam per nutritionem, quæ fit de veritate naturæ. ℞. communiter cum omnibus Theolog. ideò homines in Adamo contineri, quia ab eo tanquam à causa remota, & originaria descendunt secundum naturalem propagationem per virtutem generatiuam, quæ est ratio seminalis, & secundum corpulentam substantiam, quæ est materia subministrata in generatione à parentibus, non autem, quòd caro omnium hominũ in Adamo extiterit.

ARTICVLVS QVARTVS.

An nutritio fiat in instanti, vel successiue, & An toto tempore necessario duret.

SCot. de his agit in 4. d. 44. q. 1. & in 2. d. 2. q. 9. & quò ad primum sensum, dubium solutum remanet ex Disp. 1. art. 7. Nam eædē rationes, quæ probabāt generationem inanimatorum successiuè fieri, idem de nutritione ostendunt, licèt. n. viuentium generatio fieri petat in instanti, quia viuentia in generatione sibi minimum determinant, in nutritione verò, quia iam viuens præsupponitur existēs, non necessariò hoc minimum exigitur, quare vt inanimata se habēt, ac cōsequenter nutriuntur successiuè, iam enim anima introducta præsupponitur in determinata, & proportionata magnitudine, per quam proprias operationes exercere possit.

Eiusdem sent. est Seraph. Doct. in 1. d. 17. q. vlt. vbi asserit omnem motum præter generationem esse continuum, at nutritio est motus, & non est rigorosè generatio, ergo est continua, ergo fit successiuè. Tū quia quod fit cū successiuo, fit successiuè, sed nutritio fit cum successiuo, ergo fit successiuè. Pr. mi. fit cū augmentatione, quæ est motus successiuus, ergo fit cū successione. eamdem sent. amplectūtur quamplures Thomist. vt videre est apud Carmelitas, Lisbon. Ioan. Mart. & Lerm. qui sic probant: nutritionem comitatur augmentatio, sed hęc est motus successiuus, quia id, quod augetur mutat necessariò locum ex D. Tho. 3. p. q. 33. art. 1. ergo nutritio debet esse mot⁹ successiuus.

Sed contra hanc doctrinam instare videtur Scot. in 4. d. 44. q. 1. lit. L. vbi sic ait: *sed de istis adhuc non habetur de modo augmentationis, quia illa aggeneratio, quæ fit in nutritione est momentanea, augmentatio autem non est in instanti cum sit motus.* Dicimus tamen ibi Scot. solùm intendere nutritionem ab augmentatione distinguere, non verò germanum modum nutritionis assignare, an s. in tempore, vel in instanti fiat; & quoniam quò ad successionem, etiam si nutritio in tempore fiat, adhuc ab augmentatione distinguitur, nam hæc intrinsecè, & per se postulat in tempore fieri, illa verò solùm extrinsecè, & per accid. intrinsecè verò in instanti fieri petit; hinc Doct. posuit differentiam inter nutritionem, & augmentationem penès hoc, quòd ex propria natura petunt.

Quò ad secundum sensum, opinio Scoti in 2. d. 2. q. 9. lit. O. est, nutritionem non semper fieri continuò, & absq; interruptione, toto vitæ tempore, sed posse aliquando cessare, & hoc docet de mēte Aris. 8. phys. 23. vbi docet diminutionē, augmentationem, & alterationem fieri ad modum excauationis lapidis à gutta aquæ, nam sicut lapis non à qualibet gutta excauatur, sed ab vltima, cæteræ verò tantùm disponunt, ità illi motus nutritionis.

nis. Tum quia homo in instanti generationis nō potest statim agere in alimentum etiam si illud approximatum haberet, sed necessaria est præuia alteratio, quæ in tēpore fit, ergo datur aliquod tempus, in quo viuens non nutritur. Confirmatur, vbi potest esse impedimentum actionis, ibi potest esse interruptio, sed in nutritione potest esse impedimentum actionis, ergo, & nutritionis. Pr. mi. ex parte agentis, & passi. Ex parte agentis, quia calor naturalis potest obrui à cibis, vt non possit agere, ergo ex parte agentis erit impedimentum. Tum quia potētia nutritiua, & calor morbum pati possunt, & tunc non possent agere. Pr. ex parte passi; Alimentū.n.non semper dispositum est, ergo etiam ex parte passi est interruptio; & Medici asserūt, quòd atrophia sit tabes, quo corpus nō alitur, & nutritur, & naturaliter semper aliquibus partibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, vndè summa macies oritur, & nisi occurratur, hominem extinguit, & hæc est verior, & communis philosophorum sent. Volunt tamen, quòd cùm calor vitalis sit agens naturale, & necessarium, semper aliquam exercet actionem, vel transmutando alimentum in substantiam aliti, vel alimentum præparando aliā præuia decoctione, vel tandem si cibus desit, in propriam viuentis substantiam aget, illam absumendo, qua ratione nequit viuens diu sine alimento viuere, tunc .n. calor humidum radicale consumeret, & cōsequenter corpus omninò ineptum ad animationem redderet, ex quo inferunt non posse hominem ordinariè sine cibo vltra septem dies viuere, vt Hippoc. docet lib. de carnibus, vel vltra vndecim, vt Plinio placuit lib. 11. c. 54.

Licetus in opere *de his, qui sine alimento viuunt*, tam lib. 1. quàm 3. vltra progreditur, docens posse viuentia sine alimento diu consistere, siuè vegetatiua sint, siuè sensitiua, tum terrestria, tum volatilia, quàm aquatilia. imò de quibusdā hominibus refert vsq; ad quadraginta annos, & vltra sine alimento extitisse, & lib. 3. à cap. 14. causam hanc assignare conatur .s. quia duplex est alimentum, nempè remotum, & proximum, remotum est cibus, proximum est sanguis, vel etiā alij humores, dupliciter igitur potest viuens diu sine alimento permanere; vel sine remoto tantùm, si nempe cibum non sumat, nutriatur tamen interius alimento proximo, vel sine vtroq; primo modo iejunium contingit in quibusdam animalibus regulariter, teste enim Arist. 6. de Hist. animal. cap. 30. Vrsa circiter quadraginta sine cibo latet, quo tempore multum pinguescit, idem asseritur de glitibus, qui per totam hyemem dormiunt, & valde pingues euadunt, sic etiam de serpētibus, stellionibus, cicadis, cocodrillis fluuialibus, & de alijs refertur per totam hyemem ieiu-

nare, quod euenit, quia alimentũ proximum ex pituita, & ſucco valde viſcoſo conſtant, vnde calori naturali reſiſtere poſſunt, ne citò cõſumentur, cui etiam accedit modica vis concoctiua, qua ratione impotens eſt ſuccum illum, cõcoquere, & immutare, inde in adipem, & pinguedinem conuertunt.

Explicat poſtea hic Doctor, quomodo poſſit ieiunium diuturnum ſine vtroque alimento contingere, nam vt ſupra diximus, actio ſemper prouenit ex proportione maioris inæqualitatis, ità quod ſi agens ſit viribus æqualibus, vel imbecillioribus cum paſſo, nunquam actio ſequeretur; euenire ergo poterit, q calor naturalis ſit taliter temperatus, vt ab humido radicali excedatur, vel ſaltem in actiuitate, & reſiſtentia æquetur, quo caſu calor naturalis non abſumet humidum radicale, & conſequenter non conſumendo humidum, partes non deſiccantur, vnde neque humorem attrahunt à vaſis, præſertim à ventriculo, neque appetitus cibi, vel potus ſubſequitur, fames .n. & ſitis, ex dictis proueniũt, quando exiccatæ partes corporis à vaſis, ſeu venis alimentum trahunt, vaſa ab alijs ſugunt, quouſque tractio ad os ventriculi perueniat, vndè appetentia ciborũ ſequitur, & potus; In quo caſu diu contingere poteſt ieiunium vtriuſque alimenti abſq; conſumptione propriæ ſubſtantiæ viuentis, & macie; imò ſi calor eſt validus, ſed æqualis valido humori, poterit viuens exercere alias operationes ſenſitrices, & rationalis animæ, puta ſenſationes, motum localem agilem, diſcurſum, præter operationes animæ vegetalis; & ſi non repugnat actum primum eſſe ſine ſecundo, vt in anima ſenſitiua, & rationali quotidie experimur, multò magis poterit vegetatiua, quæ eſt alijs imperfectior, impediri à propria operatione, quæ eſt nutrire, augere, &c. Si verò calor eſt exilis, & debilis, ſic viuens non ſolùm reddetur impotens ad nutritionem, ſed e iam ad ſenſationem, & diſcurſum, vnde veluti ſemimortuũ iacet. Hæc relatus Doctor, qui plura alia ibi pro explicatione huius ſent. addit, & reuera rationabiliter, & non ſine magno fundamẽto diſcurrit. Solùm dubitari poteſt de homine, qui tot mutationibus tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco prouenientibus eſt ſubiectus, quin notabiliter immutetur, vndè talis conſiſtentia in eodem temperamento per longum tempus, potius methaphyſica quædam ſpeculatio videtur, quàm caſus moralis, & in praxim poſſibilis, idcirco tàm longeuũ ieiunium, vel fabuloſum iudicamus, vel ſupernaturaliter eueniſſe.

Ob. Vbi eſt alimentum ſemper diſpoſitum, ibi ſemper eſt nutritio, ſed hoc eſt in viuente, ergo ſẽper eſt nutritio. Pr. min. quia omne viuens habet ſanguinem, qui eſt alimentum, ergo alimentum eſt ſemper diſpoſitum. ℞. neg. min. ad

prob.

prob. est semper sanguis, non tamen semper alimentum, nam sanguis alius est ad cōsistentiam, alius ad nutritionem, & ille, qui inseruit consistentiæ, semper est in corpore, ille verò, qui nutritioni inseruit, non semper est, sed aliquando corrumpitur.

Aliqui Thomistæ ex D. Thom. 2. contra Gent. cap. 25. affirmant nutritionem toto tempore vitæ ex necessitate durare, probant: toto tempore vitæ calor naturalis consumit aliquas partes viuentis, ergo vt viuens se conseruet, & saluetur, debet illas restaurare, & consequẽter debet semper se nutrire; at ℞. faciliter ex dictis neg. sequ. licèt .n. pro conseruatione nutritio requiratur, non tamen cum tanto rigore, accipiendum est, & mathematicè, vt non possit aliquando cessare, vt experientijs innotescit, neque ant. semper est verum, vt ex Aliceto apparet, potest .n. euenire, quòd calor naturalis sit taliter temperatus, vt cum humido radicali in actiuitate, & resistentia æquetur, quo casu calor naturalis nō absumet humidum radicale &c. Ad illud de Gliris &c. respndent, quod talia animalia tunc sumunt alimētum intrinsecum, & proximum, & eo tempore consumunt humiditatem indigestam conseruatam, seu humorem crassiorem, qualem in æstate acquisierunt, & conuertunt in suam substantiam, qua ratione post illud tempus macilenta apparent, Non placet, potius .n. crassitiem in hieme acquirunt, quàm in æstate, quomodo ergo in hieme crassiorem humorem consumunt? & quantus fuit in tàm paruo animali iste crassior humor, quod per tot menses ad consumptionem requiritur? quòd post illud tempus macilenta, & macra apparent, hoc non erit immediatè post somnum, sed aliquantisper post quam iam comedunt, & enutriri incipiant.

Instabis, Scot. in 4. cit. lit. L. ponens differentiam inter nutritionem, & auctionem, inquit nutritionem semper fieri, non verò augmentationem, ergo &c. ℞. ibi Doct. loqui de augmentatione vsque ad debitam magnitudinem, quæ solùm perseuerat vsque ad tēpus status, at nutritio fit semper, idest vsque ad finem vitæ, estò possit etiam regulariter aliquantulum interrumpi.

ARTICVLVS QVINTVS.
An nutritio fiat secundum omnes partes viuentis.

Scot. veritatem huius Art. determinat in 4. cit. pro cuius resolutione supponimus 1. quodlibet viuens constare ex partibus integrantibus, quarum aliæ sunt homogeneæ, & similares, & istarū quædam sunt aliquotæ, & non cōmunicantes, quædam vero proportionales, & communicantes; aliæ verò partes sunt heterogeneæ, & istæ non augentur immediatè, sed mediatè, quatenus .s. augentur homogeneæ, ideo .n. crescit manus, pes,

pes, &c. quia augentur caro, ossa, nerui, &c. ex quibus constant, vt Arist. docuit 1. de gen. 35. Supponimus 2. ex D. Thom. 4. Meteor. & Scot. in 4. d. 44. qu. 1. K. quòd in corpore cuiuslibet viuentis dantur pori, qui sunt foramina quædã, & cauitates, vt experientia innotescit, sudores .n. & excrementitij humores è corpore egrediuntur, aer verò è contra corpus ingreditur, & penetrat, quod totum per poros fit; Qui tamen pori non sunt in corpore infiniti, licèt per omnes corporis partes dispersi sint, aliter totum corpus esset perforatum, nec sunt immediati, sed inter vnum, & alium mediant partes, quibus per eosdem poros alimentum approximatur, nec æquales sunt multitudinis, vel magnitudinis in omnibus, sed vnum corpus est porosius altero, & vna pars altera parte porosior iuxta propriã cuiuslibet naturam; imò idem corpus in iuuentute maiores, ac plures poros habet, quàm in senectute, cuius ratio est, quia tunc corpus plus alimenti indiget, & per maiorem partium dilatationem pori maiores fiunt. Non sunt tamen vacui, interueniunt .n. veluti aquæ ductus, per quos alimentum proximum omnibus partibus defertur, & subministratur, & si alimento non sunt repleti, alio corpore occupantur, de facili tamen cedente cùm est necessarium. Pori ergo in viuentibus admitti debent, quorum finis duplex est, vnus, vt sint viæ, per quas excrementa resoluta, quæ corpus lædere possunt, foras eijciantur; alter, vt deseruiant nutritioni, per poros enim debet alimentum ad singulas partes trahi.

Conclusio.

Dicimus, viuens non nutriri immediatè secundum omnes partes proportionales, sed secundum aliquotas. est Scot. partes aliquotæ sunt partes æquales, sensibiles, & poros habentes, partes verò proportionales sunt infinitæ, indeterminatæ, & confusæ, ac poros non habent, ratione quorum deberent intus pabulum sumere. Pr. quia nutritio fit per conuersionem alimenti in poris inclusi, sed non quælibet proportionalis pars habet porum, sed inter duos poros mediant plures, imò infinitæ partes proportionales, ergo non quælibet proportionalis, immediatè nutritur. Pr. quò ad secundam, & explicatur: Quælibet pars viuit, ergo quælibet pars nutritur, nutritio .n. est propria operatio animæ vegetantis. Tum quia in qualibet parte aliquota calor naturalis reperitur, & in qualibet parte alimẽtum adest approximatum per poros, ergo in qualibet parte fit nutritio, illud .n. alimentum, quod per poros iuxta positũ erat huic parti, & consequenter illi contiguum, post conuersionem illius alimenti in substantiam aliti, iam iuxta ponitur per cõtinuationem illi parti, cùm sit cum illa eiusdem speciei. Neque ex hoc sequitur poros deficere, quia idem calor

calor naturalis, cuius virtute alimentum coquitur, quaſdam eius partes reſoluit in vaporem, qui vapor quaſi viuentis partes impellēs verſus externum locum dilatat, tā illas quæ erant, quàm quæ de nouo genitæ ſunt, & per talem dilatationem nouus porus generatur. Tùm quia ad hoc, vt aliquid ſimpliciter, & per ſe moueatur, requiritur, quòd quælibet pars eius moueatur, ſed nutritio eſt motus, quo homo per ſe nutritur, ergo & quælibet eius pars tali motu mouetur. ſic docet Ariſt. hic text. 32. cum D. Thom. lec. 14.

Obiectiones.

Ob. Si nutritio viuentium fit per iuxta poſitionem alimenti in poris, ergo non differt à nutritione non viuentium, nam etiam hæc fit per iuxta poſitionem, vt in igne patet, at hoc eſt contra Ariſ. 1. de gen. cap. de Augment. ℞. neg. ſeq. nam nutritio inanimatorum fit per iuxta poſitionem externam ex vna tantùm parte, vel ſi fieret ſecundū omnes partes in circuitu, adhuc pabulum toti igni extrinſecū erit; & quando etiam hoc fieret ſecundum omnes partes aliquotas, hoc eſſet per accidens, quia non ſic natura corporis inanimati poſtulat; nutritio verò viuentium fit per intus ſumptionem alimenti in poris, & venis, & ſecundum omnes partes natura ſua.

Ob. Augmentatio non fit ſecū dum omnes dimenſiones, viuens n. plus creſcit ſecundum longitudinem, quàm ſecundum latitudinem, ergo non augetur ſecundum omnes partes etiam aliquotas. ℞. verum eſſe viuens plus in longum augeri, quàm in latitudine, nam ſic corpus erit magis proportionatū, vt ab anima motu progreſſiuo moueri poſſit, & quia potentia nutritiua regulam ſequitur generatiuæ, & formatricis, ſicut hæc in longum corpus formauit, ſic illa in longum magis protēdit, ideo conſeq. nulla.

Arguit Arriag. diſp. 2. de gen. volens dentes, & oſſa tranſacto incrementi tempore nō amplius nutriri. Probat, quia partes iſtæ, & vniuerſaliter duriores partes ita exiccantur, & illarum pori claudūtur, vt amplius ſugere nequant alimentum, quo nutriantur. Tum quia ſi oſſa eſſent capacia nutritionis, ſicut caro, ſemper poſſet homo in altum creſcere, & maximè ſi cōcedatur creſcere ſecundum latitudinem, non .n. eſt maior ratio de vna, quàm de altera dimenſione. Tum tandem, quia etiam in grauiſſimis morbis non minuitur hominis ſtatura, ergo oſſa non patiuntur decrementa, & conſequenter non nutriuntur, aliter ſemper augerentur, quia nutritio ſi ex alio capite non adeſt diminutio, ſemper cauſat actionem. Sed bona pace, iſtæ rationes ſolum oſtendunt partes duriores, quia ſicciores ſunt, poſt tēporis incrementum non ità facilè nutriri, quia calor in illis non multum viget, non tamen conuincunt nullatenus nutriri, nam adhuc sūt ani-

anima vegetatiuâ animatę, proprio vitali calore gaudent, & semper alimentum approximatum habent; non crescunt autem versus longitudinem, quia iam viuens peruenit ad statum, & estò notabiliter non decrescant propter duritiem, non nihil tamen quandoq; minuuntur, maximè in morbis, & hoc præsertim de dentibus asserendum erit, qui reuerâ nisi continuò nutrirentur, citissimè deficerent; ratio est, quia non solùm caloris actione decrescunt, vt omnes aliæ partes, sed etiam continuo ciborum attritu, & consequenter maximè supplemento indigent, & ità Aris. 2. de gen. animal. c. 4. docuit.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Viuens toto vitæ tempore idem numero permaneat.

SCot. in 4. sent. d. 44. q. 1. art. 2. lit. M. loquens de misterio Resurrectionis, hanc ponit Cõclusionem: *Non quidquid fuit in Petro pro tota vita eius, de veritate naturæ eius resurget in eo*. Pr. *breuiter, quia ex quo tales partes multæ fluxerunt in vita eius, & aliæ multæ redierunt, si omnes illæ redirent in eo, vel esset corpus eius immoderatæ densitatis, vel immoderatæ quantitatis*. Si igitur Doct. putasset nullam partem seruari eamdem per totam vitam, dixisset omnes partes fluere, non aliquas, & ità vltra Mastr. & Bell. sentit etiam ex nostris Marcus Baudun. lib. de gen. disp. 2. sec. 14. citans pro hac parte Scot. in 4. cit.

Ratio dubitandi in hoc articulo oritur, quia ex actione caloris naturalis in viuente, duo fiunt .s. ex vna parte consumitur substantia propria corporis, & resoluta in vapores, & excremẽta corpus decrescit, & minuitur; ex alia verò parte conuertitur alimentum in substantiam eiusdem viuẽtis, vt quòd erat amissum reparetur; & quia transmutationes istæ toto vitæ tẽpore fiunt, videtur non permanere vsq; ad finem vitæ vlla pars eorum, quam habuit viuens in principio vitæ, & hoc maximè in alijs viuentibus ab homine vrget, in quibus mutatio fit tum secũdum animam, tum secundum corpus, vbi in homine secundum corpus tantùm fit; mutatis autem partibus substantialibus ex parte materię, & formę, mutatur etiam totum, & substantia rei; meritò igitur à Philosophis dubitatur, an viuens maneat idem numero ante, & post nutritionem toto vitæ tempore.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. cum Scot. communi, & receptissima sent. *idem numero manere viuens à principio vitæ vsq; ad finem*. est Aris. 1. de gen. tex. 23. & 24. vbi docet, quòd subiectum idẽ numero manet in tota augmentatione, sicut, & in alteratione; ad differentiam generationis, in qua non manet idem numero subiectũ, licet maneat eadem numero materia, ergo idem viuẽs numero manet in toto vitæ tempore, ità infert

D. Tho.

D. Tho. 1. de gen. lect. 2. & idem colligit ex tex. 33. 34. & 35. lect. 14. & 15. eiusdem sent. est D. Bonau. in 1. d. 17. & in 2. d. 30. vbi docet, quòd per augmentationem nō mutatur viuentis substantia, sed augetur, & perficitur quantitas; at vbi non mutatur substantia viuentis, sed tantùm accidens augetur, & perficitur, ibi remanet idem numero viuens. Suadetur etiam ratione, nam videmus senes recordari eorum, quæ in adolescentia euenerunt. Item eadem ferè accidentia .s. cicatrices, nęuos, & similia in corpore existere, ergo eadem quoq; substantia, accidentia .n. nō migrant de subiecto in subiectum. Tum quia Generatio terminatur ad nouum compositū priori corrupto, at si in nutritione, & augmētatione non maneret idem numero subiectum, relatæ actiones terminarentur ad aliud subiectum de nouo genitū, & ità nutritio, & augmentatio à generatione, & corruptione non distinguerentur. Tum quia substantia non destruitur per id, quo perficitur, sed nutritione viuentis substantia conseruatur, & augmētatione perficitur, vt ad statum perfectum, & sibi debitum perueniat, & debitas exerceat operationes, ergo totali tempore idem numero manet. Et tandem confirmatur ex identitate Domini nostri Saluatoris, qui in vtero Virginali cōceptus, idem numero factus homo, à Iudæis pro salute humani generis Cruci confixus fuit. non est igitur discrepantia circa hunc punctum principalem.

Sed Controuersia est de modo, quo identitas hæc numerica cum tot mutationibus saluari potest. Qui sustinēt in nutritione nullam formæ partem acquiri, vel deperdi, hanc saluant vnitatem, quia toto vitæ tempore, eadem numero forma permanet, estò materia varietur, & quia vnitas principalis est à formà, ideò viuens idem numero permanet. ità Authores cit. in 3. Art. nempè Henr. Durand. Zabarel. Contaren. &c. Alij verò vnitatem hanc numericam saluant per æquiualentiam, nam concedunt in fine vitæ nihil remanere in viuente, quod fuerit in principio, attamen quia hæc partium mutatio nō simul, sed successiuè, & longo temporis interuallo facta fuit, & modò secundum vnam partem, modò secundum aliam, & pars quæ succedit est similis omninò parti corruptæ, ideò censetur idem numero viuens permanere, eo modo, quo fulmen semper idem censetur, licèt secundum partes varietur; sicut etiam nauis quamuis nunc renouetur arbor, cras remus, modò carina, modò puppis, modò hæc tabula, modò illa alia, ità vt post multū temporis omnes ipsius partes erunt immutatæ, & tamen eadem nauis censetur per æquiualentiam. Ità Morisanus disp. 3. de gen. dub. 5. Ioann. de S. Thoma qu. 8. art. vult. & est communior apud Thomist. ex D. Thom. 1. p.

q. 119. artic. 1. ad 5. & probabilem putat Hurt. 6. phys. lec. 5. quibus etiam in re Faber theor. 40. cap. 4. adhærere videtur. Est etiam peculiaris ratio in viuentibus, vt maneant idem numero per hoc, quod partes, quæ aduenient continuentur cum præexistetibus sub eadem dispositione totius. Deducunt ex D. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. ad 5. vbi ait: *Quando aliqua materia per se conuertitur in ignem, tunc dicitur ignis de nono generari; quando verò aliqua materia conuertitur in ignem præexistentem, dicitur ignis nutriri, vnde si tota materia simul amittat speciem, & alia materia conuertitur in ignem, erit alius ignis numero; si verò paulatim combusto vno ligno, aliud substituatur, & sic deinceps quousque omnia prima consummantur, semper remanet idem ignis numero, quia semper quod additur transit in præexistens, & similiter est intelligendum in corporibus viuentibus, in quibus ex nutrimento restauratur id, quod per calorem naturalē consumitur.*

Alij distingunt de partibus integrantibus, nam aliquæ fluentes dicuntur, aliquæ verò permanentes, viuens secundum illas variatur, idem verò numero permanet secundum istas, sed differunt in assignatione harum partium, quidam .n. aiunt alias partes esse spermaticas, quæ immediatè generantur ex semine, & sunt omnes illæ, ex quibus componitur substantia producta per generationem; alias esse nutrimentales, quæ per nutritionē acquiruntur, illas permanentes, istas fluentes appellant. Alij verò partes diuidunt in duriores, ficciores, & solidiores vt sunt ossa, nerui, cartilagines &c. & istas ponūt permanentes; & in partes molliores, & humidiores, vt caro, venæ, quas fluentes nominant. Plures medici asserunt partes spermaticas non mutari, sed tantùm nutrimentales, hac de causa ponunt duplex humidum, aliud radicale, aliud nutrimētale, & quòd primum non perit per calorem naturalem, sed tantùm secundum, dum fit nutritio.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. vnitatem numericam viuentium melius, & rectius saluari per hoc, quòd partes solidiores quamuis fluant, magna tamen ex parte inuariatæ manent quò ad substantiam, licèt, quò ad accidentia mutentur, est ad mentem Scoti cit. initio Artic. & sequūtur Ruu. 1. de gen. tract. de nutritione q. 9. Biragus, Aref. auersa, Phylopon. Cabera, & Alij. Pr. primò, respuendo allatos modos dicendi, & quòd Identitas illa per æquiualentiam non sufficiat, inde patet, quia talis vnitas non est propriè vnitas numerica, sed in æstimatione quadam morali. Nec saluat, quòd hæc mutatio paulatim fiat, & vna pars verè alteri continuetur, nam omnia hæc idētitatem numeralem non inferunt, sicut nec realem distinctionem tollunt, pars .n. quæ succedit, est realiter à præcedente distincta, ergo progressu temporis totum viuens erit numero diuersū

totaliter à viuente in principio vitæ. Neque vnitas partium formalium secundum communem rationem essentiæ est sufficiēs, cùm hæc vnitas nō sit numeralis, quæ à differentijs indiuiduantibus sumitur, sed est essentialis, & specifica, vndè sicut duo indiuidua non necessariò habent eadem accidentia, sic viuēs in fine vitæ non necessariò habebit eadem accidentia, quæ habebat in principio, quod tamen est contrà experientiam.

Tum quia quando pars aliqua cicatrice signata flueret, & noua succederet, hæc noua pars non deberet signata generari, quia virtus productiua ex se intendit producere partem sine aliquo defectu, nec assignari potest aliqua causa virtutem illam cogens ad producendā cicatricem, ergò non quælibet viuentis pars fluit, sed aliqua remanet, & consequenter viuens non est idem numero per solam æquiualētiam. Nec explicatio Ioann. de S, Thom. placet, quòd .s. per partes formales intelligitur caro sub illa dispositione quantum ad figuram, temperamentum, ordinem, & continuationem ad reliquas partes, non placet, dispositio .n. illa, figura, temperamentum, ordo, & continuatio nō sūt eadē numero accidentia, sed specie, variantur .n. ad variationem subiecti, & ita non inferunt vnitatem numericam substantialem, sed accidentalē, & per æquiualentiam.

Neque etiam verum est partes spermaticas semper in viuente permanere, nam Arist. 1. de gen. 32. & seq. docet omnes partes nutriri, augeri, & diminui, ergo etiā spermaticæ partes minuuntur, & non semper permanent. Tum quia vt ait Scot. loc. cit. partes spermaticæ sunt eiusdem rationis cum nutrimentalibus, ergo sicut istę fluentes sunt, quia habent humidum cū calore admixtum, similiter & illæ. Tū quia ex hac sentent. sequeretur puerum recenter natum non indigere alimēto, & nutritione, vt perditum restauretur, sed solùm vt augeatur, calor .n. naturalis in illud humidum agere nequiret, at hoc est falsum, quia si talis puer non alitur, statim moritur. Confirmatur, nam materia, quæ à principio trahitur est modica, vt est embrio in animalibus, semen in plantis, &c. quomodo ergo poterit deindę humidum in illa materia inclusum diffundi per tantam molem, quātā est magnitudo animalis perfecti, si non nutriretur. Ex qua doctrinā impugnatur etiam ille modus dicendi, quòd partes duriores non fluant, cū .n. istæ sint quoque animatæ, & ex calido, & humido cōpositæ, necesse est vt fluant.

Tum tandem, quia si ossa, & duriores partes nullo modo fluerent, & solùm fieret illis additio alterius substantiæ per nutritionem, sequēretur per totam vitam huiusmodi partes augeri, & ita viuens per totam vitam augmentaretur, & ita in maiori mole, quàm modo fieret,

quæ omnia absurda sunt

. Tenendũ est igitur omnes partes viuẽtis siuè nutrimẽtales, siuè spermaticas, siuè molliores, siue duriores fluere, cũ quo tamẽ stat, nõ esse necessariũ, vt partes duriores totaliter fluant, ità ꝙ nulla earum partium, quas habuit viuens à principio, permaneat eadem numero in fine vitæ, imò magna ex parte quò ad substantiam inuariatæ manent. Fundamentum est, quia partes istæ cum humiditate, magnam habent siccitatem annexam propter terræ dominium, ex quo oritur, vt possint valdè calori resistere, cùm adhuc in ipsis non sit tantæ actiuitatis, in partibus verò mollioribus, tàm humidum, quàm calor magis vigent; quamuis igitur calor continuò in partes agat duriores, quia tamen agit remissiori actione, non potest totaliter illas destruere, & estò humidum cibale cõsumet, cum hoc tamen etiam aduenit pars aliqua sicca, & terrestris, quæ alteri siccæ parti coniũgatur, & hinc est, quòd ossa non totaliter corrumpũtur, neque cutis vt in infirmitate patet, in qua licèt caro, & partes molliores multum minuantur, ossa tamen, & pellis ferè nihil, vel parum decrescunt; indè Arist. in lib. de iuuent. & senect. aiebat, ꝙ senectus aliud non est, quàm quædam corporis exiccatio, quia humidum semper minuitur, siccum verò crescit. Verum est tamen vt Doct. docuit loc. cit. E. quòd hæ partes, quò ad accidentalia alteratæ, & impuriores remanent, eà ratione, quia omne agens agendo repatitur &c. eiusdem sent. est Baudun. disp. 2. de gen. sec. 14. fol. mihi 604. vbi concl. 3. sic ait: sicut augetur viuens, ità minuitur, sed per augmentum omnes partes viuentis augentur tàm spermaticæ, quã nutrimentales, tàm molliores, quàm duriores, ergo etiã minuuntur, & concl. 4. ait: non esse necessarium ità minui partes viuentis, vt non remaneat aliquid ex eo, ꝙ habuit in generatione, & hæc saltem de partibus spermaticis, & de partibus durioribus, vt sunt nerui, & ossa, quæ magis calori naturali resistunt. hæc relatus Doctor. citans ibi Scot. &c.

Obiectiones.

Ob. ostendendo, quòd quælibet pars viuentis totaliter fluat, & consequenter viuens non permanet idem numero, & 1. auth. Aristot. qui primo de gener. 36. comparat partes viuentis aquæ transeunti per aliquam mensuram, sed aqua totaliter fluit, ergo. Item tex. 44. comparat nutritionem mixtioni aquæ cum vino, at vinum si sæpius cum aqua misceretur, totaliter mutaretur, ergo &c. ℞. exẽpla nõ esse identitates, sed similitudines, vndè exemplum de aqua declarat solùm fluxum partium, non tamen fluxum totalem. Exemplum de vino est inductum ad ostendendam impuritatem, quàm viuens ex actione in alimentum acquirit, vt infra patebit.

Ob.

Ob. Temporis progressu complexiones, & temperamenta ad variationem ciborum mutantur, ità vt aliqui veneno assueti, venenosā naturam acquisierint, ergo in nutritione omnes partes transmutātur. ℞. neg. conseq. licèt .n. ex cōtinua nutritione requiratur temperamentum simile temperamento ciborum, quia partes molliores verè transmutantur, non propterea idem de omnibus partibus asserendum erit.

Ob. Dato, quòd etiam partes duriores permanerent, non adhuc saluatur vnitas, & identitas numeralis, nam maior est numerus partium, quæ fluunt, & redeunt, quā illæ permanentes, ergo potius viuens dici debet diuersum, quàm idem, cùm denominatio à principaliori, & maiori parte sumi debeat. Confirmatur, nam inter partes primum locum obtinent Cor, cerebrum, & iecur, à quibus pendent operationes vitales, & tamen sunt fluidæ, ergo &c. ℞. ex hac ratione solùm deduci in viuente non reperiri exactam, & perfectam vnitatem numericam, qualis in rebus spiritualibus reperitur, reperiri tamen veram vnitatem numeralem, quamuis cum aliquali mutatione. Neque ex hoc, quòd plures sunt partes fluentes, idcirco viuens diuersum censendum erit, etenim partes aliæ sunt principaliores, & intimiores vt ossa, nerui, cutis, & similia, quæ magis ad conseruationem viuentis conducunt, aliæ verò sunt magis extrinsecæ, & minus principales, vt caro, quæ non sic principaliter spectant ad viuentis conseruationem, solent .n. aliquando reperiri homines ferè sine carne, non tamen sine neruis, ossibus &c. & quia hæc permanent, nō autem illa, ideò denominatio sumitur ab istis fortioribus, non ab alijs, quamuis plures fuerint. Ad illud de cerebro, corde, &c. quæ sunt partes principaliores, dicimus cerebrum conseruari secundum aliquas partes, quia in ipso viget frigiditas, & calor est debilis, quomodo autē species in cerebro conseruentur, vel deleantur, stante tali fluxu, in lib. de anim. patebit. de corde, asserimus etiam permanere secundum partes terrestriores, in qualibet .n. coctione, vt supra diximus fit separatio harum partium à subtilioribus, & idem de iecore asserendum erit.

Ob. In plantis plures partes sunt per augmentum superadditæ, quā sint illæ, quas plantæ in instanti generationis habebant, ergo potius diuersæ erunt propter tam ingens excessum nouarū partiū, quàm idē numero ex tàm parua materia. ℞. concedendo in planta esse minorē vnitatem, quàm in cæteris viuentib⁹, sicut imperfectiori vita viuit, quàm cætera viuentia, ex quorum diuisione nō fiūt duo numero viuētia, vt in planta euenit, adhuc tamen dicitur vna numero, plusquā continuitate, quia partes magis in ipsa eadem conseruantur, quàm

in alijs, cùm satis terrestris siccitas in ea vigeat, & calor remissior adsit. Est tamen aduertendum, quòd inter viuens non debet fieri comparatio, vt est in fine vitæ, & vt primò genitum fuit, nam vt sic valdè secundum partes excedit, sed comparari debet, vt est in fine vitæ ad seipsum in tempore augmenti, sic.n. apparebit viuens in fine habere easdem ferè partes duriores, quas acquisiuit tempore incrementi, signum, quòd istæ non totaliter fluxerunt.

Ob. Generans est realiter distinctum à genito, & in schola nostra est principium vniuersalissimum, vt patet ex illa controuersia de distinctione inter totum, & partes essentiales, sed partes acquisitæ per nutritionem sunt à præexistentibus causatæ, ergo distinguuntur, & cõsequenter nequeunt idem numero constituere. ℞. admittendo partes de nouo in nutritione acquisitas à præexistentibus causari, & consequenter realiter partialiter distingui, negatur tamen sequela, quòd non possint vnum indiuiduum numero integrare, sicut ignis generans, & ignis genitus possunt vnum ignem integraliter constituere. Etiam materia, & forma, quia vnione per se essentiali vniuntur, faciunt vnum per se indiuiduum numero, licèt forma sit effectus materiæ in genere causæ materialis.

Dices, Scot. loc. cit. docet contra Magistrum, nullam partẽ corporis esse simpliciter incorruptibilem, & in corpore manere, ergo in eius sent. omnes corporis partes fluunt. ℞. neg. consequ. intentum .n. Scoti ibi est solùm ostendere contra Magistrum nõ dari partem simpliciter incorruptibilem, & totaliter, quòd iam nos concedimus, non tamen asserit Scot. omnes partes totaliter fluere, nam hoc est contra decoctionis rationem, in qua terrestriores partes semper permanent, quia in mixto reperitur quędam partium varietas, quarum aliæ sũt subtiliores, aliæ grossiores, & licèt illæ faciliter exhalẽt, nõ tamẽ istæ, vt de cineribus patet.

Ex his deducitur partes duriores nondestrui totaliter, & in magna quantitate, cum quo tamen stat, quòd aliqualiter secundum substantiam consumitur, & multò magis secundum accidentia, qua ratione homo senescit, tum quò ad partes molliores, tùm quò ad partes duriores, de quo infra.

Argues. Arist. 1. de gen. 35. & seq. assignans rationem, cur viuens toto tempore idem permaneat, nõ assignauit persistentiam partium solidarum, sed ait hoc esse, quia partes secundum formam manent, non secundum materiam, & se exemplificat de carne, quòd caro secundum formam manet, non secundum materiam, ergo per Aris. non solùm duriores partes permanent, sed etiam molliores. ℞. ex ex hac Arist. auth. iam ostenditur quasdam partes semper permanere, istæ autem potius duriores sũt,

quàm

quàm molliores propter maiorem consistentiam, & siccitatem in illis existentem, ponit autem exemplũ de carne, & osse, quia etiam quandoque diu permanere potest, cùm conditiones habet requisitas secũdum formam, licet non tanto tempore perseueret. Satis igitur fuit Arist. innuere quasdam partes in viuente non fluere, vt ipsius vnitatem numericam saluaret. Et si in vermibus solùm partes molliores videntur, ad huc in illis dantur aliquæ partes proportione ossibus correspondentes, quæ totaliter nõ fluunt, tam propter vitæ breuitatem, quàm caloris paruitatem.

Arguit Poncius, probabilem putans opinionem, quòd viuens si lõgo tempore viuat, non perseuerat idem numero physicè, sed tantùm moraliter, vult .n. quòd om̃es partes viuentis fluant, siuè nutrimentales, siuè molliores, siuè duriores, & ità discurrit: licèt hoc non sit necesse secundum eos, quòd partes duriores totaliter fluant; & licèt illæ partes duriores, vt ossa &c. maneant in fine vitæ, quò ad magnam partem, & licèt etiam ex alijs partibus mollioribus aliquæ partes remanerent physicè, non potest tamen esse dubium, quin plurimæ partes fluant, & desinant esse; sed hoc ipsum sufficit, vt non dicatur idem numero in fine vitæ, qui fuit initio, physicè loquendo, ergo nec contra Scot. nec contra rationem est, quòd viuens non maneat idem physicè in fine vitæ. Pr. minor, quia non potest esse idem physicè, quòd habet partes physicas distinctas, seu quod constat ex partibus numero distinctis physicè; sed ex illa doctrina sequitur, quòd viuẽs nõ cõstat in fine vitæ partib. iisdẽ numero, quib. constitit ab initio, sed partib. diuersis numero phicè, ergo nõ erit idem numero physicè, & cõsequenter nequit esse idẽ numero, nisi moraliter. Resp. Mastrius, & benè ex doctrina supra hàbita, quòd estò plures sint partes, quæ fluxerunt, non tamen ob id viuens censendum est diuersum numerò physicè in fine vitæ, nam partes aliæ sunt principaliores, & intimiores, vt ossa, nerui, cutis &c. quæ sunt veluti fundamenta aliorum, aliæ verò sunt magis extrinsecæ, & minus principales, vt caro &c. quæ non ità principaliter ad conseruationem viuentis pertinẽt, quia ergo illæ partes manent ex maiori parte quò ad substantiam, licèt aliqualiter immutatæ quò ad accidentia, ideò viuens in fine vitæ, dicitur adhuc idem numero physicè; quæ solutio est Scot. in 4. sæpè citato, in solutione ad vltimum principale, vbi docet, quòd estò multæ, & quamplures partes viuentis fluxerint in vita, quæ non surgent in resuscitato, dicitur tamen adhuc idem numero, quia resurgent partes principales, ex quibus identitas numeralis viuentis attendi debet, non autem ex minus principalibus, sine quarum identitate, totũ adhuc esse potest idem, & quòd

& quòd hęc sit germana mens Scoti affero eius formalia verba, qui loc. citat. in fine quest. supra S. sic ait: *Sed si arguas de parte principali, cuius vnitas requiritur ad vnitatem totius; dico similiter de illa, sicut dixi de toto.* quibus verbis Scot. clarè ostendere vult, ad identitatem resuscitati sufficere partem principalẽ. in forma igitur Arg. Resp. negan. min. ad probat. distinguitur ma. non potest esse idem physicè, quòd habet partes physicè distinctas, si partes sunt principaliores cõceditur, si minus principales, negatur, consequ. idem .n. viuens, easdem habet partes principaliores, quas ab initio in generatione acquisiuit, (p e. Doct. sufficit ad eius idẽtitatem. falsa est etiam absolutè illa propositio: non potest esse idem physicè, quòd habet partes physicè distinctas, nam idem numero compositum, siue integrale, siue essentiale constat ex partibus specie, & numero distinctis. Aliæ rationes relinquuntur, quia etiam ex dictis solutæ remanent.

Carpit etiam Poncius Mastr. & Bell. quòd nec Scot. intelligãt, etiã cùm clarè loquitur. sed quis eorum melius in hac controu. Doctorem intellexerit, candidi Scotistæ sint iudices. Vult Poncius, quòd per aliquas partes, quæ remanent, intelligit Scotus partes, quas habuit vltimo anno vitæ. Non valet, nam concl. 2. lit. M. resoluẽdo Doct. quę partes resurgent, respondet, *hoc est probabile, quod corpus illud reparabitur ex partibus purioribus, quod contractum est ex parentibus, quia hoc fuit purissimum,* & clariùs lit. P. ait: *dico, quòd non habebit præcisè eamdem quam habuit in aliquo instanti, vel in aliquo tempore vitæ suæ, sed nec habebit totam illam, quam habuit in aliquo tempore, præter illam, quam contraxit à parentibus, illam quidem totam habebit, & alias partes, quas successiuè habuit.* poterat clariùs loqui Scot. dum dicit, totã illam habebit quam à parentibus contraxit, & lit. F. & G. docet, quòd maior est periodus in parte prius genita, quàm posterius, quia illa est efficacior ad resistendum contrarijs, quam ista; ergo per partes remanentes nõ debẽt intelligi partes vltimo acquisitæ, cùm istæ sint magis fluxibiles. legant quæso Scotistæ totã quæstionem, & postea, vt integri Arbitri sententiã promant.

Ex dictis soluitur illa communis, & satis molesta obiectio contra omnes .s. identitas totius sumitur ex identitate partium, sed partes viuentis per nutritionem, & augmentum variantur, calore .n. naturali consumuntur, & aliæ subrogãtur, ergo variatur, & totum, & cõsequenter non manet idem numero subiectum. Nos relictis aliorum solutionibus, breuiter respõdemus distinguendo minorem: partes viuentis per nutritionem variantur omnes sigillatim, negamus, variantur omnes molliores, & etiam aliquæ spermaticę, & fortiores, remanentibus tamen adhuc aliquibus maioris consistentiæ, à quibus pręser-

sertim sumitur viuentis identitas, concedimus,& neg.conseq.

Sic etiam resp. M. Iacob. Brun. q.4.de gen. art.2.fol.152. Vir re vera doctissimus, & in schola D. Tho. versatissimus, vbi sic ait; in forma dist. mi. sed partes materiæ variantur tẽpore nutritionis, omnes negatur,aliquæ cõceditur. Tũc nihil, docent .n. aliqui, & rationabiliter cum Alexandro (referente D. Tho. lect. 15. lit. B.) quòd in viuente, quod nutritur toto tempore vitæ, semper remanent,& cõseruantur incorruptæ quædã partes integrantes spermaticæ, seu ex semine immediatè generatæ, quæ vt potè terrestriores, & sicciores, in eas non valet agere calor animalis valde temperatus,nec eis potest resistere ex improportione, & deficientia humidi, pabulum enim caloris est humidum, & propterea ignis non agit in cinerem; partes verò nutrimentales, quæ producũtur nutritione ex alimento, & primis adduntur, passim consumũtur, & variantur. huic solutioni fauet Scot.in 4.d.44.q.1. dum dicit,per calorem naturalẽ non consumi totaliter partes principaliores, quas quidam dicunt formales, quia hoc indicant ipsarum maculæ, & cicatrices, quæ non possunt transire de vna parte subiecti ad aliam, benè verò corrumpi partes nutrimẽtales, quæ continua actione caloris accedunt,& recedunt. Hæc pręfatus Magister D.Thom.Alumnus. Et quidem mirum est, quòd multi, & graues Doctores,& Magistri, hãc sententiam, vt Scoti vnigenam amplectantur, Poncius, qui eius sectator, & expositor profitetur,in alienum sensum Doctorem distrahere conatur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Augmentatione.

SCot. disertè de hoc Art. discurrit in 4. d. 44. q. 1. & dist.11. q.3.& sæpè alibi.Pro faciliori captu notamus, dupliciter sumi augmentationem: primò pro auctione,qua corpora augentur absque additione alicuius substantiæ, & hæc propriè rarefactio dicitur, de qua disp.5. egimus: Secundò,accipitur pro accretione,qua corpora per addditionem alicuius substantiæ augentur, & hoc dupliciter,vel .n. talis additio fit solùm à causa extrinseca, vt cum V. g. vna pars aquæ alteri vnitur, quæ communis est omnibus corporibus, vel fit à causa intrinseca,vt cùm viuens augetur per principium intrintrinsecum alimenti conuersiuum, & hæc est propria viuentium, de qua in præsenti loquimur, cuius tres conditiones ab Arist. enumerantur 1. de gen. 33. Prima est, vt id, quòd augetur, secundum omnes partes augeatur; Secunda, vt ex adueniẽte materia maius fiat;Tertia, vt id, quòd augetur permaneat idem ante, & post augmentationem.

Est etiam notandum, quòd cùm substantia corporea non possit na-

turaliter produci sine quantitate, quæ est veluti ipsius proprietas, quando alimentum per nutritionem in substantiam aliti conuertitur, statim ac producuntur nouæ partes substantiæ, acquiruntur etiam cum illis nouæ partes quantitatis, quæ eiusdem corporis viuentis quantitati vniuntur; & quia corpus acquirens maiorem quantitatem, vt plurimum fit maius, & in ordine ad locum extenditur, inde quantitati illi de nouo corpori aduenienti, annectitur quidam motus localis, vt Arist. docuit 1. de gen. 25. non quòd transeat de vno loco ad alium prorsum diuersum, nec quòd voluatur ad modum sphæræ intra eumdem locum, sed solùm acquirēdo maiorem locum per extensionem. In auctione igitur, hæc interueniunt; Primò fit quædam distēsio partium viuentis versus omnem dimensionem, qualis in re aliqua fieret, quæ à lateribus omnibus traheretur, quæ distensio principaliter fit ab anima, & à potentia augmentatiua, instrumentaliter verò à calore, qua distensione dilatantur pori omnium partium, in quas venæ capillares desinunt, per quarum ostiola sanguis ad partes restaurandas exit, hinc caro de recente abscissa est sanguine plena, in poris illius inclusio, & pori capaces fiunt maioris alimenti: Secundò post hanc distensionem, in poros ex venis illis ingreditur sanguis, vbi decoquitur, & conuertitur in cambium, rorem, vel gluten, qui sunt tres gradus, per quos secundum Medicos transit sanguis antequam in substantiam aliti conuertatur. Tertiò fit conuersio in substantiam aliti, quæ est nutritio. Quartò fit acquisitio partialis quantitatis. Quintò consequitur illa extensio ad maiorem locum occupandum. Vt autē exactè auctionem explicemus, tria in præsenti inquirimus .s. formalitatem eius, idest, in quo ipsa auctio consistat formaliter, modum, an .s. fiat in instanti, vel successiuè; & tempus, an .s. duret toto tempore vitæ.

Quò ad primum, sic augmentatio definitur ab Arist. 1. de gener. 25. *est motus à minori ad maiore quantitatem*. vel explicatius: *est motus viuentis factus ab anima vegetatiua per calorem naturalem aliquo extrinseco accedente, quo viuens idem persistens, ex minori, & imperfecta quantitate transit ad maiorem per omnes partes, vt optimè, & congruentèr suæ naturæ operari possit*. Quæ definitio optima censetur, constat .n. ex genere, quod est motus, & differentia, quæ sunt reliquæ particulæ. Augmentatio species subalterna distinguitur à generatione simpliciter, ab alteratione, & à motu locali, & differentia colligitur ex terminis ad quos, nam generatio est ad substantiam, alteratio ad qualitatem, motus localis ad Vbi, augmentatio verò ad quantitatem, vt maiorem. Item, quia constat ex quatuor generibus causarum, nempè efficiente, quæ

est

est Anima, materialis ex ex qua, est alimentum; Materialis circa quam, seu subiectum, est viuens; instrumentalis est calor naturalis; formalis, est perfecta quantitas; finalis est, operatio, hinc colligitur non bene distinguere Arriag. disp. 2. augmentationem in substantialē, & accidentalem, nam in rigore omnis augmētatio est accidētalis, cùm sit motus, & solùm terminatiuè dici potest substantialis, quatenus ad substantiam terminatur.

Nec est audiendus Albert. Mag. in summa de homine qu. 1. art. 2. vbi ait: hominem non augeri per appositionem nouæ quantitatis, sed solùm, quia quantitas, quàm accepit in prima generatione, rarefit, & ad maiorem locum se extēdit. Non valet, nam animalia post incrementum sunt maioris virtutis, quàm antea, sed post rarefactionem debilitatur potius, quàm crescat virtus, quia virtus vnita, fortior &c. Est etiam aduertēdum, ꝙ augmentatio accipi potest, vel in ratione mutationis, vel in ratione actionis; vt de gener. diximus.

Marsil. Saxon. & Alij non distinguunt augmentationem à nutritione realiter, sed solùm formaliter, vel ratione, volentes, quòd per nutritionem acquiratur noua substātia, & ex vi nutritionis præcisè absque alia actione, noua quantitas habetur. Burleus, Iandunus, Tolet. & Alij putant augmētationem formaliter consistere in extensione ad locum, vel saltē in ingressu alimenti in poris. Zabarell. & Aref. affirmant augmentationem vtrumque importare .s. tam nutritionē, quàm extensionem, licèt deinde differant, quòd Aref. vult extensionem esse de formali significato, nutritionem verò de connotato, Zabarel. autem vtramque ex æquo importare, sed cum hoc, quòd nutritio sit mutatio indiuisibilis, seu instantanea, extensio verò motus successiuus, & nutritio inseruit extensioni tamquam principium eius, vt se habet punctum respectu lineæ. Communis opinio est, quòd augmentatio in acquisitione quantitatis consistat, sed adhuc discrepant, nam aliqui negant hanc actionem productiuam esse, sed tantùm vnitiuam, supponunt .n. quātitatem consequi materiam primā, hinc cùm in nutritione eadem materia alimenti vniatur materiæ viuentis, quantitas etiam concomitans materiam alimenti, vnitur quantitati corporis viuentis, non producitur de nouo; ità asserunt, qui materiam ponunt esse subiectū accidentium. Alij ex opposito concedunt, per auctionem produci nouam quantitatem, & consequenter, quòd auctio sit actio productiua, sed adhuc diffident, nam Gotfred. quol. 11. qu. 3. & alij volunt produci de nouo totam quantitatem viuentis, corrupta præexistente; Alij verò, & communius, hanc productionem solum terminatam ponunt ad partialem quantitatem illius partialis substantiæ, per nu-

tritionem acquisitæ, integra præexistente viuentis quantitate.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. auctionem, vt mutatio est, consistere formaliter in acquisitione partialis quantitatis, qua viuens succedit à minori quantitate ad maiorem, virtute caloris naturalis, à nutritione, & extensione realiter distinctam; vt actionem verò consistere in productione quantitatis partialis, non totalis. est Scot. loc. cit. in 4. d. 44. q. 1. lit. L. & d. 11. qu. 3. lit. Ee. & habetur expresè in Aristot. 5. phys. 18. & sequ. vbi tres motus species assignat, nempè auctionem, alterationem, & lationem, easque distinguit à mutatione, quæ ad substantiam terminatur, sed nutritio terminatur ad substantiam, ergo distinguitur, ab auctione. Tum quia vtriusque termini realiter inter se distinguuntur, nam terminus nutritionis est substantia, auctionis verò quantitas, ergo & mutationes sunt realiter distinctæ. Neque dicas, quantitatem consequi substantiam, ideoque non fieri distinctam actione à substantia partiali, neq; esse distinctam mutationem à nutritione; non valet, nam etiam alteratio, & generatio ad inuicem immediatè se consequuntur, non tamen ideo alteratio est formaliter generatio.

Secundò, neque consistit formaliter in illa extensione, hæc .n. extensio terminatur vel ad locum, vel ad raritatem, at neque locus, neque raritas ad prædicamentum quantitatis spectant, augmentatio verò est motus ad quantitatem ex Arist. 3. phys. Tum quia extensio localis est effectus augmentationis, vndè hæc causalis est vera, ideò viuens occupat maiorem locum, quia est auctum, ergo extensio formalitatem augmentationis constituere non potest. Neque valet glosa Aresij non quamcumque extensionem esse auctionem, sed quæ connotat nutritionem, & acquisitionem quantitatis, quo pacto verè hæc extensio est in prædicamento quantitatis. Non valet, licèt .n. concedamus nutritionem esse connotatum accretionis, quatenus non quælibet quantitatis acquisitio dicitur accretio, sed quæ habet conditiones supra assignatas, quæ necessariò cum nutritione fit, falsum tamen est acquisitionem etiam quantitatis esse connotatum, & extensionem localem de formali significato, ratio est, quia cum terminus formalis extẽsionis sit situs partium ex dictis, vtique non potest hæc extensio esse motus ad quantitatem, sed potius motus ad situm, qui estò sit modus quidã quantitatis, parum interest, nam etiam vbi dicitur modus, & terminus quantitatis, & tamen latio nõ dicitur motus ad quantitatem; ratione verò connotati, non magis diceretur in prædicamento quantitatis, quàm substantiæ, quia etiã nutritio connotatur, quæ est aggeneratio substantiæ. Neque diuisio illa motus in tres species ex Arist.

5. phys.

5. phys. in auctionem, alterationẽ, & lationem est diuisio per connotata, & per accidentalia extrinseca, sed per specificas differentias. Per hæc etiam excluditur sentent. Toleti de ingressu alimenti in poris, tunc .n. viuens propriè nõ acquirit nouam quantitatem, quæ sit propria ipsius, nãm alimentum nõ adhuc est de substantia viuentis, nisi tantùm in potentia. Tum quia quando viuens morbo aliquo intumescit propter augmentum noxij humoris, diceretur propriè augeri, quòd tamen falsum est, quia auctio est naturalis à principio intrinseco proueniens, illa autem tumefactio est violenta.

Tertiò, quòd verè sit motus ad maiorẽ quantitatem, est Arist. pluribus in locis, vt videre est 3. phys. 16. & 2. de an. 47. & 1. de gen. 31. 41. & alibi. Pr. quantitas verè terminare per se potest motum, ergo acquisitio quantitatis erit verus motus ad illam. Pr. antec. nam quantitas habet entitatem per se acquisibilem, & sufficientem contrarietatem, vt causare possit successionem, sicut .n. latitudo spatij, & intensiua latitudo caloris sufficiunt, vt inter vnum Vbi, & aliud, & inter remissum calorem, & intensum detur verus motus, itá latitudo, quæ inter maiorem, & minorem quantitatem adest, sufficiẽs erit ad motum causandum.

Dices, quantitas non videtur per se acquiri, sed ad acquisitionẽ substantiæ, ergo sicut ex hoc capite negatur motus ad relationem; itá pariter negari debet motus ad quantitatem, qua ratione Plato in Parmenide, Galen. 1. method. cap. 6. Valles. & Alij negant ad quantitatem esse per se motum. Sed hoc parum ob stat, non .n. ex eo quòd aliquid acquiritur ad acquisitionẽ alterius, ideò per se terminare nõ potest motum, aliàs secundæ qualitates, quæ ex acquisitione primarum acquiruntur; habitus, qui ex frequentatis actibus coalescit; & forma substantialis, quæ ad acquisitionem vltimæ dispositionis adipiscitur, non possent esse termini per se motus, quod falsũ est. Tunc igitur terminus non videtur per se acquiri, quando itá ad alterius acquisitionem acquiritur, vt sit omnino ens occasionatum, vt est relatio, non per se à natura intẽtum; Quantitas verò per se intenditur à natura, vt Scot. docet in 4. d. 44. q. 1. N. quæ sicut intendit partialem substantiam propter restaurationem deperditi, itá intendit augmentationem propter acquisitionem quantitatis debitæ viuenti; & itá hoc per se intendit, quòd & si nõ deperderetur aliquid substãtiæ, ad huc augmentationẽ intenderet.

Tandem, quòd augmentatio sit productiua, non tantum vnitiua quantitatis, indè patet, quia sicut generatio, est qua producitur substantia, & alteratio, qua producitur qualitas, itá augumentatio est, qua producitur quantitas. Quòd autem sit productiua non totalis

quan-

quantitatis, sed partialis, Probat Doct. in 1. d. 17. q. 3. lit. Ss. contra Gotfredum ad hominem, ratione theologica ex rare factione in Santissimo Euchar. Sacramento, quia tunc per Grofedum acquiritur tota noua quantitas, ergo idm tota quãtitas vini consecrati mutaretur, & ità Christus Dominus non esset amplius sub illis specieb', quia Christus tandiu sub illis speciebus manet, quandiu species illę conseruantur; neq; similitudo specifica inter illas qualitates sufficit ad permanentiam Christi sub illis speciebus, sequeretur .n. Christum ad huc in sacramento permeděre, si quantitati vini aquæ quãtitas succederet, vel alterius liquoris, cùm ambæ essent eiusdem speciei, nec vna postulat magis aquam informare, quàm vinum.

Probat denide hoc idem Scot. ratione philosophica, si .n. tota prior quantitas destrueretur ad acquisitionem nouæ, cùm quantitas sit subiectum omnium accidẽtium ex dictis in phys. disp. 5. art. 3. sequeretur, quòd vel omnia illa accidentia migrarent de subiecto in subiectũ, vel quòd omnia mutarẽtur simul, quæ falsa sunt, & contra experientiam. Tum quia dari potest casus, quòd tunc non adsit agens, quod possit illa accidentia causare, vt præsertim sunt calores, sapores &c. quod .n. est causa auctionis, non est necessariò causa aliorum accidentium. Tum tandẽ, quia ex hac opinione, si adderetur mari gutta aquæ, tota quantitas aquæ maris corrumperetur, quod est ridiculum, & tunc minimissimũ agens in subiectum maximè distãs ageret.

Obiectiones.

Ob. 1. quòd auctio non differat realiter à nutritione, & est manifestus textus in Arist. 1. de gen. 41. vbi ait: *differunt nutrimentum, & augmentatio ratione*; & iterum, *nutrimentum augmentationi idem quidem est*, ergo &c. ℞. illis verbis Arist. solùm innuere vult non assumi aliam materiam, vel cibum pro augmentatione, & nutritione, sed idem alimentum pro vtraque inseruire, vndè illa dixit ratione differre, quæ in eodem subiecto coniunguntur, estò inter se realiter distinguantur, vt sunt forma substantialis, & quãtitas in eodem alimento.

Ob. Sicut quantitas totalis est propria substantiæ corporeæ, & eã naturaliter consequitur, & in instãti cum ea producitur virtute generationis sine noua mutatione, idem dicendum erit de quantitate partiali respectu partialis substantiæ in nutritione, quòd scilic. non fiat propria, & distincta actione, & mutatione à nutritione, sicut neq; quando acquiruntur alia accidentia ad acquisitionem quantitatis datur ad illa per se motus. ℞. cum Mast. & Bell. neg. paritatem, quò ad mutationem. concedimus in generatione dari nouam actionem productiuã quantitatis distinctam ab actione productiua substantiæ,

& hoc,

& hoc, quia quantitas, cùm sit entitas realiter a substantia distincta postulat fieri distincta actione à substantia, non tamen interuenit noua, & distincta mutatio, non quia non reperitur terminus ex se potens motum terminare, sed quia subiectum .s. compositum non præfuit tempore sub priuatione quantitatis, sed in eodem instanti, in quo fuit genitum, in eodem fuit cum sua forma, & quantitate proportionata; at in nutritione, est augmentatio vt actio est, & vt mutatio est, quia subiectum .s. viuens, tempore præcessit sub minori quantitate, & ita mutatum, per idem patet de alijs accidentibus in quantitate fundatis, quantitas .n. illa non præfuit tempore accidentia illa sibi connaturalia, sed simul tēpore cum illa educta fuerunt, licèt per distinctam actionem, quæ sufficit ad distinctionem realem.

Ob. Quamuis varientur, & multiplicentur termini secundarij motus, dummodò tamen terminus per se primò intentus sit vnus, vnica tantum erit mutatio, sed in nutritione solùm substantia per se intenditur à natura, quantitas verò ex naturali quadam concomitantia, ergo &c. ℞. neg. minorem, nā vt diximus ex Doct. in 4. d. 44. q. 11. N. sicut natura partialem substantiam propter restaurationem deperditi intendit, ità augmentationem propter acquisitionem quantitatis debitæ viuenti expostulat, licèt .n. non deperderetur aliquid substantiæ, adhuc augmentationem completam intenderet.

Ob. tandem: Augmentatio propriè reperitur etiam in non viuentibus, Accretio autem non nisi in viuentibus reperitur, ergo accretio formaliter nutritionem dicit, quæ est solùm viuentium. ℞. sufficere, quòd accretio aliqualiter cōnotet nutritionem, nō tamē quòd sit de eius principali significato, ideò nihil.

Conclusio Secunda.

Dicimus, augmentationem fieri continuè. Non dicitur tamen cōtinua, quasi quòd totum augmentum expostulatum à viuente vnico motu continuo fiat, non interueniente quiete, quia plantæ in hyeme non augentur ratione frigoris restringentis, sed benè in ęstate. Neq; accretio est continua, vt per totam vitam duret, vt modò dicetur, quia senex non augetur, sed decrescit, ac propterea datur triplex status .s. augmentationis, consistentię, & diminutionis. Neq; est continua diminutioni, ità vt post augmentationem, statim sequatur diminutio, quia datur status consistentię, sed dicitur continua, quia quodlibet augmentum in se consideratū, pro tempore, quo viuit, continuū est, quia de genere motus; vt .n. diximus ex Aris. 5. phys. tex. 18. tres sunt species motus, nempè latio, quæ per se terminatur ad Vbi, alteratio, quæ terminatur ad qualitatem, & augmentatio, quæ terminatur ad quantitatem. Conclu-

sio est contra Hutt. & Arriag. qui tenentes nutritionem instantaneã esse, consequenter etiam hoc de augmentatione fatentur. sed falsitas huius sent. patet ex dictis, illæ .n. rationes, quæ probant generationem inanimatorum fieri successiuè, idem de nutritione ostendunt, nam estò viuentium generatio petat in instanti fieri, ex eo quia viuentia in generat. minimum sibi determinant, in nutritione verò, quia iam præsupponitur viuens existens, non necessariò hoc minimũ exigitur, propterea se habẽt vt inanimata, & consequenter successiuè nutriuntur; iam .n. anima præsupponitur introducta in determinatam, & proportionatam magnitudinem, per quam proprias operationes exercere possit.

At Ob. Tum ex Aris. 8. phys. 23. vbi ait: impossibile est aliquid augeri, vel minui continuò. Tum ex Hurt. qui sic discurrit: augmentatio nihil aliud est, quàm continuatio nouæ quantitatis cum alia, sed talis continuatio fit in instanti, ergo, &c. Mi. Pr. continuatio vt sic consistit in indiuisibili, quia continuatio lineæ est punctum. continuatio superficiei est linea, vt indiuisibilis secundum latitudinem, & continuatio corporis est superficies, vt secundum profunditatem carens partibus, ergo debet fieri in instanti, solùm .n. quæ habent partes, successiuè fiunt. ℞. ad Aris. ibi solùm negare continuitatem augmentationi, quàm in motu circulari posuit .s. perpetuam durationẽ, & æternam, nec aliud ibi colligitur.

Ad Hurt. rationem, negatur ma. augmentatio .n. propriè, & formaliter loquendo non est continuatio, sed additio aliarum partium quantitatis, continuatio verò sequitur ad hanc additionem, quia .n. nouæ partes adduntur, ideò nouiter continuantur, vndè cõtinuatio propriè est vnio partium quantitatis, quæ adhuc post augmentũ remanet, & vnio saltem materialiter nihil aliud dicit, nisi indiuisibilia quantitatis; vt additio propriè dicit acquisitionem partium, quæ successiuè, & in tempore fit, cùm sit diuisibilis, sicut & partes diuisibiles sunt; & nisi sic hæc doctrina exponatur, deberemus etiam asserere, tempus ex indiuisibilibus cõstare, tẽpus .n. semper nouas partes acquirit, si ergo acquisitio idẽ esset, ac continuatio, & cõtinuatio est indiuisibilis, per hanc acquisitionem solùm indiuisibilia acquirerentur quod falsum est. Tũ quia prioritate naturæ prius partes acquisitas concipere debemus, & postea eas vnitas, absolutum .n. præsupponitur ad relationem, qualis est vnio.

Quantum verò ad 3. dubium. Ad 5. augmentatio duret toto tempore vitæ, ℞. cum distinctione, augmentum .n. dupliciter sumi potest, vno modo communiter pro quacumque acquisitione quantitatis à viuente facta, per principium vitale,

le intrinsecum; altero modo propriè pro illa acquisitione quantitatis, qua viuens fit maius. De prima augmẽtatione, fateri debemus, quòd tamdiu fiat, quandiu nutritio continuatur, quomodo .n. possibile est, vt à viuente acquiratur partialis aliqua substantia, & noua quantitas non adueniat? quia igitur per nutritionem noua substantia acquiritur, sequitur vt etiam noua quantitas acquiratur. De secunda augmentatione asserimus, quòd saltem in animalibus perfectis non durat toto tempore vitæ. est communis, & docuit Scot. in 2. d. 2. q. 9. lit O. hoc probans ex Aristot. 8. phys. tex. 23. Hinc triplex tempus distinguitur in viuentibus, præsertim in homine ex Arist. 3. de anim. tex. 59. & D. Th. 2.2. q. 147. art. 4. ad 3. Primum est ab ortu vsque ad vigesimũ primum annum completum, & dicitur adoloscentiæ, seu augmentationis, quia in hac ætate calor naturalis satis validus est, & robustus, & consequenter plus alimenti in substantiam aliti conuertit, quàm de propria substantia consumat; Secundum dicitur tempus cõseruationis, seu consistentiæ, & est à 21. vsq; ad 42. vel secundũ alios vsq; ad 50. quo tempore calor non plus alimenti conuertit, quàm de propria substãtia cõsumat, sed seruatur æqualitas in deperdendo, & reparãdo, Tertium dicitur tempus decretionis, quod est à 42. vel 50. vsque ad senectutem, decrepitam ætatem, & finem vitæ, quo tempore calor tepescit, & nutritiua tabescit, vnde calor plus consumit humidi, quàm de alimento conuertat, qua ratione sequitur mors; licèt igitur nutritio duret per totam vitam, non tamen augmentatio fit per totam vitam, nam augmentatio non consistit in additione nouę quantitatis, sed in additione maioris quantitatis, quàm sit illa, quæ deperditur. In adolescentia ergo fit maior conuersio, quàm deperditio, ideoque augmentatio causatur; in ætate virili, tanta fit conuersio, quanta deperditio, & sic cessat augmentum; in senectute verò maior deperditio, quàm conuersio, & ità diminutio, & corruptio consequitur.

Diximus, saltem in animalibus perfectis, quia an dentur viuentia imperfecta, quæ nunquam decrescant, dicemus infra. Sciendum est etiam, quòd tria illa ossicula in cauitate timpani auricularis positi, qui appellantur, malleus, incus, & stapes ità statim durescunt, vt eiusdem sint magnitudinis ab ortu natiuitatis vsque ad finem vitæ, vt anathomici obseruant.

Contra allatam doctrinam instari solet, nam calor naturalis fortior apparet in iuuentute, & tẽpore consistentiæ, quàm in adolescentia, & pueritia, seu tempore incremẽti, ergo etiam in iuuentute debebit incrementum efficere. Pr. nantec. nam calor in iuuentute perfectiores actiones causat, quam

in puero, melius .n. grossiora cibaria digerit, meliusque concurrit ad generationem, motum localem, & discursum; immo aliquando tempore consistentiæ pinguescit, quod prouenire nequit, nisi ex perfectione caloris decoquentis cibum, ergo calor perfectior est in iuuentute, quàm in adolescentia, nam per quantitatem effectus, cognosci solet quantitas causæ, & formæ. Tùm quia homo tunc dicitur esse in statu perfecto, ergo tunc principium vitæ quod est calor, erit perfectius, quàm quolibet alio tempore. ℞. distinguendo de actionibus caloris naturalis, quæ duplicis sunt generis, quædam .n. multo indigent humido, vt fiant; cuiusmodi sunt auctio, extensio, rarefactio, nutritio &c. quædam verò requirunt humidum temperatum, consistentiam, ac membrorum siccitatem, vt sunt illæ in argum. relatæ; tunc dicimus, si comparetur in ordine ad primas operationes, tempore incremẽti perfectior est, quia tũc est cum multo humido vnitus, quo ætas illa viget; si verò respectu aliarum operationum consideretur, perfectior est in iuuentute, quia tunc partes sunt magis consolidatæ, & exicoatæ. Cùm igitur calor in ordine ad augmẽtum sit perfectior in pueritia, seu adolescentia, multum de alimento conuertere poterit, quia partes sunt humidiores, & consequenter potest illas extendere, & augere; in iuuentute autem partes sunt desiccatæ, ossa præsertim, & quia augmentatio secundum lõgitudinem præcipuè attenditur, & hæc ab ossibus prouenit, caro verò vt ipsorum indumẽtum se habet, indè augmentum ex auctione ossium coalescit; at quia in iuuentute non potest fieri augmentum in ossibus, & partibus durioribus, solùm potest fieri aliqualis accretio in partibus mollioribus, quæ non erit secundum longitudinem, sed secundùm profunditatem, & hæc est causa, qua homines hac ætate quandoque pinguescunt.

Vrgebis; Si tempore augmenti calor naturalis plus potest conuertere de substantia cibi, cùm sit robustior, ergo etiam plus de substãtia aliti consumet, quàm in consistentia, & decretione, sicut si tempore decretionis propter debilitatem, calor minus de cibi substantia concoquet, minus etiam ob eãdem rationem de substantia viuentis consumet, ac consequenter semper in statu consistentiæ esse deberet. ℞. vt clarius art. seq. patebit, substantiam viuentis puriorem esse in principio vitæ, ideoque potẽtiorem ad calori resistendum, ipsique connaturaliorem, inde magis in alimentũ agit, quã in substãtiam viuẽtis; postea verò cũ ex mixtione substãtię aduentitiæ, & nutrimentalis impurior euadat, tempore decrementi minus resistit, minusque calori connaturalis est. Et fuit etiã doctrina D. Tho. in 2. d. 30. qu. 2. artic. 1. ad 5. vbi docet, quòd per nu-

nutritionem non roboratur calor naturalis, nec humidum radicale in tanta perfectione, in quanta hæc amissa sunt, quia substantia, quæ additur est extraneæ naturæ; & nõ ità perfectè consequitur naturam speciei, sicut illud, quòd primò per virtutem formatiuam in carnem, vel os conuersum est, & propter hoc est causa debilitatis virtutis, & ideò ad vltimum oportet, quòd sequatur diminutio, & corruptio. Et si quis curiosius cognoscere vellet in quantam porrigendus esset quantitatem aliquis puer; Aliqui docent hoc deprehendi posse in anno quinquennio ætatis suæ, vt .n. Arist. docet 1. de gen. animal. homo anno quinto suæ ætatis dimidium staturæ, & longitudinis obtinere solet, quã toto vitæ cursu comparaturus est.

Ob. Eadem est ratio de calore naturali viuentis, & elementaris, sed hic crescit, quo plura ligna cõuertit in ignem, ergo &c. ℞. neg. parit. nam calor elementaris ità agit, vt post victoriam ad pristinum statum se reducat, non sic semper euenit de calore naturali, vt mox in hoc art. dicemus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De Diminutione, & Morte Viuentium.

SCot. presse de hoc art. discurrit in 4. sent. d. 10. q. 2. lit. O & d. 12. q. 4. lit. B. & in 2. d. 15. ad 4. Princ. lit. G. fol. mihi 147. & alibi. Egimus hucusque de principalibus mutationibus viuentium scil. de Generatione, quæ ad totum esse terminatur; de nutritione, quæ pro termino, partialẽ respicit substantiam; & de augmentatione, quę ad partialem quantitatem terminatur. Remanet pro complemento vt aliqua de mutationibus oppositis, & priuatiuis dicamus, quæ sunt corruptio totius viuentis; seu mors, quæ opponitur generationi simpliciter; corruptio partialis, qua viuens partem propriæ substantiæ amittit, & nutritioni opponitur; & Diminutio, per quam partialis quantitas deperditur; de quibus primò videndum est, quid sint, postea quomodo fiant, & tandem à quibus causentur.

Quid sint corruptio totalis, vel prtialis substantiæ viuentis, est euidens, sunt .n. mutationes deperditiuæ, quæ pro termino ad quem, respiciunt priuationem, siue totalem, siue partialem formæ substantialis, solùm dubium remanet de Diminutione. Pro cuius resolutione notatur, quòd sicut acquisitio quantitatis sumitur dupliciter, .s. & pro acquisitione totius quantitatis, vt cùm aliquid generatur, statim tota quantitas resultat, & etiã pro acquisitione partialis quantitatis, vt in augmentatione viuentium facta per nutritionem; ità deperditio quãtitatis duplex est, vna est deperditio totius quantitatis, vt cùm compositum totaliter corrũpitur, alia est deperditio partialis quantitatis, vt cùm viuens dimi-

nuitur propter actionem caloris innati propriam substantiam corrumpentis, quod totum explicatur proportionaliter in ordine ad substantiam totalẽ, & partialẽ, in generatione, & corruptione &c. Hinc difficultas oritur, quid formaliter dicat diminutio, an .s. deperditionem illam quantitatis, quâtenus ad non esse solùm quantitatis primò, & per se terminatur; An verò consistat in illa relatione, quam dicit quantitas remanens ad quantitatem præcedentem. Si primum asseratur, diminutio erit motus verè deperditiuus; si secundum, erit motus positiuus, & quasi acquisitiuus, cùm ad positiuum ens terminetur, qualis est quantitas illa minor; & Quidam affirmant, diminutionem esse motum positiuum, Quidam verò defendunt esse motum negatiuum, seu deperditiuum.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. diminutionem formaliter non esse motum positiuum, sed deperditiuum, terminatum ad non esse alicuius quantitatis præhabitæ, & consequenter specie ab augmentatione distingui, non positiua, sed priuatiua. Est Scot. in 4. cit. & sequuntur Mastr. & Bellut. vt de mente Doct. & ex Exteris Ru. 1. de gen. tract. de nutrit. qu. 10. qui alios Doctores citat, & ità probatur: Diminui est minus esse, quã erat prius, sed res non est minor, nisi per deperditionẽ, ergo diminutio formaliter est deperditio quantitatis, maior patet ex nominis Etymologia, minor est clara, nam statim ac intelligitur viuẽs aliquid deperdere de quantitate, intelligitur minus esse, quàm erat prius. Tũ quia diminutio est motus spectãs ad quantitatem, vt communiter conceditur ex Aristot. 3. & 5. physic. sed per ipsam non potest quantitas acquiri, sic enim non erit diminutio, sed potius augmẽtatio, ergo nequit ad quãtitatem pertinere, vt motus positiuus, sed solùm vt priuatiuus, quatenus priuatio alicuius quantitatis acquiritur. Pr. adhuc min. quantitas enim remanens non potest acquiri, quia iam præexistebat.

Dices, acquiritur quantitas remanens, non vt sic, sed vt dicit ordinẽ ad quantitatem præhabitam. Nõ valet, vt bene hic Bell. & Mast. vrgent, nam vel terminus formalis est quantitas vt sic, & tunc reddit idem argumentum; vel est respectus ille ad quantitatem præcedentem, & ità diminutio nõ esset motus ad quantitatem, sed ad relationem, vel esset indiuisibile illud terminans, & complens quantitatem remanentem in esse totius, & hoc est falsum, quia istud indiuisibile habetur in vltimo instanti terminatiuo motus diminutionis, & tamen diminutio fit in tempore, in quo necessariò suum terminum habere debet; Vel tandem erit totum aggregatum ex quantitate, respectu, & indiuisibili terminatiuo, & ità sicut hæc omnia non faciunt vnum per se, sic non possunt vnum per se motum terminare. Tũ quia

sic

sic diminutio non distingueretur ab augmentatione, cum ambæ eũdem terminum ad quem specie haberent, à quo vnitas specifica motus sumi debet.

Totus hic discursus est directè contra M. Iacobum Brun. q. 4. de gen. art. 3. qui ad præsentem art. sic respondet: Dicẽdum, quòd augmentatio, & diminutio sunt motus vitales positiui specie diuersi, & distinguũtur penès terminos ad quos formales, nam augmẽtatio est motus positiuus ad maiorem quantitatem, quàm fuit deperdita per actiuitatem caloris naturalis in humidum, diminutio verò est motus ad minorem quantitatem, quàm fuit acquisita per calorem, vterq; ergo motus habet terminum positium .s. quantitatem, licèt sub diuerso connotato. Non placet, iam .n. ipse fatetur, quòd motus specie diuersi distinguuntur penès terminos ad quos formales, sed quantitas maior, & minor non distinguũtur specie, nam magis, & minus nõ variant speciem. Nec recursus ad connotata ei suffragatur, cùm specificatio sumi debeat penès terminos formales, vt etiam ipse asserit non penès connotata.

Quantum ad mortem viuentiũ, vt perfectè sciamus quomodo mutationes in viuentibus causentur, & præsertim in homine, not. 1. ex Doct. in 2. d. 9. qu. vnic. lit. A. & sequ. dupliciter posse mortem contingere .s. vel à causa extrinseca, & dicitur violenta ab Arist. de iuuentute, & senectute c. 14. vel à causa intrinseca, à qua appellatur naturalis. De prima non versatur controuersia, multipliciter .n. accidere potest, vel propter noxiam aliquam qualitatem, quæ paulatim destruit, vt aer intemperatæ regionis; aut propter violẽtiam illatam ab aliquo extrinseco, vt sunt morbus, influxus cœlestis, venenum, ferrum, &c. vel si nõ directè, saltẽ prohibet illud, quod est necessariũ ad vitã, vt sunt illa, quæ respirationẽ prohibent, carẽtia cibi, &c. De secũda, quæ fit propter mutuam actionẽ componentiũ ipsum viuens, est difficultas quomodo contingat.

Pro cuius notitia not. 2. quòd vita duplex est, vna accidentalis, & est operatio vitalis ipsius viuentis, hinc Ioann. 7. beatitudo dicitur vita: hæc est vita æterna, vt cognoscant te. Et Arist. 10. Eth. c. 4. ait: vita quædam est operatio. Alia est vita substantialis, & hæc non est anima, vt Dand. affirmauit de corpor. & anim. lib. 1. cap. 33. Anima .n. potius est principium vitæ, quàm vita, vnde in Sacra Gen. 2. anima non dicitur vita, sed spiraculum vitæ. Tum quia signa breuis vitæ, vel longioris, maximè ex corpore, & organis desumi solent, ergo non tantùm anima, sed etiam corpus ad vitam attinet; vndè vita formaliter aliud non est, quàm ipsa natura viuentis, & forma totius, ex anima & corpore integrata, causaliter verò in informatione corporis ab anima consistit,

stit. Huic vitæ tanquam proprietates conueniunt breuitas, & longitudo, quæ sunt differentiæ durationis vitæ, non sunt tamen proprietates in 4. modo, ideoque accidunt; nam anima corpus informando postulat dispositiones aliquas, sine quibus consistere non posset, & præsertim calorem exigit, quo vita tam substãtialis, quàm accidentalis fouetur, & sustentatur, hinc Arist. lib. de iuuentut. & senectut. appellat mortem, extinctionem caloris. Alij vitam, & mortem duabus mundi partibus significarũt, nempè meridionali, & septemtrionali, & prima quæ calida est, vitam denotabat, secunda, quia frigida denotabat mortem. Quia autem calor facillimè exhalat, & dissipatur, hinc prouida natura, viuẽs de humido prouidit, quo tamquam pabulo calor conseruaretur, ac foueretur, & radicale communiter appellatur, quod aliqui ab humido nutrimentali distinguunt; & illud asserunt esse materiam, qua totum corpus formatur in generatione, & dicitur radicale, quia radix est totius arboris humanæ, nutrimentale verò volunt esse substãtiam de nouo aduenientem virtute nutritionis; quidã tamen per humidum nutrimentale accipiunt alimentum proximum. s. sanguinem, humores, &c. per humidum verò radicale totam substantiam viuentis, siuè per generationem, siuè per nutritionem acquisitam.

Et quoniam in mundo elementari, duplex humidum reperiri solet. s. aqueum, & aereum, ità in paruo mundo, nempè homine, & quolibet alio viuẽte, duplex etiam humidum reperiri potest illis elementis proportione correspondẽs, vnum aqueum, & est substantia quædam humida sine aliqua consistentia, fluida, ac de facili labilis, qualis est substantia piscium; alterum est humidum aereum, & est substantia quædam pinguior, & bene cohærens, vt est substantia sanguineorum, quod humidum maximè ad vitam confert; quare inter viuentia, pisces ob magnam humoris aquei copiam, breuioris sunt vitæ, quàm terrestria sanguine prædita, & inter arbores illæ diutius viuunt, quæ oleosæ, & resinosæ sunt, vt pinus, oliua, cupressus, palma, &c. quatenus hoc humido aereo, & viscoso magis abundant; quorum ratio est, quia calor tandiu in humido conseruatur, quandiu ad ipsum talem habet proportionem, quòd possit illud subtiliare, & se ipsum ex eo fouere, vndè humido satis terrestrificato, calor extinguitur. In humido igitur aereo, quia propter vntuositatem, magis est subtiliabile, magis conseruatur calor, patet in igne, qui aqua extinguitur, oleo verò proportionaliter applicato, fouetur, & deficiente in oleo vntiositate, & terrestrificato, ignis euanescit; idẽ de calore naturali, & humido radicali asserendum est. Ex his deducitur sanguineam complexionem inter

ter cæteras esse diuturnitati vitæ magis accommodatam, cùm sit m. calida, & humida, magis à termino mortis naturalis recedit, qui est exiccatio humidi substantialis, & extinctio caloris naturalis. In colerico calor non est humido attemperatus, cùm sit complexionis calidæ, & siccæ; in flemmatico, & melancolico propter humidi terrestreitatem, calor non diu conseruatur, facileque ab illo humido suffocatur, hæc doctrina est ferè omnibus communis.

Difficultas tamen est, an viuens ab intrinseco principium habeat corruptionis, an solùm corrumpatur ab extrinseco. Hurt. 1. de gen. sec. 10. subsect. 3. & 4. negat calorem naturalem agere in humidum radicale, cuius actione viuens intereat, sed ideò corrumpitur, quia ab ambientibus, & siccioribus, & alimentis distemperatur natiua cōplexio, & destruitur recta hominis temperies, ac propterea necessarium est alimentum ob restaurationem deperditi, pro qua sententia citat Vallesium, & Petrum Garsiã. Alij verò eiusdem opinionis, qui formaliter ponunt elementa in mixto, volunt partes igneas agere in partes aereas, & terrestres, illas que consumere. Conimbr. verò affirmans spiritus vitales, qui non sunt animati, agere in partes animatas actione destructiua, & hoc ex talenti, idem non agere in seipsum.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. viuens verè ab intrinseco habere principium corruptionis ex actione caloris naturalis agentis in humidum radicale. est Scoti in 2. d. 15. q. vn. ad 4. princ. & d. 9. cit. & communior. Pr. si viuens solùm ab extrinseco corruptibile esset, sequeretur; quòd si à Deo crearetur homo in ætate perfecta, & esset in vacuo, vbi nullum extrinsecum contrarium agere posset, vel si Deus omnem actionem contrarij agentis ab extrinseco suspenderet, talis homo posset perpetuò naturaliter durare sine alimento, at hoc est falsum; nam est contra rationem animæ vegetantis (hinc in statu innocentiæ, in quo homo non oppugnabatur ab extrinsecis contrarijs, quia omnia ipsi obediebant) adhuc nutrimento, & alimento indigebat. Probatur sequela, nam alimenti necessitas ab Hurt. ponitur, vt reparetur omissio humidi radicalis causato ab extrinseco, quæ ratio in casu cessaret: imò vt benè vrgent Mastr. & Bell. in instanti generationis, in quo infans nullum habet extrinsecum agens oppugnans, neque qualitatem aliquam noxiam ab alimētò derelictam, possèt in tali statu absque alimēto durare; nam quòd Hurt. ait: necessarium esse alimentum propter augmētationem, hoc solùm infert talem infantem non augeri sine alimento, non tamen extingui. Tùm quia in viuente dātur partes inter se contrariæ, quò

ad

ad qualitates, ergo vna in aliam agere potest, vndè videmus præclusa respiratione, animal ab excessu caloris suffocari, & extingui. Cùm igitur hæc actio non proueniat ab elementis, quia hæc non remanent formaliter in mixtis ex dictis, neque solùm ex contrarietate partium vt sic, cum substantia non sit immediatè, & ex se alteri contraria, sequitur, quòd fiat ex ipsomet calore in eadem parte humida existente, vt .n. Scot. docet in 2, d. 19. q. vn. calor est virtutis subtilitatiuæ, & resolutiuæ, per quam subiectum caloris continuò fit siccius & terrestrius, euaporãdo subtile aereum, qua ratione opus est alimento, tàm vt actio caloris in humidum radicale retardetur, quã vt omissum resarciaur.

Sed Contra hanc doctrinam vrgebis: Sequeretur, quòd idem calor esset conseruatiuus animalis, & destructiuus, sed hoc est falsum, ergo. &c. Tum quia nihil sui interitum machinatur, at si calor in viuens ageret, propriam intenderet destructionem, quia iam ad corruptionem viuentis destrueretur. ℞. ad 1. non esse inconueniens idẽ esse per se conseruatiuum, & per accid. destructiuum eiusdem; calor per se calefaciẽdo conseruationem viuentis intendit, cõuertendo substantiam cibi, per accidens tamen ex tali calefactione exiccatio humidi radicalis subsequitur, & consequenter mors. Ad 2. maior est vera per se, non tamen ex accidente, & consequenter, eodem modo calor in aqua illam calefaciendo solùm calefactionem intendit, si tamen aqua destruitur ad eius desitionem, etiam ipse calor desinit.

Dices, ex hoc sequeretur corpora calidiora esse breuioris vitæ, similiter, & quæ continua exercitatione agitantur, at hoc est falsum, quia in omnium sentent. hæc firmiora, & vegetiora sunt. Resp. negando sequelam, calidiora enim corpora diu viuũt regulariter, vel propter annexam humiditatẽ aeream, quam habent, quæ valde resistit; vel propter siccitatem igneam, vt in colericis, quæ non facilè fluit. Tum quia ob caloris excessum validiora sunt ad conuertẽdum cibum in propriam substantiam. Qui continuo labore excitantur viuaciora sunt, quia melius cibum concoquunt, & ab excrementis purgantur.

Vrgebis: Ex data doctrina, sequeretur, quòd destructio viuentis nõ esset violenta, sed naturalis, at hoc est falsum, cùm quodlibet habeat innatam inclinationem ad esse. Pr. sequ. nam violentum est à principio extrinseco, naturale ab intrinseco. Tum quia mors, quæ ex fame oritur, non potest dici naturalis, quia est cum dolore, & tamẽ ab hac caloris actione causatur, mors autem naturalis non est cum dolore, ex Aristor. ℞. quòd qualibet mors est violenta formaliter, cùm proprio esse opponatur, dicitur tamen naturalis, quando secũdum

dum legens naturæ contingit, vt est quæ fit per vltimam resolutionē humidi à calore naturali, quod in senio confectis contingit, & accidit sine dolore; Mors autem ex fame, & defectu alimenti, potius est violenta, quia illi statui non est conueniens, & sm̃ naturæ leges.

Hinc not. quòd licèt partes omnes viuentis cum suis qualitatibus per se ordinentur ad conseruationem totius, cùm ille calor datus sit à natura ad alimenti concoctionē, per accid. tamen destructio humidi succedit; sic etiam natura quandoque parti læsæ magna spirituum copia accurrit ad illius refocillationem, ex quo tamen interdum per accid. sequitur inflammatio, & talis partis corruptio.

Ex hac igitur actione caloris necessitas moriendi in viuente colligitur, ità vt ex se non solùm non possit perpetuò conseruari, sed neque per longum tempus viuere; Calor .n. naturalis in duo agit .s. in alimentum, & in humidum radicale; ex prima actione necessitas mortis deducitur, nam omne agēs in agendo repatitur, cùm actio sit inter contraria, ergo calor naturalis agendo in alimentum, quod aliqualiter est illi contrarium, & dissimile ab illo repatitur, & consequenter debilitatur, ideoque non poterit tàm perfectè alimentum in propriam substantiam conuertere, nec perfectam producere carnem, sed imperfectam, idcircò progressu temporis, ità viuens debelitatur, vt prorsus impotens fiat ad operationes vitales exercendas, & consequenter senescere, & mori cogitur. Hæc autem imperfectio, & debilitatio non prouenit propter remissionem formæ substantialis, nam substantia ex dictis non suscipit magis, & minus, sed propter contrariorum admixtionem, alimentum .n. nunquam perfectè cōuertitur in substantia aliti, sed semper aliquod excremētitium remanet, quod actionem viuentis valde debilitat, imò quandoque noxiam alienam qualitatem, & complexionem ità fixam inducit, vt ferè cōnaturalis euadat. Et licèt possit viuens, vel medicina, vel aliquo alio ab huiusmodi contrarijs se liberare, & ad pristinum temperamentum se reducere, nunquam tamen perfectè in eodem statu priori perueniet, nã progressu temporis actione concoctiua calor ficciorē, & duriorem substantiam producit, quod in pueris euidenter patet, qui in principio tàm carnes, quàm ossa molliora habent, ità vt si frangantur faciliter agglutinari possunt, postea verò hæc omnia exiccantur, ac duriora fiunt, nec vnquam ad pristinam humiditatē redeunt, estò ab omnibus alijs contrarijs corruptiuis se liberent.

Est etiam alia caloris actio, quæ moriendi necessitatem inducit, nã quodlibet viuens determinatam habet latitudinem calidi, & humidi; citra quam non potest anima corpus informare, quia non potest

corpus informare cum frigiditate lapidis, ferri, &c. Neq; potest calor in subiecto quantumcumque sicco conseruari, sed determinatā exposcit humiditatem, aliās euanesceret. Ex alio capite habemus, q calor est natura sua subtiliatiuus, & partes subtiliores ā crassioribus, & terrestribus segregando in mixto per euaporationem, mixtum illud cōtinuò exiccat, & terrestrius reddit, itā vt tandem resoluendo semper quod magis est resolutioni paratum, videlicet substantiale aereū, corpus illud ad tantam perducit ineptitudinem, vt omninò improportionatum reddatur ad conseruandum natiuum calorē, quo euanescente, desinit anima corpus informare, & mors contingit ab Aris. naturalis appellata, quatenus secundum cursum naturæ euenit.

Tandem pro complemento huius disputationis aliquid de ætate hominis adnotare libet, quā Aris. l. de iuuent. cap. 4. in tres partes diuisit, nempe in iuuentutem vsq; ad 25. annum; in statum, seu virilitatē ad 40. & in senectutem vsq; ad finem; quam deinde Philosophi in septem partes diuiserunt scil. in Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Iuuentutem, Virilitatem, Senectutem, & Decrepitatem. Prima est infantia, quæ ab ortu vsq; ad 6. annum circiter durat, & dicitur infans, quasi non fans, ideſt non loquens, quia mutus nascitur, & hæc ætas dicitur etiam lunaris propter humiditatis dominium, cuius præcipua causa est luna. Secunda, dicitur pueritia ā puritate vsq; ad 15. annum, & dicitur mercurialis, quia tunc homines incipiunt discurrere, & scientias addiscere, quibus inter Planetas Mercurius præest. Tertia est adolescentia vsq; ad 21. vel 25. annum, & venerea appellatur, quia tunc homo præsertim aptus fit generationi. Quarta, Iuuentus vsq; ad 35. vel 40. annum, vocaturq; solaris, tunc .n. floriditas, ætatisq; perfectio regnat, cùm sit media. Quinta, est virilitas vsq; ad 50. annum, martiq, tribuitur, qui est Planeta calidus, & siccus, & ad robur disponens. Sexta, dicitur senectus vsq; ad 65. annum, & dicitur Iouialis, quatenus Iouis præsidet propter grauitatem, prudentiam, & præeminentiam. Tandem vltima est Decrepitas vsq; ad finem vitę, q̄ Saturno subijcitur, qui causa est frigiditatis, siccitatis, pigritiæ, & tristitiæ, aliorumq; infirmitatū, quibus decrepiti scatent.

Obiectiones.

Ob. Contra Concl. Omnia naturalia appetunt esse, & maximè viuentia, ergo hæc non habent ab intrinseco causam actiuuam corruptionis, aliter natura frustra viuentibus talem appetitum concessisset. ℞. neg. consequ. aliter concluderet nulla mixta esse rectè cōposita ex contrarijs, omnia .n. appetunt proprium esse, & tamen contraria sunt causa corruptionis. Dicimus igitur, quòd quælibet res appetitum habet ad esse, qua ratione

ne posuimus corruptionem esse violentam simpliciter, & solùm dici naturalem, quatenus secundum cursum causarum naturalium euenit. Quia ergo viuentia ex proprijs naturis calido, & humido componi petunt, sequitur vt ex se ipsis sint corruptibilia, ad probationem negamus talem appetitum esse frustratorium, licèt .n. res non possit in indiuiduo perpetuari, dedit tamen virtutem productiuam aliorū viuentium, vt fiat conseruatio in speciebus, & hoc vniuocè ijsdem viuentib. vel æquiuocè alijs causis, saltem quòad formā corpereitatis.

Ob. si calor exiccaret corpus, opus esset humidū à qualibet parte corporis resolui, ergo statim totum corrumperetur, & præsertim tota caro, vt humidior destrueretur. ℞. neg. seq. & ratio est, quia per applicationem alimenti impeditur, & retardatur caloris actio in humidum radicale, & per nutritionem amissio prioris substantiæ resarcitur; Vndè sicut caro est humidior, & facilior ad fluendum, ità facilius reparatur.

Sed Contra, quælibet pars ossis durior est carne, ergo si calor destruere potest partem aliquam ossis, vtique poterit eodem tempore totam carnem corrumpere. ℞. quòd si comparatio fiat inter partes subtiliores ossis, & subtiliores carnis, aut inter terrestriores, verum est antecedens, si verò fiat inter subtiliores ossis, & terrestriores carnis, negatur, antec. nam contingere potest, vt pars ossis aerea sit subtilior, aut saltem resolubilior in vapores, quàm pars carnis terrestris, hinc exprerimur lignum esse durius pagina, & tamen ignis resoluit partes ligni aereas, non tamen partes paginæ terrestres, & cinericias.

Ob. Ex hac doctrinà sequeretur, quòd nunquam posset idem sanior fieri, at hoc est cōtra experientiam, videmus .n. ab ægritudine ad sanitatem dari regressum, patet sequela, quia calor iam debilitatus non posset neque à seipso reparari, quia nemo seipsum intendit, neque ab aliquo extrinseco, nam hoc præsertim esset alimentum, à quo tamen adhuc debilitaretur. ℞. neg. sequ. potest .n. ægrotus sanior fieri, viresque amissas reassumere, si obstacula contraria remedijs remouerentur, tunc .n. forma substantialis posset se reducere ad pristinum statum, non tamen prorsus perfectè, & in omnibus, cuius ratio est, quia estò talis substantia meliorari posset quò ad aliquas operationes exercendas, non tamen quò ad humiditatem vitæ necessariam, quia semper siccior euadit.

Ob. Si posset mors contingere ex euaporatione caloris, & per vltimam resolutionem, eueniret etiā sine dolore, dolor .n. causatur à diuisione continui, & temperamenti dissolutione, quæ tamen in casu nō esset, sed hoc est falsum, nam mors ex 3. Eth. c.6. est maximū horribilium. ℞. concedendo cum Aristot.

in libr. de morte, & vita, quòd si mors contingeret per solam caloris euaporationem in senectute, & absque ægritudine, nullum afferret dolorem; at quia regulariter morbus mortem præcedit, indè dicitur formidabilis. Potest etiam mors dici maximum horribiliũ, & quia est vltimus terminus omnium, & quia est momentum vndè alterius vitæ pendet æternitas.

Ob. Si calor magis debilitatur, vt non possit tantum alimenti conuertere, quantum prius, ergo eadem ratione minorem partem substantiæ naturalis consumet, & consequenter nunquam corpus substãtialiter diminueretur. ℞. neg. consequ. & ratio est, quia alimentum magis calori contrariatur, quàm substantiæ, & licèt tempore augmenti potuerit calor magis de alimento conuertere, & propter intensiores vires, & propter substantiæ puritatem, quæ tunc erat calori connaturalior, tempore tamen decrementi magis consumet de propria substantia, quàm cibum conuertat, quia substantia impurior euasit.

Ob. Diximus supra, quòd in viuente dantur partes permanentes con toto tempore vitæ, ergo posset viuens, per istas partes semper viuere. ℞. neg. consequ. nam ad vitam conseruandam requiritur necessariò humidum radicale, & partes aliæ organicæ, quæ autem permanent sunt partes ficciores, quæ ad tuendam vitam non sufficiunt.

Ob. Multa viuentia semper augescunt, vt in plantis patet, & præcipuè in vite, hædera, & similibus, idē de Crocodrillo asseritur. ergo corruptio non prouenit ab intrinseco. ℞. verum esse aliquas plantas diu crescere, falsum tamen nunquã senescere, vt tandem non arescant, & hoc prouenit, quia cun sint inferioris naturæ, non tot organis, & dispositionibus ad sui conseruationem indigent. Tum etiam, quia semper nouas radices efficiunt, & consequenter vt noua indiuidua se habent, species proprias conseruãtes, itá specialiter de vite, & hædera experimur. Quod de Crocodrillo fertur, vel non est verũ, vel negatur adhuc non esse ab intrinseco corruptibilem, non propter defectum humidi, sed quia tale humidum est aqueum, quod tandem calorem extinguet.

Ob. Actiuior est calor cum siccitate, quàm cum humiditate, vndè siccitas dicitur lima caloris, & patet de igne, vbi calor est maximè actiuus, estò sit siccitati vnitus, ergo falsum est, quòd calor debilitetur, cùm partes exiccantur, sed potius ex hoc capite augeri debent. ℞. si hæc ratio valeret, concluderet etiam, quòd ignis perfectius in cineribus conseruaretur, quia sicciores sunt, quàm in ligno, quod tamen falsum experitur. Dicimus igitur, quòd sicut ignis hic inferior non conseruatur, nisi pabulum habeat. quòd pabulum talis naturæ esse debet, vt habeat de subtili

tili aereo cum aliqua crassitudine, flamma .n. non vnitur immediatè oleo nisi medio elychnio, & si hoc non haberet in se aliquod subtile aereum, sed totaliter esset quid terrestre, quantumcumque oleo vnitū esset, non adhuc proportionatum pabulum esset, vt in carbone Elichnij patet, qui non obstante olei præsentia non sufficit tamen flammam retinere, ita in casu de calore naturali dicere debemus, quòd reperto in mixto cōtrarijs affecto, vt conseruetur, pabulo vnctuoso, & viscoso indiget, vt conseruetur, & si hoc deficit, licèt partes terrestres remaneant, tamen conseruari nequit, ex eo quia siccitas hæc est terrea, & cum frigiditate admixta; inde negatur consequ. & exemplum de igne calorem habente cùm siccitate non est ad propositum.

Ob. Homines in mundi primordio diu viuebant, hinc in sac. Gen. legitur aliquos ad nongentos annos peruenisse, ergo si tot annis potest vita protrahi, falsum est corruptionem ab intrinseco prouenire. Neq; valet responsio aliquorū, quòd in numero annorum, qui in Scriptura Patribus attribuuntur, intelligendi sunt anni lunares, vel quòd pro decem annis accipiendus sit vnus, ita vt per nongentos intelligantur nonaginta, vel quòd illi anni non tot mensibus constabant, vel mense non tot diebus; non valet, nam etiam menses tot diebus constare affirmatur, quot nostri in Gen. 7. vbi fit mentio vigesimi septimi diei, & annus tot mensibus quot nostri, quia etiam fit mentio de mense decimo; & si pro decem annis esset vnus accipiēdus, sequeretur Enos nouem annorū genuisse, & Cain septem annorum, refertur .n. ibi Enos nonaginta, Cain vero septuaginta annorum procreasse filios. Item in sac. Gen. 25. legitur Abraham mortuus in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum, & tamen solùm cētrum septuaginta quinque annis vixisse fertur, quod tempus iuxta allatā interpetrationem vigesimū annū non attingisset. ℞. igitur neg. conseq. & homines illa priori ætate lōgæuiores fuerunt, quia meliori temperamento præditi erant, quod deperditum fuit inconueniēti alimento, crapula, libidine, alijsque vitijs. Perfectiorem etiam cognitionem habebant de virtutibus herbarum, fructuum, & lapidum, aliorumq; ad vitæ conseruationem attinentium, &c.

Ob. Mors per peccatum intrauit in mundum ex Sacro Textu, ergo non est à causa intrinseca ipsi homini, aliter etiam in statu innocentiæ mortalis fuisset, ℞. Scot. Primi parentes etiam in statu innocentiæ erant natura mortales, & solùm ab extrinseco immortales extitissent, si permansissent in innocentia, qua propter mors actualis fuit in pænam peccati hominibus inflicta, non quia non fuissent naturaliter morituri, sed quia speciali Dei dono ab illa præseruati fuissent.

Ob.


Ob. Arriagà disp. 7. de gen. in fine, probando, quòd potest homo naturali virtute perpetuò se conseruare, nisi ab extrinseca causa corrumperetur. Sit homo, ait, calidus vt sex, frigidus vt duo, & per vnum alimentum amittat aliquid caloris, vel acquiret, certè si deinde aliud alimentum contrarium applicetur, per illud reficeret quid quid per illud amiserat, vel amitteret quidquid acquisierat, & consequenter pristinum temperamentũ reassumeret, & ità nunquam ratione cibi moreretur; patet etiam hoc experientia, nã quidam morti propinqui, omnibus viris ferè destituti, virtute ciborum & medicaminũ pristinam recuperant sanitatem, ergo si homo haberet perfectam notitiam ciborum, & ab extrinseco non læderetur, posset naturaliter in æternum se conseruare. Respondent Mastr. & Bell. concedendo Posse quandoq, fieri reparationem in pristinum, regulariter tamen non ità euenit; & ratio est, quia non fit semper applicatio cibi omninò proportionati, nec virtus digestiua semper ab omnibus contrarijs expedita reperitur, vt perfectè cibos concoquere possit quin aliqualiter debilitetur, & sic intelligendus est Scot. de hac materia discurrens; licèt .n. in hac reparatione pars aliqua subtilis aerea acquiratur, cum ista tamen adhuc noua pars terrestris aduenit, illa enim substantia de nouo aduenies, non est tota aerea, sed quid mixtum; neque hac conuersione pars terrestris, quæ remansit fuit substantialiter humectata, .s. quòd de terrestri euaserit aerea, & subtilis, sed eamdem prorsus entitatem retinuit, Vndè licet in prima conuersione videatur viuẽs etiam quò ad humidum radicale reparatum, quatenus nouum humidum acquisiuit, quod non habebat, reuera tamen ex alio capite est deterioratum, quia aucta fuit pars terrea, circa quam calor agens ita minuetur, vt parum possit postea de alimento conuertere, nec in tanta perfectione, quare tãdem deficiet, & destruetur, aliter si semper fieret æqualis conuersio alimenti, viuens nunquam senesceret, quia semper fieret noua additio, quod neq; Aduersarij concederent de homine, etiam in statu innocentię, in quo nullum erat extrinsecum obsidens, & in hoc sensu explicari debet Scot. dum ait: viuens à quolibet alimento repati, & impurius euadere, quia semper exiccatur, vel fit additio partiũ ficciorũ.

Solet hic dubitari de ligno vitæ, an naturalem habuerit virtutem cõseruandi hominem in perpetuũ. affirmant aliqui Theologi, quos citat, & sequitur Auersa q. 50. sec. 10 Alij verò negant, sed solùm hoc cõtingere potuisse per virtutem supernaturalem, ità D. Bonau. in 2. d. 19. art. 3. q. 1. Caiet. 1. p. q. 97. art. 4. Hurt. Aret. de oper. sex dier. tract. de ligno vitæ q. 5. & videtur etiam mens Scoti loc. cit. & maius

ha-

habent rationis fundamentũ, quomodo .n. lignum illud habere poterat naturalem virtutem conseruandi hominem in perpetuum, si in se corruptibile erat? Tum quia vt conuerteretur in substantiam aliti, debebat ab homine alterari, ergo erat aliqualiter cõtrarijs qualitatibus affectum, quibus debebat in hominem reagere, si ergo agens passum debilitabat, & si parumper, quomodo habebat virtutem illud perpetuò conseruandi? Solùm igitur virtutem habuit naturalem restaurandi ad modum medicinæ, sed efficacissimæ, cum hoc tamen ex alio capite calorem innatum debilitabat, quia saltem nunquam substantialiter humectabat partes terrestriores, & in hoc sensu intelligẽdum est in script. Illud ly in Æternum, ideft pro diurno tempore, sic in Gen. *dabo tibi, & semini tuo omnem terram Chanam in possessionem æternam*. & psalm. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Vel si pro vera Æternitate explicatur, non erit virtus illa dicenda naturalis, sed supernaturalis, vt August. docet 13. de Ciuitat. cap. 20. vbi de effectu huius ligni agens ait: *Mirabili Dei gratia præstabatur*, &c. in eodem sensu explicandi sunt alchimistæ artis Professores, cùm asserunt in Medicinis reperiri virtutem conseruatiuam vitæ, vt est aurum potabile, aut similia.

F I N I S.



DISPVTATIO VLTIMA.

DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS Cuiuslibet rei in Creatis.

Actum est in Physicis de Natura prout in materiam, formam, & quidditatem, seu compositum diuiditur, nihil tamen de principio indiuiduationis eius agendo, ratione cuius redditur hæc singularis, & indiuidua; & ea ratione moti, quia cùm hæc sit res purè methaphysica, ab omnibus ferè Scholasticis in meth. discutitur. Cæterùm, quia controuersia hæc magni est ponderis, ex cuius intelligentia variæ resolutiones, & quæsita dependent, illud exploratum habeo, non amplius huius notitiæ decisionem protrahere; reor .n. hoc non parum vtilitatis Tyronibus allaturum. Aduertimus tamen non accipi in hac disputatione indiuiduum, seu singulare, logicè; idest pro secunda intentione, & quatenus correlatiuum est speciei, quæ est quædam secunda intentio per opus intellectus efformata, sed accipitur methaphysicè, prout .s. est indiuisibile in plures partes subiectiuas. Neque hic inquirimus de principio effectiuo, nam hoc est causa efficiens. Neque de principio formali denominandi, quo .s. natura denominetur formaliter indiuidua, & indiuiduum formaliter singulare, & vnum numero, sic .n. facilè respondetur, quòd natura est formaliter indiuidua per indiuiduationem, & illud esset vnum numero per suam vnitatem numericam. Sed inquirimus de principio formali essendi methaphysico, contrahente naturam, quod est fundamentum proximum, & radix indiuiduationis, & vnitatis numericæ. Nec tandem loquimur hic de indiuiduo vago, & indeterminato, sed de determinato, & signato, nam hoc propriè est, quod simpliciter dicitur in plures partes subiectiuas indiuisum, indiuisibile, & incommunicabile in creatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Principium indiuiduationis sit aliquid naturæ superadditum.

SCotus de hac Controuersia disertè agit in 2. dist. 3. qu. 6. & pluries alibi. Pro cuius intelligentia aduertimus primò, quamplures Thomistas, quibus præiuit Caiet. in 3. p. q. 4. art. 4. affirmare videtur, quòd estò res omnis materialis, quæ existit, singularis esse debeat, spiritualis tamen natura, & vniuersaliter, quæ perfecta est, existit abstracta in sola veluti specifica essentia, & perfectione absque propria indiuiduali contractione, & ratio est, quia in his naturis perfectis, specifica essentia non solùm natura est, sed etiam habens naturam, quod in materialibus verificari non potest. Verùm non est à communi recedendum, quam Scot. docet loc. cit. quem præter sui fe-

 rè Re-

rè Recentiores omnes sequuntur cum Suar. disp. 5. Meth. sec. 1. & est manifesta Arist. sent. 1. Meth. cap. 6. & lib. 6. tex. 26. & 27. vbi contra Platonem docet nihil existere, nisi indiuiduum; & in Prædicam. Cap. de Sub. ait: *destructis prioribus substantijs, impossibile est aliquid illorum remanere*; quod patet etiam euidenti inductione, nam Deus singularissimus est, sicut etiã quilibet Angelus existens, quilibet homo, quilibet lapis &c. Nec enim Michael diuidi potest in plures Michaeles, nec Petrus in plures Petros &c. Patet etiam ratione, nam omne id, quod in rerum natura existit, vel est creatum, vel increatum; seu vel est à se, vel ab alio; si à se, sic est Deus, qui est sigularissimus, si est ab alio, hoc vtique existere nequit, nisi sit productum, hoc enim est in creatis existere, quòd extra causas stare; & quia omnis productio est singularis, tendit etiã necessariò ad rem singularem ex 1. Meth. cap. 1. Tum quia qualibet natura creata, vel est de se singularis, vel est de se communis, vt omnes ferè fatentur, sed quodcumque ponatur habetur intentum, licèt in naturæ cõmunes dentur in rerum natura, quę vniuersalia in essendo dicuntur, hęc tamen non dantur à singularibus separata, sed in illis omnino inclusa, vt in log. diximus disp. 3. art. 1. quare licèt huiusmodi naturę communes nõ sint singulares, & indiuiduæ intrinsecè, nepè p inclusionem singularitatis in sua quidditate, quomodo dicitur Deus singularis, sunt tamen singulares extrinsecè, idest, per cõiunctionẽ cũ singularitate, cũ quib. realiter identificantur, vt Scot. docet in 2. loc. citat. lit. E. quicquid igitur est in rerum natura, est singulare, vel immediatè per se, & formaliter, vt sunt indiuidua ipsa, vel mediatè, identicè, & cõcomitanter, vt sunt naturæ communes cõtractæ, & indiuiduatæ, & quando dicimus, quòd naturæ communes fiunt singulares extrinsecè, ly extrinsecè accipitur pro extraneo, quatenus hæcceitates non sunt de essentia, & quidditate naturæ, sunt tamen cum ipsis naturis identificatæ, itdue neque Deus facere potest aliquam naturam communem existentem sine singularitate, & ratio est, quia illa, quæ realiter identificantur, neque etiam per potentiam Dei absolutã separari possunt.

Notamus 2. Ocham, Aureolũ, Durandum, & communiter Nominales asserere, nihil addere singularitatem præter essentiam ipsius naturæ, Sed sicut natura est ex se formaliter natura, ità est ex se singularis, neque est vniuersalis, & communis, nisi per intellectum; hinc inferunt potius quærendum esse quod nam sit principium communitatis, & vniuersitatis naturæ, quàm quod sit principium singularitatis eiusdem. Ad quam sent. accedere videntur Thomistæ in substantijs spiritualibus, in quibus sicut negant materiam, quam vnicè

indi-

indiuiduationis radicem agnoscût, ità quoque in spiritualibus omne principium indiuiduationis negât. In hoc Nominalismum Pat. noster Carpenedolus in sua Philos. lib. 1. tract. 6. q. 7. iunctis pedibus prolabitur. Cæterùm Reales omnes contra Nominales asserunt singularitatem, seu indiuiduationem aliquid addere, supra naturam cōmunem; licèt de modo distinctionis non conueniant, nam aliqui volunt esse aliquid physicè naturæ superadditum, & realiter ab ea distinctum; ità Illi, qui volunt res indiuiduari per accidentia quædam, de quibus infra. Alij volunt esse vtique à parte rei actualiter à natura distinctam, non tamen realiter in rigore, tamquam rem à re, sed formaliter tamquam vnam formalitatem, seu realitatem, ab alia distinctam; ita Scot. loc. cit. cum suis, & extra eius Scholam Fonsec. 7. meth. c. 12. q. vn. sec. 11. Amic. tract. 4. logic. q. 3. dub. 3. Ragusseius disput. 34. Peripat. Piccol. 1. de Ani. Com. 8. & alij. Quidam verò non admittentes distinctionē formalem ex natura rei, affirmant Principium Indiuiduationis distingui à natura distinctione rationis ratiocinatæ cum fūdamento in re, ità quòd per intellectum concipi possit natura perfecta præcisione absque conceptu indiuiduationis, sicut è contra; ità Suar. disput. 5. meth. sect. 2. Pasqual. tom. 2. meth. disp. 43. sec. 1. & 2, & quāplures Recentiores. Auersa tandem q. 9. log. sec. 12. autumat, vt tantùm distinguantur imperfecta præcisione rationis, itaut non possit concipi natura, nisi saltem implicitè concipiatur indiuiduatio, & è contra, cui adhæret Arriaga cum illis Neuthericis, qui temporibus nostris cum Nominalibus præcisiones obiectiuas negant, & amplectitur etiam à P. Carpenedulo, quibus omnibus adæquatè respōdebimus.

Conclusio.

Dicimus, esto verum sit omnem rem creatam existentem esse singularem, nullam tamen ex se indiuiduam, & singularem esse, s. ex principijs sibi intrinsecis, & essentialibus, sed per aliquid naturæ superadditum. Est Scoti, & communis Realium contra Nominales. Probatur à Scot. omnibus illis rationibus, quibus probat communitatem realis naturæ, eiusque formalem distinctionem ab indiuiduatione; & præsertim ex indifferentia, & indeterminatione naturæ in sua essentia, licèt n. secundum se considerata, determinata sit ad sua prædicata quidditatiua, & principia essentialia, vt humanitas V. g. ad animalitatem, & rationalitatem, non est tamē determinata ad principia indiuidualia, vnde sic formatur ratio: Humanitas V. g. quantum de se est, non est magis natura Petri, quàm Pauli, sed indifferenter ad vtrumque se habet, ergo cùm à parte rei sit potius natura Petri, quàm Pauli, hoc habere non potest ex sua ratione formali, sed concedere oportet aliquod determinatiuum,

quo determinetur, vt sit huius, vel illi? Probat Doct. cōseq. q. 6. cit. lit. F. ex paritate generis, ex hoc. n. q. videmus naturā genericā de se ad plures species indeterminatā, tribuimus ei differentiam specificam, per quam determinatur potius ad vnam speciem, quàm ad aliam: ità pariter de specie respectu indiuiduorum dicendum erit.

Tum quia si in conceptu essentiali V.g. naturæ humanæ includerentur essentialiter principia indiuiduantia, Petreitas, V.g. Pauleitas &c. cùm talis naturæ conceptus sit communis omnibus indiuiduis humanæ naturæ, sequeretur, quòd de Francisco &c. non solùm prædicaretur essentialiter animal rationale, sed etiam Petreitas, & Pauleitas, & aliæ differentiæ indiuiduales naturæ humanæ, & ità singula indiuidua se inuicem essentialiter includerent, & Petrus esset Paulus, Franciscus, Ioannes, & ità de reliquis. Pr. consequ. à Scot. in 2. d. 3. q. 1. ab initio, nā quidquid est alicui ex natura sua, per se inest ei, in quocumq; ponatur, vndè si natura lapidis de se est hæc, in quocumque est lapidis natura, esset etiam hic lapis, sed hoc est falsum, sic .n. vbi esset V.g. natura humana, esset etiam hic homo, nempè Petrus, ergo falsum est, naturam in sua essentia includere indiuiduationem, sed assignare debemus differentias indiuiduales, quæ non sint de conceptu essentiali naturæ. Tum quia nos experimur habere conceptum essentialem naturæ humanæ, V.g. præscindendo omnino à differentijs indiuiduantibus, concepta .n. humanitate, & rationalitate, præscindendo à Petreitate, & & Pauleitate, iam habetur conceptus adæquatus essentialis hominis, ergo gradus indiuidualis est extra quidditatem naturæ, sed illi superadditus.

Potest etiam confirmari exemplo materiæ primæ, quæ ex se indifferens est ad hanc, & illam formam recipiendam, ac propterea per accidens est, quòd huic magis, vel illi formæ subijcitur; neque etiā cùm illi formæ subest, suam amittit intrinsecam indifferentiam, quia nō repugnat illi sine tali forma fieri, ac consequenter aliam, & aliam respicere, cuius ratio est, quia determinatio materiæ facta à forma est ei extrinseca, atque ideo sub determinata forma, suam etiam intrinsecam retinet indifferentiam, hoc exemplum adducitur à P. Carpenedulo loc. cit. citante etiam Viennen. nostrum de Deo vno, & Trino tract. 4. q. 5. art. 3. sec. 1. vbi ait, eodem modo se habere naturam ad entitatem illam positiuā indiuiduantem superadditam. ratio horum esse potest, ait Carpenedol. quia vt inquit Seraph. Doct. quæcumque conueniunt alicui per se, semper, & vbique insunt.

Pr. 2. ex distinctione, & differētia numerica, quæ à parte rei inter indiuidua versatur, experimur .n. illa in aliquo conceptu conuenire

.f. in

.f. in conceptu naturæ, & in alio differre, nimirum huius, & illius indiuidui, ergo assignare debemus conceptum, in quo conueniunt, & conceptum in quo differunt, nullus .n. conceptus potest esse cõ conueniẽdi, & differendi, cùm sit implicatorius. Aureol. loc. cit. negat indiuidua in aliquo conceptu naturę conuenire, itaut vnus conceptus habeat rationẽ determinabilis, alter determinatiui, asserens hos non esse conceptus subordinatos, quorum vnus includat alium, sed prorsus disparatos, quorum vnus se habet per modum similitudinis scilic. specificus, alter verò per modũ dissimilitudinis .s. indiuidualis, at hoc falsum est, vt etiam bene aduertit Auersa q.9. sec.2. licèt à nobis dissentiat, nam sic admittere cogeremur vniuersalia separata in sent. Platon. euidentissimum siquidem est conceptum specificum essentialiter includi in cõceptu indiuiduorum, & non esse ab eo disparatum, hinc in recta linea prædicamentali videmus vnum alteri subordinari secundum ordinem superioris, & inferioris. Tum quia Aureol. velit nolit in nostram incidit sen. admittendo .n. conceptum specificum, & indiuidualem esse disparatos per modum similitudinis, & dissimilitudinis, iam eo ipso fatetur differẽtiam indiuidualem non includi in conceptu essentiali naturæ, sic .n. omnia essent per modum similitudinis; ergo non erit natura se ipsa, & ex sua ratione formali singularis, & indiuidua; quæ ratio militat etiam de Spiritibus Angelicis, vt intuenti patet.

Arg.3. Natura est de se ratio cõmunicabilis, indiuiduatio verò in cõmunicabilis, & per indiuiduationẽ naturẽ contrahitur ad esse incommunicabile, ergo indiuiduatio necessariò superaddit naturæ specialem gradum entis, alioquin nulla esset ratio cur post contractionem dici non possit communicabils, sicut antea. Tum tandem, quia in recta linea prædicamentali descendendo à Generalissimo ad specialissimum. & indiuiduum, semper descẽditur per varios gradus à magis communicabili ad minus communicabile, quousque perueniamus ad omnino incommunicabile, ergo singulare, quod est primum subiectum in linea prædicamentali, qua ratione dicitur prima substantia, aliquem importabit specialem gradum entis supra naturam specificam, in quo fundatur incommunicabilitas.

Obiectiones.

Obijcitur primò ex Aureolo: Illa quæstio quæ quærit per quid res est res, nulla est, sed quærere per q̃d res est singularis, est quærere p̃ q̃d res est res, ergo est nulla, nã in eo, q̃ res est, singularis est, nulla .n. res vt sic est vniuersalis, quia omne q̃ est extra animam, ideo est, quia vnum numero est ex Boetio lib. de vnitate, & vno. Tum quia omnis quæstio supponens falsum, est nulla, sed hæc est huiusmodi, nam sup-

ponit

ponit in rerum natura esse aliquid indifferens ad hoc, & illud, quod contrahi indigeat per differentias indiuiduales, quod est falsum, cùm omnis res à parte rei existens, sit singularis. R. ad 1. neg. min. ad probationem resp. Scot. quòd aliquid esse vnũ numero, vel singulare stat dupliciter vno modo de se, intrinsecè, & essentialiter, alio modo extrinsecè, & denominatiuè, indiuiduum est vnum numero primo modo .s. intrinsecè, natura verò cõmunis est vna numero secundo modo .s. extrinsecè, & denominatiuè, quatenus cum singularitate identificatur, quàm singularitatem non includit in sua essentia, & quidditate, cum nullo pacto in eius definitionem ingrediatur; sic etiã corpus pro altera parte compositi dicitur animatum, non vtique intrinsecè, & essentialiter, sed extrinsecè propter coniũctionem cum anima, à qua informatur. Dictum Boetij intelligitur saltem mediatè, & extrinsece. Ad 2. R. eodẽ modo neg. min. dátur .n. reuera in singularib. natura ex se, & intrinsecè habens indifferentiam priuatiuam ad omnia, & singula indiuidua disiũctim, esto extrinsecè determinata sit per indiuiduationem. Verum est etiã, quòd omne illud, quod à parte rei existit, debet esse determinatum in sua entitate, quò ad sua principia essentialia, non tamen quò ad sua principia indiuidualia; nisi extrinsecè, sicut patet de materia prima respectu formarum, semper enim sub aliqua forma determinatè reperitur, sed quia hoc est ab extrinseco, idcirco suam potentialitatem, & indifferentiam non amittit.

Ob. eadem sunt principia vnitatis, & indiuiduationis, illud .n. est indiuiduũ, quòd est vnum, sed natura per propriam entitatem est vna, quia per se est ens, & vnitas est passio entis, ergo per propriã entitatem est indiuidua, & non per aliquod additum. R. ex Ragusëio distinguendo maiorem, de vnitate simpliciter, & absolutè sumpta, falsa est; de vnitate numerali, ità vt sensus sit, eadem sunt principia vnitatis numeralis, & indiuiduationis est vera; ad min. verum est naturam per propriam entitatem esse vnam, cùm vnitas sit passio entis, non tamen vnitate numerali, sed vnitate formali, quæ est propria naturæ, & minor vnitate numerali, ergo per propriam entitatem est indiuidua, negatur consequentia.

Ob. Vel id, quod additur naturę est essentiale, vel accidentale, si essentiale, sequitur speciem diuidi posse per essentiales differentias, quod est contra Porph. cap. de specie; Vnde etiam vlterius sequeretur, quòd indiuidua essentialiter differrent; item & quòd species non diceret totam essentiam indiuiduorum. Si est accidentale, ergo indiuiduum erit per accid. de quo species prædicari non potest. Sequeretur etiam, quòd accidens non eueniret

niret indiuiduo cõstituto, sed illud constitueret, quòd falsum est. ℞. si per ly essentiale intelligitur entitas aliqua quidditatiua, & per ly accidentale intelligitur omne illud, q. non spectat ad eius entitatem essentialem, sic asserimus illud additum supra naturam communem esse accidentale, idest extraneum, ratio est, quia id, quod indiuiduũ addit supra naturã, non est entitas quidditatiua .s. spectans ad essentiam speciei, cùm natura ipsa communis sit tota quidditas indiuiduorum ex Doct. in 2. d. 3. q. 6. O. differentia autem indiuidualis, quia non spectat ad essentiam naturæ, nec in eius definitionem ingreditur, dicitur accidentalis, sed pro extraneo, inde nõ sequitur, ergo indiuiduum est vnum per accid. hæc .n. hæcceitas, & si non sit de essentia naturæ, est tamen identificata cum natura, & spectat ad integritatẽ indiuidui, vt eius constitutiuum.

Sed Contra, ideo species dicitur tota quidditas, & essentia indiuiduorum, quia non est vlterius diuisibilis, si .n. esset vlterius diuisibilis, & contrahibilis per differentias indiuiduales, tunc non diceret totam essentiã, sed partẽ essẽtiæ, quia tũc differẽtia indiuidualis esset gradus intrinsecus indiuiduo, & pertineret ad eius entitatem, nõ minus, quàm differentia specifica spectat ad conceptum speciei, quia intrat conceptum eius intrinsecum, ità quoq; cùm differentia indiuidualis sit de conceptu intrinseco indiuidui, erit quoque in suo ordine differentia essentialis. ℞. species dicitur tota quidditas, & essentia indiuiduorũ, non quia absolutè non sit vlterius diuisibilis per alias differentias, sed quia nõ sit diuisibilis per alias differentias essentiales, vndè Scot. loc. cit. ait, quòd estò gradus indiuidualis spectet ad integritatem entitatis indiuidui, non tamen pertinet ad eius quidditatem; Ratio est, quia sic indiuidua essentialiter differrent. Tum quia quidditas, & essentia est illa per quam respondetur ad quæstionem *de quid est*, ad quã de indiuiduo moram resp. per naturam specificam, si .n. quæratur quid est Petrus? resp. est homo, at per differentiam indiuidualem resp. solum ad quæstionem de *Quis est*, si .n. quæratur quis est ille? resp. est Petrus; & his rationibus species dicit totam essentiam indiuidui, licèt non totam substantiam, & entitatem, quibus etiam de causis differentiæ specificæ dicuntur essentiales, non autem differentiæ accidentales.

Ob. Si natura specifica non esset indiuidua, sed per differentias vlteriores superadditas, ergo species specialissima nõ esset athoma, quia adhuc esset diuisibilis per differentias indiuiduales. Rt. Scot. in 2. cit. q. 6. §. *Ad Argumenta &c.* quòd species dicitur atho .i. indiuisibilis in plures species, non est tamen purè .s. simpliciter indiuisibilis, indiuisibilitas .n. in plures species compatitur secum diuisibilitatem in

plura

plura indiuidua eiusdem speciei.

Per hæc omnia adæquatè. R. ad P. Carpenedol. in sua Philos. q. 7. cit. vbi prolissam, tediosam, & confusam quæstionem assumit contra Iuliam Iornatã, Fabrum, & cæteros Scotistas, cuius tamen discursus potius in quodam verborum apparatu consistit, quàm in pondere rationum.

Probat Præfatus Doct. ratione 3. fol. mihi 240. quòd Indiuiduũ non addat ad naturam aliquam entitatem, ex regulis abstractionis, sic discurrens: In abstractione illud obseruandum, vt id quod abstrahitur, aliquid sit vel in se, vel in intellectu, & ita ab alio abstrahatur, vt totum simul non secum in abstractione feratur, sed semper aliquid remaneat in re post abstractionem V.g. abstracto ab homine animali, restat adhuc aliquid hominis &c. sed à natura specifica non potest ab indiuiduo aliquid abstrahi, species .n. dicit totam entitatem indiuiduorum, ergo ex se, & natura sua est singularis sine aliquo addito.

Se declarat: aliud est abstrahere natura speciei ab indiuiduo, aliud prædicata aliqua essentialia: primum fieri non potest, bene autem secundum, nam possum abstrahere à Petro hoc prædicatum, animal, viuens, quia nullum horum totam indiuidui naturam importat. Ad hoc argum. iam responsum fuit, φ ideo species dicitur totam naturã indiuiduorum importare, quia non est amplius diuisibilis in plura prędicata essentialia, sicut genera, hęc non possunt totam naturam specierum dicere. V.g. animal non potest dicere totam naturam hominis, cùm adhuc diuisibile sit in alias species per differentias essentiales, non sic homo. cùm sit in vltima specie constitutus, est tamen in plura indiuidua subiectiuè diuisibilis nempè in Petrum, Paulũ &c.

Subdit, aliud esse concipere speciem, & naturam indiuidui, aliud abstrahere, nam natura potest concipi sic in communi, non concepto aliquo singulari determinato, quãquam non potest concipi, quin simul implicitè indiuiduum concipiatur. Sed bona pace, quid est abstrahere in Philos. nisi concipere vnum prædicatum in eadem re, nõ concepto alio? iam ipse fatetur de prædicatis essentialibus, quòd possumus abstrahere à Petro animal, viuens. quid significat hoc abstrahere, nisi concipere vnum prædicatum, seu attributum, non concepto alio? at iam totum hoc habetur in conceptione naturæ humanæ, non conceptis indiuiduis in eius sententia, ergo velit nolit, nostrum confirmat, & amplectitur sententiam; hoc .n. est, quòd nos contendimus, nimirum alium esse conceptum speciei, aliũ indiuidui. falsum est etiam speciẽ dicere totã entitatem indiuiduorum, sed totam essentiam, & quidditatem, non autem hæcceitatẽ, aliter non esset differentia inter primam, & secundam substantiam.

Deinde

Deinde respondens ad quartum argum. Scoti ait falsum supponi, & ideo falsum concludi, natura enim actu existens, non est communis, sed ex se singularis, vel si communis est, communitas illa vniuocationis est, quæ singularitatem haud quaquàm excludit.

Sed Contra, nullum ex se singulare potest de pluribus prædicari, sed homo, seu humanitas per ipsũ est ex se singularis, ergo non potest de pluribus prædicari, at conclusio est falsa, humanitas .n. de hac, & illa humanitate prædicatur, sicut homo de Petro, Paulo, & cæteris indiuiduis naturæ humanæ, ergo aliqua præmissarũ est falsa, nõ prima, aliter nõ esset singulare, & incõmunicabile, ergo minor, quæ est sua doctrina. Tum quia Petrus non potest prædicari de Paulo, at homo prædicatur de Petro, & Paulo, ergo alia res est homo, alia verò entia indiuidua. Tũ quia nulla entitas est simul ratio conueniendi, & differẽdi, sed humanitas est ratio conueniendi Petri cum Paulo, cùm de ipsis vniuocè prędicetur, ergo eadem humanitas nõ potest esse ratio differendi, quomodo realiter, & verè numericè Petr⁹, & Paulus differũt. Ad illud, ꝙ natura non potest sic concipi quin simul implicitè indiuiduũ concipiatur, videbitur infra.

Dicit, quòd vnitas vniuocationis, & realis est, & indiuiduorum diuersitatem non abhorret, itá fol. 24. glosando D. Bonau. Amice, quid est vnitas hæc vniuocationis realis, compossibilis cum diuersitate indiuiduorum, nisi vnitas formalis naturæ specificæ, cum sua indifferentia in ipsis indiuiduis inclusa? qua ratione ergo negas illam Scoti distinctionem de vnitate formali, & vnitate numerali? Vnitas Petri nec vniuocationis est cum Paulo, nec cum vnitate Pauli compossibilis, quia numericè differunt, ergo cùm in vnitate vniuocationis compatiuntur, hæc non erit vnitas singularitatis, sed vnitas naturæ, alia ab vnitate numerali. Sed de hac vnitate Vniuocationis, iterum suo loco redibit sermo.

Ob. Nunquam aliqua realitas contrahens aliquid, potest illi dare, quòd sit hoc aliquid, quia illud cõtrahens cum inueniat realitatem priorem esse extra intellectum, iam inuenit eam singularem, & hoc aliquid. ℞. argum. retorqueri posse contra differentiam respectu generis, quod cõtrahit, probando, quòd nullo modo illud determinat, sed determinatum inuenit, quod Aduersarij non concedunt. Dicimus igitur, quòd differentia indiuidualis non inuenit naturam existentem in aliquo instanti temporis, sed in eodem instanti, quo natura singularizatur, existit extra suas causas; de prioritate autẽ naturalis intelligentiæ, non habemus pro inconueniente sic contrahibile præintelligi contrahenti.

Per hoc etiam Respondetur ad illum discursum in eadem q. 7. num. 24. Scotum arguens, quòd

ideo fuerit in sua sententia deceptus, quia putauit rem se habere in facto esse, sicut se habet in imaginatione, sed contrariò res procedit, in intellectu quippè primò consideramus summum genus, quod per differentiam contrahentes perducimus vsque ad indiuidua, in productione autē id quod primò producitur est ipsum indiuiduum, cum quo est species, & genus.

Sed Contra, peto de ipsa differentia specifica, quia secundum ipsum datur, estò neget differentiam indiuidualem; Quænam est priùs, differentia specifica determinans, an genus contrahibile per differentiam? sicut etiam quod est priùs, materia determinabilis, an forma actuans, & determinans? non potest aliter respondere, nisi quòd hæc simul sunt, sicut .n. non datur genus sine speciebus, ità nec species sine genere. Bene, sed quod est natura priùs, determinabile, an determinans? potentiale, an actuale? omnes Philosophi sine discrimine fatentur, contrahibile esse priùs natura differentia contrahente, sicut & materia priùs natura actu informante, & actuante; Sic etiam nos dicimus de natura specifica cotrahibili per differentiam indiuidualem, quòd simul sint, & existant, quia tamen natura habet rationem contrahibilis, & hæcceitas contrahentis, indè rationabiliter asserimus naturam specificam præcedere hæcceitatem, non tempore, sed prioritate naturæ, quæ prioritas si-mulratem existentiæ non destruit; concedit, quòd in productione indiuidui est etiam species, & genus; sed en natura communis in ipsis inferioribus inclusa, quam negat.

Ob. Arist. 10. meth. 26. circa finem docuit vltimam diuisionem, quæ est per se, & essentialis fieri per differentias specificas, ergo non datur vlterior diuisio. ℞. ibi Arist. inquiri de vltimis differentijs specificis, quæ sunt essentiales, & specificam faciunt contrarietatem, & si quæ fuerit vlterior diuisio, illa est quasi per accid. non spectans aliquo modo ad contrarietatem specificam, quòd nos fatemur, accipiendo ly per accid. pro extraneo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An hoc Principium Indiuiduationis naturæ superadditum sit positiuum, vel negatiuum.

SCot. postquam in 2. sent. d. 3. q. 1. determinauit nullum creatum esse seipsum formaliter indiuiduū, sed p aliquid ex natura rei superadditum, statim in 2. q. inquirit quidnam sit hoc naturæ superadditum, quod formaliter importat indiuiduatiò, an .s. sit quid positiuū, vel negatiuum; & ratio dubitandi est satis rationabilis, quia in omnium sententia, Indiuiduum est illud, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, quod non est ipsum, quod satis constat ex vi ipsius nominis, indiuiduum in sonat, quod non diuisum est, vel non diuisibile in plura similia, sicut est

vni-

vniuersale, cui ipsum indiuiduum opponitur; quia igitur constat indiuiduum talem dicere negationē supra naturam, rectè inquiritur, an indiuiduatio in tali negatione præcisè consistat, itavt supra naturam nihil addat præter hanc puram negationem; num potius ad talem negationem antecedenter, addat supra naturam formalitatem quamdam positiuam de se incommunicabilem, ad quam tāquam ad proximum fundamentum negatio illa consequatur. Doct. loc. cit refert Henrici opinionem, qui quol. 5. q. 8. affirmauit, singulare formaliter indiuiduari per negationem, ita ꝙ indiuiduatio solam, & præcisam negationem addat supra naturam specificam, vt determinatur in esse indiuidui; & subdit duplicem esse hanc negationem, vnam .s. diuisionis in se, siue in plura similia, aliam identitatis cum quolibet alio ente, itaut hæc opinio nullum principiū positiuum in genere causę formalis agnoscat, sed tātùm in genere causæ efficientis, nempè causam à qua res in sua entitate producitur.

Conclusio.

Dicimus tamen, Indiuiduum vltra præfatam negationem, addere ad naturam formalitatem quamdam positiuam de se incommunicabilem, ad quam velut ad proximum fundamentum, talis negatio sequitur. est Scoti loc. cit. & Scotistarum, quos sequuntur Recentiores communiter, Suar. Mercen. Ragul. Contar. Auers. Pasqual. & alij, qui probant ijsdem rationibus, quibus probat Doctor, qui sic primò arguit: Nihil simpliciter repugnat alicui enti per solam negationem in eo positam, sed per aliquod positiuum, ad quod consequitur illa negatio, sed vni singulari, V.g. Petro, repugnat diuisio in plura indiuidua .s. in Paulum, Franciscum, &c. ergo poni debet aliquod positiuū, ratione cuius radicaliter hæc repugnantia conueniat. Minor patet, ma. Pr. inductione, negatio V.g. corporeitatis in Angelo conuenit per aliquam formalitatem positiuam, nimirum per spiritualitatem, cui repugnat esse corporeum; sic negatio brutalitatis conuenit homini per rationalitatem, cui directè repugnat opposita affirmatio .s. brutalitas, ergo &c.

Dices, etiam per solam, & nudā negationem in subiecto existētem, potest illi repugnare opposita affirmatio, patet de Cæco, cui ratione cæcitatis, quæ est pura priuatio, repugnat visus. ℞. Scot. quòd licèt negatio, vel priuatio, vt cæcitas in homine neget potētiam proximam ad actum videndi, non ponit tamen repugnantiam simpliciter ad videndum, aliàs non posset Deus illuminare cæcum, quare licèt subiecto ratione negationis repugnat ex suppositione secundum quid opposita affirmatio, non tamen repugnat absolutè, & simpliciter; at negatio diuisionis, seu diuisibilitatis in plura similia repugnat indiuiduo non secundum quid, & ex suppositione, sed absolutè, & sim-

simpliciter, atque ideo hæc negatio, vel repugnantia ad diuidi conuenit ei propter aliquam causam positiuam.

Confirmatur à pari de natura specifica, cui repugat diuidi in plures species, & quia talis repugnantia conuenit ei absolutè, & simpliciter, & non tãtùm secundum quid, idcirco asserimus conuenire illi nõ per simplicem negationem, sed per aliquid positiuum, nempè ratione vltimæ differentiæ essentialis, per quam constituitur, sic etiam in casu de natura indiuiduali dici debet, cũ .n. repugnet diuidi in plura similia, & hoc simpliciter, & absolutè, quia talis repugnantia non potest ab ea tolli per nullam potentiam, talis repugnantia ei conuenit non per puram negationem, sed per quamdam differentiam prorsus vltimam, & incommunicabilem per quam constituitur, & ad quam talis negatio consequitur.

Probat Scot. 2. principaliter: Per negationẽ non constituitur aliquid formaliter in entitate perfectiori, quàm sit illa entitas præsupposita negationi, negatio .n., vt negatio est, nullam dicit perfectionem, sed prima substantia per Arist. in Prædicam. substantiæ est maxima substantia, & magis substantia, quàm secunda, ergo non constituitur formaliter in entitate primæ substantiæ per negationem. Confirmatur ex muneribus, quæ ab Arist. primæ substantiæ tribuuntur, nam prima substantia est, de qua secunda per se prædicatur, at non ità prædicaretur, si prima substantia non adderet supra secundam, nisi solam negationem, quia ex posi suo, & negatiuo non fit per se vnum, sed per accidens, at vnum per se non prædicatur de vno per accid. Nec suffragatur dicere, quòd recipiat prædicationem per se primæ substantiæ, non ratione negationis, sed ratione naturæ inclusæ, nõ valet, nam tunc esset tantùm prædicatio eiusdẽ de seipso, si .n. naturæ nulla fuit additio positiua, remanet in suo esse sicut priùs indifferens, & communicabilis intrinsecè, & extrinsecè. Tum tandem, quia primæ substantię per se primò conuenit generarii & existere ex 2. Meth. tex. 34. & 25. & per se primò operari in proœm. Meth. at hæc sunt munera positiua, quæ per puram, & simplicem negationem exerceri non possunt.

Dices, sufficit, quòd hoc positiuum, super quod fundatur negatio diuisionis, vel diuisibilitatis in plura, sit ipsa natura, cui vt est in Petro repugnat communicari, & esse in Paulo, & ità non per aliquid aliud positiuum, ℞. non potest natura hanc fũdare negationem, quia potius ipsa est causa affirmationis, .s. communicationis, & plurificationis in pluribus similibus, quamuis .n. sit in Petro, est tamen de se indifferens negatiuè; quia non est de se hæc, ideoque addenda est aliqua formalitas de se incommunicabilis, supra quam fundatur, & hæc

hæc est differẽtia indiuidualis; & cũ dicebatur, naturam vt in Petro, repugnare esse in Paulo, concedimus reduplicatiuè, quatenus natura cõsideratur identificata cum Petreitate; at specificatiuè est falsum, quia sic natura considerata secundum sua essentialia, & indifferentiam, ità est in Petro, quòd quantum est ex se, non repugnaret esse in Paulo: quæ communicabilitas, & incõmunicabilitas in Petro benè saluatur per distinctionem formalem inter naturam, & hæcceitatem.

Tum quia, vt benè aduertit Trõbet. 5. meth. q. 5. illud per quod species est athoma, & in plures species indiuisibilis, est ens positiuum; ergo multo magis per quod indiuiduum est indiuiduum; patet conseq. nam vnitas numeralis est maior, & perfectior vnitate specifica; ergo sicut vnitas specifica est positiua, & passio entis positiui, ità vnitas indiuidualis erit positiua.

Cõfirmatur; Vnitas vt sic est passio entis, siue formaliter in positiuo, siue in negatiuo consistat, de quo in meth. ergo quotiescumque ponitur noua vnitas, etiam superaddi debet nouus entitatis gradus; ad quem talis vnitas consequitur, vt eius propria passio, non enim ex eodem gradu entis dimanare possunt, sed vnaquaq; à suo gradu proportionato, nempè trãscendentalis ab ente, vt sic; generica à gradu entis generico; specifica à gradu specifico; ergo cùm vnitas indiuidualis importet nouum gradum vnitatis, nam aliæ sunt vnitates communicabiles, ista verò incommunicabilis, vtiq; admitti debet peculiaris gradus entis superadditus naturæ, ad quem vnitas indiuidualis consequatur.

Tandem probat Scot. ex hac opinione sequeretur non rectè responderi ad quæstionem, sed ad idem responderetur per idem, & esset manifesta petitio principij, dato n. quòd per illam duplicem negationem constitueretur formaliter indiuiduũ in suo esse, peto quarè illa negatio cõueniat indiuiduo, vel quarè ei repugnat diuidi in plures partes subiectiuas? Si respõdeas propter illã duplicẽ negationẽ, iã petis principiũ, idẽ assignãdo causam suipsius, est n. ac si diceres, nõ potest diuidi, q. nõ potest diuidi. Affertur exemplum si quæratur cur animal non est lapis? & respõderes per negationem lapidis, non satisfaceres quæsito, sed peteres principium, idem assignando pro causa sui ipsius, esset n. ac si diceres, animal non est lapis, quia non est lapis, sic in casu. At nos rectè respondemus ad quæst. dicimus n. ideo illam duplicem negationem indiuiduo cõuenire, quia est ens per vltimum gradum prædicamentalem constitutum in recta linea, siue per hæcceitatem.

Obiectiones.

Obijcit Scot. pro Henrico; Vnitas trãscendentalis adæquatè conuenit enti, & solùm addit supra ens negationem diuisionis à se, & identitatis

titatis cum alio, ergo proportionaliter vnitas indiuidualis erit negatio diuisionis in plura indiuidua, & identitatis cum quolibet alio indiuiduo. Rt. Doct. neg. assumptum, nam vnitas trascendentalis superaddit entitati quid positiuum, vt in meth, patebit, negatio .n. non potest cum ente idẽtificari, vnitas autem identificatur cum ente. Deinde ait Scot. concesso assumpto, adhuc non sequeretur, quòd non habebit indiuiduum aliquam rationem positiuam, per quam insit ei duplex negatio, nam etiam vnitas specifica pari ratione significat duplicem negationem, & tamen omnes concedunt entitatem positiuam esse rationem vnitatis specificæ. Falsum est etiam, quòd indiuiduum constituatur formaliter per vnitatẽ indiualem, cùm potius hæc sit passio consequens gradum entitatis indiuidualis, per quam formaliter indiuiduum constituitur in esse indiuidui, sicut à simili neque natura specifica cõstituitur formaliter per negationẽ diuisionis in plures species, sed per differentiam specificã, ad quam talis vnitas, vt eius passio consequitur.

Ob. Si natura per aliquod positiuum superadditum indiuiduatur, ergo in quocumque indiuiduo erit duplex entitas; quòd si dicatur cum Doct. hæcceitatẽ non esse formaliter entitatem, sed potius aliquitatem, vel talitatem entis, quia cùm sit vltima differentia non includit ens formaliter, & quidditatiuè, ex hoc magis infertur intentum, quòd hæcceitas non sit entitas positiua, sed potius negatio entis. Responsio patet ex dictis, licèt .n. hæcceitas non sit ens in recto, est tamen aliquitas entis, quæ cum ipso ente identificatur, & ideo oportet vt dicat quid positiuũ, negatio autẽ nõ potest aliquod positiuũ cõstituere.

Ob. tandem, Nihil potest intelligi habere conceptum realem, quod nõ intelligatur includere singularitatẽ, nihil .n. potest extra suas causas existere, nisi sit singulare, ergo cũ natura habeat conceptũ realem obiectiuum, erit seipsa singularis, absque aliquo positiuo, sed per solam duplicem negationem. R. vt supra, quidquid reperitur à parte rei est singulare, sed non eodem modo, nam quædam sunt intrinsecè singularia, & quidditatiuè per inclusionem hæcceitatis in suo intrinseco conceptu, & hæc sunt indiuidua ipsa; quædam sunt singularia extrinsecè tantùm per coniunctionem, & identitatem cum singularitate, & ità se habent naturæ cõmunes in singularib' immersæ; Inde negatur, quòd non possit intelligi natura quò ad suos conceptus reales essentiales, & quidditatiuos. Possumus etiam concedere, quòd conceptus obiectiuus naturæ communis sit realis, & in re, & non tantùm in intellectu, sed prout est cum singularitate coniunctus, quæ singularitas non facit ipsam naturam esse intrinsecè singularem, sed tantùm extrinsecè.

AR-

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo Principium Indiuiduationis naturæ superadditum ab ea distinguatur.

SCot.art.hunc resoluit in 2.sent. d.3. q.1. & 6.quē Scotistæ omnes sequūtur. Pro cuius captu supponimus tamquam certum apud omnes Peripath. non dari illud vniuersale Platonicum,siue naturam communem à singularibus separatam, sed immersam esse in singularibus, in eisque essentialiter inclusam. Qua doctrina supposita, quæritur ab Authoribus quomodo ipsum vniuersale in essendo, seu natura communis ab ipsis singularibus, siue à differentijs contrahentibus distinguatur; & tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema asserit naturam distingui realiter à singularibus, saltem vt inclusum ab includente, & gradus .n. inferior includit superiorem, non tamen superior inferiorem, ità Iandunus 2. meth. q.9. Tolt. ad Caput 25. Meth. vbi affirmat indiuiduum addere ad naturā, & quidditatem aliquid reale distinctum, quomodo etiam discurrere debent Doctores illi, qui gradus superiores,& inferiores desumi docēt à formis realiter distinctis V. g. Corpus à forma corporeitatis, viuens ab anima vegetanti, sensiens ab anima sensitiua, intelligens ab anima intelligente; quas formas realiter diuersas existimant esse in eodē singulari. Alia extrema vult, naturam communem habere quidem esse reale in singularibus, sed nullo pacto distingui ab esse singularium, aut differentia contrahente à parte rei, sed tantùm ratione, & ad summum per intellectum inadæquatè concidentem cum fundamento in re, seu ratione ratiocinata, & virtuali,non formali,& actuali; ità Thomistæ ferè omnes, cum Caiet. de esse,& essentia q. 5, & alibi, Soncin. Compl. Ioan. de S. Thom. Sanch. Suar. Hurt Ouied. Pasqual. & Alij.

Media sent. est Scoti loc. cit. & quol. 2. & 7. meth. q. 16. vbi docet naturam communem à parte rei formaliter, & actualiter distingui, tàm à singulari, quàm à differentia indiuiduali per quam cōtrahitur, & sequuntur Scotistæ communiter, Lichet. Mayron, Tatar. Bassol. Canon. Anton. Andr. Trōbet. Rada, Faber, Mastr. Ponc. & Alij cum Formalistis omnib. tract. Formal. & ex Exteris Fonseca 5. Meth. cap. 6. qu. 3. sect. 2. Raguf. disput. Vlt. Peripath. Amic. tract. 4. log. qu. 3. dub. 3. art. 2. Piccol. lib. 1. de anima com. 8. & Alij.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, naturam communem non distingui realiter à singularibus, sed esse cum ipsis realiter identificatam. Est Communis, & in omni schola receptissima, quam disertè docuit Arist. 7. meth. 31. vbi ait: vniuersalia nihil esse præter singularia, & genus nihil esse præter eas, quæ sunt generis species, quibus verbis necdum ostendere voluit non dari vniuersa-

uersalia à singularibus separata, verū nec dari, vt res ab ipsis realiter distinctas, ex grauium Interpretum expositione. Poterit etiam hæc conclusio probari omnibus illis rationibus, quibus probatur diuersos gradus methabhysicos non admittere inter se distinctionem realem, sed omnes in eadem essentia realiter identificari. Tum quia vniuersalia essentialia, de quibus hic loquimur, vt sūt genera, & species quidditatiuè, & essentialiter de suis inferioribus prædicantur, vel tamquā eorum essentia, vel tamquam pars essentiæ, ergo supponunt naturas communes, in quibus fundantur eorum intentiones, esse suis inferioribus realier identificatas, veritas .n. huiusmodi prædicatorum essentialium in tali identitate reali fundatur, vt in logica habuimus. Tū quia quando aliqua distinguuntur vt duæ res, quæ est conditio requisita inter ea, quæ realiter distinguuntur, quodlibet eorum habere debet propriam existentiam, ex log. distincto .n. realis præsertim in creatis attenditur penes diuersitatem existentiarum, sed naturæ communi, vt à singulari præcisæ, non cōuenit existentia, sed prout est cum ea coniuncta, & identificata, ergo cùm non habeat existentiam diuersam ab existentia singulari, sed eiusdem existentiæ existit, non potest ab ea realiter distingui. Neque hæc distinctio poni potest realis realitate modi, vt aliqui Neotherici innuere videntur, nam distinctio hæc modalis, quæ à Recentioribus ponitur inter rem, & modum extrinsecum rei talis est, vt licèt modus esse nequeat sine re, cuius est modus, etiam per Potentiam Dei absolutam, potest tamen res esse sine modo; at neque Deus separare potest naturam à singularitate, quia tunc esset singularis, & existēs sine singularitate, quod implicatorium est, ergo natura neque realitate modi à principio suæ indiuiduationis distinguitur.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Distinctionem naturæ ab indiuiduatione esse cum perfecta, & mutua præcisione vnius ab alia, ità quòd natura concipi possit sine indiuiduatione, & è contrà, ac consequenter inter ea saltem distinctio rationis ratiocinatæ, seu virtualis, & cum fundamento in re. est præcisè contra Auersam, qui in Logica affirmat, naturam nō distingui à Principio Indiuiduationis, nisi tantùm præcisione imperfecta rationis, quatenus .s. natura concipi nequit, nisi etiam saltē implicitè indiuiduatio concipiatur. est etiā contra Carpenedol. fol. 240. num. 19. circa finem, vbi ait: Natura potest concipi sic in communi, non cōcepto aliquo singulari determinato, quamquā nō potest cōcipi, quin simul implicitè indiuiduū concipiatur. Pr. tunc perfecta distinctio, & adæquata præcisio rationis contingit, quando intellectus in eodem obiecto plures formalitates partitur, & vnam concipit, nullo modo alteram concipiendo,

do,

do, sed ità est in casu, potest enim intellectus concipere naturam, non concipiendo indiuiduationem, & è contra potest cocipere indiuiduationem, non concipiendo naturam, ergo vna perfectè, & adæquatè ab alia præscindit. ma. est clara, min. probatur, cùm præcisè concipimus prædicata quidditatiua, in quibus indiuidua conueniunt, habetur adæquatus, & perfectus conceptus naturæ V.g. cum tantùm animalitatem, & rationalitatem concipimus, habetur iam adæquatus, & perfectus conceptus hominis; & cũ præcisè concipimus prædicata, in quibus differunt V.g. Petreitatem, & Pauleitatem, habetur adequatus conceptus indiuiduationis, neque in isto conceptu inuoluitur aliquo pacto natura, nec in illo inuoluitur cõceptus indiuiduationis, qa si sic, vt bene deducit Mastr. tunc Petrus, & Paulus nec in prędicatis essentialibus præcisè conuenirent, quin ẽt differrent, nec in indiuidualibus, ità differrent, quin etiam conuenirent.

Auersa resp. per hoc argum. solùm probari, quòd nec natura explicitè includitur in cõceptu obiectiuo indiuiduationis, nec indiuiduatio explicitè, in conceptu naturæ, implicitè tamen se inuicem includunt, & ideo non perfectè ab inuicem præscindunt. Sed hæc solutio est contra seipsum, qui licèt de prędicatis trascendentibus hanc solutionem afferat, quæ non perfectè præscindunt, cùm in eis inferiora partim conueniant, partim differant, hæc tamen solutio in casu non admittitur, hic .n. loquimur de specie athoma, & specialissima, in qua omnis analogia respuitur, & perfecta vniuocatio reperitur. Hinc Auersa ipse in Logic. qu. 9. art. 2. ex eo probat conceptum naturæ præscindere à conceptu indiuiduationis, quia conceptus naturæ V.g. humanæ essentialiter prædicatur de Petro, & Paulo &c. ergo nõ includit essentialiter indiuiduationem, si .n. essentialiter includeret, eam secum ferret vbicumque essentialiter reperiretur, & quia essentialiter natura est in Petro, in eodem esset Pauleitas, & ità omnia indiuidua includerẽtur in singulis, nec essent inter se distincta, qua etiam ratione Pr. indiuiduationem perfectè à natura præscindere, nam si illam in suo conceptu includeret, tunc posset quoque Petreitas de Paulo prædicari, & Pauleitas de Petro, & sic de reliquis indiuiduis.

Tum quia hęc implicita conceptio vnius formalitatis cum alia, adeo implicata est, vt difficulter explicari possit, nam dum V.g. humanitatem Petri præcisè concipio, vel talis conceptus formalis exprimit mihi Petreitatem, vel nõ, si exprimit, iã non erit implicita, sed explicita, & expressa conceptio Petreitatis in humanitate; Si non exprimit, ergo nec explicita, nec implicita erit, quòd si dicas implicitè exprimitur, ergo non implicitè, nã quod exprimitur, explicitè exprimitur, implicat .n. implicita con-

ceptio cum expressione eiusdem obiecti. Tum quia hæc implicita continentia, seu conceptio indiuiduationis in natura, & è contra, vel necessitatem trahit à reali identitate vnius cum alia, aut etiam ab identitate essentiali, quatenus vna est de cōceptu, & essentia alterius; Primum non suffragatur, in vna .n. & eadem re physica, non solùm pluralitas conceptuum admittitur, sed etiam formalitatum apud Plures nobiscum; Neque secundum, nam etiam in sent. Aduersariorũ falsum est naturā esse de cōceptu quidditatiuo, & essētiali indiuiduationis, & quando etiā hoc concederetur, tunc concipiendo naturam, non deberet indiuiduatio implicitè tantùm concipi, sed etiam explicitè, cuius ratio est, quia in conceptu essentiali rei, debent explicitè attingi omnia, & singula eius prædicata essentialia. Tum quia Aduersarij saluant in specie compositionem meth. ex gen. & differentia propter distinctionem rationis cũ perfecta præcisione inter naturam generis, & differentiæ, ergo etiam in indiuiduo huiusmodi perfectam præcisionem ponere debent inter naturam specificam, & differētiam indiuidualem, cùm etiam in indiuiduo talis meth. compositio reperiatur. Tum tandem, quia genus perfectè præscindit à differentia, & è contra, non ideo præcisè, quia efficiunt compositionem meth. sed præsertim quia se habent vt determinabile, & determinatiuum, contrahibile, & contrahens, de quorũ ratione est, vt determinans, & contrahens sit extra rationem contrahibilis, & determinabilis, & è contra, at natura specifica, & indiuidualis differentia non minus se habent vt determinabile, & determinatiuum, quàm natura generica, ac differentia specifica, ergo sicut illa perfectè præscindunt, ita similiter & ista, ma. est euidens, min. probatur, ideò .n. natura generica dicitur determinabilis, & contrahibilis à specifica differentia, quia genus est maioris ambitus, & latitudinis, quàm differentia specifica, genus .n. est pluribus speciebus cōmunicabile, sed differentia specifica in vna tantùm specie reperitur; at eodem modo se habent natura specifica, & indiuiduatio in ordine suo, natura nāq; specifica est maioris ambitus, & latitudinis extēsiuæ, cùm sit plurib. indiuiduis communicabilis, indiuiduatio verò, Petreitas V g. est propria tā ùm illius indiuidui in quo reperitur, ergo seruata ꝓportione, eodē modo se habēt vt cōtrahens, & cōtrahibile &c.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. Naturam, & indiuiduationem non solùm ratione ratiocinata inter se distingui, & cum perfecta præcisione vnius ab alia, sed etiam ex natura rei formaliter. Est Scoti locis cit. cum omnibus DD. pro media sent. citatis, & probari posset omnibus illis rationibus, quib. distinctio formalis naturæ à singularitate ostenditur, sed quia non est propria

pria sedes, pro modo breuiter probatur ex rationibus formalibus naturæ, & indiuiduationis, & ex oppositis eorum muneribus, non quidem per opus tantùm intellectus, sed ex natura rei, nam à parte rei natura facit indiuidua similia, indiuiduatio dissimilia; natura est determinabilis, & cõtrahibilis, indiuiduatio cõtractiua, & determinatiua; natura est radix vnitatis formalis, indiuiduatio vnitatis numeralis; natura est principium operationis, & passionum communium, non autem indiuiduatio; natura ex sua ratione formali est communicabilis, indiuiduatio incommunicabilis, ergo formaliter ex natura rei distinguuntur, cùm ex natura rei contradictionem præseferãt, & qualis est contradictio, talem inferat distinctionem. Ratio à priori pro omnibus est, quam tangit Bassol. in 2. sent. dist. 12. q. 4. art. 2. vbi sic discurrit: Ideo huiusmodi rationes de se communicabiles, & incommubicabiles, determinabiles, & determinantes, assimilandi, & discernendi, in gradibus prædicamẽtalibus distinctionem formalem ex natura rei inferunt, & non tantùm rationis ratiocinatæ, & virtualis, vt faciunt in trascendentib. quia gradus prędicamentales communis, & proprius faciunt in creatis compositionem methaphys. quę cum in suo ordine sit realis .s. ex realitate, & realitate, importat cõsequenter non tantùm puros conceptus, vt sunt gradus trascendentales .s. ens, vnum, bonum, verum, &c. sed etiam veras realitates in eadem physica entitate per identitatem realem immersas, & consequenter tales gradus distinguuntur formaliter.

Contra Primam Conclusionem.

Ob. quòd natura distinguatur realiter à singularibus, & eorum hæcceitatibus: Illa, de quibus à parte rei contradictoria prædicantur, distinguuntur realiter, nequeunt .n. de eadem re opposita affirmari, & negari, at de natura, & singulari, seu hæcceitate, cõtradictoria à parte rei verificantur, natura .n. à parte rei dicitur pluribus communicabilis, indiuiduum verò incommunicabile; natura à parte rei verè dicitur communis, & contrahibilis, differentia verò indiuidualis dicitur propria, & contrahens, ergo natura, & singulare, seu hæcceitas distinguuntur realiter. R. ma. non esse adæquatè veram, nisi prout res accipitur strictè, & rigorosè; aliqua .n. sunt contradictoria, quæ toti rei absolutè conueniunt, & non præcisè respectu alicuius formalitatis in re inclusæ, sed spectant ad esse entitatiuum rei, seu physicum, vt est existere, & non existere, produci, & non produci &c. quæ contradictio in his fundata, veram vtiq; & propriam infert distinctionem realẽ, maximè in creatis, quia hæc sunt extrema primæ contradictionis, nempè de quolibet verum est dicere est, vel non est. Alia sunt cõtradictoria minoris roboris, quatenus scilicet nõ absolutè, & simpliciter

citer toti rei conueniunt, sed ratione alicuius formalitatis, & cum reduplicatione istius, vt sunt esse sensitiuum, & discursiuum in homine, dicitur .n. sensitiuus quatenus animal est, dicitur discursiuus quatenus homo est, & ad hæc contradictoria componenda sufficit sola diuersitas formalitatum in eadem re, & ita se habent in casu contradictoria de natura, & hæcceitate, non.n. sunt cõtradictoria primi generis, sed secũdi, atq; ideo nõ inferunt nisi distinctionẽ ex natura rei formalẽ, non realẽ, ita resp. Lychet. ad hoc argum. quod fuit Ochami.

Sed Contra, inter contradictoria est æqualis repugnatia, quia de eodem secundum idem nunquam verificari possunt duo cõtradictoria, ergo æqualem semper inferunt distinctionem. ℞. contradictoria omnia siue realia, siue rationis, semper æquè repugnare quò ad veritatem, cùm .n. importent puram affirmationem, & negationem, vtique de eodem respectu eiusdem, & secundum idem verificari non possunt: verum quò ad distinctionem inferendam non æquè repugnant, quædam etenim inferunt distinctionem simpliciter realem, vt prima contradictoria; alia ex natura rei formalem inter formalitates; alia tandem distinctionem tantùm rationis iuxta cõditionem contradictionis, ita vt semper distinctio contradictioni commensuretur.

Ob. Nihil potest sibi identificare illud, sine quo aliquãdo potuit esse, sed ex Scoto in 2. d. 3. q. 1. humanitas V.g. in Petro, potuit esse sine illa differentia indiuiduali; nam sicut contracta fuit per Petreitatem, ita contrahi poterat per Pauleitatem, imò per nos, intrinsecè considerata, adhuc retinet differentiam illam priuatiuam, in qua Doctor ponit totam naturæ communitatẽ, quatenus adhuc in sensu diuiso potest ab alia singularitate determinari, ergo natura distinguitur realiter à singularitate. Maxima difficultas in schola nostra. Si enim natura quantum est ex se potest diuisiuè, vel saltem potuerit esse sine hac singularitate, sub qua de facto reperitur, vtique inducere videtur distinctionem realem inter naturã, & hæcceitatem, non formalem.

Rñt Scotistæ communiter, argum. non concludere nisi, quòd natura, & differentia contrahens non absolutè inter se identificantur, sed tãtùm ratione tertij, in quo vniuntur per identitatem, à quo si abstrahantur, non remanet inter illa sufficiens causa identitatis, vt clarè colligitur ex Scot. n 1. d. 8. q. 4. §. *Ad Argumentum Principale &c.* Z. & 7. meth, qu. 13, num. 20. vbi sic ait: Si consideretur natura communis, vt prior naturaliter ipsa differentia contrahente, nihil in ipsa inuenitur, per quod ei repugnet esse sub alia; si tamen consideretur vt coniuncta cum differentia in tertio, implicat separari posse ab illa ob realem identitatem acquisitam ex combinatione amborum in tertio, inde-

inde infereus, quòd quædam non repugnant naturæ in se, repugnant tamen naturæ positæ in esse, sequitur Lychet. in 2. d. 3. qu. 3. §. *Respondeo.*

Sed nisi hæc doctrina adhuc magis explicetur, spinis, & tribulis nō vacat; si etenim natura, & differentia extra tertium non sunt idem realiter, non videtur quomodo id contingere potest per coniunctionem amborum in tertio, quia non videtur vnionem tantam vim habere, vt possit identificare in tertio, quæ antea realiter distincta erant. Patet de materia, & forma in composito, quæ adhuc in ipso vnitæ, realiter tamen ab inuicem distinguntur sicut antea. Neque illud effugium de sensu diuiso suffragatur, quatenus scilicet ità fuit natura contracta ad hoc indiuiduum, quòd poterat ex se ad aliud contrahi, nam etiam materia prima dum est sub hac forma non potest in sensu composito sub alia forma reperiri; sicut ergo ex tali indifferentia materiæ ad formas rectè infertur realis distinctio à formis, ità in casu ex tali indifferentia naturę ad omnes hæcceitates, videtur deduci posse realis distinctio ipsius ab hæcceitatibus.

Variè ad hanc difficultatem Scotistæ respondent, sed melius resoluendum puto cum Mastr. in meth. disp. 9. q. 2. vbi bene aduertit non esse consimilem indifferentiam materiæ ad formas, & naturæ communis ad hæcceitates, sicuti nec consimilis modus vnionis materiæ cū forma in composito Physico, & naturæ communis cum differentia in composito methaphys. nam indifferentia materiæ ad formas est alicuius subiecti ad ipsas præexistentis tamquam ad perfectiones illi omnino extrinsecas, ac proinde eas non habet per naturalem resultantiam, vel emanationem ipsarum in ea, sed solùm illi imprimuntur ab extrinseco agente ope præcedētium dispositionum, quare si agens formas in materia non induceret, adhuc ipsa materia saltem in formis ipsa sic subsistens remaneret; non ità se habet natura communis in ordine ad hæcceitates, quia ante hæcceitatem non supponitur existens, sed ab ipsa natura pululat absque vllo concursu extrinseci agentis, & necessitate adeo indespēsabilis, vt neque per Dei potentiā poni posset in rerum natura, quin statim aliqua hæcceitas ab ipsa dimanet, tamquam vltima, & postrema eius realitas, à qua determinetur, vt incommunicabilis reddatur, ex qua necessaria connexione ità indispensabili arguimus identitatem earum realem; quando etenim aliqua ità se habent, quòd vnū esse nequit sine alio, & talis impossibilitas sit ab intrinseco, talia realiter identificantur ex Doct. in 2. d. 9. q. 5. lit. N. Quia tamen cum tali necessaria dimanatione hęcceitatis à natura, adhuc stat, quòd ipsa non includat singularitatem in sua essentiali ratione, & quòd non ma-

magis vna nata est pullulare à principijs eius, quam alia, cùm omnes quantum adhoc eiusdem sint rationis, hac præcisa ratione dicitur natura cõmunis intrinsecè indifferens ad omnes, & singulas hæcceitates, ità quòd quantũ ex se est, ita potest sibi hanc identificare, sicut & illam.

Potest hoc declarari exemplo risibilitatis dimanantis à rationalitate in sent. nostra, supposito namque, quòd à rationabilitate pullulet passio risibilitatis, non videtur quantum ex se repugnare esse sub hac, vel illa risibilitate diuisim, cùm tales risibilitates sint eiusdem rationis, sed solùm repugnare concomitanter, quatenus iam rationalitas est in actu posita, & ideo necessariò est cum aliqua risibilitate cõiuncta, & identificata. Ità in proposito, posita natura in esse reali actuali, oritur in ipsa de necessitate naturæ vna tantùm hæcceitas, quæ sibi realiter identificatur, & si illa non pullularet, identificaretur cum alia hæcceitate, quæ ab ipsa emanaret, ex quo patet disparitas inter indifferentiam communitatis naturæ, & materiæ primæ.

Poterit etiam hæc doctrina explicari considerando naturam, non in statu existentiæ, sed essentiæ, seu possibilitatis, in illo .s. priori, in quo est indifferens, vt producatur, vel non, sicut enim in illo priori, Deus est indifferens actiuè vt naturam humanam producat in Petro, vel Paulo, ità quoque natura humana est passiuè indifferens, vt potius per hanc indiuiduationem cõtrahatur, vel per illam, ex quo colligitur, quòd hæc indifferentia naturæ ad varias indiuiduationes nõ est physica, & subiectiua, qualis est indifferẽtia materiæ ad formas, sed est tantùm obiectiua, & ideo inferre non licet distinctionem realẽ inter naturam, & hæcceitatem sub qua postea producitur; quia tamen eadẽ essentialia prædicata, quæ natura cõtinet in statu essẽtiæ, retinet quoque in statu actualis existentię, hinc infertur, quod etiam in statu existentię, & quãdo sub hac indiuiduatione reperitur, adhuc asserimus naturã aliquo modo indifferẽtem esse ad indiuiduationes, quatenus nullã includit in sua ratione formali; & ex se non magis petit determinari per istam, quàm per aliam hæcceitatẽ, idẽque asseritur de risibilitate &c.

Et tandem Doctrina hæc explicari potest exemplo Theologico, sicut explicari solet indifferentia actiua Diuinę voluntatis ad actus liberos, qui omnes identificantur cum entitate voluntatis Diuinæ, vt omnes fatentur, & tamẽ secundum suam rationem formalem deficere possunt, non deficiente entitate Diuinæ voluntatis; Sicut igitur Diuina voluntas ità voluit ab æterno hunc mundum fore, vt potuerit nõ velle propter eius indifferentiã ad actus liberos, cùm ad extra liberè agat, & tamen tali indifferentia nõ obstante, hoc decretum, seu volitio de mundi existentia cum entitate Diuinæ voluntatis realiter identifica-

ficatur; ità proportione seruata in creatis admitti potest natura communis sic indifferés passiuè ad hæcceitates, vt quando producta est cum ista, quam de facto habet, potuerit pariter in illo priori benè produci cum alia absq; deductione distinctionis realis naturæ ab hæcceitate sub qua de facto est. Hinc maior illa argumenti, nihil sibi potest identificare illud, sine quo aliquando potuit esse, non videtur vniuersaliter vera, cùm manifestam instantiam habeat in actibus liberis voluntatis Diuinæ. Confirmatur hæc doctrina ex his, quæ habet Scot. in 2. d. 12. q. 2. *Ad Argumenta Principalia &c.* lit. E. quòd .s. materia, & forma in composito phys. vniuntur sola vnitate vnionis quæ distinctionem realem non tollit inter vnita, natura verò, & differentia in composito methaphysico vniuntur vnitate identitatis, nēpe transeundo in realem identitatem ipsius compositi, quæ identitas postea redūdat inter ipsas quatenus quæ sunt eadem vni tertio, sunt etiam eadem inter se. Ratio differentiæ est; quia partes physicæ cum sint res, & res, ac veræ, & propriæ causæ compositi physici, constituunt illud per veram causalitatem, & consequenter non possunt seipsas realiter identificare cum illo, quia semper inter producens, & productum distinctio realis intercedit, at natura, & differentia, quia non sunt veræ res, sed realitates, vnica existentia existentes in eadem re, nec sunt propriè, & verè causæ, ideo non constituunt totum methaphys. per veram, & propriā causalitatem, sed per simplicem influxum methaphysicum semetipsas illi realiter identificando, ac proptereà vniuntur in eo non solù m vnitate vnionis, sed etiam vnitate identitatis. vt Scot. loquitur locis cit. & sequitur Tatar. in 2. d. 3. q. 6. ad 1. Princip. & Mastr. in Meth. quæ doctrina sic explicata satis conducit ad præsentem difficultatē.

Potest etiam ex allata doctrina maior illa in argumento distinguı. Nihil potest sibi identificare illud, sine quo aliquando potuit esse, post eius productionem, concedimus, talis .n. separatio alicuius ab aliquo iam producto, & existente, sine ipsius destructione necessariò inter illa realem distinctionem inducit; ante eius productionem negamus, tunc .n. indifferens esset ad illud sibi identificandum, vel non; & ita ad mi. dicimus, quòd humanitas in Petro potuit esse sine tali differētia ante eius productionem, minimè verò post eius productionem, vndè natura iam existens dicitur illam indifferentiam retinere modo tantùm negatiuo, quatenus .s. in se, posset esse sine illa, non vtique potentia naturali, & ad actum reducibili, sed potentia logica, inquantum si, consideretur vt prius naturaliter differētia contrahente, nihil in ipsa inuenitur per quod ei repugnat esse sub alia differentia.

Est tamen hic aduertendū, quòd cùm

cùm dicimus naturam communem realiter identificari cum differentia contrahente, sermo est de gradibus eiusdem essentiæ, qui nimirum in eodem constituto reperiuntur, siuè species sit, siuè indiuiduū, at comparando, V.g. animalitatē bruti ad gradum rationalitatis, qui est in homine, certum est, quòd inter se non identificantur realiter, sic comparando humanitatem Petri, ad gradū hæcceitatis Pauli &c.

Contra Secundam Conclusionem.

Contra hanc obijcit Auersa, arguens, quòd differentia indiuidualis nec etiam per intellectum perfecta præcisione rationis à natura distinguitur, & primò auth. Arist. 4. meth. tex. 3. vbi ait: *Idem .n. vnus homo, & ens homo, ac homo, & non significat diuersum aliquid secundum dictionem repetitam .i. homo, & vnus homo*. Per quæ verba significat (ait Auersa) nihil plus denotari, nec quicquam distinctum addi dicēdo homo, & homo singularis, humanitas, & humanitas singularis.

℞. ex Alensi, & Doct. 4. meth. cit. quos sequitur Mastr. ibi non loqui Aris. de natura, & indiuiduatione, nec inquirere an singularitas sit quid naturæ superadditum, sed ibi loqui de vno, & ente, & probat vnum nō dicere diuersam naturam ab ente, ità vt vnum sit quædam res diuersa ab ente, sunt .n. prorsus realiter idem, & conuertuntur, vt subiectum, & passio, nec aliud ab illo textu colligitur cōtra nostram decisionem.

Ob. 2. Si natura perfectè ab indiuiduatione præscinderet, indiuiduatio quoque vt sic perfectè præscindere deberet ab hac, & illa hæcceitate, sed hoc est falsum, ergo & id vnde sequitur. Probat sequelam, quia non minus conueniunt singulæ hæcceitates in ratione hæcceitatis vt sic, quàm indiuidua in ratione naturæ. Probat min. quia si sic deberent dari aliæ differentiæ indiuiduales, quæ contraherent rationem indiuiduationis, quæ rursus conuenirent in ratione indiuiduationis, quæ perfectè præscinderet, & ità daretur processus in infinitum. Nec valet (ait Auersa) responsio Scoti in 2. d. 3. q. 6. differentias indiuiduales esse inter se primo diuersas, nec in aliquo communi cōceptu conuenire; nā datur iste conceptus, q exprimitur nomine hæcceitatis, & indiuiduationis, qa hæc nō sunt pura nomina absq; re significata, sed in isto conceptu communi singularitatis conueniūt hęc, & illa singularitas; nam singularitas Petri est singularitas, sicut singularitas Pauli est singularitas. Hæc difficultas, quia est reuera alicuius momenti apud Scotist. adæquatè resoluitur in meth. Pro modo resp. vt diximus in log. disput. 5. art. 4. loquendo de Indiuiduo, concedendo sequelam, nempè abstrahi posse ab vltimis differentijs conceptum indiuiduationis vt sic, in quo omnes, & singulæ quidditatiuè conueniunt, vt Doctor concedit in 1. d. 23. q. vn. in calce, sed

cla-

clarius d. 26. q. vn. lit. Y. vbi etiã Lych. cum multis Scotistis. Verùm iste conceptus non esset realis, & adæquatus, quasi fundatus esset in aliqua realitate communi omnib. hæcceitatibus, quomodo realis, & adæquatus est cõceptus naturæ respectu suorũ inferiorũ; qui fũdatur in natura à parte rei communi omnibus illis, sed esset conceptus inadæquatus, & rationis eo modo, quo est conceptus entis, & trascendentium respectu Dei, & creaturę, quibus nulla est communis natura, vel realitas à parte rei, vt bene deducunt Vulpes, Mastr. & Bell. cũ alijs. Vnde fálsũ est, q̃ Auersa assumebat .s. Petreitatem, & Pauleitatẽ côuenire in communi ratione hæcceitatis, quantum conueniunt Petrus, & Paulus in conceptu communi humanitatis, falsum inquam assumit, nam conuenientia Petri, & Pauli est realis, & actualis à parte rei, quatenus nempè fundatur in natura reali, illis communi, conuenientia autem Petreitatis, & Pauleitatis in conceptu communi hæcceitatis nõ est realis, & actualis à parte rei, quia vltimæ differentiæ à parte rei sunt primò diuersæ, cùm omnis differentia differentium debent tandẽ reduci ad aliqua primò diuersa ex 5. meth. 10. Nec Scot. sibi contradicit dum in 2. d. 3. q. 6. docet vltimas differentias in nullo quidditatiuè conuenire, sed esse primò diuersas; & in 1. d. 26. q. vn. Y. ait, in aliquo quidditatiuè conuenire, quia vt Lychet. explicat, ibi voluit esse primò diuersas in realitate, hic verò concedit posse conuenire in conceptu inadæquato, & rationis; & ità nondatur processus in infinitum, quia licèt conueniant in conceptu apud intellectum inadæquatè concipientem, quia tamen non conueniunt in aliqua realitate eis communi, vt conueniunt indiuidua in natura, idcirco in vltimis differẽti s datur status.

Contra Tertiam.

Ob. quòd indiuiduatio non distinguatur ex natura rei formaliter à natura specifica, independenter ab intellectu, & primò sic: Natura existens pręscindendo ab omni alia formalitate superaddita includit quicquid perfectionis diceret singularitas, ergo non est admittenda singularitas à natura distincta, patet consequentia, quia si natura in se, & intrinsecè singularitatem includit, sicut non distinguitur à seipsa, ità neque à perfectione singularitatis, quàm in se contineret. Pr. antec. quia natura existens intrinsecè est determinata, non solùm ratione specifica, sed etiam indiuiduali, existentia. n. supponit singularitatem. ℞. neg. antec. existentia etenim vt sic, essentiæ tantùm dat extra causas stare, & de potentia in actum exire, non autem eam indiuiduat, & vltimatè determinat in rerum natura, vt infra patebit, cùm hoc sit munus singularitatis, & indiuiduationis. Ad probationem, negatur assumptum, nam intrinsecè, & essentialiter non dicit nisi sua

prædicata essentialia, & ideo dicitur extrinsecè singularizata per hãc singularitatem potius, quàm per aliam. Vel concedendum est antecedens de existentia communicabili, qualis ponitur existentia naturæ, si eam haberet formaliter distinctã ab existentia singulari, hinc nos, qui asserimus formalitates methaphysicas vnica existentia existere, Parum vrget argumentum.

Ob. Si hæcceitas est formaliter distincta à natura communi, vel ei aduenit, vel ipsam constituit in esse naturę communis, hoc esse non potest, vt patet; si primum, iam sequitur naturam communem esse ex se singularem, quod .n. aduenit alicui, supponit illud in proprio esse constitutum, & quod in suo esse constitutum, & perfectum est, iam singulare est. ℞. concedendo hæcceitatem naturæ aduenire, at conseq. negatur, quamuis .n. natura communis sit perfectè constituta in suis prædicatis essentialibus, non tamen est vltimatè determinata, ideoque non singularis, sed adhuc verè communicabilis, & determinabilis est per illam differentiam indiuiduantem ad hoc singulare.

Ob. ex Caiet. lib. de ente, & essentia cap. 2. q. 4. Si hæcceitas aduenit naturæ, vt verè in re componat indiuiduum, & singulare, certum est, quòd alterum illorum scil. natura communis habebit rationẽ potentiæ, aliud verò, nempè differentia rationem actus, at actus singularis supponit potentiam singularem ex 2. phys. 38. ergo natura communis erit ex se singularis ante aduentum differentię indiuidualis; ℞. cum Scotistis communiter, quòd illa propositio Arist. valet de singulari vt quod, sicut est pars cõpositi materialis, siue per se, siue per accidens, hæc .n. anima supponit hoc corpus, hoc accidens supponit hoc subiectũ, nõ autem valet de actu singulari vt quo, qui Primò rem in esse singulari cõstituit, qualis est differentia indiuidualis; ità Lychet. in 3. d. 3. qu. 6. quam sequitur Rada, Mastr. cum Alijs, quare propositio illa intelligi debet de actu physico, non methaphys. de quo loquimur. Tum quia etiam ipsi Thomistæ ad solutionem argumenti tenentur, qui per distinctionem rationis ratiocinatæ saluare astruũt compositionem methaphysicam in indiuiduis ex per se actu, & per se potentia methaphysica, & ità explicare debent quomodo differentia cõcepta per modum actus singularis determinat potentiam communem, & determinabilem, & adhuc sit tali potentiæ proportionatus. Proportio igitur requisita inter huiusmodi actum, & potentiam non requirit, vt actus sit singularis, potentia sit singularis, nam proportio inter actum, & potentiã talis esse debet, vt non destruatur ratio ipsorum; at destrueretur si in potẽtia præexigeretur effectus, qui ab actu expectatur, quia tunc actus talem potentiam actuare non posset, cùm ergo vnitas indiuidui sit

 esse-

effectus indiuiduationis non potest in natura ante singularitatem supponi, sed potius ab ipsa singularitate formaliter præstari. Proportio itaque inter naturam, & hæcceitatem requisita est communitatis, & singularitatis, ità quòd natura sit communicabilis pluribus, actus verò sit singularis, vt quo, ipsam reddēs incommuni cabilem.

Obt. Pasqual. disput. 40. sec. 3. Hæcceitas non solùm vnum indiuiduū realiter ab alio distinguit, sed etiam naturam vnius à natura alterius, distinguit .n. vnum indiuiduū ab alio adæquatè secundum totum esse physicum, & reale, ergo non potest esse ex natura rei formaliter distincta à natura, ità vt sit extra esse naturæ formaliter; conseq. patet, quia nihil distinguitur realiter & secundum suum esse ab alio, per illud quod est sibi extrinsecum, nā eadē sunt principia distinctiua, & constitutiua. ℞. concesso antecedente, negando conseq. & ratio est, quia licèt indiuiduatio, seu potius hæcceitas in Petro formaliter distinguatur à natura, identificatur tamen realiter in Petro cum ipsa natura, & ratione talis identitatis realis, & distinctionis formalis, sufficiens est ad distinguendum realiter naturam Petri à natura Pauli; distinctio .n. realis non attendi debet penes formalitates, sed secundū entitates, vt sunt existentiæ capaces, vndè cùm in Petro sit tantùm vnica entitas physica ex illis duabus formalitatibus methaphysicis constituta, & consequenter vnica tantùm existentia, ideo totus Petrus, & secundum totum esse physicum ratione hæcceitatis identificatæ cum natura distinguitur realiter à Paulo, & ità quod constituit distinguit. Neque ex hoc sequitur, quòd natura Petri distinguatur à natura Pauli per aliquid sibi omnino extrinsecum, cùm adhuc illa hæcceitas sit eadem realiter cum natura, in quo sensu bene dici potest, quòd illa natura distinguatur per aliquid sibi intrinsecum.

Objiciunt tandem Aduersarij de entibus respectiuis, & modalibus rerum, quos Reales admittunt contra Nominales, asserentes quòd modi seipsis sint singulares, & ità probant: Ideo sessio Petri per nullā potentiam potest in Paulo poni, quia essentialiter respicit determinatè Petrum, & hoc non ratione hæcceitatis ab essentia distinctæ, respicere .n. subiectum est essentiale sessioni, quod autem est essentiale rei, non potest illi conuenire per aliquid à se distinctum. ℞. eodem modo philosophandum est de entitatibus respectiuis, & modalibus, ac de entitatibus absolutis quò ad indiuiduationes earum, quia sicut in entitatibus absolutis tres admittuntur gradus prædicamentales .s. genericus, specificus, & indiuidualis, totidem quoque admittere debemus in relatiuis, & eodem modo quo distinguuntur in absolutis, sic etiam distingui debent in relatiuis. V.g. Si vnio consideratur secundum

suũ gradũ genericũ, respicit partes vt sic; Si secundum specificum, respicit partes talis speciei; si tandem consideratur secundum gradum indiuidualem, respicit partes taliter indiuiduas; quare ideo hæc vnio inter has partes, esse non potest nisi inter has partes, non quidem ratione suæ essentiæ præcisè sumptæ, vt vnio est, quia vt sic indifferẽs est, vt inter alias partes reperiatur, sed ratione hæcceitatis, cuius virtute ità has respicit partes, vt alias respicere non possit; sic etiam eodem modo sessio Petri ità determinatè respicit Petrum, vt nequeat poni in Paulo, nõ ratione sessionis vt sic, nã sic est indifferẽs, vt etiã sit in Paulo, sed virtute talis sessionis, quæ includit hæcceitatem, & sub hac ratione, repugnat ei, quòd in Paulo ponatur, nõ ratione specificæ quidditatis. Eodem modo discurrẽdum est de causalitate, seu productione effectuum, quòd .s. ideo productio huius numero effectus terminari nõ potest ad alium numero effectum, quia determinata est ex sua hæcceitate, non ex suis principijs essentialibus. Multa alia erant hic addenda pro toto capite huius art, at quia adhuc in physicis moramur, ista pro modo sufficiant, ex quibus tamen bene perceptis, multa Aduersariorum argumẽta solui poterunt.

Responsio ad P. Carpenedol.

Ex hactenus dictis R. adæquatè ad R. nostri P. Marcant. Carpenedol. qu. 7 suæ Philos. cit. vbi Assert. 6. sic concludit; *Indiuiduum non addere ad naturam aliquam entitatem positiuam Indiuiduum ipsum constituentem.* Quid autem intelligat per principium indiuiduationis, se declarat, aliud non esse, quàm materiam, & formam simul vnitas, quæ fuit opinio Aureoli, Durandi, & Suar. & ità discurrit; Sumo animam, & corpus inuicem vnita, & peto, an id quòd constituunt sit indiuiduum, nec ne, præscindendo à supposito. Si non est indiuiduum, ergo datur aliquid actu singulare, & non est indiuiduum, imò quòd magis redolet absurdum, dantur principia indiuidui in actu, & causæ in actu, & non causant in actu. Si verò est indiuiduũ, & non est aliud, quam anima, & corpus, ex quibus resultat natura, ergo natura seipsa per solam principiorum vnionem est indiuidua. R. id, quod ex materia, & forma coalescit est indiuiduum physicum; cum hoc tamen stat, vt sit etiam indiuiduum methaphysicum ex natura, & hæcceitate, vt ex dictis patet, & clarius infra ostendetur. Ad id, quòd indiuiduum non est aliud, quàm anima, & corpus, iam in physica digestum est disp. 8. art. 7. de distinctione inter partes, & totum physicum, & si natura idem est realiter, & formaliter quod materia, & forma vnitæ, ad quid principium indiuiduationis inquirere? sufficiebat dicere, non dari principium indiuiduationis, sed naturam seipsam absque aliquo distinctio indiuiduari.

Si dicat, sufficere ad hoc distin-

ctio-

ctionem rationis inter principium indiuiduans, & indiuiduum constitutum, in illud absurdum incidit, quòd idem à parte rei est principiū & principiatum, & idem causa sui-ipsius, distinctio .n. rationis tantùm se habet ex parte intellectus imperfectè, & inadæquatè concipit, quæ contradictionem à parte rei non tollit; nos verò hic quærimus de indiuiduo reali, & de principijs verè, & constituētibus. Tum quia, vt benè arguit Magister Marlectta 1. p. q. 3. art. 2. cont. 3. natura secundum se neque vniuersalis est, neque particularis, ergo non potest seipsa, vel per seipsam dici indiuidua, & singularis. Pro absurdo habet, quòd dentur principia indiuidui in actu, & causæ in actu, & nō causēt in actu. Nō valet; nā si natura per se non est nisi causæ, & principia naturæ in actu, quid tunc causæ in actu causant? ergo illud idem est causa, & causatum in actu, Principium, & principiatum, Producens, & productum.

Probat deinde, quòd ex illis causis vnitis sola resultat natura singularis, & indiuidua, quia Verbum solùm humanam assumpsit naturā, non assumpto homine, idest non assumpto hoc, aut illo homine particulari, ergo natura per se, & per sola sua principia actu coniuncta est hæc, & singularis.

Sed Contra, non datur per se, & per omnes, natura illa communis Platonica à singularibus separata; ergo falsum est, quòd Verbum Diuinum humanam assumpsit naturam, non assumpto hoc homine in particulari.

Itē illa natura humana quomodo erat in illo priori, communis, an singularis? non singularis per te, quia Verbum Naturā assumpsit, non assumpto hoc homine, ergo erat communis; quod tu negas, ponens omnem naturam esse ex se singularem, ad hominem.

Item Carpenedol. lib. 1. tract. 6. fol. mihi 282. assertione 3. ait: *Essentiam sumptam pro natura rei actuali non differre realiter à sua existentia, sed tantùm ratione*. Bone Deus. Si ergo Verbum assumpsit naturam realem, veram, & actualem, ergo & formaliter existentem, & consequenter non assumit hominem in communi, sed hunc in particulari, cùm omnis productio ad singulare existens terminetur.

Suam confirmans opinionem, ait: *Nam substantia, & substantia hæc, materia, & materia hæc sunt idem realiter, sola ratione diuersum*. Error peior priore, hæc .n. aduersis frontibus repugnant, Verbum per te solam assumpsit naturam, nō assumpto hoc homine in particulari, quomodo ergo substantia, & substantia hæc, natura, & natura hæc, sola ratione distinguuntur? quæ .n. sic distinguuntur, per nullam poterūt potentiam separari. Potest ne distinctio rationis facere, quòd actu assumeretur vnum sine alio?

Item vndè colligit ipse, quòd substantia, & substantia hæc, materia, & ma-

& materia hæc sola ratione distinguantur? fortè ex 12. meth. text. 27. illis verbis: *Singularium, aliud est tua materia, & mea materia, vniuersali verò ratione eadem.* Non valet, nam per illa verba potius oppositum colligitur, ponit .n. ibi Arist. differētiam numericam inter materiam Petri, & materiam Pauli, & vniuersali ratione conuenire, vbi per ly vniuersali ratione, portiores eius Expositores non intelligunt identitatem rationis fabricatam per intellectum, sed identitatem definitionis, quæ tantùm naturis vniuersalibus cōpetit, neque est nouum apud Arist. pro ratione, definitionem, & quidditatem accipere. Hinc 3. de anim. 9. ait: *aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.* & 7. Methaph. tex. 21. & 41. ait: *in concretis cum materia,* .s. materia totius, quæ est hæcceitas per Scot. in 2. d. 2. q. 6. in fine. *Non est idem, quod quid est, cum eo cuius est.* & semper Arist. per quod quid est, intellexit quidditatem, & essentiam rerum, & non vult cōfundere cum singulari, cum quo, & in quo talis natura reperitur; & non est verisimile Arist. solùm agere de alietate rationis, quæ fingitur ad libitum nostrum, & poni potest, vbi reuera distinctio non est, & colli vbi est, sed locutus fuit de alietate methaphysica, quæ reperitur inter gradus à parte rei distinctos, saltem formaliter.

Arguit 2. ex adæquatione, quæ reperiri debet inter prædicatum, & Subiectum: Idcirco (ait) Genus nō prædicatur adæquatè de specie, quia species addit aliquid supra genus, ergo si indiuiduum dicit differentiam numeralem superadditam speciei, vtique indiuiduum abundabit à specie, sicut species à genere, quod est falsum.

Amice, Sicut tu pro inconuenienti non habes, Genus non adæquatè prædicari de specie, neque ego absurdum censeo, speciem non prædicari adæquatè de indiuiduo, & verissimum est, quòd sicut species abundat à genere, ita indiuiduum abundat à specie; imò ex hac doctrina, nostra potius confirmatur sent. ideò .n. non potest superius cum inferiori conuertibiliter prædicari, quia superius maioris est ambitus, quàm inferius, vnde valet, homo est animal, non autem animal est homo; & ità etiam repetitur inter speciem, & indiuidua, quia .n. V.g. homo plus latet, quā Petrus, ideo hæc prædicatio valet, Petrus est homo, non autem ista, homo est Petrus, Signum quòd Petreitas abundat à specie, sicut rationalitas ab animali. Ex quo etiam colligitur distinctio ex natura rei inter hominem, & Petrum, nam homo prædicatur de Petro, & Paulo, & tamen Petrus non est Paulus, & hoc nullo intellectu considerante. Si igitur hęc propositio est vera, Petrus est homo, & Paulus est homo, hæc autē falsa, Petrus est Paulus, ergo homo, & Petrus non sunt idem realiter, & formaliter, & sola ratione distinctos, aliter à parte rei

te rei homo esset Petrus, Paulus, Franciscus &c.

Arguit 3. Vel illa entitas addita, est eadem cum personalitate, vel non; si eadem, ergo non est aliquid reale positiuum, cùm ex Scoto personalitas non sit aliquod positiuũ; Si est distincta, ergo in supposito sunt natura, entitas indiuidua, & præterea hæc suppositalitas, & ad quid quæso tanta multiplicitas entitatum? Sed bona venia, adhuc in saxis seminat, & sibi ipsi malum reperit; Peto etenim, hæc personalitas, quæ per tè est quid positiuum, est eadem cum singularitate, seu indiuiduum, an non? Si est eadem est contra tuum suppositum in primo argumento, vbi ipsam à singulari præscindis; Si personalitas à singularitate distinguitur, ergo in supposito sunt materia, & forma, & vnio, & natura resultans singularis, & præter hæc personalitas; & ad qd quæso tanta multiplicitas entitatum? Si dicis, quòd vrget necessitas, idem ego assero.

Respondendo igitur ad argumẽtum, dico illam hæcceitatem esse distinctam realiter à personalitate, siue in positiuo, siue in negatiuo consistat, ergo in supposito multiplicitas entitatum, concedo, vbi namque est à parte rei contradictio, necessariò multitudo saltem formalitatum ponenda est; ne de vno, & eodem, duo prædicata contradictoria verificentur.

Arguit 4. Hæc materia, & hæc forma constituunt indiuiduum, & determinant, ergo vana est alia compositio naturæ .s. & eius entitatis superadditæ. Dices, (ait) verum esse hanc materiam, & hanc formam indiuiduum constituere; Sed hanc materiam, & hanc formã, esse hanc per hæcceitatem, vt ait Iornata. contra hoc instat Carpenedol. vel hæc materia, & hæc forma componunt idem, quod natura, & differentia, vel diuersum; Si idem, ergo non est alia compositio materiæ, & formæ, alia naturæ, & differentiæ, quod tu affirmas; Si diuersum, ergo duplex compositio eiusdem indiuidui. ℞. vt Iornata in allato argumẽto, ad probationem, iterum oleum perdit, & vndè colligit ipse, quòd nõ possit idem compositum plures compositiones admittere? Dicat ipse, Personalitas, quæ per ipsum est forma positiua realiter à natura distincta nõ facit cum tali natura compositionem? & non physicam, quia hæc complete ex materia, & forma vnitis coalescit, ergo methaphysicam. Homo nõ est cõpositus physicè ex materia, & forma? & tamen adhuc est compositus methaphysicè ex genere, & differentia. Item quodlibet indiuiduum non est compositum etiam ex essentia, & existentia, vt in meth. patebit, cum hac sola differentia inter duas scholas, quòd Thomistæ ponunt inter essentiam, & existentiam distinctionem realẽ, Scotistæ verò distinstionem formalem? Item homo nõ est etiam compositus ex actu, & potentia, sicut quæ-

quælibet alia creatura? Nō est quoque cōpositus integraliter ex pluribus partibus integrantibus, tàm homogeneis, quàm heterogeneis? non est etiam compositus accidentaliter pluribus accidentibus, tàm absolutis, quàm respectiuis? Quantitas non est composita integraliter ex pluribus partibus integrantibus, & adhuc ex actu, & potentia methaphysicè, cùm omne creatum sit ens mobile ad aliquem actum, seu ad aliquam formam? hæc apud omnes citra discrimen sunt.

Concludit tandem, quòd lignum indiuiduetur per suam materiam, & formam, materia autem, & forma, vtpotè prima per mutuam sui ipsarum appropriationem. Non placet, nam ex dictis, natura secundum se non est vniuersalis, neque particularis, ergo non potest seipsa, vel per seipsam dici indiuidua, & singularis, sed materia est natura, & sicut forma, ex Arist. ergo &c. Tum quia materia prædicatur de hac, & illa materia, sicut forma ignis V.g. de hoc, & de illo igne, & tamen hæc materia non est illa materia, neque hic ignis est ille ignis ergo &c.

Fortè dicat, eodem modo ego pono materiam seipsam indiuiduari, quomodo Scotistæ ponunt hæcceitates, esse primò diuersas. ℞. neg. paritatem, nam materia, & forma sunt entia in recto, & propria gaudent existentia, hæcceitas verò non est ens in recto, sed in obliquo, & formalitas, seu aliquitas entis, non habens propriam existētiam distinctam à re, cuius est formalitas, hinc dicitur indiuidua, nō in recto, & vt quæ, sed solùm vt qua, sicut albedo non dicitur alba, sed qua paries est albus; Materia verò est indiuidua vt quæ, & ideo inquirendum adhuc remanet, per quid sic indiuidua constituatur, & alia formalitas assignari nequit, nisi sua hæcceitas. Sic de forma &c.

Quantum verò spectat ad sent. D. Bonau. non admodum fideliter, & fœliciter se gerit, legantur quæso Doctor Seraph. in 1. sent. d. 5. art. 2. q. 1. in corpore, vbi hæc formalia verba habet: *In Creaturis, forma communis numeratur in suppositis, ideo in illis forma communis producitur, & corrumpitur, & ideo in creaturis generatio non tantùm secundùm intentionem, sed etiam secundùm productionem ad substantiam communem terminatur, & ideo vniuersale in singulari generatur.* Peto, quòd est hoc vniuersale, quòd in singulari generatur? hoc non erit ens rationis, quia hoc non generatur, neque erit aliqua substātia singularis, & indiuidua, quia singulare non recipitur in singulari, ergo erit natura communis Scoti, in singulari contracta per differentiam indiuidualem, & est conformis doctrinæ, Arist. qui concessit vniuersalem, non quidem separatum, vt asserebant Platonici, sed in singularibus inclusum, ergo falsum est naturam esse ex se singularem. Tum quia omnes Philosophi, & Theologi, paucis exceptis concedunt

duat Dei prædeterminationem, saltem quò ad indiuidua V.g. quòd ignis producat ignem, non prærequiritur Dei prædeterminatio, sed quòd ignis producat potius hunc, quàm illum ignem, prædeterminatur à Deo, ergo non benè afferitur à Carpenedol. quòd ignis, & hic ignis. homo, & hic homo sunt omnino idem, ex hoc.n. sequeretur, quòd sicut hic ignis à Deo prædeterminatur, itá quoque & ignis ab igne productus.

Item Sanctus Doct. in 2. d. 18. art. 1. q. 3. ad 3. Argum. sic ait: *Ad illud, quod obijcitur, quod considerationi physicæ aliquid correspondet in re, dicendum, quòd verum est, vera.n. & realis est similitudo inter Petrum, & Paulum, & ità necesse est ponere aliquod tertium, in quo assimilantur.* Peto à nostro hoc Bonauenturista, quid est hoc tertium, in quo Petrus, & Paulus assimilantur? est ne natura communis, an Indiuiduum? non hoc secundū, nam per hoc potius indiuidua discriminantur, & ideo Petrus non potest prędicari de Paulo, ergo primum, ergo præter singularia, datur natura communis in re, sicut vera, & realis est similitudo inter indiuidua; qua ratione ergo afferit, Sanct. Doctorem opinionis esse Nominalium; & quòd non datur natura communis, sed quælibet sit seipsa singularis?

Glosat Sanct. Doct. quòd locutus fuerit de communitate vniuocationis, sed adhuc laterem lauat, Peto etenim, quid est hoc commune vniuocationis tamquam tertiū, in quo Petrus, & Paulus assimilantur? certè aut erit aliquid reale, aut aliquid rationis; non hoc secundū, quia Eminentissimus Seraphicus se declarat, quòd huic tertio, in quo Petrus, & Paulus realiter assimilantur, respondet aliquid in re; Si primum, vel hoc reale erit natura, vel indiuiduum, nō hoc, quia Petrus, & Paulus in indiuiduo non assimilantur, nec conueniunt, imò vt indiuidua sunt, potius opponuntur, & distinguuntur, ergo erit natura communis contrahibilis, & determinabilis ad Petrum per Petreitatem, & ad Paulum per Pauleitatē, & quòd hæc sit mens S. Doct. notate formalia verba ibidem in corpore &c. *Non est vera vniuocatio, nisi quando aliqua in vna forma communi realiter assimilantur, quæ de ipsis essentialiter prædicatur, forma autem in qua plura assimilantur, non potest esse nisi vniuersalis.* poterat clarius loqui?

Subdit tandem ibidem fol. 239. num. 17. quòd substātia secunda, & prima non differunt sicut duæ substantię, sed sicut vna includens aliā, quia secunda est in prima tanquam totum vniuersale in sua parte subiectiua. En quomodo doctor iste velit nolit, nostram confirmat sent. Quid .n. est hæc secunda substantia in prima? est ne ens rationis? at hoc non est substantia, neq. prima, neq. secunda. Dicit, quòd hęc secunda substantia est in prima tanquam totum vniuersale in parte subiectiua, bene, at ens rationis nullibi est pro-

priè subiectiuè, sed obiectiuè tantũ in intellectu; & quando etiam fingeremus ens rationis ad modũ naturæ communis diuidi in suas partes subiectiuas, nempe ens rationis contractum ad hoc, & illud ens rationis in particulari, non sumus in casu, nam hic nos loquimur de naturis realibus in indiuidua realia diuisis, nempe naturã ignis in hunc, & illum ignem diuisam; naturam humanam in Petrum, Paulum &c.

Tum quia prima, & secunda substantia conueniunt in conceptu, & prædicamento substantiæ; At ens rationis potest includi in prædicamento substantiæ? Tũ quia inferiora includunt formaliter, & essentialiter superiora, At Petrus includit fortè essentialiter ens rationis? Itẽ substantia diuiditur in primam, & secundam, at bona, & recta diuisio expostulat, vt membra diuidentia formaliter totũ diuisum includant, & quis sic diuideret substantiam in ens rationis, & indiuiduum substãtiale? Si per secundam substantiam intelligit naturam singularem, quia per ipsum, natura est ex se singularis, & hæc, ergo substantia prima esset in prima, tanquam in sua parte subiectiua, & Petrus in Paulo &c. Quid, si hæc omnia inania sunt?

Poterat vtiq. Carpened. (bellum dissimulando) suam sequi sententiam, non cum S. Seraphico, q̃a potius nobis fauet, sed cum Nominalib. & aliquib. Neuthericis, & Scot. nõ carpere; Sanguis .n. & frater noster est, nõ solum titulo Minorum, sed ẽt habitu, & professione, trãsiuit etenim ex hoc exilio ad Patriã anno salutis 1308. quo tempore totus ordo Patris nostri Francisci capuccio aguzo vtebatur, vt ex Cronicis, & Scriptoribus ordinis patet.

Vir vtiq. nõ solùm doctrina Singularis, & famigeratus, ob cuius acutissimum ingenium per antonomasiam, nomen subtilissimi Doctoris, ac Theologorum Principis sibi gloriosè vendicauit, verum etiã in omnibus, virtutibus, ac deuotione insignis; Qui in Religione, habitu semper abiecto, hispido, & resarcito vtens, ac pedibus nudis incedens, Seraphici Patriarche verus filius, & cãdidus alumnus se in omnibus ostendit. Immaculatæ Virginis Cõceptionis propugnator acerrimus, qui & meritò quadã nocte Natiuitatis Domini, Sanctissimi Nati visu, & dulcissimis amplexib' frui meruit. Legant Curiosi Tritemium Marianum, & Marcum Lisbonẽsem Authorem Cronicharum Ordinis minorum, tomo secundo, libro septimo, folio mihi 385. Cap. de vita, & doctrina Scoti; Item & Patrem Ferchium, & Vuadignum in annalibus Religionis Minorum, vbi plura alia huius Eminentissimi viri scitu digna, ac admiranda conspicient.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Existentia sit Principium Indiuiduationis.

Scot. in 2. Cit. d. 3. q. 3. per ordinem, mouet hoc dubium de existen-

ſtetia, vbi refert quorumdam antiquorum opinionem, aſſerentium, eo ipſo, quòd res habet exiſtentiã, habet etiam per ipſam formaliter ſuam indiuiduationem; quam opinionem Marginiſtæ aſcribunt Gotfredo, & Rogerio Baccono, quod dubiũ propriè mouetur de exiſtentia actuali, non de aptitudinali, & poſſibili. Verùm, hæc vetuſta opinio, quam Doctores, vt improbabilem reliquerunt, à quibuſdam Recentioribus erigi tentatur, vt Paſqual. aduertit to. 2. meth. diſp. 39. ſec. 1. cum hac tamen differentia, quòd Antiqui aſſerebant exiſtentiã eſſe principium formale conſtitutiuum Indiuidui .i. ratio formalis, qua res indiuiduatur, Recentiores verò aſſerunt eſſe principium radicale, & proxima radix, vnde oriatur indiuiduatio, & in hoc ſenſu hanc tuentur ſententiam.

Scot. eſt ad oppoſitum, & nullo modo vult exiſtentiam eſſe principium indiuiduationis, neq. formale, neq. radicale, neq. actu, neq. de poſſibili; Cuius ratio eſt, quia exiſtentia ſupponit eſſentiam, cùm ſit modus eius intrinſecus, nos autem hic quęrimus de principio indiuiduationis entis, ſeu eſſentiæ. Relictis igitur aliorum medijs, vt imbecillib^9, ponitur ratio Doctoris, quæ cum ſit clariſſima, ponitur verbatim: *Quod non eſt diſtinctum, nec determinatum, non poteſt eſſe primum diſtinguens, vel determinans aliud, ſed eſſe exiſtentiæ, eo modo, quo diſtinguitur ab eſſe eſſentiæ, non eſt ex ſe diſtinctum, nec determinatum, non .n. eſſe exiſtentiæ habet proprias differentias alias à differẽtijs eſſentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem exiſtentiarũ, aliam à coordinatione eſſentiarum.* Cõfirmat clarius eamdem rationem: *Illud, quòd preſupponit coordinationem, & diſtinctionem alterius, non eſt prima ratio diſtinguendi ipſa, vel determinãdi, ſed exiſtentia, vt determinata, & diſtincta præſupponit ordinem, & diſtinctionẽ eſſentiarum, ergo &c.* Hęc Doct. & nota, quòd hæc ratio eſt efficaciſſima, quæ .n. in prædicamento ponuntur abſtrahunt ab exiſtentia, indiuidua verò in recta linea ponuntur; & Petrus eſt diſtinctus numero à Paulo, ſiue exiſtat, ſiue non. Sed quia poſſet aliquis inſtare, quòd ratio tantum conuincit de indiuiduo poſſibili, quòd ponitur in prædicamẽto, non autẽ de indiuiduo actuali, hinc libet etiam de indiuiduo actuali argumentum adducere.

Poncius diſp. 6. log. q. 5. concl. 1. ſic intentum probare nititur: Exiſtentia formaliter non habet alium conceptum, quàm facere rem exiſtentem, ergo non habet formaliter conſtituere rem diſtinctam numero ab alijs rebus, ergo nõ eſt principiũ indiuiduationis, eodem modo probat Paſqualigius. Sed ab Autorib. ſecundæ ſent. facillimè reſponderetur, aſſerendo concludere tantùm, quòd exiſtentia non ſit principium formale indiuiduationis, quia non exhibet talem effectum formalem indiuiduando rem, non tamen probat, quin ſit principium radicale

proximũ talis indiuiduationis, dũ .n. existentia rem ponit in actu, & extra suas causas, ponit etiam consequenter eam in tali statu .s. vt ad eam proximè sequi debeat indiuiduatio.

Alij probant ex hoc, quòd existentia contingenter prædicatur de omni indiuiduo creato, ergo non potest indiuiduum creatum in esse indiuidui constituere. Probant antec. quia res omnes aliæ à Deo, cõtingenter existunt, & solus Deus necessariò existit, conseq. patet quia id, quod constituit indiuiduum includitur intrinsecè in ratione indiuidui; imò implicat indiuiduũ sine illo intelligi. Non placet, vt benè etiam Pasqual. aduertit, si .n. existẽtia actualis comparetur cum indiuiduis in actu, sic non prædicatur accidentaliter, sed necessariò, nam supposita eorum actualitate, necessariò existunt, quia ex 1. Perih. omne quod est, quando est, necessariò est. Si etiam sermo erit de existentia possibili, & comparetur cum indiuiduo possibili, cõuenit illi quoq; necessariò, & tantò magis, quia per nos existentia non distinguitur realiter ab essentia, sed tantum formaliter, sicut hæcceitas, & ità existentia non videtur contingenter indiuiduo conuenire, nisi comparando existentiam actualem cum indiuiduo possibili, quomodo non sumus in casu, sed comparari debet existẽtia actualis ad rem actualem; & existentia possibilis, ad rem possibilẽ, & ità existentia nõ contingenter de essentia prædicatur. Alij aliter, & diuersimodè intentum probare tẽtant, sed semper insufficienter.

Melius igitur respondendum est cum Mastr. in Meth. disp. 10. q. 4. qui principijs Scoti inhærendo, sic probat existentiam non esse principium indiuiduationis, neque formale, neque radicale: Differentia vniuersaliter in qualibet re constituta præcedit modum intrinsecum rei, modus .n. sequitur rem, cuius est modus, sed singularitas seu hæcceitas, est differentia contrahens, & determinans naturam, itaut cum natura specifica constituat entitatiuè indiuiduum; existentia verò, siuè consideretur possibilis respectu essentiæ possibilis, siue actualis respectu essentiæ in actu, est modus intrinsecus, ergo indiuiduatio in essentia præcedit existentiam tam in esse possibili, quàm in esse actuali, & consequenter nõ potest poni indiuiduationis principium, nec quò ad esse formale, nec quò ad esse radicale.

Obiectiones.

Obt. Scotus pro sent. opposita: *ex 7. meth. actus determinat, & distinguit, ergo vltima distinctio est per vltimum actum, vltimus autem actus indiuiduorum est secundum esse existentiæ, quia quodlibet aliud ab ipso intelligitur in potentia ad ipsum, ergo existentia est principium indiuiduationis* R. Scotus *Actus distinguit eo modo, quo est actus, sed actus accidentalis distinguit accidentaliter, sicut actus essentialis distinguit essentialiter, ità dico, quòd vltima distinctio-*

ctio in coordinatione prædicamentali est distinctio indiuidualis, ad quam coordinationem prædicamentalem non per se pertinet existentia actualis, nam hæc est vltimus actus posterior tota coordinatione prædicamentali, & ità concedo, quòd existentia distinguit vltimatè, sed distinctione, quæ est extra totam per se coordinationem prædicamentalem, quæ distinctio est aliquo modo accidentalis, licèt non sit verè accidentalis, tamen sequitur totã distinctionem secundum esse quiditatiuum. hæc Scot. cuius verba clarissima sunt, vltimus .n. actus, qui quidditatiuè distinguit est ex his, quæ in prædicamento ponuntur, & quòd vltimus actus non sit principium indiuiduationis, inde patet, vt bene aduertit Poncius, quia etiam alia accidentia essent principium indiuiduationis, quia vltimatius, & posterius rem actuant, quàm existentia, vt patet, & tamẽ secundum Aduersarios non sunt principium indiuiduationis.

Hinc Aduertendũ cum Bassolio, quòd estò indiuiduum actu existẽs primo terminet generationem, inde tamen non sequitur existentiam esse indiuiduationis principiũ, sed sufficere, quòd existentia comitetur principiũ indiuiduationis, terminus .n. generationis non est existentia, sed totum indiuiduum existens.

Ob. Si consideretur natura solũ secundum essentialia, præcisa existentia, præscindit ab indiuiduatione, & est multis communicabilis, posita autem existentia, fit incommunicabilis, & ità in se indiuisa, vt sit etiam diuisa à quocumq. alio, ergo saltem existentia est proxima radix indiuiduationis, ex vi.n. illius immediatè sequitur, quòd sit indiuidua. ℞. Pasqual. & benè ex doctrina Scoti, quòd cõsiderando naturam quò ad essentialia, dicitur præscindi tam ab existentia, quã ab indiuiduatione, non quia hæc sint formaliter idẽ, sed quia vnũquodque est extra essentiam rei; absolutè tñ loquendo, fieri potest in natura præcisio à sola existentia, non facta præcisione ab indiuiduatione, & tale est indiuiduum, quod ponitur in prædicamento; ideo autem posita existentia dicitur etiam naturam esse indiuiduam, non quia existentia sit ipsa indiuiduatio, sed potius quia ipsa existentia indiuiduationem sequitur, vt modus intrinsecus rei constitutæ, ideoq. nũquam natura erit existens, quin sit etiam indiuidua; licèt igitur indiuiduatio non pertineat ad esse quidditatiuum indiuidui, quòd in solis prædicatis specificis consistere dicitur, spectat tamen ad esse intrinsecum, & entitatiuum indiuidui, cũ sit differentia ipsum constituens cũ natura specifica in vltimo esse determinabili intra seriem prædicamentalem, existentia verò quia est modus intrinsecus rei, non confert nouum gradum essendi, sed tantùm facit illud in actu.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Materia nudè sumpta sit principium indiuiduationis.

SCot. controuersiam hanc dirimit in 2.sent.d.3. q. 5. directè contra Thomistas. Pro cuius resolutione aduertimus, Antiquiores Thomistas affirmasse, materiam nudè cõsideratam citra quamcũq. quantitatis sigillationem esse principium indiuiduationis substantiarum materialium, quem dicendi modum sequitur Flandra 7. meth. q.22.art.1.citans etiam pro se Albert. quibus etiã fauere videtur D. Thom. 1.p.q.3.art.2.ad 3. & q.50. art. 4. vbi nullam mentionem facit de sigillatione quantitatis, sed in corpore absolutè docet materiam esse principium indiuiduationis, nõ exprimendo an sit materia signata, nec ne, & ità Scot hanc opinionem refert. Sed quia reuera valde difficile est hanc sent. de nuda materia sustinere, inde Thomistę protestantur nõ loqui de materia nudè sumpta, sed de materia signata, seu quãtitate sigillata. Verùm quid dicat hæc sigillatio, & signatio quantitatis, magna est inter Thomistas dissentio, & altercatio; quidam .n. volunt esse materiam, quantitate formali affectam, & ex his duobus cõstitui principium indiuiduationis materialium substantiarum, ita ꝙ materia det incõmunicabilitatem, quãtitas verò distinctionẽ, ità Capr. 2.sẽt.d.3.q.1.art.1.Soncin. Ferrar. Nazar. & Alij. Quidam verò, quib. præiuit Caiet. de ente, & essentia Cap.2.q.5.per materiam signatam nolunt intelligere materiam includentem quantitatem, sed solũ materiam capacem huius, & non alterius quantitatis, licèt .n. aiunt, materia sit ad omnem quãtitatem indifferens, præuijs tamen dispositionibus ab agente, ità appropriatur huic quantitati, quòd non sit proximè capax alterius. Addẽs Caiet. quòd hęc capacitas, & sigillatio nõ addit aliquid reale supra materiam in recto, quod ab ipsa sit realiter distinctum, sed tantùm ordinem, & respectum ad talem, vel talẽ quantitatem, qui respectus est quid reale, & solùm ratione à materia distinctum. quem dicendi modum sequuntur Iauel. Bannes, Zumel, & quamplures alij Thomistæ.

Idem Caiet. 1. p.q.29.art.1. aliũ modum dicendi excogitauit, adnotans, quòd materia dupliciter cõparari potest ad quantitatem, s. vel vt causa materialis, & receptiua illius; vel vt principiũ, & radix eius, quatenus virtute ipsam quantitatẽ continet; primo modo, ait non potest esse principium Indiuiduationis, quia potentia illa materiæ ad quantitatem, nõ est de genere substantiæ, sed de genere quantitatis, quia actus, & potentia sunt in eodẽ genere ex 2.meth.26.ac propterea talis potentia nequit esse principiũ indiuiduationis substantiæ; Sed est principium indiuiduationis secundo modo, prout est principium, & radix quantitatis, quia distinctio numerica, qua vnũ indiuiduũ substan-

stan-

stantiale ab alio distinguitur, non est distinctio quantitatiua, sed fundamentum quantitatiuę distinctionis, vnde etiam principium indiuiduationis, debet esse fundamētum, & radix quātitatis; & ità in hoc loco respuit explicationem quam lib, de ente, & essentia assignauerat; & hunc secundum dicendi modū amplexi sunt Ripa, Salmaticenses, Blasius à conceptione, & Alij. Suar. cōtendit, hanc secūdam explicationē non differre à prima; Thomistæ verò differre aſſerūt, & hinc inde inter ipsos satis in explicatione huius sigillationis est lis, & altercatio, vnde hæc opinio ardua, & difficillima redditur.

Conclusio.

Nos dicimus in hoc articulo cum Scoto loc. cit. Materiam nudè sumptam non esse principium indiuiduationis; & temporibus nostris est etiam communis cū illis Thomistis, qui eā ponunt principium indiuiduationis, non vt nudè sumptam, sed vt signatam. Probat Scot. primò expressis Arist. testimonijs. 7. meth. 35. & 39. & 2. meth. 27. vbi docet materiā non esse de se primò indiuiduam, sed ipsam distingui in vniuersalem, & particularem, sicut in vniuersum forma, & compositum, sic 7. meth. 39. ait: *Palam autem quod anima quædam substantia est, corpus verò materia, homo verò aut, animal, quod est ex vtrisque vt vniuersale; sed Socrates, aut Coriscus, vt singulariter*, ergo materia est ex se quædam natura communis contrahibilis ad hanc, & illam singularem materiam per differentias indiuiduales, & consequenter esse nō poterit principium indiuiduationis. hoc. n. per se primò incommunicabile esse debet, vt constituat indiuiduum in esse incommunicabili. Nec dicere valeti hoc solùm sequi si materia in vniuersali accipiatur, at si sumatur in particulari, hoc non obstat, quin materia particularis sit tale principium; Non valet, nam si materia, vt est hæc numero, principium est indiuiduationis, quia sic est incōmunicabilis, eadem ratione, & forma, vt hæc numero poterit esse principium indiuiduationis, quod ipsi negant. hæc doctrina militat etiam contra Carpenedol. qui putāt materiam, & formam vt potè prima indiuiduari per mutuam suiipsarum appropriationem.

Pr. 2. ex Tromb. 5. meth. q. 5. art. 2. auctorit. famosissimę Vniuersitatis Parisiensis, quæ hanc opinionem duobus articulis damnat. Primus ait: *Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia error*. Secundus: *Si quis dixerit formam non recipere diuisionem sine materia error*. Et licèt verum sit, illos articulos fuisse tantùm Parisijs damnatos, nō vbique, adhuc tamen replicat Trōbetta, quòd sententia alicubi damnata per vniuersitatem famosam, vbique est damnata, & suspecta, vt patet *extra de hæreticis* Cap. *Ad abfoluendum &c.* quòd deinde inter omnes orbis Vniuersitates, Parisiensis Vniuersitas primum semper obti-

obtinuerit locũ, nemini dubiũ est.

Pr. 3. ratione: Materia est pars quidditatis compositi tùm secũdum D. Thom. tùm secundum Scot. imò secundum omnes Philos. sed quod est de quidditate, & essentia naturę specificæ non potest esse principiũ indiuiduationis, sic .n. indiuidua essentialiter differrent, ergo materia esse non potest Principium Indiuiduationis.

Dices, hæcceitas per vos non distinguitur realiter à re contracta, sed cum ipsa realiter identificatur, ergo hæcceitas materiæ est etiam materia saltem realiter, & identicè ℞. non haberi pro inconueniente, quòd materia indiuidetur per aliquid materiæ non in recto, sed tantùm in obliquo, per eius realitatē, imò hoc est necessarium, vt ex natura, & differentia indiuiduum methaphysicè coalescat, sicut rationale identificatur cũ animali, quod contrahit, non tamen ex hoc dicitur, quòd animal contrahatur per animal, & per animal differat ab omnibus alijs animalibus, sed per illam differentiam, quam sibi identificat; sic se habet materia cum sua hæcceitate respectu talis materiæ distinctæ numero, & ideo ponimus distinctionem formalem ex natura rei inter istos gradus methaphysicos, ne cogamur asserere eamdem realitatem esse simul rationem cõuenientiæ, & differentiæ. Tum quia ratio vrgeret solùm de materia, at forma non est materia, nec natura est materia, quia ergo non solùm datur materia, & hæc materia, sed etiam ignis, & hic ignis, homo, & hic homo, ideo non rectè recurritur pro principio indiuiduationis ad materiam, & Instantia, quæ contra hanc doctrinam afferi solet, soluetur infra.

Pr. 4. quod est ex se indistinctũ, & confusum, non potest esse principiũ indiuiduationis, quæ distinguit vnum indiuiduum ab alio, sed materia est huiusmodi, in fundamento .n. naturę eiusmodi est materia, nihil est distinctum ex 1. methaph. 17. ergo &c. Rnt. Thomist. duo sunt in indiuiduo; Primum est, indiuisum in se esse vltima diuisione, seu incommunicabile esse, eo modo, quo superius communicatur inferiori; Alterum est, diuisum esse à quolibet alio, quod non est ipsũ. Primum prouenit à materia ratione suæ irreceptibilitatis, ratione .n. materię indiuiduum non potest in alio recipi, & illi communicari; Secundùm verò habet à quantitate. Addentes aliqui, quòd tantùm in primo sensu consistit ratio essentialis indiuidui, secundum verò est solùm eius proprietas; concludentes, quòd materia nudè sumpta nõ est principium indiuiduationis quõ ad omnem rationem indiuiduationis, sed tantum quò ad incommunicabilitatem, quæ est præcipua, & maxima ratio indiuiduationis.

Sed Contra; Materia est pars qdditatis specificæ ex dictis, & non solùm datur hęc materia, sed etiam materia in communi, quomodo ergo

go materia vt sic potest esse principium indiuiduationis? Tum quia materia nō est omnium vna numero, sed vna specie ex dictis in phys. datur .n. materia, & materia hæc, ergo non potest esse principium indiuiduationis, quò ad incommunicabilitatem respectu inferiorum, quatenus præcisè rationem habet materiæ; ad quid ergo inseruit ista irreceptibilitas in materia. Tum quia indiuiduatio stat cum receptibilitate, vt patet de accidentibus separatis in Eucharist. quæ indiuidua sunt, & tamen adhuc recipi possunt in subiecto, ergo falsum est rationem irreceptibilitatis in materia esse radicem indiuiduationis, Tum quia impertinens est hæc ratio indiuiduationis explicata per recipere, & non recipere, & quia materia est irreceptibilis, cùm sit primum receptiuum, est incommunicabilis, forma verò quia est receptibilis, & communicabilis materiæ, vt subiecto, ideo est radix indiuiduationis. impertinēs inquā, nā nos hic loquimur de indiuiduo, vt incommunicabile est, vt Quod, per oppositum ad vniuersale, seu ad naturam, quæ communicabilis est vt Quod, seu pluribus conuenire, & de pluribus prædicari; Cæterùm indiuiduum est communicabile, vt Quo, vt patet de hoc accidēte, quod vniri, & communicari potest vt Quo in subiecto; & per hoc differt indiuiduum à supposito, hoc .n. est incōmunicabile, vt Quo, & vt Quod, indiuiduum verò est incommunicabile tantùm vt Quod, quatenus .s. non habet sub se inferiora, de quibus prædicari potest. Vana ergo, & futilis est doctrina hæc de receptibilitate, & irreceptibilitate in casu de principio indiuiduationis, vbi attenditur ad rationem incommunicabilitatis, vt Quod, non vt Quo, hæc .n. albedo est propriè, & verè indiuidua, & tamen alteri communicabilis vt subiecto; Similiter humanitas à Verbo assumpta erat singularis, & tamē communicata fuit, seu vnita supposito Diuino.

Per hanc doctrinam exploditur responsio aliorum Thomistarum, asserētium incommunicabilitatem nedum esse debere per modum superioris suis inferioribus, sed etiam per modum formæ respectu subiecti; & hoc ea ratione, quia eius incommunicabilitas debet adæquatè opponi communicabilitati vniuersalis; at vniuersale non solùm est communicabile per modum superioris suis inferioribus, sed etiam per modum actus suo obiecto, vnde secundæ substantię dicuntur esse in subiecto, & dici de subiecto. Non valet, vt iam modò dictum est, nam hic calor singularis est, & tamen subiecto communicatur. Falsum est etiam, quod vniuersale, & præcipuè secundæ substantiæ sint in alio vt in subiecto, habemus .n. expressè oppositum in prædicamētis cap. de substantia, vbi docetur secundā substantiam dici quidem de subiecto, nempe de inferiori, sed non esse in subiecto, licèt .n. humani-

tas sit in Petro, & Paulo, non tamen in illis tamquam in subiecto per inhæsionem, sed tamquam natura in suis inferioribus per identitatem realem, & essentialem, qua ratione potest de illis quidditatiuè prædicari; & estò vniuersalia accidentiū dicantur etiam esse in subiecto, vt sapor, albedo, calor &c. id tamen non eis conuenit, vt vniuersalia sunt, sed quia talia vniuersalia .f. accidentalia, & de istis dicitur, quòd in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur. Tum quia eadem sunt principia rei constitutiua, & distinctiua, & eo modo, quo constituūt, distinguunt, ergo si per materiam nudè sumptam indiuiduum constituitur intrinsecè in esse incommunicabili, pariter & per eam indiuiduum à quocumque alio distinguitur, ad quid ergo hanc distinctionem à quantitate expectare?

Obiectiones.

Ob. Thomistę pluribus Arist. testimonijs, quibus innuere videtur principiū indiuiduationis esse materiam nudè sumptam, primò ex 5. meth. 2. vbi ait: *ea esse vnum numero, quorum materia est vna*. Secundò 1. Cœli 92. inquit: *Cœlum vt sic esse formam, hoc verò Cœlum esse formam in materia*. & tex. 94. negat esse plures mundos, quia nequeūt multiplicari per materiam, cum tota sit in hoc mundo. Tertiò ex 12. meth. tex. 49. docet, quæcumque sub eadem specie plura numero sunt, ea necessariò materiam includere, vndè deducit plures numero primos motores reperiri non posse, quoniam Primus Motor materia caret. Quartò ex 7. meth. 28. vbi vult, q generās generat aliud propter materiam, Callias ait, & Sortes sunt diuersa ,ppter materiā. Quintò ibidē tex. 35. cū docuisset vniuersalē hominem ex forma, communique materia cōstare, postea subdit: Singulare autem ex vltima materia, a Socrates est. Sextò ex 7. meth 41. & lib. 8. tex. 8. inquit: in rebus immaterialibus, quidditatem esse idē cum re, cuius est quidditas, .i. cum singulari, in rebus materialibus esse distinctum, quod asserere videtur ob singularitatem, quæ sumitur à materia, ita has auctoritates per ordinem affert Scot. quas soluit in 2. d. 3. q. 6. §. *Ad Quæstionem 5. præcedentem &c.* lit. P.

Rt. igitur Scot. alias auctoritates in oppositum afferendo, quibus ostenditur non esse Philosophi mētem, materiam physicam esse principium indiuiduationis, & quidem euidentissimum est, quòd Arist. cū rerum vnitatem ex vnitate materiæ venatur, non semper locutum fuisse de materia partis, seu physica, quod patet ex 5. meth. tex. 10. vbi ait: *Homo, equus, canis sunt vnum quià, sicut illa sunt vnum. quorum materia est vna*. Vbi vt constat accepit materiam pro genere, aliàs comparatio nulla est, quia res per materiam non conueniunt genere, sed speciē, cùm non detur alia materia generica, at equus, homo, & canis non conueniunt in specie, sed in genere. Tum quia in sent. Arist. vt suus fidelissimus Commentator exponit, & se-

& sequitur Doct. in 2. d. 14. q. 1. Cœlum est corpus simplex, materia, & forma carens, ergo dum Arist. 1. Cœli 92. per Cœlum intelligit formam, & per hoc Cœlum materiam, stante illa sententia, loqui non potest de materia physica, sed in alia acceptione. Tum quia si de materia partis, & physica Philosophus loqueretur, etiã Thomistas lederet, concedentes in Cœlo compositionem ex materia, & forma, quomodo ergo dicit Arist. Cœlum vt sic, & simpliciter solum dicere formam, cum etiam Cœlum in communi sumptum, materiam quoque includat? Ad concilianda igitur hæ Arist. loca, ne sibi contradicere videretur, varios modos dicendi expositores excogitarunt.

Scot. cuius iudicio nos libenter subscribimus. loc. cit. & in 2. d. 3. q. 6. & quol. 2. art. 2. M. ad hos textus componendos, ait, Arist. in diuersis locis diuersimodè materiã accipere; quandoque etenim vocat materiam principium receptiuum, faciens compositum cum actu, seu forma, & in hoc sensu 1. physic. & multis alijs in locis asserit materiã, & formam esse duo principia. Alio modo formam appellat quidditatem, & materiam quicquid habet rationem contrahentis, vel ipsam quidditatem determinantis, & in hoc sensu differentia indiuidualis quæcumque sit, dicitur materia respectu quidditatis specificæ, ità Doct. præsertim quolib. 2. cit. & quia ipse in 3. d. 2. q. 2. & d. 22. q. vn. formam præcisè pro quidditate sumpta appellat formam totius, vt eam discernat à forma partis, hinc Scotistæ differentiam indiuidualem, quæ dicitur materia opposità formę totius, appellare consueuerunt materiam totius, vt eam distinguerẽt à materia partis, quã duplicem materiæ, & formę acceptionem, multi ex Recentiorib. post Scot. approbarunt, vt videre est apud Ragusеum disp. 44. C. 25. & Pasqual. disp. 37. sec. 3. vbi explicans varios textus Arist. iam citat. notat nomine formæ Arist. aliquãdo intelligere quidditatem rei in communi præcisè sumptam, quo sensu accepit formam 7. meth. tex. 28. & 35. vbi partes definitionis appellat partes formæ, & tamen constat, quòd materia sit quoque pars definitionis, & essentiæ, atque ideo per formam non potuit intelligere formam partis, sed formam totius sumptam pro quidditate, vt etiam Scotus explicuit in 3. dis. 22. qu. vnic. sic etiam intelligit S. Bonau. in 2. cit. d. 18. art. 1. q. 3. vbi essentiam rei vocat formam totius.

Zabarell. lib. de natura Cœl. c. 8. explicans illam auctorit. 1. Cœli tex. 29. ait: Arist. Cœlum absolutè sumptum vocat formam, & hoc Cœlum materiam, nam Cœlum vt sic significat ipsam quidditatem veluti in abstracto, quando verò dicimus hoc Cœlum, dicimus rem sensibilem, ac proinde quidditatem in materia .i. in habente quidditatem, & hunc modum dicendi plures

Philosophi sequuntur, nec aliud est discrimen inter hos Authores, & Scotistas in explicatione materiæ, prout respõdet formæ acceptæ pro natura, & quidditate, nisi q Scotistæ dicunt illam esse differentiam indiuidualem, alij verò cum Zabarella, Baccono, Piccol, & Alijs dicunt esse ipsum totum concretum ex natura, & differentia contrahẽte, quod dicitur habens naturam; quæ quæstio est de nomine, nam etiam Scot. interdum pro materia totius intelligit ipsum concretum, & habens naturam, vt videre est in 2. d. 3 qu. 6. lit. H. vbi ipsum totum habẽs quidditatem vocat materiam respectu quidditatis, quæ est forma totius.

Vtrumque igitur habetur apud Scot. (quicquid dicat Faber contra Scotist. Theor. 21, cap. 1. & Theor. 90. c. 4) quòd .s. differentia indiuidualis sit materia respectu formæ totius, & quòd sit etiam ipsum habens naturam, siuè concretum ex differentia, & natura, & ideò Doct. differentiam indiuidualem materiã appellat, quatenus rem constituit in esse vltimo subijcibili, & materiali, non autem in esse formali, quia non spectat ad quidditatem rei; & licèt quatenus naturam contrahit, & determinat dicatur actus, hoc tamen non obstat, quin & dici possit materia, quatenus rem constituit in esse vltimo subijcibili in recta linea prædicamentali, non spectans ad quidditatem, & essentiam rei, quæ est natura specifica.

His habitis resp. Scot. in 2. cit. *ad Quæst.* 5. ad omnes relat. Auct. asserens, três primas non loqui de materia partis, sed de materia accepta pro differentia indiuiduali, & hoc accipitur ait ex 5. meth. tex. 12. nam postquam dixit *ea dici vnu numerò, quorum est materia vna*, statim addit; *species vero vnum sunt, quæcumq; rationẽ vnã habent*, .i. quidditatem vnam, ratio .n. ibi sumitur pro quidditate, quæ dr. forma respectu esse indiuidualis, aliter asserendum esset genitum, & corruptũ esse vnum numero, cũ sit in vtroq; eadem numero materia. Sic etiam exponit locum ex primo de Cœlo 92. quòd .s. per Cœlum absolutè dictum, intelligat Cœli essentiam, & naturam, veluti in abstracto, at per hoc Cœlum intelligat eamdem naturam veluti in concreto, nempe contractam per differentiam indiuidualem, & præsertim ait, sic explicari debere, ab his qui Cœlo negant compositionem materiæ, & formæ in Arist. sent. Tex. 93. & 94. videtur vtiq. loqui de materia partis, quia probat alium mundũ esse non posse ex illo falso principio, q̃a putauit hunc mundũ constare tota materia tam actuali, quàm possibili, quare sicut dari non potest cõpositum physicum, quod non constet ex sua materia, ità neq. dari potest alius mundus, si alia materia non esset possibilis. ex hoc aurẽ non bene deducitur materiam primam esse indiuiduationis principium, sed tantùm, quòd necessaria

esset

esset pro cõstitutione alterius mũdi, vt pars essentialis cõpositi physici, ita Doct. in 2.d.3.q.7. 1. locus ex 12. meth.48. exponitur à Scoto non de materia partis, & physica, sed de materia pro differentia indiuiduali, quam Ponc. in log. disp 6. p.6. nu. 46. cũ alijs materiã meth. appellat, vbi Arist. probat nõ posse esse plures primos Motores, quia in Primo Motore non est materia, idest non est aliquid contrahens, vt materia, vel aliquid aliud, sed est de se hic, sine alio contrahente, talis .n. contractio non stat cũ perfecta simplicitate, ideoq; quidditas Dei est de se hæc, quam expositionem recipit Raguleius Peripat. in signis ex ipso contextu, & sequitur Pasqual. cum alijs; licet Thomistę hic cum Caiet. reclament.

Quarta auctoritas ex 7. meth. 28. aliqui Scotistæ exponunt de forma pro quidditate, & materia pro differentia indiuiduali, quos sequitur Pasqualig. sed non placet, vt bene aduertit Scot. in 2.d.3.q.6. in fine, vbi docet, ibi sermonem esse de materia, & forma physica, & sequitur Ragul. loc. cit. non tamen inde colligi debet materiam esse principium radicale proximum indiuiduationis, de quo est hic sermo, sed solum quo ad esse physicũ; magis .n. aliqualiter generans, & genitum distinguuntur per materiam, quã per formam, ratio nãq; distinctiui potius materiæ appropriatur, quam formæ, nam hæc nõ solum est distinctiua, sed etiam assimilatiua, materia autem nullo modo est assimilatiua, quia generans non assimilat sibi genitum ratione materiæ, sed ratione formæ.

Disputat ibi Arist. contra Platonem, & probat Ideas non esse necessarias quò ad generationem, nã tam distinctio gignentis à genito, quàm assimilatio geniti cum generante (quæ duo requiruntur ad generationẽ vniuocam) haberi possunt sine eis, agens .n. particulare ex forma sua habet, vnde assimilet sibi passum, & generans genitum; ex materia verò habet, quòd sit distinctum à genito, dum .n. exit in actum generationis, tunc formam producit, & materiam perficit, nõ quidem suam, illa .n. iam per propriam formã est perfecta, sed perficit materiam alterius, f. rei genitæ. Nõ loquitur igitur ibi Arist. de principio indiuiduationis meth. vt hic nos loquimur, quo res vna vltimatè distinguitur ab alia, ita quòd nõ sit amplius inquirendum de vlteriori principio, sed loquitur de principijs physicis, quib. hæc munia conuenire non possunt, li. et .n. in genere physico dici potest, quòd Petrus est hic homo, quia ex hac anima, & ex hoc corpore constituitur, adhuc tamen vlterius quærendum remanet à quo nã hæc forma, & hæc materia fuerint singularizata, & hoc erit vltimum indiuiduationis principium, de quo hic propriè controuertitur. Sic Mastr. in Meth. quæ doctrina est contra Carpenedol. & illos, qui asserunt

prin-

principia indiuiduationis esse materiam, & formam.

Quinta Auctoritas exponitur à Doct. etiam de materia partis, vt omnibus palam est.

Sexta tādē, & vltima ex 7. meth. 41. & lib. 8. tex. 8. in vtroq. sensu à Scoto explicatur, tam. s. de materia partis, quàm de materia totius, nempe differentia indiuiduali. Vnde in 2. d. 3. q. 6. lit. R. exponit, quòd si Arist. loquitur de materia totius, sensus est, in abstractis à materia, hoc est à differentia indiuiduali, quodquid est, idest ipsa q d ditas est idem cum eo, cuius est .s. est idem per se, & primò cum eo cuius est quidditas, quia cuius est, est ipsamet quidditas, in conceptis verò cum materia .i. cum indiuiduali differentia, quæ est extra rationem quidditatis, quodquid est nō est idē cū eo, cuius est, idest nō est idem primò cum eo, cuius est, hoc est non est idem primò, & adęquatè, quia includit materiam, nimirum differentiam indiuidualem, quæ est extra quidditatem, & essentiam rei, V. g. in homine, humanitas est quodquid est hominis, quia est quidditas eius, & idem per se, primò cum homine, quia homo, & humanitas sunt idem formaliter, & solùm differunt in modo significandi, vt abstractum, & concretum. At humanitas & Petrus, qui est singulare hominis non sunt idem formaliter, quia præter quidditatem .i. præter humanitatem in Petro est aliquid, quod non spectat ad eius quidditatem, & hæc est differentia indiuidualis. Si autem Arist. loquitur ibi de materia partis, ità Doct. exponit in 3. d. 22. q. vn. lit. I. in abstractis à materia, non quidem à materia in communi, sed à singulari, & contracta, idem est per se primò quodquid est cum eo, cuius est; licèt .n. homo in communi sit compositus ex materia communi, non tamen dicitur nisi homo in cōcreto, quomodo non differt ab humanitate, nisi vt concretum, & abstractum; in concretis verò cū materia singulari, quod est Petrus, vel hic homo, quidditas superioris nō est idem per se primò cum inferiori, quia nec Petrus est humanitas, nec humanitas est Petr⁹ &c. Videatur etiam Scot. in meth. lib. 7. tex. 41. vbi idem docet, quod in sent. loc. cit. cū clara expositione Antonij Andreę notabili 2. fol. mihi 95.

Post huiusmodi explicationes, Doct. loc. cit. in 2. d. 3 q. 6. in fine mouet hoc dubium, an carentia materiæ, quæ est altera pars, inferat carentiam huius entitatis indiuidualis secundum intentionem Arist. & differt solutionem in seq. quest. 7. vbi ex professo quęrit, vtrū sit possibile plures Angelos esse in eadem specie; & dubium resoluit ad primum principale lit. C. fol. mihi 77. vbi concedit Apud Arist. verum esse omne non habens materiā pro altera parte esse suo quodquid est primò, & hoc ex duob. principijs colligit; Primum, quia Arist. posuit Angelos ab æterno, & necces-

cessarios, omne .n. illud, quod non habet materiam partem sui, posuit Arist. formaliter necessarium; secundum principium, quod omne multiplicabile numeraliter, sit multiplicabile in infinitum; quicquid autem potest esse in natura formaliter necessaria, est ibi in actu, in necessarijs .n. idem est esse, & posse ex 9. meth. 17. si ibi igitur esset possibilitas ad plura indiuidua, esset possibilitas ad infinita, & ita essent infinita in actu in eadē specie, quod cùm ipse Phūs reputauerit absurdum, non est mirum, quòd existimauerit Angelos nō esse multiplicabiles numero. Non igitur ex eo immediatè, & formaliter deduxit Arist. substantias abstractas non esse numero multiplicabiles, quia carent materia, quasi hæc sit principium indiuiduationis, & præcisa causa multitudinis, & distinctionis numeralis, sed quia propter carentiā materiæ sunt formaliter necessariæ, & si sunt necessariæ sunt de se hæc, & non multiplicabiles numero per differentias contrahētes, quia tunc in qualibet illarum specie essent indiuidua infinita. Sed quia hoc principium est falsum, nullum enim datur ens formaliter ex se necessarium, nisi solus Deus, cætera verò estò materia pro altera parte compositi careant, vt sunt Angeli, non tamen sunt entia absolutè, & simpliciter necessaria, ideo nō est mirū si conclusio Arist. sit falsa, cùm sit ex principio falso deducta. Hinc ait Scot. *sed discordamur ab eo in hac propositione: omnis quidditas non habens materiam est formaliter necessaria, & ideo in conclusione.*

Obijciunt rationib. quæ in præcedentib. textibus fundantur: Illud est principium indiuiduationis, quod est principium multiplicationis, & distinctionis indiuiduorum, entia .n. eisdem principijs distinguuntur, quibus constituuntur, sed materia est huiusmodi, ipsa .n. est principium distinctionis, & multiplicationis. R. maiorem nōn esse intelligendam de quocumq. principio distinctionis, & multiplicationis, sed de principio formali, primo, & proximo, ita quod non sit recurrēdum ad aliud prius, & in hoc sensu negatur minor, quia sic materia non est principium formale, neq. radicale proximum distinctionis, & multitudinis numeralis, & absolutè loquendo, generans distinguitur à genito tam per formam, quàm per materiam, vtrumq. .n. habet aliam materiam, & aliam formam; comparatiuè tamen, & appropriatè potius dicitur generans distingui à genito per materiam, quàm per formam, nam forma nedum est distinctiua, sed etiam assimilatiua, materia verò est tantùm distinctiua, & sic intelligendum est illud ex 7. meth. quòd generans non generat aliud à se, nisi propter materiam. ex hoc tamē nō sequitur, quòd materia sit absolutè, & simpliciter principium primum indiuiduationis, de quo hic loquimur, cùm adhuc inquirendum restat, per quid materia,

teria est hæc, & illa alia numero? & non possumus respondere per materiam, quia materia non constat ex materia & c.

4. Ob. oppositorum opposita sunt principia, ergo cùm forma sit principium naturę vniuersalis, materia, quæ formæ opponitur, erit principium naturę particularis. ℞. Si materia, & forma accipiantur physicè, & vtraq; consideretur secundũ essentiam, & in communi, vtraq; esse potest principium physicum naturæ vniuersalis compositæ, seu compositi in communi. Si etiam vtraq; consideratur, vt contracta, vtraq; potest esse principium indiuiduationis cõpositi particularis, & ita in hoc sensu falsum est, quòd magis competat formæ esse principium naturæ, quàm materiæ, & quòd magis conueniat materię esse principium constitutiuum naturæ particularis, quàm formæ, vt bene deducit Mastr. ex Doct. in 3. d. 22. q. vn. Non igitur materia, & forma opponi possunt, q. forma est principium naturæ vniuersalis, materia verò principium naturæ particularis, nisi sumendo formã pro forma totius, materiam autem pro differẽtia indiuiduali, seu materia totis.

Ob. Distinctio numeralis, seu indiuidualis non est formalis, sed solùm materialis, ergo à sola materia desumitur. ℞. cum Scot. in 2. d. 3. q. 6. lit. H. quando distinctio per differẽtias indiuiduales dicitur materialis, & per specificas formalis, non accipiuntur materiales & formaliter physicè; vt. s. à materia & forma partis denominentur, sed meth. vt nempe denominantur à materia, & forma totius; vel sumuntur logicaliter, itaut illa dicatur entitas materialis, quæ rẽ constituit in esse subijcibilis, & illa formalis, quæ rem constituit in ratione prædicabilis præcisè. Sed hęc sufficiant pro hoc art. nam etiam Thomist. concedunt materiam secundum se non esse principium radicale indiuiduationis in essendo, sed signatam quantitate.

ARTICVLVS SEXTVS.

An saltem Materia Signata sit Principium Indiuiduationis.

SCot. hoc Thomistarum effugiũ diluit in 2. d. 3. q. 4. §. *Contra, Ista positio videtur includere contradictoria &c.* Vbi negatiuè ad art. respondet, & sequuntur non solùm Scotistæ, sed ferè Recentiores omnes extra familiam Dominicam. Zabarell. lib. de constitut. Indiuid. cap. 4. Raguf. disput. 24. Contar. Piccol. Fonsec. Perer. Auers. Suar. disp. 5. meth. sec. 3. Pasqual. disp. 37. sec. 2. & Alij.

Conclusio.

Dicimus, Materiam Signatam non esse Principium Indiuiduationis. Pr. & simul reijciuntur omnes modi, quibus Thomistæ hanc signationem vel sigillationem quantitatis declarant; & primò materia signata non est principiũ indiuiduationis substantiæ materialis prout importat substantiam quantitate actuali affectam, qui erat primus modus expli-

plicandi hanc materiam signatam, nam etiam plurimi ex ipsis Thomistis hoc reijciunt, vt videre est apud Ban. Ripam, Blasium à Concept. Salmaticenses, Iacobum Brun. & alios Recentiores, & rationabiliter quidem, nam hic loquimur de principio indiuiduationis substātię materialis interno, per se, & principali, quòd .s. substantialiter, ac entitatiuè vnum indiuiduum substantiale secernit ab alio, non de principio quodam externo, & secundario, quod accidentaliter tantùm, & à posteriori illa distinguit. Tum quia substantia à toto genere scil. quò ad omnes gradus genericum, specificum, & indiuidualem præcedit accidens, ergo quantitate non indiget vt indiuiduetur. Nec valet dictum Mercenarij, asserētis, quòd substantia vt sic præcedit accidens, sed non vt substantia indiuidua, sicut paries præcedit albedinem absolutè, sed paries albus est posterior albedine, vt effect⁹ formalis est posterior causa formali. Non valet inquam, nā substantia, etiā vt indiuidua præcedit omne accidens, quia præcedit, vt subiectum accidentiū, & non est sic subiectum, nisi vt prima, & singularis. Nec exemplum allatum de esse albo in pariete est ad propositum, quia esse album in pariete est oīno accidentale, ideoque supponit albedinem, non sic est indiuiduale respectu Petri, quē constituit in tali esse substātialiter.

Nec valet responsio Bannes, quē sequitur M. Iacob. Brun. lib. de gen. qu. 12. art. 2. fol. 185. & aliqui Thom. asserentes, quòd licèt quantitas sic accepta cum materia non sit ratio indiuiduans substantiam, concurret tamen saltem vt conditio sine qua non. Non valet, nam à tota controuersia recedunt. Dicunt, duo esse de essentia, & ratione indiuidui .s. incommunicabilitas, & distinctio à quocumque alio, & quia hoc secundum non potest à materia haberi, affirmant necessariam esse quantitatem; at iuxta hunc modum explicandi, quantitas concurrere debet vt ratio per se ad indiuiduationem, nō vt mera conditio sine qua non. Tum quia ex hac responsione sequitur, quòd sola materia sit p se radix, & principium indiuiduationis, quantitas verò per accid. & vt quædam extrinseca conditio, quod non est ad intentum, quia nos hic vestigamus principium internum, & per se indiuiduationis, non extrinsecum, & solùm per modum conditionis. Sic ignem dicimus esse causam ignis, non approximationem, estò hæc sit conditio necessaria.

Dicunt, quòd materia formali quantitate affecta sit principium indiuiduationis, quatenus per ipsam remanet signata, & sigillata. Contra, vel loquuntur de quantitate interminata, vel terminata; non primum, quia non datur coæua materiæ, vt etiam nobiscum sunt Thomist. contra Auerroistas; & si daretur, adhuc non esset idonea ad materiam sigillandam, quia

sigillatio determinationem importat, quæ non potest procedi ab eo, quod est de se indeterminatum. Tum quia materia cum hac quantitate indeterminata ponitur ab Auerroistis in genito, & corrupto, & ita esse non potest principium indiuiduationis, quod identificari debet cum re indiuiduata. Si intelligunt de quantitate terminata, petimus, vel hæc subiectatur in materia prima, vel in composito; si secundum, vt Thomistæ dicere tenentur, ergo supponit iã substantiam compositam Singularem, sicut omne accid. suum singulare subiectum supponit, cùm accid. nõ subiectetur in subiecto in communi, & ita singulare erit prius quàm quantitas accidat, cùm generatio ad singulare terminetur. Si dicatur, quòd hæc quãtitas proximè, & immediatè subiectetur in materia prima, est contra ipsos Thomistas, qui nobiscum volunt subiectari in cõposito. Item neq. est sufficiens ad sigillandum materiam, ita pro hoc composito, vt esse non possit alterius, videmus.n. ne dum per potentiam Dei, sed etiam naturaliter eãdem materiã, quæ præcessit in vno composito, successiuè poni in alio cum eadem quãtitate, vt euidenter apparet in virga prius viridi, & postea arida; & licèt Thomistæ assetant nõ esse eamdem quantitatem, sed similem, error est profligatus in phys. controu. illa famosa de forma corporeitatis &c.

Mercen. resp. per quantitatem terminatam, qua materia sigillatur, non debere intelligi solã quãtitatem constantem certis dimensionib. longitudinis, vel latitudinis, sed etiam affectã certis dispositionibus, vt tali raritate, vel densitate, vel alijs qualitatibus, quibus materia potius ad hanc, quàm ad illam formam determinatur, sic .n. materia incommunicabilis redditur cæteris indiuiduis, & tantùm huic soli addicta manet. Non valet, vt etiam Suar. aduertit sec. 3. cit. n. 11. quia tunc nõ materia quantitate signata, sed qualitatibus sigillata esset principium indiuiduationis. Tum quia sequeretur qualitates illas per se, & essentialiter includi in principio indiuiduationis substantiæ, quod falsum censeri debet.

Vrget tandem Scoti argumentũ, nam prima substantia, seu indiuiduum substantiale est ens per se directè in prædicamento reponibile, ergo constitui non potest ex aggregato per accid. sicut est materia cum quantitate. Neque valet euasio Capreol. & Soncin. quòd sequela valeret si ambo ex æquo ad constitutionem indiuidui concurrerẽt, quòd in proposito non contingit, quia indiuiduum substantiæ non includit accid. in recto, sed in obliquo, nec tamquam partem suæ essentiæ, sed vt determinatiuum eius, neque ex principali significato, sed secundariò. Non valet, ita .n. spectat differentia indiuidualis ad cõceptum intrinsecum indiuidui, ser-

uata

uata proportione, ſicut differentia ſpecifica ad cõceptum intrinſecum ſpeciei, nec alia diſparitas aſſignari videtur, niſi quòd differentia indiuidualis eſt differentia vltima, & incommunicabilis, differentia verò ſpecifica non vltima, & communicabilis, quod non facit ad rem; ſed differentia ſpecifica non pertinet ſecundariò, & in obliquo ad conceptum ſpeciei, ſed æquè primò, & principaliter ſicut genus, & vt duæ realitates ad idem genus ſubſtantię pertinentes, & ad inuicem ordinatæ per modum actus, & potentiæ, ergo ſeruata proportione idem aſſerendum erit de differentia indiuiduali in ordine ad indiuiduũ, quod conſtituit; & fortè ad hoc inconueniens euitãdum coactus fuit Caiet. ſuam mutare ſent. ne .ſ. poni videretur indiuiduum ſubſtantiale eſſe ens per accidens.

Neque materia ſignata eſſe poteſt principium indiuiduationis in ſenſu à Caiet. explicato de ente, & eſſentia cap. 2. q. 5. quatenus ſcil. materia eſt in potentia proxima ad quãtitatẽ recipiendã, & ità capax illius, quòd non alterius, nam contra hoc eſt illud validiſſimum argumentum, quod ipſemet Caiet. contra ſeipſum tetigit, quia .ſ. potentia materiæ ad quantitatem eſt etiã accidens, pertinens ad idem prædicamentum quantitatis, quod inde probat, quia actus, & potentia ad idem pertinent prædicamentum ex lib. 10. & 12. meth. ex quo explicandi modo ſequuntur omnia illa abſurda, quæ contra primum modum dicendi vrgebant, quòd .ſ. indiuiduum ſubſtantiæ eſſet per accid. & quòd conſtitueretur per aliquid alterius prædicamenti; & conſequ. eſt clariſſima, quia potentia materiæ ad recipiendam quantitatem, non eſt minus accidens quàm ipſa quãtitas, cùm ſit eiuſdem prædicamenti: Scio multos Thomiſt. ad vim huius argumenti declinandam variè textum relatum exponere, ſed quomodocumque accipiãt, quia fundatur in illa falſa explicatione, quòd potentia paſſiua ſit eiuſdẽ prædicamenti ſui actus, cuius eſt receptiua, ſemper nouis difficultatibus anguntur; ille.n. textus intelligi debet de actu entitatiuo, & potentia obiectiua, vt benè Doct. explicat in 2. d. 16. q. vn. lit. A. §. *Rationes iſtæ &c.* qua ratione nos aſſerimus potentiam materiæ ordinatam, ſiue ad formas ſubſtantiales recipiendas, ſiue accidentales, non eſſe accidens, ſed de prædicamento ſubſtantiæ ei realiter identificatam, cùm non ſit niſi quædam aptitudo, vel capacitas in ſubſtãtia ad formas õnes materiales recipiẽdas.

Tum quia, vt bene aduertit Suar. in Thomiſ. ſent. potentia materiæ, vel nullo pacto reſpicit formas accidentales, quia nõ in ipſa recipiũtur, ſed in cõpoſito, vel ſi illas reſpicit, & recipit, hoc nõ erit niſi ſecũdario, & mediatè .ſ. mediãte forma ſubſtãtiali, ergo prius etiã determinatur eꝰ põtia ad hãc formã ſubſtãtialẽ, quã ad hãc quãtitatẽ, ergo nõ

signatur, seu determinatur ad hãc formam substãtialem per potentiã ad hanc quantitatem, sed potius è cõtra per determinationem ad hãc formam substantialem, determinatur ad hanc quantitatem, & consequenter potius materia cum habitudine ad hanc formam, quàm ad hanc quantitatem esset principium indiuiduationis. Sed de hoc modo satis, quem etiam Thomistæ Iuniores relinquunt.

Confirmatur Conclusio, reprobando tertium modum dicendi à Caiet. 1. p. q. 29. art. 1. quem Recẽtiores Thomistæ passim recipiũt, & consistit in hoc. Volunt Thomistæ, quòd materia quatenus virtualiter, & radicaliter hanc potius quantitatem præcontinet, quàm illã, sit radix indiuiduationis, ita vt materia signata prout talis, nihil aliud dicat, quàm esse radicem huius numero quantitatis determinatæ. Sed quia hic modus dicendi est valde obscurus, & cõfusus, ansã tribuunt Doctorib. vestigandi hanc radicem, & principium quantitatis. Suar. disp. 5. meth. sec. 3. putat per hunc modum dicendi Thomistas intelligere, quòd materia sit radix, & origo quantitatis in genere causæ materialis, quia materia in Thomist. sent. non præhabet quantitatem in genere causæ efficientis, sed fit ab agente extrinseco, vel resultat à forma; hoc autẽ nihil aliud est, quàm materiã præcontinere quantitatẽ, vt eius subiectum, ex quo educi potest talis quantitas, & habere capacitatem, & potentiã ad hanc numero quantitatem, & ità hic modus coincidit cum secundo, cùm talis potentia sit etiam accid. Si autem hoc intelligunt in genere causæ efficientis, vt Bannes velle videtur lib. de generat. q. 20. art. 8. ità loquuntur contra eorum principia, qui volũt materiam esse potentiam omnino passiuam. Tum quia ipsi affirmant quãtitatem à toto composito procedi, vtpote subiecto, in quo adæquatè subiectatur, & non à sola materia; Si asserant compositum esse quidẽ subiectum Quod, & adæquatũ quantitatis, materiã tamen esse subiectũ Quo, Cõtra, h. n. verũ sit quòd materia sit quoq; subiectũ Quo, & inadæquatũ accidentiũ, est tñ subiectum Quo, indeterminatũ, & sola forma est subiectũ Quo, determinatum. i. determinatè recipiendi talem quantitatem, quia ad talem, & talem formam sequitur hæc, & illa qualitas, tanta, & tanta quantitas; & ità potius forma est radix determinatæ quantitatis, quàm materia, & consequẽter potius forma, quàm materia ponẽda est indiuiduationis principium.

Tum quia, vel iste ordo virtualis, & radicalis continentiæ respectu talis quantitatis superadditur aliquid essentiæ materiæ, vel non. Si primum, redeunt difficultates supratactæ, hoc n. superadditum, vel est substantia materiæ, vel accidens &c. si secundum, ergo sola materia secundum suã essentiam consi-

consideratā erit indiuiduationis principium, quod præcedenti articulo iam impugnatum est, cùm eadem materia esse possit cum hoc, & illo composito. Tum quia, vt bene arguit Suar. Materia non continet quantitatem, nisi quia virtute cōtinet formā, quā quātitas sequitur, ergo prius materia est fundamētū, radix, & origo hujus formæ, quam huius quantitatis, atq; ideo potius materia, vt virtute continet formā est principiū indiuiduationis, quā vt virtute continet quantitatem.

Blasius à Conceptione disp. 3. meth. q. 4. negat, quòd materia prius contineat hanc formam substantialè, quam hanc quantitatem, licèt .n. prius forma substantialis à materia causetur, quàm quantitas, non tamen opus est materiam ordine eodem suos effectus continere, quo illos causat, & hoc declarat exēplo causæ efficientis, nā certum est, quòd qualitates, quæ disponunt ad introductionē formæ substātialis priùs procedunt à generāte, quā producatur forma substantialis.

Sed Contra, sicut se habet effectus in actu ad causam in actu, ita effectus in potentia ad effectum in potentia ex 2. Phys. ergo quo ordine materia causat suos effectus in actu. s. formam & quantitatem, sic etiam illos continet potentia, & virtute. Tum quia si materia non contineret formam substantialem virtualiter, nō cōtineret quātitatē, & alia accidētia, quæ formā substātialē cōsequuntur, ergo eodem ordine materia illos effectus virtualiter continet, quo causat. Exemplū de dispositionib. formam substantialem præcedentib. nō est ad propositum, quia nos hic loquimur de illo principio indiuiduationis, quod cum re indiuiduata manet, quatenus cum quidditate specifica indiuiduum constituit, at illæ dispositiones præcedētes omnes corrumpuntur in sent. Thomist. etiam, & ipsa quātitas, sicut ergo prius forma substantialis in materia producitur, quàm omnia accid. sic etiam continetur. Tum tandem, quia vt bene vrget Mastr. potest Deus eādem materiam conseruare cum eadem numero quantitate, itaut materia non habeat proximè ordinē virtualis continentiæ, nisi respectu talis quantitatis, & tamen potest Deus saltē successiuè diuersas ponere formas substantiales in ipsa numero materia, ad quarum variationem, variarentur quoq; indiuidua constituta, eadē numero quātitate remanente, ergo non rectè ponitur materia etiam, vt virtualiter cōtentiua talis quātitatis principium indiuiduationis. patet assūptum, nulla .n. videtur implicantia ex parte Dei, nam ità de facto in S. Eucharistia conseruat eamdē quantitatem, quæ prius erat in substantia panis, & si modò illam solam conseruat, tanto magis cum eadem materia conseruare posset. Conseq. probatur, non .n. potest Deus multiplicare, & variare indiuidua manēte eodem principio indiuiduationis.

Item

Item petimus, quid est hæc sigillatio materiæ ad formam substantialem, facta per quantitatem, & præuias dispositiones? Certè vel erit accid. aliquod superadditum, vel modus aliquis materiæ; Si accid. redeunt omnia argumenta supra allata, & parum refert, quòd accid. materiæ coniunctum ad indiuiduandam substantiam materialem sit quantitas, vel qualitas, vel relatio, semper .n. sequitur, quòd accid. sit de intrinseca ratione constitutiuũ substãtiæ; si dicatur quod sit modus quidam materiæ, adhuc quærim' an talis modus sit cũ ipsa materia identificatus, ita vt materia sine ipso nunquam existere possit, vel potest sine ipso existere; Si dicatur hoc secundum, ergo verè erit accidens superadditum cũ possit adesse, & abesse præter materiæ corruptionem, & parum interest, quòd talis entitas sit absoluta, vel modalis, dummodo sit aliquid materiæ superadditum, sine quo ipsa existere potest, vnde etiam sequeretur, quòd talis modus non esset materiæ identificatus realiter, quæ .n. sic identificantur per nullam possunt potentiam separari, aliter eadem res esset, & non esset; Si dicatur primum, hoc est falsum, constat .n. quòd materia non semper sub eadem signatione manet, sicut non semper sub eadem forma, sed successiuè ad alias formas, & ad nouas sigillationes transit, eadem numero sẽper permanente, & substantialiter inuariata, quomodo ergo erit cum tali sigillatione realiter identificata?

Pr. tandem nostra sent. contra omnes relatos modos ratione quadam generali: Vel hæc materiæ signatio est ipsa quãtitas in materia recepta, vt veteres Thomist. asserebant, vel saltem est ordo materię ad quãtitatẽ recipiendam, vel principiandam, vt alij Recentiores post Caiet. affirmant, sed quomodocũque accipiatur, semper idem sequitur absurdum, quòd indiuiduum substantiale constituatur intrinsecè in tali esse per aliquod accid. & nihil refert, quòd tale accid. sit absolutum, vel respectiuum; imò magis absurdum videtur ponere illud respectiuum, quã absolutum, quia saltem hoc cum substantia conuenit in conceptu absoluti, quod nõ est de relatiuo. Quòd si affirment talem ordinem materiæ ad quantitatem non esse prædicamentalem, sed trascendentalem, & materiæ realiter identificatum, iam hoc impugnatum est, ex eo quia materia esse potest sine tali signatione, & ordine ergo non erit trascendentalis, sed prædicamentalis. Tum quia si est trascendentalis, & spectat ad esse substantiale materiæ, sequeretur omnes materias habere eamdẽ signationem, cùm omnes sint eiusdem speciei.

Confirmatur ratione Scoti in 2. d. 3. q. 4. §. *Contra, ista positio, &c.* quòd .s. siue ista sigillatio in materia habeatur per quantitatem, siuè per præuias dispositiones, semper

erit

erit quantitate posterior, ideoque sicut quantitas indiuiduare nequit substantiam ratione talis posterioritatis, quia prius vnius prædicamenti non indiuiduatur per posterius alterius prædicamenti, sic etiam ista sigillatio à quantitate dependens.

Dices, hæc sigillatio non pendet à quantitate actuali, & existente, quia talis vtiq; esset posterior materia, & cōposito, sicut ipsa actualis quantitas, sed pendet à quantitate possibili, in quo sensu potest in materia substātiam compositam præcedere. Sed Contra, sicut quantitas actualis, & existens est posterior materia, vel composito actu existentibus, ità quantitas possibilis est posterior materia, vel composito possibili; debet .n. semper eadem proportio prioritatis seruari tam in esse existentiæ, quàm in esse possibili, cùm non detur possibilitas rei, n.si in ordine ad existentiam; nec res sit possibilis, nisi eo modo quo existere possit. Tum quia sigillum non potest sigillationem imprimere in subiecto, in quo non potest immediatè imprimi; at subiectum proprium, & immediatum accidentium in sent. nostra, & Thomistarum, non est materia prima, sed composi um, ergo non potest materiam immediatè sigillare, sed compositum quando iam indiuiduatum est, & singulare.

Per hæc resp. ad M. Iacob. Brun. qui loc. cit. ait: colligo, quòd ordo ad quantitatem est substantialis subiectiuè & terminatiuè accidens, & conditio ad indiuiduationem. Pero quid est ordo iste substantialis subiectiuè? vel est substantia, vel est accidens? Si substantia, non poterit esse nisi materia, at materia non est subiectiuè in materia. Nec substantia materiæ terminatur immediatè ad accidens, sed tantùm mediatè, & secundariò, immediatè verò terminatur ad formam substantialem, cum qua efficit vnum compositum per se, & substantiale, compositum accidentale præcedēs, vt in vtraque schola digestum est. Tum quia ordo est relatio, Materia est ens absolutum. Recursus ad relationem trascendētalem iam profligatus est. Si talis ordo est accidens, vt fateri tenetur, semper substantiam singularem, & indiuiduatam supponit, & omnia absurda iam relata sequerentur.

Item, vt bene arguit Arriag. disp. 1. Meth. subsec. 5. fol. mihi 731. anima separata à materia, & quantitate, manet eadem numero, & indiuidua, quæ anteà, ergò nihil conducit materia, siue nuda, siue signata ad rationem indiuiduationis, & quia Thomistæ, affirmant, animas indiuiduari per ordinem ad corpus & materiā, instat Ipse Author subsec. 6. num. 71. de visionibus Angelorum circa Deum, solo numero distinctis, vt ipsi Thomistę mordicus tuentur, sed illæ visiones nullū dicūt ordinē ad materiam & quantitatē, ergo sine tali ordine potest esse multiplicatio numerica intra eandem speciem.

Car-

Carpenedol. loc. cit. in sua Philosophia assertione quinta sic determinat: *Asserendum V. materiam signatam quantitate esse principium, seu radicem, unde agens naturale, seu artificiale plura possit in eadem specie producere indiuidua*. At post multas limitationes, & verba in vanum conterens, concludit tandem, quòd indiuidua ex vno orta, *continuò distinguuntur, & constituuntur intrinsecè per propriam materiam, & formam, extrinsecè autem per quantitatem numeralem*. Sed quia nos hic loquimur de principio indiuiduationis intrinseco, & per se, poterat ipse ex hac ambigua assertione abstinere. Sed satis fuit ipsi Scotū relinquere, sed quàm fœliciter videant Docti.

De Sent. autem D. Thom. multa sunt loca, quæ magis nobis, quā Thomistis fauent 2. contra Gent. cap. 75. ad. 1. & cap. 81. docet. *Quòd sicut esse animæ intellectiuæ, non causatur per se à materia, ità nec eius indiuiduatio*. & 1. p. qu. 29. art. 1. & q. 4. de pot. art. 1. ait: *subantiam indiuiduari à seipsa, & per se ipsam ad differentiam accidentium*. quibus verbis coactus M. Iacob. Brun. loc. cit. art. 1. in fine sic concludit: *Cum substantia vt substantia ab accidenti non pendeat, aliter omnis substantia ab accidente penderet, quod falsum est, vt patet in spiritualibus, rectè dici potuit à D. Thom. substantiam per seipsam indiuiduari, sed cùm accidens, vt accidens dicat dependentiam à subiecto, oportet, quod in subiecto indiuiduetur, & ità se expedit D. Thom. à difficultate, imò &* Caiet. 1. p. q. 29. artic. 1. Hæc sent. quò ad primam partem de substantia, potius pro nobis, quàm pro ipsis est; quia .n. hæcceitas per nos est quædam formalitas identificata realiter cum ipsa substantia physica, sic concedi potest saltem identicè substantiam per seipsam indiuiduari, quod autem indiuiduetur per materiam affectā quantitate, quo casu substantia ab accidente penderet, intolerabilius est, & ideo putat melius sic locutos fuisse D. Thom. & Caiet. ad difficultatem declinandam.

Obiectiones.

Ob. Thomist. Illud est principiū indiuiduationis, cui per se primò repugnat pluribus cōmunicari, eo modo, quo vniuersale communicatur inferioribus, sed materia signata est huiusmodi; quia ità propria est vnius, vt quamuis absolutè loquendo possit esse alterius, non tamē cum ista signatione, ergo &c. ma. patet. mi. Pr. ex 2. de anima 41. vbi habetur: *Omnium natura constantium, determinata est ratio magnitudinis, & augmenti*. R. neg. mi. nam eadem materia etiam cum eadem sigilatione potest esse successiuè sub diuersis formis, & plura indiuidua constituere, vt supradictū est; & auctoritas ex 2. de anima nil cogit, sed solùm ex ea colligitur viuentia sibi determinare certam mēsuram, & magnitudinem quantitatis, quā non possint excedere, & hoc toti speciei debita, non tantùm indiuiduis. Tum quia, vt bene aduertit

Mastr.

Mastr. in meth. Si hoc argum. valeret, probaret quoque ipsam naturam communem V.g. humanitatem in Petro, quatenus est signata per Petreitatem, quæ est differentia indiuidualis esse quoque principiũ indiuiduationis, quia sub tali signatione est ita propria Petri, vt alterius esse non possit, quod argumentum non valeret, quia per talẽ signationem, & contractionem factam per Petreitatem, non nisi extrinsecè appropriatur Petro, intrinsecè autem, & essentialiter talis humanitas adhuc remaneret communis pluribus, sic in casu, estò cõcederetur materiã sub ista signatione ita esse propriam vnius, vt nequeat esse alterius, attamẽ quia hoc sibi extrinsecè conuenit, & nõ ex intrinseca sua ratione, colligi nõ potest ipsam esse per se primò ita propriam huius indiuidui, vt non sit alterius, sed tantùm ex cõsortio signationis, ac consequenter potius signatio ipsa esset reuera indiuiduationis principium, quàm materia signata. Est igitur absolutè neganda minor, nam hæc materia signata est indiuidua, & singularis vt *Quod*, & tamen nõ per materiam signatam, ne detur processus in infinitum, nam de ea adhuc inquirendum remanet, quo facta sit indiuidua, & incommunicabilis vt *Quod*, & melius responderi non potest, nisi per suam hæcceitatem. Tum quia sunt alia indiuidua, & incommunicabilia, quæ materia carent, vt sunt Angeli in communiori sent. visiones Angelorum, anima rationalis, hæc albedo, hic color secundum suas proprias rationes, ergo &c. vnde ad summum hæc ratio Thomist. concludit, quòd hæc materia signata sit principium physicum compositi physici, & singularis, nõ autem quòd sit adæquatum principium indiuiduationis ipsius materiæ, & cuiuslibet naturæ communis.

Ob. Repugnat materiam signatam concipi vt vniuersalem, ergo per se primò est singularis, & consequẽter principium indiuiduationis. ℞. neg. conseq. nam etiam repugnat Petrum concipi vt vniuersalem, & pluribus communicabilem, & tamen ex hoc non bene infertur esse per se primò singularẽ, & indiuiduationis principium, sed solùm esse singularem vt *Quòd*; id autem quod est singulare tantùm vt *Quo*, est principium indiuiduationis; Singulare verò vt *Quod*, est principiatum, non principium.

Ob. Debet in substantia composita assignari aliquid, quòd sit radix, & principium indiuiduationis, sed in ea non reperitur, nisi materia, & forma; hæc non potest esse, quia de se est communicabilis; nec materia nudè sumpta, quia etiam vt sic potest in pluribus indiuiduis reperiri, ergo erit materia signata. ℞. per hoc argum. solùm probari, quòd materia signata sit principiũ indiuiduationis cõpositi physici, ad quod etiam non minus concurrit forma, at non probat argum. quòd

quòd materia signata sit principiũ talis indiuiduationis, ratio est, quia tale principium non debet realiter distingui à re indiuiduata, materia autem signata quomodocumque accipiatur, semper à re indiuidua-ta distinguitur.

Ob. Illud est principium indiuiduationis, quo posito, alijsque sublatis, ponitur indiuiduum, & quo sublato alijs positis, nō ponitur, sed materia sigillata est huiusmodi, ergo. maior est clara, minor probatur, qa si ab indiuiduo præter materiam signatam, quodcumque aliud remoueatur, adhuc substantia incommunicabilis remanebit, at non ita erit si materia signata auferatur, tūc .n. communicabilis euaderet. R. neg. min. cum sua probatione: ratio est, quia si etiam hæc forma ab hoc composito remoueatur, non amplius tale indiuiduum substantiale remanebit, non quia eius incōmunicabilitas ab hac forma procederet, vt ab eius principio radicali, vel formali, sed quia hæc forma est principium physicũ huius compositi substantialis, & vna parte compositi ablata, totum compositum ruit, idem asseritur de materia siue nuda, siue signata accipiatur, si .n. à composito dissoluatur, oportet etiam totum cōpositum rui.

Obijcit Blasius à concept. disp. 3. meth. q. 2. Illud per quod radicaliter constituitur substantia prima in ratione substantiæ primæ est radix indiuiduationis, sed substantia prima constituitur radicaliter in ratione substantiæ primæ per materiam primam, quantitate signata, ergo. probat minorem. quia substantia prima dicitur illa, quæ nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur, at hoc per se primò conuenit materiæ signatæ, ergo &c. R. neg. mi. & ad probatio iem etiam negatur minor, nam Michael Archangelus est prima substantia, & directè positus in prędicamento, & tamen materia signata caret; sic etiam anima separata est substantia indiuidua, & materiam signatam non habet; Vnde materia signata solùm hoc habet, quòd concurrat physicè ad hoc indiuiduum substāntiale, sicut etiam concurrit hæc numero forma, nec amplius probare poterunt Thomistæ; cæterùm sicut hæc forma non dicitur indiuidua per materiam signatam, sed per suã hæcceitatem, ità & hæc materia, & hoc indiuiduum, sicut diximus de Angelis, de anima rationali separata, de visionibus Angelorum, de formis accidentalibus separatis &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An forma per se sumpta, vel saltem cum materia vnita sit indiuiduationis principium

SCot. licèt ex pfes sè de hoc puncto differere non videatur, illam tamen resoluit implicitè in 2. d. 3. qu. 5. vbi probat materiam non esse indiuiduationis principiũ, quia diuiditur in vniuersalem, & particularem, sicut forma, & est pars

pars quidditatis specificę sicut illa, ergo sicut materia non est indiuiduationis principium, ità neque forma. Auerroistæ asserunt formā absolutè sumptam esse in reb. materialibus principium indiuiduationis, hoc inducentes ex eorum Authore 3. phys. com. 6. & lib. 4. com. 38. & alibi. & sequuntur Galen. in 2. artis paruæ, Achillin. lib. 1. de elementis, Gadauens. Baccon. & Alij, qui volunt formam esse per se principiū indiuiduationis, materia verò non nisi per accid. quatenus est subiectum formarum. Alij verò contēdunt formam cum materia simul vnitas, esse integrum indiuiduationis principium, materiam verò minus principale, ac veluti conditionem, sine qua non, ità Zabarell. lib. de constitut. Indiuid. cap. 5. 6. & 7. Piccolon. Perer. Durand. Contaren. Zimar. Niphus. & Alij. quos etiam videntur sequi saltem implicitè Suar. ex parte, in meth. disp. 5. sec. 4. & Auersa q. 9. log. sec. 7. imò multi ex relatis Auctoribus affirmant non dum formam compositum indiuiduare, sed etiam materiam, quam informat.

Ex nostris Faber alia incedit via Theor. 90. cap. 10 talem in parte approbans sent. pro qua notat, q̄ forma plures habet realitates per quas est contrahibilis, & pluribus communicabilis, vnde forma specifica est cōmunis, quia habet realitates diuersas, per quas communicari potest, nam rationalitas est forma realis communis, sed in ea includuntur multæ realitates, quas nomine proprio ignoramus, & illæ sunt, quæ dant esse indiuiduis, vna .n. realitas dat huic indiuiduo Socrati, quam possumus appellare Socreitatem, alia dat esse Platoni, & hanc dicimus Platoneitatem, &c. Determinans, quòd forma duobus modis accipi potest, vno pro forma cōmuni, altero pro vltima realitate formæ, in pimo sēsu, falsa est opinio ponēs formā principiū indiuiduationis, in secundo est vera. Dixerat etiā cap. 2. quòd quia Doctor in 2. d. 3. qu. 6. non determinat, quænam sit realitas illa, à qua sumitur indiuidualis differentia, an .s. sit realitas materiæ, vel formæ, vel compositi, verosimilius est, esse vltimam realitatem formæ. Quem dicendi modum sequutus est Brudusiensis 2. sent. d. 3. qu. 8. quos Scotistas legens Contarenus q. de principio indiuiduat. cap. 8. & nō alios, censuit hanc esse opinionem Scoti, & Scotist. & sequutus fuit Zabarell. asserens, quòd Scot. in sua tam prolixa de hac re disput. in qua alias omnes sententias, diligēter impugnauit, hanc opinionem de forma, non respuit. Sed bona pace etiam ipsius Fabri hæc opinio sic explicata falsa est, vt in probatione conclusionis patebit.

Conclusio.

Dicimus, neque formam, neque vltimam realitatem formæ, neque etiam vnitam cum materia esse absolutè indiuiduationis principium. Est cōtra Auerroist.

roiſ. & ad mentem Scoti loc. citat. quē præter duos Scotiſtas relatos, ſequuntur de mente Doct. Lychet. Tatar. Canon. Tromb. Baſſol. Rada, Meuriſſe, Maſtr. Ponc. & Alij. & quò ad primam partem Pr. faciliter iiſdem rationibus, quibus probatum eſt materiam non eſſe principium Indiuiduationis, forma .n. eſt diuiſibilis in vniuerſalē, & particularem, ergo non eſt de ſe hæc. Tum quia licet hæc forma ſit incōmunicabilis, non tamen eſt per ſe primò incommunicabilis, & vt *Quo*, ſed vt *Quod*, & per aliud ſuperadditum, at principium indiuiduationis debet eſſe incommunicabile primò, & vt *Quo*. Tum quia forma diſtinguitur realiter à ſubſtantia materiali compoſita, ergo non poteſt methaphyſicè eam indiuiduam conſtituere, cùm tale principium ſit cum re indiuiduata realiter identificatum. Tum quia, vt bene arguit Ponc. in Log. diſp. 6. q. 7. concl. 1. forma non poteſt eſſe principiū indiuiduationis materiæ, ergo non eſt indiuiduationis principium omnium rerum materialium: conſeq. eſt clara, quia etiam materia eſt res materialis; aſſumptum patet, nam materia præſupponitur formæ, vt eius ſubiectū, & quidem materia ſingularis, formæ ſingulari, ſicut materia in cōmuni formæ in cōmuni. Tū etiam qa eadē materia ſingularis informari poteſt ſucceſſiuè per diuerſas numero formas, ergo non eſt ſingularis per ipſas formas, patet cōſeq. quia indiuiduationis principiū non poteſt à re indiuiduata ſeparari: cùm debeat eſſe ei identificatum apud veros Philoſophos. Tum tandem, quia materia poteſt per potentiam Dei ſine omni forma reperiri in communiori, & probabiliori ſent. ſed principium indiuiduationis eſſe debet identificatum, ergo &c.

Pr. quò ad ſecundam partē contra Fabrum, quòd .ſ. neque vltima realitas formæ ſit indiuiduationis principium, neque compoſiti materialis, neque ipſius materiæ; & eſtò vltima realitas formæ, bene ponatur principium indiuiduationis formæ, cùm ſit eidem realiter identificata, & vltima, qua dicatur hæc forma, & incōmunicabilis vt *Quod*, tamen reſpectu compoſiti, & materiæ, hoc eſt prorſus falſum, cùm forma ſit realiter diſtincta tā à materia, quàm à compoſito. Quòd ſi Faber neget totum phyſicum realiter à partibus diſtingui, quia vult partes vnitas tranſire in totum per realem identitatem, cùm illa ſua diſtinctione de partibus tranſactis, & non tranſactis, præter quam quòd hoc principium falſum ſit, vt iam in phyſ. digeſtum eſt, adhuc tamen negari non poteſt quin ipſa forma realiter diſtinguatur à materia, & etiam à compoſito per ſe, & ſingulariſ ſumpto, quia materia, ſaltem per Dei potentiam abſolutam poteſt eſſe ſine forma, & forma ſine compoſito, vt de anima ſeparata patet, principium autē indiuiduatio-

tionis separi non potest à re per ipsum indiuiduata, vt etiam Faber concedit, ergo &c. Tum quia duo indiuidua non possunt per idem indiuiduationis principiũ indiuiduari, vt euidenter patet, nam vel tunc tale principiũ esset commune pluribus, quod eius naturæ directè repugnat, vel illa non essent plura indiuidua, sed vnum, & idem, ergo cum forma, vt natura quædam per vltimam sui realitatem indiuiduetur, eadem realitas nullo modo poterit esse principium indiuiduationis compositi, vel materiæ, à quib. realiter distinguitur. Si autem Faber diceret argum. vrgere de duob. indiuiduis completis, non autem de vno completo, & alio incompleto, quod concurrit ad constitutionem illius completi, non valet, quia licèt hoc indiuiduum incompletũ concurrat ad constitutionem illius completi, adhuc tamen realiter distinguitur ab eo, & absolutè esse potest sine illo, quod patet de materia respectu compositi, & de anima separata respectu hominis, ergo non poterit esse idem principium indiuiduationis respectu vtriusq; hoc argumentum vrget etiam Carpenedol, & illos, qui tenent materiam, & formam esse principium indiuiduationis compositi physici, si enim materia esse potest sine composito, sine forma, & sine vnione, quomodo esse potest indiuiduationis principium? idemque discursus fit de forma &c.

Falsum est etiam quod Faber asserebat, quòd .s. Scot. in illa 6. qu. non determinauerit, quænam sit vltima realitas, à qua sumitur differentia indiuidualis, an .s. sit realitas materiæ, vel formæ, vel compositi, tantùm .n. abest, quòd Doctor quæstionem illam, quam tàm exacte, solertique indagine vestigauit, quæstionem tandem irresolutã reliquerit, sed adamussim, & clarissimè eam resoluit lit. K. vbi ait: *Si quæras, quæ est ista entitas indiuidualis, à qua sumitur differentia indiuidualis, est ne materia, vel forma, vel cõpositum? resp. quòd est vltima realitas entis quod est materia, vel quod est forma, vel quod est cõpositum*. Vbi particula vel, nõ est dubitatiua, vt Faber imaginatur, sed distributiua, ità vt principium indiuiduans materiã vt sic, & vt est quædã natura communis, sit vltima realitas eius, principium indiuiduationis formæ vt sic, sit vltima realitas formæ, & tandẽ principium indiuiduans compositum, sit vltima eius realitas; & Scot. ibi non solùm assignat indiuiduationis principium substantiæ materialis completæ, & compositæ, sed etiam materiæ, & formæ, quæ sunt naturæ communes incompletæ, & ait, quòd quælibet harum naturarum potest dupliciter considerari, vel vt natura, vel vt hęc natura, & sic quãlibet diuidi in duas realitates, quarum vna nõ est formaliter alia, sed vna formaliter est singularitas, alia verò formaliter est entitas materiæ, & tales plures realitates inquit non solùm inueniri in natura com-

ple-

pleta compositi, sed etiam in naturis incompletis partium. Subdens tandem: *Nec possunt istæ duę realitates esse res, & res sicut possunt esse realitas vnde accipitur genus, & realitas vndè accipitur differentia specifica, sed semper in eodem, siue parte, siue toto sunt realitates eiusdem rei formaliter distinctæ.* quibus vltimis verbis, *siue parte, siue toto, &c.* ostendit totum non indiuiduari per vltimam realitatē alicuius suæ partis, sed per vltimam sui realitatem, sibi realiter identificatam, & formaliter distinctam. Confirmatur, quia Doct. in illa distinct. non solū assignat principium indiuiduationis substantiæ materialis, estò de hoc principaliter ibi inquirat, sed cuiuscumque naturæ creatæ vniuersaliter, etiam substantiarum spiritualium, vndè statim sequenti q. 7. docuit quamlibet naturam Angelorum indiuiduari per vltimam sui realitatem, ergo per vltimam realitatem, quam statuit principium indiuiduationis etiam materialium, non intellexit vltimam formæ realitatem, sed vltimam realitatem cuiuscumq; naturæ indiuiduabilis, ità Mastr. loc. cit. in meth. vbi eruditè modum dicendi Fabri confutat.

Pr. tandem vltima pars conclusionis, quòd s. neque forma simul cum materia sint adæquatum principium indiuiduationis, quę est cōtra Carpenedol. loc. cit. & Doctores, quos ipse sequitur. Patet ex dictis, nam materia, & forma sunt partes quidditatis, & essentiæ specificæ, & sunt principia essentialia, in quibus omnia indiuidua cōposita conueniunt, ergo nō sunt principia indiuiduationis, per quæ indiuidua differre debent. Tum quia licèt compositum consistere non possit à suis partibus separatū, possunt tamen partes à toto diuelli, & seorsum separatæ existere sine toto composito, patet de anima separata à corpore, & in cōmuniori sent. de materia, quæ potest saltem per potētiam Dei sine forma existere, & forma sine materia, ergo nō possunt esse principium illud indiuiduantia. Pr. conseq. quia propter realem identitatem principij indiuiduationis cum re indiuiduata, implicat indiuiduum sine tali principio existere, & ipsum principium sine re indiuiduata, nihil .n. indiuiduatur per aliquid à quo realiter distinguitur.

Rñt cōmuniter Doctores huius sent. argum. vrgere de materia, & forma in communi, quæ sunt partes essentiæ in rebus materialibus, nō autem de materia, & forma singulari, quæ vtique sicut sunt principia cōstitutiua indiuidui, ità quoque indiuiduationis eius. Sed Contra, licèt concedamus materiam, & formam esse principium indiuiduationis respectu compositi physici, cùm compositum in tātum sit hoc, aut illud, in quantùm constat ex hac materia, & ex illa forma, at nō tale principium indiuiduationis in præsēti inquirimus, sed illud, quod est primò singulare, quod solùm

veri-

verificâtur de differêtia indiuiduali, contrahente naturam specificã, quæ dicitur indiuiduationis principium methaphysicum, per quod etiam materia, & forma indiuiduatur, & hoc est, quòd apud Philosophos dicitur verè, & propriè principium indiuiduationis, non principium physicum, & in hoc sensu loquuntur illi Authores, qui asserunt compositum indiuiduari per materiam, & formam singularem, vt videre est apud Auers. & Suar. ceterũ hæc sent. de principio methaphysico est falsa, nam etiam hęc materia successiuè componit aliud compositum physicum, ergo non identificabatur cum composito præterito corrupto, quæ .n. sic identificâtur, corrupto vno, corrumpitur, & alterum. Tum quia hæc materia singnlaris reperiri potest per Dei potentiã sine composito physico, sicut etiam, & anima nostra, quomodo ergo esse possunt principia indiuiduationis, quæ idêtificari debent cum rebus indiuiduatis.

Carpenedolus soluens argumẽtũ allatum de esse specifico, & communicabili, quod cõpetit materiæ, & formæ, & consequenter non possunt esse primæ rationes ipsum indiuiduandi, resp. num. 15. fol mihi 236. quòd materia, & forma sunt communicabiles antequam simul nectantur, at post vnionẽ nequaquã, nã ex vnione resultat quædam incommunicabilitas, & se exemplificat de cera, & sigillo, & de vnione morali inter virum, & mulierem, vir .n. & mulier ante maritalem coniunctionem habent quãdam communicabilitatem, facta verò vnione maritali, resultat quædam approprietas talis, vt hic sit eius mulieris vir, & illa huius viri mulier. ablata vnione ex alterius coniugis morte, qui superest ad suã communicabilitatem perducitur. Materia igitur ante vnionem erat communicabilis, post vnionem, facta est hæc, & incommunicabilis.

Peto ab ipso Carpened. per quid igitur materia facta est hæc, & incommunicabilis? resp. per vnionẽ. ergo bene cõtra ipsum vrgebat Iulius Iornata, quòd cum vnio etiam in sent. Diui Bonau. sit relatio in 3. sent. sequeretur, quòd indiuiduum esset de prædicamento relationis; & quia etiam substantia præcedit omne accidens, falsum est per accidens indiuiduari. Rt. Carpenedol. negando sequelam, vnio .n. requiritur sicut simultas agentis, & passi, vt actio resultet, & ità ipsam reducit saltem ad conditionem sine qua non, quod tamen supra eiectũ est. Tum quia ipse super Assertũ 4. fol. mihi 233. ait: *formam appropriantem sibi materiam, & à communitate ad differentiam reducentem constituere hoc aliquid, & indiuiduum; quod alijs verbis S. Tho. Materia signata, & hec est, inquit, indiuiduationis principium, nam quia materia est hæc, hanc formam vendicat; similiter quia forma est hæc, hanc materiam postulat, vtraq; autem hoc aliquid, & indiuiduum constituit.* Bene, sed

sed discursus est pronobis. Si .n. qa materia est hæc, ideo formam hanc petit, ergo independenter à forma, & ab vnione est indiuidua, similiter, & forma, & consequenter antequam intelligatur indiuiduum physicum constitutum, iam præcessit indiuiduationis principium in materia, & forma, ergo licèt admittamus hanc materiam, & hanc formā esse principium indiuiduationis compositi, non est adhuc resoluta controuersia de principio indiuiduationis in sua amplitudine, cùm adhuc restat inquirere, per quid materia facta est hæc, & indiuidua, similiter, & de forma. melius dixisset, iudicio Scoti se subscribens, materiam, & formam indiuiduari per suas vltimatas hæcceitates methaphysicè, qua indiuiduatione facta, simul deinde compositum physicum substantiale simul causare. Exēpla, quæ adduxit non faciunt ad rem, nam illa sigillatio in materia, & illud vinculum morale in matrimonio, sunt accidentia, quæ adsunt, & absunt, at indiuiduationis principium est inseparabile, & cum re indiuiduata identificatū, & ità idē etiā p ipsum Carpened. quòd nec etiam inter tale principium, & principiatum distinctio formalis intercedat.

Obiectiones.

Ob. contra primam particulam conclusionis, probando, quòd sola forma sit principium indiuiduationis, & 1. Auct. Arist. 1. phys. 96. vbi formam appellat hoc aliquid, & 2. de anima com. 2. per formam ait fieri hoc aliquid; sed hoc aliquid non est aliud, nisi indiuiduum, vt constat ex cap. de substantia, ergo &c. Item 7. meth. 49. Arist. ait, formam esse actum, quæ ab inuicem indiuidua separat, & distinguit, ergo ipsa est indiuiduationis principium. Item ex 1. de an. tex. com. 53. membra cerui non differunt à mēbris leonis, nisi quia anima cerui differt ab anima leonis, ex quib. locis Auerroistæ suo Magistro adhærentes, deducunt formam esse indiuiduationis principium.

Resp. Auersa, Pasqual. & Alij, per has authoritates, & consimiles probari tantùm formam esse principale, & principium indiuiduationis principium, non tamen excludendo materiam, quæ responsio sufficeret si solùm de principio indiuiduationis physico intelligerēt, sed quia etiam ipsi absolutè loquūtur, principium methaphysicum non excludendo, præstat aliter ad relatos textus respōdere. Ad 1. igitur ex 1. phys. & ex 2. de an. resp. per hoc aliquid in illis locis non sumi vt in cap. substantiæ .s. pro indiuiduo, sed pro eo, quod est perfectū, & completum, & in certa, & determinata specie entis. vnde forma dicitur hoc aliquid vt Quo, quia dat esse hoc aliquid composito, quatenus ipsum in certa, & determinata specie constituit, & hæc est cōmunior expositio. Ad aliam ex 7. meth. 49. quòd sicut forma est illa, quę

con-

constituit res indeterminata est, ità res ab inuicem distinguit essentialiter, & specifica distinctione, & ità ex ipso contextu colligitur. Ad vltimam ex 1. de an. resp. eodem modo, quòd .s. Arist. loquatur de diuersitate specifica, non autem numerica, anima .n. cerui specie differt ab anima leonis, non numero.

Ob. ratione: Materia non tribuit composito nec vnitatem, nec distinctionem specificam, nam diuersa specie composita, habent eamdem specie materiam, ergo neq. tribuere potest vnitatem, & distinctionē indiuidualem, quod .n. esse nō potest principium vnitatis specificæ, neq; etiam numericæ, cùm hæc sit maior vnitas, ergo remanet, vt principium indiuiduationis numericæ sit à forma. ℞. neg. conseq. & ratio est, quia cùm materia facta est hæc, & singularis, ità est materia Petri, vt non sit materia Pauli, atq; ideo ratione singularitatis superadditæ potest etiam ipsa suo modo distinguere hoc compositum ab alio, sicut ipsum constituit, quamuis minus principaliter quàm forma, materia .n. adhuc singularis existens, potest esse pluriū formarum successiuè etiam naturaliter, quod non conuenit formę; ex hoc tamen non deducitur, quòd forma, aut materia sint principium indiuiduationis methaphysicum, sed tantùm physicum, vt iam sępe inculcatum est.

Ob. Si Deus modò annihilaret animam Petri, & aliam crearet in eodem corpore organico Petri, tūc tale compositū iam esset distinctū numero à priori, & non nisi ratione animæ, ergo forma est indiuiduationis principium. ℞. neg. cōseq. nec per hanc rationem aliud probari, quā quòd in cōposito physico forma est principalior pars, & causa, sed quia ad constitutionem talis indiuidui etiam materia est causa, constitui etiam debet principium indiuiduationis eius; at metaphysicè loquendo, neq; forma, neq; materia, est principium indiuiduationis, sed hæc erit vltima realitas, & hæcceitas ipsius compositi, quæ realiter cum ipso identificatur, anima autem non identificatur cum composito, neq; cum materia.

Ob. Idem est indiuiduum, & terminus generationis, generatio .n. semper terminatur ad singulare, & indiuiduum, sed forma est terminus generationis, ergo. ℞. formā esse terminum generationis Quo, non Quod, inde negatur conseq. quia etiam forma non est de se hæc, cùm sit de se communicabilis plurib. sicut species, & qualibet alia natura; & quando etiam ità esset, non posset poni principium indiuiduationis compositi, quod sicut aliam habet entitatem à partibus distinctam, ità etiam, & aliam hæcceitatem.

Faber, qui locacit. cap. 2. vult indiuiduationis principium compositi esse realitatem formæ, ità contra secundam conclusionis particulam,

culam arguit: forma est, quæ constituit rem in esse, quod autem dat esse, dat quoque distinctionem à quocumque alio, quod non est ipsum, ergo cùm forma specifica constituat naturam in esse specifico, & actuet materiam, & compositũ resultet ex ea, & materia ità dicendũ est; quòd realitas vltima formæ sit ea, quæ constituit in esse indiuiduali, & actuet vltimã realitatem materiæ, ex qua realitate materiæ, & realitate formæ resultet indiuiduũ. Multa alia in suo illo discursu insumit, quæ non sunt Doctrinæ Scoti consona. ℞. igitur vt supra, neg. conseq. Si .n. realitas formæ distinguitur realiter à realitate materiæ, quomodo potest eam indiuiduare? falsum est etiam, quod forma constituat compositum in esse indiuiduali, licèt .n. possit aliquid constitui in esse specifico, & quidditatiuo ab aliquo à se realiter distincto, sicut est de composito physico respectu suarum partium, non tamen constitui potest in esse indiuiduali ab ipsis partibus à quibus realiter distinguitur, falsum ergo supponit, ꝙ vltima realitas compositi non posse compositum indiuiduare, licèt .n. illa ex partibus constituentibus resultet, hoc tamẽ verum est in genere physico, at in genere methaphysico ipsamet realitas, determinando naturam specificam compositi exercet munus principij indiuidualis methaphysici. Possumus suo modo de risibilitate in homine exemplificare, verum siquidem est, quòd hoc corpus, & hæc anima cõstituant hunc hominem, ex quibus etiam communiter producitur hæc risibilitas, attamen risibilitas hæc metaphysicè ab ipsa humanitate immediatè dimanat, & hunc hominem risibilem formaliter cõstituit; ità suo modo discurrendum est de differentia indiuiduali, quæ methaphysicè dimanat ab ipsa natura constituta, & eã formaliter determinat, & singularem denominat.

Arguitur contra 3. conclusionis partẽ pro Carpenedol. & illis, qui volunt principium indiuiduationis esse materiam, & formam. Principia essendi, sunt quoque principia vnitatis rei, sed hæc materia, & hæc forma sunt principia essendi indiuiduo, ergo hæc quoque sunt principia indiuidualis rei. ℞. hanc materiã, & hãc formam esse principia essendi indiuidui quò ad esse specificum, & quidditatiuum, verè enim Petrus est homo, at quòd sit hic homo, Petrus, Paulus &c. habet à differentia indiuiduali contrahente eius naturam, & in eo sensu, quo aliqui Thomistæ loquuntur, ꝙ Verbum assumpserit naturam humanã sine singularitate, sed hæc suppleta fuerit à Verbo, sicut Personalitas; hinc bene ait Bassol. quòd compositum indiuiduatur per materiam, & formam causaliter, sed non formaliter, & tamquam immediato, & proximo fundamento repugnãtiæ ad diuisionem, sic etenim indiuiduatur per vltimam sui realitatẽ, & hæcceitatem.

Ob.

Ob. Talis hæcceitas, si datur est effectus indiuiduationis factæ per materiam, & formam, ergo non est eius principium. R. neg. anteced. nam hæcceitas non est effectus indiuiduationis, sed potius eius principium, quæ licèt in genere physico concomitanter ad causationem compositi physici causetur, vt iam dictum est in respon. ad Fabrum, in generè tamen methaphysico, actuando, & determinando naturam compositi, exercet munus principij indiuiduationis eius; & estò materia, & forma sint substantiæ simplices physicæ, quatenus non admittunt compositionem ex materia, & forma, sunt tamen compositæ methaphysicè ex realitate determinabili, & determinante, non .n. sunt seipsis singulares, aliter nec materia esset in plures materias numero diuisibilis, nec forma in plures numero formas, quæ omnia falsa sunt. Quæ doctrina est etiam clarissimè ad mentem Diu. Bonauent. loc. cit. vbi ait: *Anima non dicitur vniuersale respectu vnius hominis, sed potius homo. illa autem dicitur esse forma totius, quæ dat esse toti, & hæc dicitur essentia rei, quia totum esse complectitur, & hanc formam considerat methaphysicus: formam verò partis, quæ in genere non habet esse, nisi per reductionem, non est dicere propriè vniuersalem, potest tamen dici aliquo modo vniuersalis reductiuè, cùm illa est indifferens ad multa, quę possunt fieri ex ipsa.* hæc Serap. qui directè loquitur de vniuersali in recta linea; & q. partes etiam ad illam reductiuè spectant, concedit etiam suo modo vniuersales esse, quia sunt indifferẽtes ad multa, singulare autem est determinatum, & incommunicabile, ergo materia, & forma non sunt seipsis singulares, vt Carpenedol. prętendebat.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An formæ substantiales indiuiduētur per materiam, & accidentales per subiectum.

SCot. in 4. d. 12. q. 2. §. *Hic sunt duæ opiniones &c.* lit. A. & in 3. d. 8. q. vn. disertè hanc celeberrimam controuersiã excitat, & resoluit. circa quam duæ sunt extremæ opiniones, vna Thomist. ex D. Thol. 1. p. q. 29. art. 1. & alibi. vbi manifestè docet accidentia indiuidua ri per subiectum, dicitur .n. hæc albedo, in quantum est in hoc subiecto; & opusc. 29. ait: accidentia non indiuiduari per materiam primam, sed per subiectum proprium, quod est ẽs in actu, sicut formæ substantiales per materiã primam, quæ est earum subiectum. sequuntur eius Expositores cum Caiet. circa loc. cit. hoc tamen præsertim assequunt de omnibus accidentibus, pręter quantitatem, quam limitationẽ assignauit S. Doctor quol. 7. art. 19. cæterum omnia alia accidentia siue sint materialia, siue spiritualia, indiuiduari volũt per proprium subiectum, quibus etiam ex parte adhæret Auersa, qui autumat probabile esse quędam accidentia indi-

uiduari per subiectum, illa .s. quæ sunt inseparabilia, & se habent ad subiectum, vt propriæ passiones. & amplectitur etiam Pasqual. disput. 42. sec. 2. vbi vult accidentia modalia, & relatiua ex subiecto indiuiduari.

Alia opinio est Scot. loc. cit. .s. nullum accid. siue materiale, siue spirituale, siue absolutum, siue relatiuum, per subiectũ indiuiduari, sed per propriam differentiam intrinsecam, idemque docet de formis substãtialibus in ordine ad materiam primam. Sequuntur eius discipuli communiter, Faber Theor. 90. cap. vlt. & Theor. 92. vbi specialiter loquitur de anima rationali, Ponc. in log. disp. 6. q. 8. Mastr. in meth. disp. 10. q. 8. Rada, & Alij, & præter Scotist. Suar. in Meth. disp. 5. sec. 7. Arriag. disp. 1. met. sec. 3. subsec. 9. & Alij passim.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. nullum prorsus accidens siue materiale, siue spirituale, siue absolutum siue respectiuum indiuiduari per subiectum, sed per proprias intrinsecas eorum differentias. Pr. à Doctor. nullum ens est singulare formaliter per aliquid alterius generis, nam sicut in quolibet genere est inuenire supremum in coordinatione illius generis, & omnia genera media, & species, ità est inuenire aliquod infimum per se in illa coordinatione, de quo omnia superiora per se prædicantur, & ipsum non de alio; & ratio est, quia prædicamenta sunt impermixta, ergo accidétia indiuiduari nequeunt per subiectum, quod alterius est prædicamenti. Tum quia differentia indiuidualis debet esse intrinseca indiuiduo, eique realiter identificata, at subiectũ non est huiusmodi huic accidenti, nec materia prima huic formæ, ergo. Rnt. Thomist. quòd cùm asserunt accidétia indiuiduari per subiectum, & formas substãtiales per materiam, non est ità intelligendum, quòd ipsum subiectum sit principium indiuiduationis eorum, sed quòd indiuiduentur per ordinem, & habitudinem ad ipsum, Vnde Bannes ait, formas omnes indiuiduari per subiectũ extrinsecè, at per ordinem ad subiectum intrinsecè.

Contra, vel hoc intelligunt de ordine, & habitudine actuali, vel aptitudinali tantùm. Si de primo, vrgent eædem rationes relatæ, quia actualis vnio, vel inhærentia qualitatis ad subiectũ, distinguitur realiter ab eo, vel saltem modaliter, vt Recentiores autumant, & ità est alterius prædicamenti. Tum quia accidentia in Eucharistia permanent eadem numero post consecrationẽ, tali inhæsione destructa, ergo actualis inhærentia ad subiecta non est formale principium indiuiduationis eorum, patet conseq. non .n. potest res indiuiduata eadem numero manere, pricipio indiuiduationis eius destructo. Tum quia cũ ille ordo sit respectus, & consequẽter accidens, adhuc inquirendum restat per quid indiuiduetur &c.

Rnt.

Rnt. hoc intelligendum esse de ordine aptitudinali, qui est respectus trascendentalis, identificatus realiter, & essentialiter cum ipsa forma, neq; inconueniens est (aiũt) talem respectũ esse formæ absolutæ intrinsecum. Non valet, falsum .n. est, quòd hoc numero accidens dicat determinatum ordinẽ ad hoc numero subiectum, quasi aptũ non esset, vt poni possit in alio subiecto eiusdem rationis, nã qlibet accidẽs singulare, quãtũ de se est, æquè indifferẽter respicit qcũq; subiectum in sua specie sibi proportionatũ. Tũ quia vt bene arguit Ponc. loc. cit. concl. 1. nu. 57. Si hæc albedo indiuiduatur ab hoc numero subiecto, hoc maximè erit ob connexionem aliquam particularem, quam habet cũ hoc subiecto V.g. Petro, at non habet cõnexionem aliquam particularem cum hoc subiecto ex vi subiecti præcisè, quia hoc subiectum est eiusdem rationis cum alio subiecto V.g. cum Paulo, ergo ex vi subiecti vt sic non habetur ista connexio, & consequenter ex hoc capite nõ bene deducitur vnam albedinem potius cõnexionem habere cum vno subiecto, quã cum alio, si subiecta eiusdem sunt rationis, & speciei. Tum quia ex eodem Ponc. nulla prorsus est ratio cur accidentia sicut habẽt suam distinctionem specificam ex seipsis, eodem modo, quo substantiæ habent, ità etiam non habeant suam distinctionem numericam ex seipsis, seu ex aliqua formalitate positiua sibi identificata, sicut substantiæ habent. Idem asseri debet de forma substãtiali respectu materiæ, & de anima respectu corporis, quis .n. negabit quòd eadẽ forma substantialis possit successiuè poni in diuersis materijs, sicut & eadem anima successiuè in diuersis corporibus saltem supernaturaliter? Iam de facto eadem anima rationalis diuersas materiæ partes in nutritione viuentis informat, quæ per actionem naturalis agentis fluunt, & refluunt.

Tum quia aptitudo est ens respectiuum, sed absolutum à toto genere est priùs respectiuo, saltem prioritate naturæ, respectus .n. in absoluto fundatur siue prædicamentalis sit, siue trascẽdentalis, at principiũ indiuiduationis vel est prius natura, vel saltem simul natura cũ re indiuiduata, ergo non poterit forma absoluta per aptitudinem ad subiectum indiuiduari. Tum qa estò respectus trascẽdentalis identificetur realiter cum absoluto, nõ tamen formaliter, nunquam .n. respectus potest esse de essentia absoluti, cùm realitates contradictorias præseferãt, quatenus vnum est essentialiter ad se, alterum essentialiter ad aliud, vt in logica dictum est, at differentia indiuidualis quãuis non pertineat ad quidditatem indiuidui, quæ tota in natura specifica consistit, est tamen de intrinseco conceptu indiuidui, vt indiuiduũ est, ergo nullus respectus estò trascendens constitui potest differentia constituens absolutum in es-

se

se indiuiduali, quia respectus cum absoluto non integrant conceptũ per se vnum. Ex hac doctrina resp. ad P. Carpened. quãdo contra Iornatam asserebat, quòd vnio est entitas simul relatiua, & absoluta. non placet, nulla .n. realitas est simul ad se, & ad aliud, includunt.n. terminos contradictorios, nam eadem entitas esset ad se, & non esset ad se; & confunderetur ordo prædicamentorum, quorum aliqua sũt absoluta, alia verò respectiua.

Tum quia (& est ad hominẽ cõtra Thomist.) Dicunt Ipsi contra nos, quòd hæcceitas non potest singularizare naturã, sed eam supponit talẽ, quia actus singularis supponit potentiam singularem, quã actuare debet ex 2. phys. 38. at Cõtra, proportio inter actum, & potentiam fundatur super commensurationem, quæ versatur inter ea, ideo etenim actus singularis supponit potentiam singularem, quam actuat, quia si esset potentia vniuersalis, non ei commensuraretur, nec eam adæquaret, ergo à pari eadem ratione potẽtia singularis postulat actum singularem, quia si actus esset vniuersalis, potentia nõ esset ei proportionata, & commensurata, ergo antequam accidens recipiatur in subiecto, forma in materia, & anima in corpore, debent indiuiduata intelligi.

Tum quia cùm Thomistæ asserunt accidens indiuiduari per ordinem ad subiectum, aut forma per ordinem ad materiam, hoc intelligere non possunt de ordine aptitudinali, sed necessariò intelligere debẽt de actuali receptione in subiecto, secundum eorum principia, in tantum.n. ipsi affirmant formam quãlibet indiuiduari per subiectũ, quia per ipsum fit irreceptibilis in alio, & consequenter redditur incommunicabilis per modum formæ, vel actus cuicumq. alteri subiecto; sed hanc irreceptibilitatem non accipit forma à subiecto per ordinem aptitudinalem ad ipsum, sed per receptionem actualem, nã antecedenter ad istum, semper receptibilis est in quocumq; subiecto eiusdẽ rationis, ergo vanus, & frustratorius est recursus ad ordinem trascendentalem. Tum quia plura, & distincta numero accidẽtia possunt saltẽ successiuè in eodem subiecto reperiri, ergo accidens non indiuiduatur per ordinem ad subiectum, quia si ità esset, nec etiam successiue possent plura accidentia numero distingui in eodẽ subiecto, sed sicut semper est idem subiectũ, ità semper eãdem indiuiduationẽ conferret. antec. patet experientia, quia eadem aqua V.g. modò frigescit, modò calescit, & deinde iterum frigescit, & tamen non est idẽ numero calor, vel frigus, qui reddit, ergo. Rt. Bannes: sicut ad vnitatem numericã motus ex 5. phys. non solùm requiritur vnitas termini, & mobilis, seu subiecti, sed etiã temporis, ità etiam dicendum erit de vnitate numerica cuiuslibet alterius accidentis, itaut non tantùm requi-

requiratur, quòd sit in hoc subiecto singulari, sed etiam quòd sit in hoc tempore; vnde diuersitas temporis sufficit ad distinguenda numero plura accidentia eiusdē speciei, quæ successiuè in eodem subiecto recipiuntur.

Contra, ergo accidentia à temporis circumstantia indiuiduantur, non à subiecto. Tum quia vt benè aduertit Mastr. fundamentum Thomist. præcipuum cur accidens indiuiduetur per subiectum, & forma per materiam est, quia ab ipsis in esse dependent, & proprium esse recipiunt, sed accidentia non recipiunt suum esse à tempore, licèt in tempore, ergo ex suis principijs nō rectè ad difficultatem respondent. Tum quia potest Deus formam antea corruptam in eodem numero subiecto denuò reproducere, ergo eius identitas non potest ex identitate temporis pendere. Blasius à concept. addit, subiectum non solùm indiuiduare habet diuersa accidentia eiusdem speciei per cōnotationem ad diuersum tempus, sed etiā per connotationem ad diuersum agens, diuersamq; actionem, ex quib. respōsionib. manifestè colligitur infirmitas huius doctrinæ; nam primò absolutè dicunt Thomist. accidētia indiuiduari per subiectum, at quia postea negare non possunt plura accidentia eiusdem speciei recipi saltem successiuè in eodem subiecto, recurrunt ad circumstantiam temporis, & quia tandem negare nequeunt non posse in eodem tempore idem subiectum, saltem disiunctim recipere duos calores numero distinctos, potest .n. manus mea calefieri pro eodem tēpore ab hoc, vel illo igne, quo casu duo calores numero distincti respiciunt idem subiectum, recurrunt ad diuersitatem agentium, & actionum; atq. ideo secundum ipsos accidens non ex subiecto indiuiduatur, sed ex diuersis circumstantijs. At præsertim, quòd circumstantia agentis non possit esse indiuiduationis principium, inde patet, quia tale principium nō debet distingui realiter à re principiata, causa autē efficiens distinguitur realiter. Falsum est etiam quod Būnes assumebat .s. ad vnitatem motus requiri vnitatem temporis, requiritur .n. solùm ad vnitatem eius continuatiuam, non verò entitatiuā, & quando etiam id de motu concederetur, non sequitur de omni alio accidente, nam motus est accidens successiuum, quod mensuratur tempore, & successiuè secundum diuersas sui partes, diuersis temporis partibus coexistit, at albedo, calor &c. sunt accidentia permanētia, quæ secundum eamdem totam entitatē coexistunt diuersis temporis partibus succedentibus.

Dixerunt priùs Thomistæ, Principium Indiuiduationis esse materiam nudè sumptam; at quia viderunt sustineri non posse, addiderūt adminiculum sigillationis actualis; sed quia adhuc structuram periclitari aduerterunt, aliud addiderunt peda-

pedamenta. s. signationem, seu ordinem aptitudinalem, & trascendentalem; & quia semper nouis difficultatibus premuntur, noua semper adhuc pedamenta machinãtur. Venamini diligentia, & solertia maiori. Sic interest, cùm Edificiũ graue minatur exitium. Poterant Thomist. faciliùs pro omnibus rebus, vltimam rerum realitatem pro principio indiuiduationis assignare cum Scoto, & tot laborum onera relinquere. At fortè dicent Thomistæ, hanc Scoti formalitatem, vt vanam, chimericam, & implicatoriã spernimus. Ità respondent, & tamen per tot sæcula, non adhuc hoc ostenderunt. Demonstrent Thomistæ, & cessabunt lites.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. neq; accidentia respectiua, quæ à Recentioribus entitates modales vocantur, neq. accidentia inseparabilia in ordine ad subiecta indiuiduari, sed per proprias suas hecceitates. Sequitur præter Scotistas, Arriag. loc. cit. concl. 4. nu. 88. Pr. faciliter: Possunt plures numero paternitates in Scot. sent. in eodem patre ad plures filios simul reperiri, vel saltem successiuè; quod Thomist. negare non audent. Possunt etiam modi successiuè variari in eadem re, vt si Petrus nunc sedet, postea surgit, & denuo sedet, & non eadem numero relatio, vel sessio reddet; quomodo ergo idem subiectum potest esse principium indiuiduationis eorũ, si idẽtificatũ esse debet cũ re identificata?

Poncius in log. disp. 6. concl. 2. hoc idem probat de accidẽtibus inseparabilibus: sicut cætera accidentia nõ indiuiduãtur per subiectum, ità neque accidentia inseparabilia, nisi sit specialis ratio, quæ ad hoc cogat, sed non est, ergo. Pr. min. q̃a non est alia ratio præter inseparabilitatem ipsorum, sed hæc nulla est, si. n. ex inseparabilitate alicuius ab alio deberet aliud indiuiduari per illud, Deus esset principium indiuiduationis omnium creaturarũ, quia nulla creatura potest esse sine Deo. Quòd si Thomistæ confugiãt ad inhærentiam, in quantum accidens necessariò est cũ subiecto cõnexũ, quo pacto non est vnita creatura cum Deo; adhuc contra ipsos vrget Mastr. nam vel per accidẽtia inseparabilia intelliguntur illa, quę talia dicuntur, non quia subiectum sine ipsis existere nequeunt, sed q̃a ipsa non possunt à subiecto separata consistere; in hoc sensu inseparabilitas non facit, quòd talia accidentia indiuiduari debeant per subiectum, vt diximus de relatione, sessione &c. vel per accidentia inseparabilia intelliguntur illa, sine q̃bus subiectum naturaliter existere nequit; vnde dici solent passiones ipsius, vt calor respectu ignis, &c. Sed neq; inseparabilitas in hoc sensu, facit quòd accidens sic inseparabile debeat per subiectum indiuiduari, potest. n. saltem per Dei potentiam subiectum sine tali accidẽti existere, aut illo destructo, alio simili informari. Vel tãdem per accidens

cidens

cidens inseparabile, intelligũt passionem propriè dictam, sed nec sumus in casu, quia hoc accidẽs proprium idẽtificatur realiter cum suo subiecto, & talis inseparabilitas ex tali identitate oritur, at Thomistæ loquuntur etiam de formis communibus realiter distinctis. Neque accid. propriũ poni potest indiuiduationis principium, passio .n. emanat in 2. instanti naturę à re cõstituta tàm in esse specifico, quã in esse indiuiduali, principiũ verò indiuiduationis constituit indiuiduũ. Neque natura habet rationem subiecti respectu passionis, sed principij, & causæ efficientis methaphysicæ; & sicut passio in cõmuni pullulat à natura communi, ità passio singularis ab indiuiduo singulari iã constituto.

Quòd si Thomistę recurrũt ad subiectum, vt principium indiuiduationis fundamentale, nõ vt formale, neque eis suffragatur, nam etiã principium radicale indiuiduationis debet esse intrinsecum rei indiuiduatę, vt sine ipso existere nequeat, at accidentia saltem absoluta, vt quantitas, & qualitates sine subiecto existere possunt, vt de facto in Eucharis. patet, ergo subiectum neq; principium radicale indiuid. esse potest. Resp. aliqui Thomist. quantitatem esse subiectum qualitatum, & hæ per quantitatem indiuiduantur, ipsa autem quãtitas indiuiduatur seipsa. Contra, per potentiam Dei, qualitates possunt cõseruari sine quantitate, tàm benè quàm quantitas absq; subiecto, ergo si quantitas non indiuiduatur p suum subiectum, quia sine ipso esse potest, similiter, & qualitates non indiuiduantur per quantitatem, cũ etiam ipsæ sine quantitate esse possint. nec disparitatis ratio assignari potest, nisi principium petendo. Quòd deinde quantitas indiuiduatur seipsa, hoc est dicere, quòd seipsa est singularis, at hoc est falsum ex dictis, quantitas .n. est species, & ideo diuisibilis in plura indiuidua, seu in plures numero quantitates, sicut qualitas in plures numero qualitates.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. neque animam rationalē, neque aliam formam substantialem per subiectum indiuiduari. De anima rationali sic Scot. probat quol. 2. B. & in 2. d. 3. q. 7. A: Anima intellectiua prius natura est terminus creationis, quàm infundatur corpori, sed in illo priori est hæc, & singularis, quia actio est singularis, & ad singulare terminatur ex 1. met. ergo non per corpus est hæc, & singularis. Resp. Thomist. animam non indiuiduari per actualẽ vnionẽ ad corpus, sed per aptitudinalem.

Contra vrget Scot. natura, & entitas animæ est absoluta, illa verò aptitudo est relatio quædam aptitudinalis, quia sine termino intelligi non potest, sed absolutum non pòt intrinsecè constitui per respectum, & semper est prius respectiuo, cùm hoc in illo fundetur, ergo. Confirmatur; quia anima est hæc,

ideo talem habet inclinationem, & non è contra, ergo inclinatio non est ratio essendi hanc animam, sed eam præsupponit. Resp. Caiet. cum Thomistis, instantiam Scoti procedere de aptitudine formaliter sũpta, quo pacto est quædam relatio, & posterior anima, nec per tales aptitudines animę substãtialiter ad inuicem distinguuntur, sed tantùm accidentaliter; non tamen procedere de aptitudine fundamentaliter sumpta, idest pro ipsa commensuratione substantiali animæ ad corpus, nam aptitudo animæ ad corpus non est posterior anima, cùm sit ipsamet anima, & licèt Caiet. nõ vtatur terminis formaliter, & fundamentaliter, sub his tamen terminis explicatur à Ferrariensi, & coincidunt ait Ripa, nam aptitudinẽ formaliter sumptam, appellat Caiet. relationem, & fundamentaliter sumptam, appellat commensurationem substantialem. Eumdẽ modum dicendi sequitur Mag. Iacob. Brun. lib. de generatione artic. 1. fol. mihi 281.

Doctrina hæc Thomist. vt clarius impugnetur, inquirendum est quid intelligant per hanc commẽsurationem substantialẽ in anima, quæ est fundamentum cõmensurationis accidentalis, quæ resultat, vel enim est entitas absoluta, vel relatiua, absoluta esse non potest si est inclinatio, nam hæc intelligi nequit sine ordine ad aliud. Rt. Caiet. est entitas absoluta, licèt .n. aliud respiciat, non tamen illud respicit tamquam terminum, sed tamquàm subiectum, & receptiuum, hoc autem non impedit, quin anima sit entitas absoluta, quia estò corpus respiciat, non tamen illud respicit vt terminum, sed vt subiectum. Sed hæc doctrina impugnata est in log. disput. 3. de Relat. art. 1. parum etenim refert, quòd respiciatur ab alio sub hac, vel illa ratione, quia id nõ excludit quin propriè sit terminus talis respicientiæ, cùm semper relatio sit ad aliud, vt etiã bene aduertit Arriaga sed solùm facit, quòd sit terminus eius sub hac ratione; licèt igitur anima per talem cõmensurationẽ referatur ad corpus vt ad subiectum, seu receptiuũ, id non impedit quin etiam referatur ad ipsum, vt terminum talis dependentiæ, & inclinationis, ergo hæc commensuratio erit reuera relatio, & entitas relatiua. Tum etiã quia sic dicendo, negare possemus creationẽ in creatura esse relationẽ dependentiæ ad Deum, nam dicere possemus creaturam referri ad Deum per creationem, non tamquam ad terminum, sed tamquam ad primũ efficiens, quod esset verbis ludere. Hinc rationabiliter Bãnes, & Cæteri Thomist. cauillationes Caietani relinquentes, affirmãt talem commẽsurationem substantialem esse relationem, non quidẽ prædicamentalem, sed trascendentalem, & idcirco dici substantialẽ, quia non est accidens de genere relationis, sed intrinseca, & essentialis substantiæ, nullum autem est in-

con-

conueniens, ait Bann. quòd talis respectus sit intrinsecus, & essentialis absoluto, imò per hoc distinguitur à relatione prædicamentali, quæ rebus accidit.

Verùm hęc doctrina in log. disp. 1. art. 2. de relat. fusè profligata est, estò .n. verum sit relationem trascendentalem realiter, ac entitatiuè cum absoluto identificari, & per hoc à prædicamentali differre, falsum tamen est relationem cum absoluto formaliter identificari, quia tunc idem secundum suam formalitatem esset ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, qui termini implicantiam præseferunt. Tum quia etiam relatio trascendentalis, quamuis cum re absoluta identificetur, adhuc tamen intelligitur ea posterior, cùm in ipsa radicetur, & fundetur eo modo, quo passio licèt sit realiter identificata cũ suo subiecto, censetur tamen eo posterior, cuius ratio est, quia licèt absolutũ per relationem trascendentalem sibi identificatam referatur ad aliud, semper tamen prius intelligitur esse ad se, quàm ad aliud, ergo etiam per distinctionem allatam de tali commensuratione, & coaptatione, substãtiali animæ ad corpus, adhuc remanent Scoti argumenta insoluta, si .n. talis relatio est posterior, quomodo potest prius constituere, & indiuiduare?

Quæ doctrina militat etiam de formis substantialib. materialibus, eadem .n. numero forma substantialis potest esse in diuersis corporibus, ergo non indiuiduatur per ordinem ad hoc corpus. Tum quia aptitudo formę ad materiã est proprietas ipsius, at nulla res potest per proprietatem indiuiduari, cũ hæc sit singularis, ex eo quòd subiectũ est singulare. Et tandem confirmatur ex his quæ dicta sunt de indiuiduatione materiæ, & accidentium.

Obiectiones.

Ob. Thomistæ contra primam conclusionem: Accidens dependet in esse à substãtia, ergo ab ea quoq; indiuiduatur, nam à quo res habet esse, ab eo quoq; habet indiuiduationem. Confirmatur, à quo res habet entitatem, ab eo habet etiam vnitatem, sed accidens habet suam entitatem à subiecto, quia est entis ens ex 7. meth. ergo & ab eo habet vnitatem, & ità qualis erit vnitas in subiecto, talis erit in accidente, & hoc est præcipuum fundamentũ Thomistarum. Rt. Scot. in 4. d. 12. q. 1. lit. G. antecedens esse verum tantũ extrinsecè .s. in genere causæ efficientis, & materialis subiectiuæ, nõ verò intrinsecè in genere causæ formalis; hic autem non quæritur quodcumq. principium indiuiduationis, & quomodocumq. physicè .n. loquendo, quot sunt causæ rei, tot sunt principia physica indiuiduationis ei⁹, sed vestigamus principium methaphysicum formale, quòd .s. intrinsecè, & formaliter dat indiuiduo tale esse, nempe incommunicabile pluribus; ex hoc autem quòd accidens in esse pendet à subiecto, non rectè sequitur, vt debeat

per illud indiuiduari, vel per ordinem ad illud, nam data vnitate in causa efficiete, & materiali extrinseca, potest esse pluralitas in effectibus, possunt etenim ab eodem efficiete plures effectus numero distincti procedi, & in eodē subiecto plura accidentia saltem specie distincta reperiri, vt color, sapor, dulcedo in pomo, in mele, & in alijs. quòd si argumentum valeret, probaret etiam repugnare in eodem subiecto plura accidentia specie distincta, à quo .n. res habet esse, ab eodem etiam vnitatem, tam indiuidualem, quam specificam. Ad confirmationem. R. eodem modo quòd .s. ratio nō solùm probat accidentia habere suam vnitatem numericam à subiecto, sed etiam ab eodem habere suam vnitatem specificam, quomodo non sumus in casu.

Ob. 2. Ioann. de S. Thoma, opponens aliud præcipuum Thomist. fundamentum, desumptum ex irreceptibilitate, sic: Nulla forma receptibilis est de se indiuidua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectum recipiens, ergo indiuiduatur per subiectum, probat assumptum, nam omnis forma est communicabilis, nisi per subiectum detineatur, & limitetur, atq. irreceptibilis reddatur in alio subiecto, ergo non est indiuidua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectū. Responsio patet ex dictis, ostendimus .n. incommunicabilitatem propriā indiuidui non consistere in esse irreceptibile in alio per modum formæ in subiecto, quia etiam materia secundum suam essentiam est sic irreceptibilis, & tamen non est indiuidua, & accidentia in Eucharistia sunt indiuidua, & tamē sunt receptibilia; sed incommunicabilitas indiuidui est illa, quæ opponitur cōmunicabilitati vniuersalis, quod est commune pluribus inferioribus, & dicitur incommunicabile, vt *Quod*, licèt ex alia parte esset communicabile vt *Quo*, vt forma subiecto. Tū quia vt supradicebamus, si accidētia indiuiduantur per ordinē ad subiectum quatenus per ipsum limitentur, & reddantur irreceptibilia in alio subiecto, tūc indiuiduari deberent per ordinem, & receptionē actualem in subiecto, non per aptitudinalem tantùm, tunc .n. accidēs recipit esse irreceptibile, quando actu in subiecto recipitur, quia ante actualem receptionē semper esse habet receptibile, vnde accidentia Eucharistica extra subiectū receptibilia dicuntur, non irreceptibilia.

Ob. 3. Blas. à Concep. radix indiuiduationis debet in accidente desumi, vel ab ipsa forma accidentali, vel à subiecto, in quo sustentatur, non primum, ergo secundum. Pr. min. quia de ratione indiuidui, & singularis est, quòd nec sit in subiecto, nec de subiecto dicatur; at ratio hæc non potest ab ipsa forma accidentali peti, cùm hæc quantum ex se petat esse in subiecto, & de eo prædicari, ergo talis ratio peti debet tāquam à prima radice ab eius

subie-

subiecto, per quod accidens redditur incommunicabile cuicumque alteri subiecto, tum in essendo, tum in prædicando. ℞. neg. min. talis etenim indiuiduatio in forma accidentali, desumitur etiam ab vltima eius realitate, ad probationem, quòd de ratione indiuidui est, quòd nec sit in subiecto, nec de subiecto dicatur, intelligendum est de subiecto prædicationis, quia singulare non habet inferius, in quo existat, vt est natura communis, & de quo prædicetur, non de subiecto inhæsionis, hinc authoritas illa propriè intelligitur de indiuiduo completo, quod est substantia prima in recta linea.

Contra 2. Concl. arguit Pasqu. pro accidentibus modalibus, & respectiuis: Talia accidentia non habent aliquod esse proprium cõtradistinctũ ab esse subiecti, ergo nec propriam indiuiduationem habent aliã ab indiuiduatione subiecti. Pr. conseq. quia ideo nos ponimus accidẽs propriam habere indiuiduationem, quia propriam habet entitatem, aliã ab entitate subiecti, assumptum patet, quia si huiusmodi accidentia propriam haberent entitatem, iam dicerentur res, nõ modi rei, neque ex sua ratione peterẽt necessariò affixa esse rebus, quas modificant, quæ indigentia ex eo oritur, quòd non habent propriam entitatem. ℞. neg. assumptum, nã etiam huiusmodi accidentia habẽt entitatem, imò & existentiam distinctam ab entitate, & existentia subiecti, quod modificant, licèt. n. sine tali subiecto existere nequeant ob imperfectionem propriæ entitatis exilis, & diminutæ, tamen subiectum sine ipsis existere potest, signum ad inferẽdum entitatem modi esse aliã ab entitate subiecti modificati, si .n. non esset, nisi præcisè ipsa subiecti entitas, tunc implicaret talis entitas esse sine ipsis modis, sicut implicaret esse sine sua propria entitate; Vnde inseparabilitas modi á re modificata, non oritur ex identitate eius cum re, sed ex imperfectione ipsius modi, qui cùm sit entitas relatiua, non potest existere sine adminiculo fundamẽti; & hac etiam ratione non dicitur res, sed præcisè modus, quia per res propriè intelligitur, quæ se sola existere potest, absque necessaria cõnexione cum alio; at si res in ampliori significato accipiatur, pro eo .s. quòd propriam habet entitatẽ, siue se solo consistere possit, siue non, etiam modus potest dici res, vt bene Mastr. aduertit ex Doct. in 2. d. 1. q. 5. §. *Quod si adhuc &c.*

Contra 3. arguit Caiet. probans etiam animam intellectiuam indiuiduari per ordinem ad corpus: Sicut de essentia animæ in communi est, quòd sit proportionata corpori physico organico, quod ponitur in eius definitione, ità hæc anima est perfectiua, & proportionata sic huic corpori, quod non alteri; & sicut commensuratio ad corpus humanum non sequitur animam humanam, sed facit ipsam animam

esse

eſſe humanam, & conſtituit illam in eſſe humano, ità ſubſtantialis cōmēſuratio huius animę ad hoc corpus, non ſequitur eſſentiam huius animæ, ſed conſtituit illam animā hanc. Pr. antec. quòd .ſ. anima humana conſtituatur in eſſe per illam proportionem ad corpus humanū, quia per hāc primò diſtinguitur ab anima bouina, quia hæc eſt actus corporis bouini, illa autē eſt actus corporis humani. ℞. ex Doctor. in 4. d. 12. q. 1. lit. L. quòd particula actus, quæ ponitur in definitione animæ, non accipitur pro relatione actuali neque aptitudinali formaliter commenſurationis animæ ad corpus, ſed tantùm fundamentaliter, quaten⁹ anima eſt principiū exigitiuū talis proportionis, & commenſurationis ad corpus. eſt igitur anima act⁹ corporis formaliter ſolùm in ſecundo modo dicēdi per ſe, vt diximus de potentia, in definitione materiæ primæ, exigitiuè verò, & radicaliter in primo modo; & ità ℞. etiam ad probationem antecedentis, quòd ſcil. anima humana primò diſtinguitur à bouina per hoc, quòd hæc eſt actus corporis bouini, illa humani, ſumendo autem radicaliter, non formaliter, ſic enim diſtinguuntur per actum tantùm concomitanter, & à poſteriori veluti per proprias paſſiones, ſicut enim realitas potentiæ in materia eſt paſſio, ità realitas actus in anima eſt paſſio; & in 2. modo, & conſequenter negatur conſequentia indè deducta, vel conceditur formaliter accipiēdo commenſurationē pro ordine, & reſpectu traſcendentali ad hoc, & illud corpus, ſed hoc tantū à poſteriori, & veluti per proprias paſſiones; primò verò, & per ſe proprijs hæcceitatibus diſtinguuntur. Addit Maſtr. & bene, quòd etiam hoc concesso, non bene deducitur conſeq. imò totum oppoſitum colligitur, nam ſi talis ordo commenſurationis ad corpus eſt de eſſentia animæ vt ſic, & conuenit animæ ex vi ſuæ eſſentiæ, ergo poni nō poteſt formale principium indiuiduationis; aliter indiuidua eſſentialiter diſtinguerentur, & ideo diximus, quòd indiuiduatio ex natura ſua eſt extra rationem eſſentiæ in quacumque creatura.

ARTICVLVS NONVS.

An Collectio accidentium, vel ſaltem quantitatis ſit principium indiuiduationis.

SCot. De hoc dubio vberrimè diſſerit in 2. d. 3. q. 4. & ne in æquiuoco laboremus, præmittimus tripliciter dubium hoc agitari poſſe: Primò de tota collectione accidentium vniuerſaliter, quæ in ſingulis ſubſtantijs reperitur, includendo etiam tempus, & locum; in quo ſenſu ex tenditur etiam ad ſubſtantias .ſ. ſpirituales creatas, cùm etiam ipſæ ſua habeant accidentia ſpiritualia; imò ad indiuidua accidentium, vt qualitates, actus intelligendi, volendi &c. Secundò ventilari

tilari potest saltē de ordine ad huiusmodi extrinsecas circumstātias: Tertiò examinari potest specialiter de aliquo accidente, & præsertim de quantitate, quam aliqui volunt esse principium indiuiduationis, in quo sensu quęstio tantùm habet locū in substantijs materialib. ad quæ breuiter more nostro per tres conclusiones ad cōtrouersiam respondemus.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. *nullum accidens, nec collectionem accidentium esse principium formale, aut radicale indiuiduationis cuiuscumq. substantiæ.* Est Scot. loc. cit. cum Scotistis communiter, & ex Exteris Ragul. Contaren. Auers. Pasqual. Arriag. & communior. Pr. rationibus Scoti, quibus quamplures vtuntur, & primò ex identitate singularitatis cum re singulari, & separabilitate accidentis, impossibile est enim, quòd substantia non mutata substantialiter de hac substantia fiat non hæc, vel è conuerso, de nō hac fiat hæc, sed si aliquod accidens esset principium indiuiduationis substantiæ, hoc esset possibile, ergo. ma. est euidens, nam implicat Petrum fieri non Petrum, vel fieri Paulum, nihilo de substantia Petri mutato. mi. Pr. quia substantia sine contradictione potest esse sine quocumq. accidente, cùm sit naturaliter illo prior, ergo ipsa non mutata substantialiter, de hac fieret non hæc per solam accidentium variationem, & similiter non hæc substātia posset fieri hæc, quia potest Deus facere vnam substantiam V. g. panis sub accidentibus alterius.

Dices, hæc ratio procedit per miraculum, & ideo non concludit naturaliter. concedo, sed miraculum non est ad contradictoria, at infert contradictionem, quòd aliquid substantialiter non mutatum, de non hoc fiat hoc, vel è contra. V. g. potest Deus hominē destruere, & ex homine corrupto facere brutum, at non potest hominem non mutatum, facere cum brutum, sic .n. esset, & non esset homo, cùm variaretur substantialiter, & in suis principijs essentialibus, sine quibus consistere non potest, idem de indiuiduis asserendum est. Confirmatur experientia: plura de facto accidētia in vno, eodemq. indiuiduo variantur, semper eodem indiuiduo persistente, quomodo ergo per variam accidentium collectionē indiuiduatur? Tum quia omne accidēs commune, quod dicitur prædicamentale, supponit rē singularē, cui subiectari debet, quomodo ergo indiuiduari potest per id, quod sibi accidit? Pr. assumptum, in hoc.n. differunt accidentia propria à cōmunib. quòd propria priùs insunt naturis communibus V. g. risibilitas prius inest homini, & per hæc accidentia non potest res indiuiduari, cùm sint etiam communicabilia, sicut naturæ communes; accidentia verò communia siue sint absoluta, siue relatiua, primò insunt indiuiduis; & per indiuidua natu-

naturis, vnde ideò dicimus hominem esse album, esse Patrem &c. quia hic homo est albus, est Pater &c. ergo huiusmodi accidentia, indiuidua constituta supponunt, non faciunt.

Probat Scot. 2. ex prioritate substātiæ respectu accidentis ex 7. meth. 4. substantia à toto genere est naturaliter prior omni accidente, hinc inter ea non conuertitur subsistendi consequentia, licèt .n. bene inferatur est accid. ergo est substantia, non tamen è contra est substatia, ergo est accidens, quia substantia non dependet in suo esse, & fieri ab accidente, sed potius è cōtrà, si ergo substantia quò ad totum suum genus est prior accidente, etiam quò ad indiuiduum præcedit accidens; si etenim substantia in communi præcedit accidens in communi, etiam substantia in particulari, præcedit accidens in particulari.

Probat 3. Doctor ex coordinatione prædicamentali, nulla .n. res vnius prædicamenti cōstitui potest per rem alterius prædicamenti, sed substantia, & accidēs sunt duæ coordinationes primò diuersæ, & alterius prædicamenti, ergo substantia hæc constitui non potest ab aliquo accidente. Resp. Mag. Iacob. Brun. q. 12. de gen. art. 4. fol. mihi 294. distinguendo mi. si quantitas consideretur secundum esse formale conc. secundum esse virtuale, & radicale, nego, nam secundum illā considerationem est substantialis, determinatq. materiam ad continentiam formæ substantialis, vt hęc est numero. Sed sic dicendo, quantum ad præsens spectat, Scoti confirmat argum. ergo quantitas, quę secundum esse formale est accidēs, constitui non potest indiuiduationis principium substantiæ quia ad diuersum spectat prædicamentum. accepta verò radicaliter non est amplius accidens, sed substantia à qua ipsa quantitas pullulat.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. neq. rem indiuiduari per ordinem ad hās numero circumstantias extrinsecas agentis, subiecti, loci, temporis &c. est contra Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 94. cap. 7. & contra Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 44. sec. 6. et deinde in meth. disp. 5. sec. 6. & lib. 1. de concursu Dei cap. 7. nu. 4. oppositum docuerit. Patet ex dictis, nam indiuiduātio V. g. caloris hodie producti in manu mea, non potest referri ad agens, quia hoc indifferens est ad hoc, vel illud indiuiduum producendum, ad hunc, vel illum calorem causandum; neq. ex parte subiecti, nam etiam & ipsum indifferens est ad passiuè recipiendum hunc, vel illum numero calorem; neq. ex parte loci, quia calor in manu mea existens indifferens est, vt sit hic, vel in templo, & è contra in eodem loco producuntur ab igne diuersi numero calores; neque ex parte temporis, eadem ratione, quia indifferēs est hic calor, vt hodie, vel cras producatur,

tur, aut in manu mea duret, pluribus .n. partibus temporis idem numero coexistere potest, & in eodē tēpore alius diuersus numero calor produci potuit, ergo nō pōt effect⁹ p ordinē ad has circumstantias indiuiduari, patet conseq. de ratione .n. indiuidui est, vt semper cum suo principio indiuiduationis identificetur, ita vt nec indiuiduū sine tali principio inueniri possit, nec tale principium sine tali indiuiduo, & hoc etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, hoc .n. petit ratio identitatis realis; & tantò magis hoc Recētiores fateri debent, quia nec distinctionem formalem inter naturam indiuiduatam, & principium indiuiduationis astruunt, sed distinctionem solùm virtualem. Sequitur adamussim nostram sent. Arriag. loc. cit. vbi tandem in calce ait: Hinc concludo hac conclusione vniuersali, quamlibet rem, quæcūque illa sit indiuiduari formaliter à seipsa, & independenter à distinctis terminis extrinsecis. quæ conclusio est directè contra Auerroistas, & Thomistas recurrentes pro principio indiuiduationis, vel ad materiā, vel ad formā, vel ad quātitatē, vel ad formā, & materiā simul, vel ad circūstātias &c. quæ omnia sūt termini extrinseci, cùm non idētificentur realiter cū re indiuiduata.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. neq. quantitatem esse principium indiuiduationis. est Scoti loc. & modo ferè communis in omni schola, licèt .n. Thomistæ velint materiam quantitate signatam esse indiuiduationis principium, non tamen id affirmant de sola quātitate per se sumpta, vt Gotfredus asserebat quolibet. *6* q. *16*. & sufficienter probata remanet ex dictis, cùm .n. probatum sit nullum accid. in vniuersum esse idoneum principium indiuiduationis substantię, neq; etiā per quamcumq. eorum collectionem, ita etiam argumenta de quantitate probant, cùm etiam hæc sit accid. commune à substantia realiter distinctū, vt modò contra Nominales supponimus. Attamen subtil. Doct. rationib. illis generalib. non acquiescens, plures adhuc speciales de quantitate depromit, tam physicas, quàm Theologicas; quarum duas tantùm adducā, philosophicā vnā, Theologicā alterā.

Philosoph. sic: substantia prima, vt substantia est, non habet suam entitatem indiuidualem à quantitate, ergo neq. vnitatē, quæ ipsam comitatur. conseq. est clara, antec. Pr. etiam infimus gradus substantię est substantialis, ergo à quantitate præstari non potest, quæ est merum accidēs, & inferioris ordinis. Thomist. qui volunt quantitatem aliqualiter ad substantiæ indiuiduationem concurrere, resp. De ratione indiuidui esse duo, primum, & principale est, quòd sit incommunicabile multis; Secundum, quòd sit ab alijs numeraliter distinctum. Quantitas est principium indiuiduationis, quantum ad hunc secundum effectum, itaut indiuiduū esse

esse actu distinctum ab alijs, habet à quantitate; vnde cùm dr. quantitas est principium indiuiduationis substantiæ, hoc non intelligitur, quasi tribuat illi esse intrinsecum indiuiduale, quia id habet ex vi proprij esse, sed solùm quia distinguit indiuidua, quæ existunt, cùm .n. sint omnia eiusdem rationis, nō possunt distingui, nisi ratione quātitatis. itá Capreol. Sonc. Ferrar. & alij.

Quis risui parceret? Si substantia indiuidua per aliquid de genere substantiæ constituitur in tali esse .f. indiuiduali, quomodo etiam per idem non indiuidualiter distinguetur? Amici non sunt eadem quæso principia cōstitutiua, & distinctiua eiusdem rei? Tum quia, ablata quantitate, per Diuinam potentiā à Petro, numquid propter hoc Petrus transiret in Paulum? Hinc Bānes, bona pace Thomistarum, ait, Ipsi non respondent præpositæ difficultati, nam sic respondentes, cōcedunt quantitatem nō facere differre, nisi differētia quantitatiua, & accidētali, & tamē in præsenti quæritur de principio differētiæ substātialis. quo vnū sit indiuisū in se, & diuisū à quolibet alio substātialiter ponderent Docti, & iudicent.

Theologicè sic Doctor probat: ex hac sent. sequeretur, quòd nullus panis singularis in sacrosancta Eucharistia transubstantiatus esset in corpus Christi, sed hoc est falsū, ergo. Pr. sequela, quia nullum singulare transubstantiatur in aliud, nisi singularitas vnius transubstantietur in singularitatem alterius, sicut .n. substantia non transubstantiatur in substantiam, nisi cuius desitioni succedit esse alterius, sic singulare, nisi cuius desitioni singularitatis succedit alia singularitas, sed cùm panis transubstantiatur in S. Eucharist. maneret singularitas talis panis, seu ratio singularitatis, quæ est eius quātitas per hanc opinionē, ergo tale singulare, seu singularitas nō fuit transubstantiata. Item sequeretur in Eucharistia singularitatem distingui à natura, quam indiuiduabat, quod est impossibile, quia quæ realiter idētificantur, neq. per Potentiam Dei separari possunt, natura autem, & singularitas identificantur realiter ex dictis. Tū quia sicut posset Deus conseruare singularitatem sine natura panis, quem indiuiduabat, ità posset etiam, & maiori facilitate naturam panis sine singularitate conseruare, & ità in tali casu daretur natura communis panis, existens in vniuerso sine singularitate, quod est impossibile, quæ ratio in vniuersum probat naturam indiuiduari nō posse per aliquid à se realiter distinctum.

Scot. loc. cit. in 2. §. *Propter argumenta &c.* lit. E. ponit vnum modū dicendi, ad argumenta illudenda, quem Marginista tribuit Ægidio quol. 1. q. 5. art. 1. & fuit etiam Caiet. lib. de ente, & essentia cap. 2. videlicet, possent dicere Aduersarij, non eos asserere substantiam imme-

immediatè indiuiduari per quātitatē, sed mediatè, s. per aliq̄d a quātitate causatum in materia, quam Ægid. vocat signationē substantiæ contra quam resp. sic Scot. arguit: Si quantitas ipsa, quæ est prior naturaliter ipso causato, non est eadē substantiæ; ipsum quoq; sic à quātitate causatum, minus erit idem ipsi substantiæ; quando .n. aliqua duo recipiunt vnum tertium, quorum vnum est naturaliter prius altero, si prius non est idem realiter illi tertio, neq. posterius ab illo priori causatum, illi tertio identificabitur. quare si substātia ob realem distinctionem, & independentiam à quantitate potest esse sine illa, ita etiam sine illa signatione à quantitate causata; & sic omnia argumenta, quæ contra quantitatem vrgebant, contra ipsam signationē etiam vrgent.

Obiectiones.

Contra primam Concl. ob. 1. aliquib. auctoritatibus à Doct. allatis, quib. ostenditur, indiuidua ex varia accidentium collectione inter se numerò distingui. Porphy. cap. de specie, sic indiuiduum definiuit: *est cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*: & D. Damascenus in sua Dialectica cap. 30. & 42. ait, accidentia esse characteristicas ꝓprietates, quib' tāquā certis notis hypostasis exprimitur. ex quib. & alijs consimilib' testimonijs apparet indiuiduationis principiū esse accidentium collectionem. R. Scot. in 2. dis. 3. q. 4. cit. §. *Ad has Auctoritates &c.* quòd duplex est differentia indiuidualis, vna intrinseca, & in se, alia extrinseca, & quò ad nos; illa est primaria, hæc secundaria. Quando PP. vel Philos. dicunt indiuidua inter se distingui per sua accidentia, intelligūt de distinctione indiuiduali, extrinseca, & quò ad nos, & secundaria; cùm .n. vltimæ differentiæ vt plurimum sint nobis ignotæ, regulariter vnum indiuiduum ab alio secernimus ex differentia suorū accidentium; quia igitur omnem distinctionem numeralem concomitatur etiam distinctio accidētium, idcirco vbi nulla esse potest accidētium varietas, ibi etiam nulla esse potest distinctio numeralis substātiæ. Potest etiam dici cum Doct. loc. cit. quòd Philosophi aliquando acceperint accidentia pro extraneo, iuxta superius dicta, quatenus sunt extra conceptum naturæ, & quidditatis, & illi accidunt, sicut differentia specifica dr. generi accidere. Porphy. propriè loquitur in primo sensu, vt omnes eius expositores declarant; D. . . . verò Damascenus, cum Auicen. & alijs, per accidentia intelligunt propriā, & intrinsecā indiuidualē differentiā, quā vocāt accidēs ꝓ extraneo.

Ob. substantiæ indiuiduæ V. G. Petrus, & Paulus non possunt inter se distingui differentijs substantialibus, quia tunc essentialiter inter se differrent, ergo restat, quòd solùm per accid. distinguantur. R. Scot. in 2. d. 3. q. 6. M. distinguēdo. du-

 pli-

pliciter .n. substantia accipi potest, vel .s. secundum esse formale tantùm, prout importat quidditatem substantialis naturæ secundum rationem genericam, & specificã, vel secundùm esse materiale, quo pacto includit etiam differentiam indiuidualem, quæ licèt sit realiter identificata cum natura, est tamen extra rationem eius, formalem. Si igitur differentia substantialis sumatur, vt dicitur à substantia primo sumpta, sic certum est, quod quæcumque differunt differentia substãtiali, differunt essentialiter, & in hoc sensu differentia indiuidualis, nõ est differentia substantialis, quomodo etiam in hac acceptione Petrus, & Paulus non differunt, cùm sint eiusdem speciei, & naturæ; si verò accipiatur secũdo modo, sic falsum est, quòd quæcumque differunt differẽtia substantiali, differunt etiã essentialiter, licèt .n. indiuidualis sit differentia substantialis, est tñ differẽtia materialis, & diuersæ rationis à differentia essentiali, & specifica.

Contra 2. ob. probando, quòd quælibet res indiuiduetur ex ordine ad has numero causas, & circũstantias temporis, & loci, in quibus primò producitur, hoc medio: Nisi hic effectus V.g. hæc numero forma non esset huic tempori alligata, non posset assignari ratio, cur naturaliter non posset reproduci forma ipsa iam corrupta, ergo asserendum est, eam huic numero tẽpori alligari, quod tempus dum nõ possit postea iterum existere, neque forma reproduci potest. ℞. neg. sequelam, ratio etenim qua, reproduci non potest effectus iam præteritus à causa secunda est, quia Deus decreuit non concurrere ad vnum, & eumdem effectum, nisi semel, vt resplendeat, & cõstituatur varietas indiuiduorum, & causarum in vniuerso, ideoque repugnantia non est intrinseca, ex causarũ, & effectuum natura proueniens, sed ab extrinseco Dei Decreto, vt supra sufficiẽter ostensum est.

Contra 3. arguit Scot. tripliciter, & Primò sic: Quod primò, & per se competit alicui, cuilibet alteri cõpetit per rationem ipsius, sed diuidi in partes eiusdem rationis per se primò conuenit quantitati ex 5. meth. ergo cùm hæc diuisio conueniat substantiæ, vt speciei in indiuidua, conueniet ei per rationẽ quantitatis, & ità quantitas erit ratio distinguendi plura indiuidua sub eadem specie, & consequenter erit principium indiuiduationis eorũ. Secundò: hic ignis non differt ab illo igne, nisi q̃a forma differt à forma, nec forma differt à forma, nisi quia recipitur in alia, & alia parte materiæ, nec pars materiæ est alia ab alia parte materiæ, nisi quia est sub alia, & alia parte quantitatis, ergo à primo ad vltimum, tota distinctio huius ignis ab illo reducitur ad quantitatem, vt ad primum distinctiuum. Tertiò sic: generans generat aliud ob diuersitatem materiæ ex 7. meth. tex. 28. at non est diuersa materia generantis à mate-

ria

ria geniti, nisi quia habet materiam alia quantitate affectam, ergo.

℟. Doct. Duplex est diuisio, vna totius vniuersalis in suas partes, quarum quælibet est ipsum; alia est totius integralis, vel quantitatiui in suas partes, quarum quælibet est hoc aliquid, non tamen est ipsum diuisum. Diuisio in partes integrātes, & quantitatiuas competit alicui beneficio quantitatis, & de hac diuisione loquitur Aristot. loc. cit, Diuisio autē in partes subiectiuas, ex qua oritur multiplicatio, & distinctio indiuiduorum per differētias contrahentes, non est benificio quantitatis, sed sicut hęc diuisio cōuenit generi per differentias specificas, sic conuenit speciei per differentias vltimas, & indiuiduales.

Ad 2. resp. ambas propositiones assumptas esse falsas, nam licèt forma sit in alia materia, non tamen propter alietatem materiæ, est alia forma, cū potius forma afferat distinctionem materiæ, quàm ab ipsa recipiat, sed sicut entitas formæ est distincta ab entitate materiæ, ità quoque sua alietas. falsa est etiam alia præmissa, quòd nempe sit alia pars materiæ, propter aliam partē quātitatis, quia distinctio partium materiæ in se prior est, quàm quātitatis, huius. n. accidētis subiectū est hoc aliquid, & singulare vnde licèt verū sit in alio, & alio igne esse aliā, & aliā formam numero, prima tamē, & pręcisa ratio distinctionis huius ignis ab illo, desumitur à differētia indiuiduali huius ignis, alia à differētia indiuiduali alterius ignis.

Ad 3. resp. materiam generantis, & geniti distingui per quantitatem potest intelligi dupliciter. s. intrinsecè, & primariò, & in hoc sēsu falsum est, nam sic distinguuntur proprijs hæcceitatibus; vel extrinsecè. & concomitanter, & ità verum est, nam ad aliam, & aliam materiam, sequitur alia, & alia quantitas; & in rebus materialibus ex distinctione quantitatiua inferimus, quoque à posteriori distinctionem entitatiuam substantiarum, quomodo autem intelligendus est Arist. 7. meth. dictum est art. 5. an materia sit indiuiduationis principium.

Ob. Alij sic: Diuidatur lignum in decem partes, patet quòd istæ partes sunt indiuidua eiusdem speciei, sunt. n. decem ligna, constat autem non per aliud ab inuicem distingui, & diuidi, quàm per proprias quantitates, ergo quantitas est reuera principium indiuidationis in substantijs materialibus. ℟. cùm lignum diuiditur in decē partes occurrit ibi duplex diuisio, nēpè diuisio ligni, vt totius integralis in suas partes integrales, & quantitatiuas; & Diuisio vt totius vniuersalis in suas partes subiectiuas, quarum vnaquęque recipit pręedicationem ligni in communi. Prima diuisio fit per quantitatē, secunda verò minimè, sed hęc fit p proprias hæcceitates cuiuscumque partis ligni diuisi, & estò vna ligni pars ab alia distinguatur, nō tamen præcisè per quantitatem distinguitur, sed per pro-

propriam entitatem, quod inde patet, quia etiam quantitate sublata, non ob id illa duo ligna fierent vnũ entitatiuè lignum; sed adhuc vna substantia esset ab alia distincta per propriam hæcceitatem; ideoq; non est confundenda diuisio quantitatiua, & entitatiua substantiarũ materialiũ, licèt .n. in huiusmodi substantijs istę diuisiones sint connexę, vna tamen non est alia, sed vna est substantialis, altera merè accidentalis; imò aliquando possunt istæ diuisiones non esse connexæ, & vna ab alia separari, vt bene Mastr. aduertit, si etenim aqua in decem partes diuidatur, vna aqua est ab alia distincta tàm entitatiuè, quàm quantitatiuè; si denuo reuniantur, tunc destruitur distinctio quantitatiua, quæ fit per discontinuationem vnius partis ab alia, nam singulæ aquæ fiunt vna aqua quantitatiuè, quia integrant vnum quantum vnitate continuitatis, non tamen fiunt vna aqua entitatiuè, nã adhuc sub continuitate suas hæcceitates retinent, & verè sunt plures partes, & portiones aquæ entitatiuè, & rursus ab inuicem diuisibiles, & separabiles.

Ob. Distinctio numeralis, & indiuidualis coincidunt, sed principiũ numeri, seu multitudinis numeralis est multiplicatio quantitatis, vnde 6. Phys. dicitur numerus resultare ex diuisione quantitatis continuæ, ergo. ℞. vt supra, non debere confundi vnitatem quantitatiuã cum entitatiuã; vnitas entitatiua, & substantialis cõsistit in indiuisione alicuius in plura seipsa, vnde multitudo plurium Angelorũ non spectat ad prædicamentum quantitatis; vnitas verò quantitatiua cõsistit in indiuisione rei quantæ in plures partes, seu in constitutione omnium partium ad inuicem, sicut opposita multitudo in earum diuisione, de qua vnitate loquebatur Arist. loc. cit. numerus igitur prædicamentalis, qui ex diuisione continui resultat, constat ex pluribus vnitatibus numeralibus quantitatiuis, & in hoc sensu minor est vera, numerus verò trascendentalis de quo loquimur, ex pluribus vnitatibus entitatiuis coalescit, & in hoc sensu est falsa. Arist. sæpè declarat vnitatem, & distinctionem entitatiuam rerum materialium per vnitatem, & distinctionem quantitatiuam, vt nobis notiorem, & familiarem, hinc cùm videmus V.g. partes aquæ ab inuicem diuisas, ex distinctione earum quantitatiua, benè deprehẽdimus etiam distinctionem entitatiuam, & substantialem, quod non ità bene cognoscimus cũ sunt coniunctæ, & continuatæ.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Quodnam sit reuera Principium Indiuiduationis cuiuscumque rei in creatis.

Scot. in 2. d. 3. postquã per quinque quęstiones, maiori solertia qua potuit opiniones, & modos dicendi aliorum de indiuiduationis principio examinauit, & reiecit, tandem quæst. 6. suam posuit sen-

ten-

tentiam, concludens, quòd natura contrahibilis ad indiuiduum, indiuiduatur per aliquid positiuum, .s. per vltimam realitatem cuiuslibet rei, quæ est immediatū. & proximum fundamentum repugnātiæ, vnde sicut differentia specifica genus contrahit ad speciem specialissimam, & indiuisibilem in species reddit, ità hæc differentia indiuidualis contrahit naturam ad indiuiduum, & dat ipsi formaliter, vt sit indiuisibile in plura numero tāquam in partes subiectiuas, & dicitur indiuiduationis principium, & aliquid reale extra intellectum; & communiter vocari solet singularitas, vel indiuiduatio quatenus cōstituit rem, in qua est, indiuiduum, & incommunicabilem, & pręsertim in schola subtilium appellatur hęcceitas, quæ rem facit determinatā, & hāc, quod vocabulum modò frequentissimum est, ne dum in Scotistarum Schola, verumetiam in alijs, vt potè valdè expressiuum differentiæ indiuidualis.

Conclusio.

Dicimus, Principium indiuiduationis omnium rerum creatarum esse differentiam indiuidualem, hæcceitatem appellatam, est Scoti loc. cit. & ferè communis hodie extra Scholam Dominicanam, cum hac differentia, quòd Doct. hanc à natura contracta distinguat, distinctione sua formali, citra opus intellectus, Alij verò distinctione tantùm ratione ratiocinantis, vel ratiocinatæ. Sequuntur Suar. in meth. disp. 5. sec. 2. Arriag. disp. 1. meth. sec. 3. subsec. 9. in fine, Auersa q 9. sec. 9. vbi addit, hanc sent approbari etiā à quibusdam Thomist. & præsertim à Caiet. 1. p. q. 85. art. 7. §. *Ad Argumenta &c.* vbi fatetur dari differentiam indiuidualem ità intrinsecam rei singulari, sicut est differētia specifica speciei. Raguseius etiam, & Sueltanus pręstantissimi Philosophi affirmant hanc sent. de differentijs indiuidualibus, vltimatè res contrahentibus, & distinguentibus non esse nouam, sed vetustissimam Auicen. 5. meth. Plotini, & Procli veterum Philosophorum, quod etiam asserit Fonseca 5. meth. cap. 6. q. 5. & Canon. fatetur ex D. Damasceno in sua Logica Scoti sēt. originē trāxisse, vbi manifestè concedit quosdā gradus vltimos sub natura specifica, tanquam vltimò ipsius determinatiuos. Diximus omnium rerum creaturarum in vniuersum, quia non oportet in varijs rerum generib. varia semper indiuiduationis principia assignare, vt Thomistæ faciunt, sed in quacumq. re, & natura creata, sufficiet pro tali principio vltima eius realitas, siuè substantialis sit, siue accidentalis, siue materialis, siue spiritualis, siue totalis, siue partialis.

Vt magis Scoti sententia pateat, præmittimus primò, certum esse apud omnes, in vna quaq. rē creata, tam simplici, quam physicè composita, dari etiam compositionem methaphysicam, quæ resultat ex gradibus prædicamentalib. generi-

nericis, specificis, & differentialibus, quæ compositio, vt sit aliquo modo realis, & non prorsus per intellectum, ad pluralitatem graduũ prædicamentalium, multiplicandæ sũt quoq. in vnaquaq; re variæ realitates methaphysicæ, quarum aliæ sunt magis communes, aliæ minus communes, aliæ tandem ita huius naturæ, quam constituunt peculiares, vt alij nullo pacto conuenire, & communicari possint. Priores realitates sunt quidditatiuæ, & determinabiles, genericæ, vel specificæ; posteriores verò sunt realitates indiuiduales, & vltimò illorum determinatiuæ, & dicuntur hæcceitates, & primò, & per se incommunicabiles. V.g. in Petro habentur omnes gradus prædicamẽtales à supremo vsq. ad infimum, nempè gradus substantiæ, corporis, animalis, hominis, & Petreitas ipsa, hoc vltimo excepto, qui est gradus indiuidualis, omnes priores gradus sunt quidditatiui, generici, vel specifici, secundum quod sunt magis, vel minus communes multis, & sola Petreitas, quæ est vltimus gradus prædicamentalis est per se primò singularis, & incõmunicabilis, & cum priorib. omnibus Petrum constituit.

Et quòd dentur huiusmodi gradus prædicamentales in eadem re, est receptissima doctrina in vtraq. schola; volentes .n. Thomistæ probare quòd intellectus sit nobilior potentia, quàm voluntas, sic discurrunt apud M. Iacob. Brun. q.13. de an. art. 2. Illa potentia est simpliciter perfectior, quæ habet obiectum formale nobilius, sed intellectus habet obiectum formale perfectius, & nobilius, quàm voluntas, ergo intellectus est potentia simpliciter perfectior voluntate. Probant mi. Illud obiectum est nobilius, & pfectiùs quod est simplicius, & abstractius à materia, vnde perfectior est color vt sic, seu natura specifica, aut quidditas coloris, quæ non potest attingi, nisi ab intellectu, quàm talis numero color, qui etiam percipitur à sensu &c. quod robur hoc argumentum habet contra Scot. qui vult voluntatem esse potentiam absolutè nobiliorem, videbitur Si Domino placuerit in lib. de anima. Pro modo sufficit nobis, quòd etiam ipsi Thomistæ admittunt gradus superiores, & inferiores, quidditatiuos, seu specificos, & numericos, & quorum vnus est abstractior, & non percipitur nisi ab intellectu, alter verò materialior, & singularitate existẽtia concretus, qui etiam percipitur à sensu. Qua ratione igitur in illa controu. de natura communi, admittere nolunt nisi tantùm singularia? Vel natura specifica, seu quidditas est ens reale à parte rei, vel est ens rationis? Si primum, ergo frustra vniuersale in essendo in singularibus inclusũ impugnãt; Si secundum, nihil agunt, probantes intellectum esse nobiliorem potentiam voluntate ex parte obiecti nobilioris; quod .n. nobilius est,

ens

es rónis, an es reale? Ex qua doctrina deducitur etiā distinctio ex natura rei formalis inter gradus superiores, & inferiores, si.n. intellectus tantùm percipit gradus specificos, sēsus verò gradus numericos, ergo verè à parte rei non sunt vnica, & eadem formalitas, aliter intellectus non perciperet vnū, quin non perciperet alterum, & sic etiam de sensu &c. Recursus ad distinctionē virtualē non sufficit, verè .n. à parte rei datur natura specifica, sicut verè à parte rei dantur indiuidua sub ipsa specie.

Præmittimus 2. Scoti Doctrinā q.6. cit. F. vbi eruditè hanc indiuidualem differētiam specificam declarat: Sicut differentia specifica, ait, ad tria comparari potest, .s. ad id, quod est infra se, ad id quod est supra se, & ad id quod est iuxta se, sic etiam indiuidualis differentia. Si differentia specifica comparetur ad id, quod est infra se, sic ipsi per se primò repugnat diuidi in plura, quæ essentialiter, & specie distinguntur; & similiter si differentia indiuidualis comparetur ad ea, quæ infra se sunt, sic illi primò per se repugnat diuidi in plura, quæ numero differunt. Attamen, quia vnitas naturæ specificæ minor est hac vnitate numerica, & indiuiduali; hinc differentia specifica, & numeralis adhuc differūt, quia illi nō repugnat simpliciter omnis diuisio, cùm ei nō repugnet diuisio numerica, differētiæ vero numericæ omnis diuisio repugnat, cùm hæc vnitas sit maxima vnitas. Si differentia specifica cōparetur ad id, quod est supra se, nimirum ad genus, tūc comparatur ad illud, sicut actus ad potentiam, ipsām determinans, quę realitas, vnde sumitur genus, potentialis est ad illam, à qua sumitur differentia specifica, differentia .n. in compositione speciei se habet vt actus, genus verò vt potentia; & realitas differentiæ specificæ formaliter non includitur in realitate generis, nec è contra, quia tunc esset species, non pars speciei, vt abunde exaratum est in Logica; sic etiam à pari, si differentia indiuidualis comparetur ad id quod est supra se .s. ad naturam specificam, quam contrahit ad esse indiuidui, tunc se habet ad eam vt actus determinans ad entitatem potentialem, & determinabilem, sicut .n. differentia specifica contrahit, & determinat realitatem generis ad speciem, ita differentia indiuidualis naturam contrahit specificam ad indiuiduum. Cæterùm etiam inter vtramq. differentiam est ex hoc capite discrimen, nam differentia specifica constituit in esse specifico, & quidditatiuo, differentia verò indiuidualis cōstituit in esse numerico, & materiali. Si tandem differētia specifica comparetur ad id, quod est iuxta se .s. ad differentiam specificam oppositam, sic est ab illa primò diuersa; & similiter si differentia indiuidualis vnā ad aliā comparetur, est ab illa primò diuersa, nec realitatem habet com-

munem, aut conceptum quidditatiuum in tali realitate fundatum, in quo conueniunt, sed tantùm conueniunt in conceptu inadæquato, vt in log. dictum est. Verùm quia differentiæ specificæ possunt esse vltimæ, & non vltimæ, vltimatæ simplicitatis, cùm dentur etiã species, & differentiæ subalternæ, hinc illæ differentiæ specificæ solùm sũt primò diuersæ, quæ vltimæ sunt, differentiæ verò indiuiduales, quia omnes sunt vltimatæ simplicitatis, õnes quoq. & singulæ primò diuersæ cẽsentur.

Addit Bassol. ad maiorem explicationẽ Doct. quòd adhuc duplex est dissimilitudo inter differentiam specificam, & indiuidualem. Prima est, quia illa pertinet ad esse quidditatiuum speciei, & eam constituit in esse quidditatiuo, nempe in esse quod exprimitur per definitionem; at differentia indiuidualis nec pertinet ad quidditatem indiuidui, nec illud in esse quidditatiuo constituit, cùm eius diffinitionem non ingrediatur, quamuis ad entitatem indiuidui intrinsecè spectet, entitas n. & quidditas vt in proposito accipiuntur, non sunt idẽ, sicut Arist. innuit. 7. meth. vbi docet, quodquid est, differre ab eo, cuius est, ità quod natura specifica estò dicat totam essentiam indiuidui, non tamen totam eius entitatem, nisi identicè, & realiter. Alia dissimilitudo est, quia differentia specifica contrahit genus tãquam aliqua realitas perfectior, & completior, vel nobilior quàm sit genus secundum se, sed differentia indiuidualis non contrahit naturã specificam, tamquam differentia formalis nobilior, ac pfectior ipsa natura contracta, sed potius vt differentia materialis, imperfectior; Non tamẽ materialis dicitur, quia sit materia, quæ est altera pars cõpositi, sed quia dat indiuiduo esse vltimum subijcibile omnibus gradibus eiusdem generis de ipso prædicabilibus, in quo assimilatur materiæ, quæ omnibus subijcitur; vel q̃a cõtrahit naturam ad esse indiuiduale, quod nõ pertinet ad cõceptũ quidditatiuum, nec ad quidditatẽ alterius, quàm Arist. frequenter vocat formam, indiuiduum verò, vel differẽtiam indiuidualem appellat materiam.

Quòd aũt differentia indiuidualis non pertineat ad quidditatem, inde patet, quia oĩs quidditas est communicabilis, & plurificabilis secundum se, non sic differentia indiuidualis. Item differentia indiuidualis se habet ad naturam specificam sicut actus ad potentiam, actus autem semper est alterius rationis à potentia subiectiua, vel contrahibili per ipsã, ex qua doctrina infertur distinctio formalis ex natura rei inter hæcceitatem, & naturam, sicut inter genus, & differentiam, implicat n. à parte rei quòd eadẽ realitas sit potẽtialis simul, & actuans; & contrahibilis, & contrahens; nec distinctio virtualis sufficit, hæc. n. non mutat res, & realitates rerum,

nec

nec distinctionem ponit vbi reuera nõ est, sed solùm inadæquatè ex imperfectione intellect⁹, ponit distinctionem vbi non est, reuera tamen semper à parte rei remanet eadem res, quæ erat ante, vel post talem conceptibilitatem.

Aliqui Thomistę differẽtias indiuiduales cum Scoto admittentes, vt gradus infimos vltimò naturã contrahentes, renuunt tamen illos se habere per modum actus respectu naturæ, sicut se habet differentia specifica respectu generis, sed potiùs natura specifica contrahitur sicut actus per suam potentiam, ac propterea quando natura specifica ad gradum indiuidualem descẽdit, nõ perficitur, sed potius imperficitur. Reddit huius rationem Blas. à concept. disp. 3. meth. q. 1. num. 3. si etenim natura specifica ad gradum indiuidualem descenderet per modum potentiæ, ab eo perfectibilis, tunc non diceret species essentiam omninò completam, & perfectam, nam hac præcisè de causa genus dicit essentiam incompletam, quia descendit ad gradum specificum per modum potentiæ ab ea perfictibilis.

Non placet, & ratio est; quia reuera differentia indiuidualis comparatur ad naturam specificam, vt actus ad potentiam, nam se habent ad inuicem, vt contrahens, & contrahibile, determinans, & determinabile, at quando aliqua duo ita ad se inuicem comparantur, vtique se habent vt actus, & potentia. Ex hoc autem non sequitur, quòd differentia indiuidualis sit simplicior, & nobilior, & perfectior ipsa natura contracta, sed sufficit, vt dicatur perfectior tantùm secundum quid, quatenus .s. rationem habet actus; patet de accidente, quod quidem actuat, & aliquo modo perficit substantiam, & tamen non est simplicius, & perfectius, quia illi solũ affert perfectionem secundum quid, cùm illam non perficiat, & actuet substantialiter, sed tantùm accidẽtaliter. Actus igitur est perfectior potentia sibi correspondente cæteris paribus, quo pacto differentia indiuidualis non perficit naturam specificam, sicut differentia specifica perficit genericam, quia hæc spectat ad rei quidditatem, sicut realitas generica, ideoque ipsam perficit in ordine essentiali, & quidditatiuo, ac propterea est ipsa pfectior; at differentia indiuidualis est extra ordinem quidditatum, estque differentia materialis, non formalis, ac proinde non sequitur, quòd sit simplicior ipsa natura, sed solùm secũdum quid; ità huic difficultati occurit Tromb. 5. meth. art. 4. & sequitur Mastr. ex qua doctrina respondetur ad Blas. neg. conseq. cũ sua probatione, non .n. ideo genus dicit essentiam incompletam, quia ad gradum specificum per modum potentiæ ab eo perfectibilis quomodocumque descendit, quia sic etiam substãtia diceretur incompleta respectu accidẽtis, à quo suo modo actuatur, sed ideo genus dicit

 essen-

essentiam incompletam, quia est perfectibile à differentia specifica iuxta eumdem ordinem, & modo quidditatiuo. Addit Mastr. etiam prima substātia perfectior est quacumque secunda, hinc dicitur maxima substantia, at secundæ non superaddit, nisi differentiam indiuidualem. ergo negari nō potest quin hæc differentia aliquam perfectionē in genere suo addat naturæ specificæ. Tum etiam quia multi Thomistæ affirmant, vnam animam esse substātialiter alia perfectiorem, quò ad gradus indiuiduales, quod asseri non potest, nisi dicatur differentiam indiuidualem aliquam addere perfectionem supra naturam specificam, ratione cuius vnum indiuiduum aliud excederet in perfectione indiuiduali.

His præhabitis. Pr. concl. à Doctor. loc. cit. q. 6. §. *Ad Quæstionem &c.* lit. C. Ità differentia indiuidualis se habet ad indiuiduū, sicut differentia specifica ad suam speciem, sed differētia specifica, quia genus determinat ad certam speciem, dicitur principiū specificationis, ergo & differentia indiuidualis, quia speciem determinat ad hoc numero indiuiduum, verè est, & dicitur principium indiuiduationis. Tum quia illud est principiū indiuiduationis, quod vnitas numerica consequitur, tamquam propriam entitatem, quælibet .n. vnitas realis suā propriam sequitur entitatem vt eius passio, sed hoc nequit aliud esse, nisi differentia indiuidualis, ergo. ma. patet, min. probatur, quia vnitas numerica sequi non potest entitatem specificam, cùm hæc propriam habeat vnitatem minorem vnitate numerali, vnitas .n. specifica stat cum multitudine numerali. Tum quia illud est indiuiduationis principium per quod indiuidua intrinsecè distinguuntur, cùm idem sit principium cōstitutiuum, & distinctiuum, sed indiuidua differentijs indiuidualib. intrinsecè distinguuntur, non .n. per entitatem naturæ, cùm in ipsa potius conueniāt, ergo. Tum tādem, quia indiuiduationis principium illud est, quo indiuiduum excedit naturam, sed hoc non est, nisi differētia indiuidualis, hanc .n. indiuiduum superaddit naturæ, ergo &c.

Resp. Aliqui Thomistæ cum Caiet. Iauel. Bannes, & alijs, reuera negari non posse huiusmodi indiuiduales differentias, quibus specifica natura contrahitur, sicut generica per differentias specificas, imò hoc esse propriū, & formale principium indiuiduationis, ait Bann. lib. 1. de generatione, qu. 10. art. 2. neque in hoc ait, est controuersia inter Scot. & D. Thom. sed solùm discrepant in assignanda radice, & fundamento, vnde talis differentia sumatur, quæ hæcceitas appellatur, nam Scot. imaginatur, q. differentia indiuidualis sumatur ex parte formæ, D. autem Thom. ex parte materiæ signatæ; At sic dicēdo, iam nobis illi conueniunt in formalitate principij indiuiduationis,

nis, quod aliqui mordicus negant. Quòd deinde materia signata esse non potest indiuiduationis principium, cùm in eorum sent. compositum sit subiectum accidentium, iam supra digestum est. Quod Bannes Scoto imponit, quòd s. differentia indiuidualis sumatur ex parte formæ partis fallitur, cùm Doct. tales differentias etiam in substantijs separatis, & accidentibus agnoscat, quæ materia, & forma partis caret, sed per formam Scot. intellexit formam totius, seu naturã indiuiduandam, quam dicit indiuiduari per vltimam eius realitatem, ab ipsa natura formaliter distinctam. Falsum est etiam quod ait Ripa, Scot. per hanc suam positionem non satisfacere quæsito, quia videtur dicere, naturam esse singularem sua singularitate, de quo nullus dubitat, & ideo inquirendum adhuc remanet, à quo velut à fundaméto proximo, & intrinseco hanc singularitatem obtineat. Non valet, Scot. .n. non solùm dixit naturam esse singularẽ sua propria singularitate, quo ad principium formale denominandi, sed etiam declarauit, quid sit principium talis denominationis, asserẽs esse vltimam naturæ realitatem positiuam, & formaliter distinctam ab ipsa natura contracta.

Per hoc etiam satis. ad M. Iacob. Brun. q. 12. de gen. art. 1. vbi ait; licèt concedere possimus Scoto, quòd principiũ formale proximũ, & methaphysicale indiuiduationis sit differentia indiuidualis, quæ ab ipso vocatur hæcceitas, eo quod indiuiduatio in differẽtia indiuiduali posita est, negare tamen omnino debemus, quod indiuidualis differentia sit principium radicale, & physicum indiuiduandi; Ratio est, quia sicut vnitatis specificæ principium radicale non est differentia, sed forma, à qua sumitur differentia, ita primordiale principium indiuiduationis, non erit differentia indiuidualis, sed id à quo talis differentia causatur; indiuiduatio .n. debet habere aliquod principium physicum, ex quo ipsa dimanet, & non tangit opinio Scoti. hæc Præfatus Doctor, qui adamussim Scoti sent. amplectitur, nos .n. in præsenti controu. de principio proximo formali, & methaphysico loquimur, ex quo illa formalis denominatio oritur, vt natura indiuidua, hæc, & singularis dicatur, & ipse nobiscũ fatetur hanc esse differentiam indiuidualem, a Scoto hæcceitatem appellatam, quod deinde desiderat principium radicale, primordiale, remotum, & physicum, ex quo ipsa hæcceitas dimanet, iã diximus hoc esse quamlibet naturam creatam, siue materialis sit, siue spiritualis, siue substantia, siue accidens, ita vt ex entitate physica materiæ, accipiatur pro principio indiuiduationis vltima eius realitas, quæ vocatur hæcceitas, sic ex entitate formæ, ex entitate compositi &c. reuera tamen cõtrouersia est de principio proximo, immediato, & methaphysico.

Obiectiones.

Ob. Aliqui Thomistæ apud Flandriam 7. meth. q. 22. art. 7. Ista hęcceitas, aut est aliquid diuersum à materia, & forma signatis, aut nõ; Si non, ita Scot. est cum Thomist. si sic, aut est substantia, aut accidens, aut nihil; Si nihil, pro nihilo reputatur, si substantia, aut materia, aut forma, aut compositum; nolunt Scotistæ esse materiam, & formam, ergo erit compositum, & consequenter se ipso indiuiduũ, quod Scot. non concedit. Si accid. aut respectiuum, aut absolutum, non primum: quia respectiuum est posterius absoluto, si absolutum, hoc potissimum erit quantitas, sed etiam hanc scotistæ respuunt, ergo nihil.

℟. ad hoc argum. teneri etiam illos Thomistas, qui cum Scoto admittunt hæcceitatem esse principium formale indiuiduationis rerum, & solum controuersiam remanere inter duas scholas de radice, & fundamento talis hæcceitatis &c. ℟. igitur ad argum. differentiam indiuidualem, seu hæcceitatem formaliter, nec esse substantiam, nec accidens, sicut .n. non includit formaliter ens quia habet conceptum simpliciter simplicem ex Doct. in 1. d. 3. q. 3. §. *Contra istam &c.* ita neq; includit formaliter partes subiectiuas entis, quæ sunt substantia, & accidens; licet autem non sit quidditatiuè hoc, vel illud, realiter tamen, & identicè, est vnũ, vel alterum; Vnde hæcceitas illa, quæ substantiam determinat ad esse indiuiduale, est realiter, & identicè substantia, illa quæ determinat accidens, est realiter, & identicè accidens, sic etiam in accidentibus relatiuis, & absolutis; si est vltima realitas materiæ, est identicè & in obliquo materia; si est vltima realitas formæ, est identicè, & realiter forma; si est vltima hæcceitas, & realitas compositi, est identicè, & realiter compositum, & in hoc sensu etiam concedimus compositum esse seipso realiter indiuiduum, non tamen seipso formaliter, & per suã essentiam, sed per aliquam realitatem sibi superadditam, identificatam, quæ est per se primò incommunicabilis, idem de relatiuis &c.

Ob. Soncin. Si quælibet res indiuiduatur per propriam hæcceitatẽ, sequitur in composito physico tres esse hæcceitates .f. materię, formæ, & compositi, ideoq; tria indiuidua, sed hoc est falsum, ergo. Pt. mi. nam ex hoc sequeretur dari in composito plures existentias, vnum quodq; .n. indiuiduum propriam possidet existentiam. 2. sequeretur formam non vniri immediatè materiæ, sed mediante illa realitate, qua forma fit hæc, quatenus intimior est formæ, quam ipsa vnio. 3. sequeretur, quòd materia separata ab õni forma, non solum esset in actu entitatiuo, sed etiam formali, quia materia sic separata haberet suã propriam hæcceitatem, quæ illam determinaret, determinare autem est proprium actus formalis, quia om-

ne sic determinans habet modum cuiusdam qualificantis.

℞. cum Mastrio, Si totum ponatur distingui realiter à suis partib', vt in nostra schola, nullum reputatur inconueniens, tres reperiri in composito hæcceitates, sicut tres sunt entitates, duæ partiales, & incompletæ, s. materiæ, & formæ, & altera totalis, quæ est compositi; Si verò ponatur totum non distingui realiter à suis partibus vnitis, & simulsumptis, tunc totum non egebit hæcceitate distincta ab hæcceitatibus partium, sed erit hoc per hæcceitates partiũ simul sumptas, & tunc saltem erunt duæ hæcceitates, & duo indiuidua incompleta, quia neq; materia indiuiduat formam, neq; hæc materiam, sed semper etiam sic vnitæ in toto permanentes distinguuntur realiter. Neq; ex his aliquod sequitur absurdum. Non primum, cùm .n. tam materia, quàm forma proprias habeant essentias, & existentias partiales, & incompletas in composito, vt in physica decisum est, nullum absurdum est ponere etiam existentiam compositi completam ex illis coalescentem. Neq; secundum putatur absurdũ, nempè formam vniri materię mediante sua hæcceitate, quia materię non potest vniri nisi forma singularis, & existens; neq. ex hoc diceretur vniri mediatè, quia nihil mediat ab ipsa forma realiter distinctum, cùm talis hæcceitas sit ipsi formę realiter identificata. Nec tandem 3. sequitur absurdum, hæcceitas etenim non est actus physicus, sed metaphysicus, determinatio autem quæ est propria formæ, seu actus formalis physicus, non est determinatio quoad esse indiuiduale, sed quò ad esse specificum; etiam differentia specifica est actus respectu generis, & tamen non est forma physica, sic pariter dicendũ de differentia indiuiduali.

Ob. 3. Alij: si ad multiplicationem entitatum physicarum plurificantur hæcceitates in composito, ita quoq; ad multiplicationẽm formalitatum methaphysicarum multiplicandæ erunt, & sic cùm in Petro sint plures naturæ communes indiuiduabiles, nimirũ gradus hominis, animalis, viuentis, corporis, substantiæ, consequenter tot hæcceitates assignare oportebit, quib. illæ naturæ communes indiuiduẽtur, ex quo tandem sequitur in eodẽ indiuiduo esse plura indiuidua, nempe hunc hominem, hoc animal, hoc viuens, hoc corpus, hanc substantiam, iuxta Scoti doctrinam in 4. d. 8. q. 2. O. admittẽtis indiuidua generica, respondent aliqui cum Poncio in log. disp. 6. q. 9. nu. 73. gratis hoc concedentes sine aliquo inconueniente. Verùm, oppositũ probabilius censetur, quòd .s. per vnicam hęcceitatem omnes gradus communes indiuiduentur, qui sũt in prædicamento, & illo eodem ordine seruato, quo inter se à parte rei in prædicamento ordinantur, vt .s. per Petreitatem priùs indiuiduetur homo primitate immediationis,

ius, postea animal, deinde viuens, corpus, & substantia; nam licet simpliciter, & absolutè loquendo de illis gradibus, vt sunt naturæ, & quidditates, Petrus prius dicatur substantia, deinde corpus &c. non tamen prius dicitur hęc substantia, hoc corpus, hoc viuens, sed prius hic homo, hoc animal &c. ratio est, quia natura generica nō vnitur indiuiduationi, nisi mediante natura specifica, quod ita probatur. Differentia indiuidualis comparatur cum natura, quam determinat, sicut actus cum potentia in ordine ad compositionem methaphysicā, hæc autem debent esse inter se proportionata; itaut potentia sit perfectibile proportionatum actui; sed gradus solùm specificus est perfectibilis proportionatus cū hęcceitate, vt per ipsum immediatè determinetur, genericus verò tantùm mediatè, s. mediante specifico, ergo natura specifica est illa, quæ primò, & immediatè indiuiduatur. Ma. patet, mi. Pr. differentia indiuidualis, quæ nō nisi materialiter perficit, & ad esse indiuiduale contrahit, supponit naturam, quam determinat, esse essentialiter completam, seu habere vltimum complementum essentiale, sed gradus tantùm specificus est ita essentialiter completus, non genericus, ergo solùm gradus specificus est immediatè actuabilis, & contrahibilis per differentiam indiuidualem, genericus verò, non nisi mediatè.

Confirmatur à pari de differentia specifica, nam rationalitas v. g. quæ immediatè afficit animal, sufficit vt mediatè specificet omnes gradus superiores s. gradum viuentis, corporis, & substantiæ, neq; distinguuntur varij gradus rationalitatis, vnus pro contrahenda animalitate, alter pro corporeitate &c. sed vnus sufficit pro omnib. ergo sic etiam de differentia indiuiduali asserendum erit. Ita Mastr. loc. cit. & quidem satis rationabiliter, vt innuimus in log. disp. 4. art. 3. esto admitti debeant indiuidua generica, & incompleta, hoc tamen minimè intelligendum est à parte rei, quia omne tale sub aliqua specie infima continetur ex Doct. in 2. d. 12. q. 2. B. sed solùm admittitur apud intellectum inadæquatè, & confusè concipientem, vt patet exemplo de veniente à longe, quod ex motu apprehēditur esse aliquod animal, sed non an sit equus, vel leo &c. hic autem loquimur de naturis rerum prout existunt, & indiuiduantur à parte rei, ideoq; non valet assumpta paritas de entitatib. physicis, & methaphysicis ad multiplicationem entium physicorum vtiq; multiplicari debent hæcceitates pro singulis, quia singulæ sunt res propriam essentiam, & existentiam habentes, vt constat de materia, & forma, quæ vna potest ab alia separari, & sine illa existere, & consequenter non possunt eadem singularitate indiuiduari; at formalitates metaphysicæ non sunt ab inuicem realiter distinctæ, neq; pro-

priam habent essentiam in rigore dictam, & existentiam, sed in eadem re physica sunt omnes, & singulę per identitatẽ immersæ, ad cuius existentiam existunt, ac propterea sicut in eodem indiuiduo pro omnibus gradibus prædicamentalibus vnica sufficit existentia, ita etiam & vnica hæcceitas.

Arguit Caiet. de ente, & essentia cap. 2. q. 4. Actus singularis supponit potentiam singularem ex 2. physs. 38. hæcceitas est actus singularis, ergo supponit naturam, vt potentiam singularem, ergo non eam reddit talem. Item quidquid conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri eiusdem speciei, supponit eorum distinctionem per Scot. quol. 2. aliàs non magis vni repugnaret, quam alteri, sed Petreitas conuenit Petro, & repugnat Paulo, ergo supponit ea indiuidualiter distincta, & ita non est indiuiduationis principium. Tandem, non solùm indiuiduationes conueniunt ratione indiuiduationis vt sic, sed indiuiduationes vnius speciei conueniunt cùm indiuiduatione eiusdem speciei magis quàm cùm indiuiduationib. alterius speciei, ergo non sunt principia indiuiduationis, quandoquidẽ per Scot. hæcceitates debent esse primò diuersæ, ne detur processus in infinitũ. quæ argumẽta tangũtur ab Aureolo in 2. d. 9. ℞. 1. argumenta hæc etiã Thomistas vrgere, ac cõsequẽter ad eorũ solutionem ipsos teneri; siue. n. principiũ indiuiduationis ponatur hæcceitas, quã ipse amplectitur cũ plurib. Thomistis, siue materia signata, siue quantitas, siue quodcumque aliud, semper argumenta vrgent. Et quò ad primum, si actus singularis supponit potentiam singularem, peto; Principium indiuiduationis quod ipse ponit quodcũque illud sit, supponit ne potẽtiam singularem, an communem? si singularẽ ipsemet se suo iugulat gladio; quia sic tale principium, quodcumque illud ponat, frustratorius, & vanus erit, si potentiam singularizatam inuenit; si communem, assumit falsum. Secundũ pariter contra ipsos vrget, quidquid. n. indiuiduationis principium Petri ponatur, ita Petro conuenit, vt repugnet Paulo, & consequenter non constituit, sed supponit illa distincta. Tertium tandem etiam ipsos vrget, quia etiam vna materia signata vt sic, conuenit cum alia in ratione signationis; & materiæ signatæ indiuidui vnius speciei, magis inter se conueniunt, & assimilãtur, quàm materiæ signatæ pro indiuiduis diuersæ speciei. quid inde?

℞. modò ad 1. illam Arist. auct. intelligendam esse de actu, & potẽtia physicis, ac realiter distinctis, vt sunt materia, & forma, hæc. n. forma non potest materiam informare, nisi etiam materia sit hæc per suam hæcceitatem, non autem valere de potentia, & actu methaph. formaliter tantùm distinctis, vt se habent singularitas, & natura. Ad 2. ma. est falsa, vt à Caiet. assumi-

tur, aliter posset etiam accipi ad probandum rationale,& irrationale non esse vltimas differentias specificas, cùm posset sic argui, rationale conuenit homini, & repugnat leoni, ergo non facit, sed supponit distinctioné hominis à leone, quod est falsũ. Scot. auté ibi loquitur de aptitudine animæ ad corpus, quam ait, non esse primã rationẽ animæ constitutiuam in esse indiuidui, quia conuenit illi per modum passionis consequentis, quod autem sic conuenit vni indiuiduo, & alteri repugnat, verum est, quòd illa non constituit in tali esse, sed supponit; si autem illud, quod conuenit vni indiuiduo, vel speciei, repugnat alteri, vt prima constitutiua illius, vt in casu est de hęcceitatibus, sic non præsupponit distinctionem, sed efficit,& ideo quia Caiet. proportionem illam non in eo sensu accipit, quo Scot. mirum non est, si in Scoti ore sit vera, in ore verò Caiet. falsa. Ad 3. indiuiduationes naturarum eiusdem speciei magis inter se conuenire, quàm diuersarum, solũ concomitanter, & indirectè, quatenus. s. naturæ quibus identificãtur, sunt eiusdem rationis, non autem formaliter, & directè, quasi illas naturas quidditatiuè includãt; neque talis conuenientia tollit primò diuersitaté ab ipsis, quia nõ ob id conuenire dicuntur in aliqua ratione cõmuni de illis quidditatiuè dicta, sed cõueniũt tantũ in cõceptu inadequato, vt sæpius dictũ est.

Ob. Bann. natura non potest fieri indiuidua per aliquod cõmune, quia ex hoc medio semper Scot. aliorum opiniones impugnat; sed hæcceitas est quid commune, ergo. Pr. mi. nã omnes hæcceitates particulares conueniũt nomine, & ratione hæcceitatis, ergo est de se quid commune, non minus quam quælibet alia natura cõtrahibilis, & consequenter indiuiduationis principium esse nequit. hoc est reuera præcipuũ argum. quod in hac materia effici potest. Sed iam solutum fuit art. 3. ad 2. Auersæ, & frustra de eo Thom. gloriãtur, fuit. n. speculatio Aureoli, Scoti alumni, & in schola subtilium nutriti, quod etiam ex nostris refert Canon. 1. phys. q. 6. & & vrget etiam omnes illos, qui nobiscum principia indiuiduationis admittunt, quomodocumque. n. sumantur, semper erũt similia in ratione indiuiduandi.

Ob. Si indiuidua inter se ab hæcceitatibus differũt, ergo ità inter se differunt duo indiuidua eiusdem speciei, vt Petrus, & Paulus, sicut duo diuersarum specierum, sed hoc est falsum, ergo. Rº. neg. sequelam, non. n. tãta esse debet distinctio in constitutis, quanta in constituentibus, principia indiuiduãtia semper censentur primò diuersa, licèt aliqua eamdem naturam communem participare possint, alia verò minimè. ad quod argum. tenentur etiã illi omnes, qui principium quomodocũque indiuiduationis assignãt, principia. n. indiuiduantia semper censentur primò diuersa.

Ob.

Ob. Si indiuiduum vltra naturā specificam. habet etiam illam peculiarē entitatem, quæ dicitur differentia indiuidualis, diuisa, aqua in guttas, tot nouæ nascerentur entitates, quot fuerint guttæ, totque rursus peribunt, si eædem denuò coadunentur, at hoc est falsum, per illam .n. diuisionem, & coniunctionem nulla aqua generatur, aut corrumpitur. ℞. cum Bassol. & sequitur Mastr. quòd sicut ibi nulla interuenit generatio, & corruptio substantialis aquarum, sed solùm noua diuisio, aut compositio totius alicuius integralis, quod per nos nō est realiter à suis partib. distinctum, ità nulla generatur de nouo hæcceitas, seu singularitas, sed partes aquæ siue vnitæ sint, siue diuisæ, semper suam seruant vnitatem, & distinctionē entitatiuam, & consequenter suas quoque intrinsecas hæcceitates; vnde solùm mutatur vnitas, vel distinctio quantitatiua, quæ consistit in acquisitione, vel deperditione indiuisibilium terminantium, vel copulātium illas partes ad inuicē, & fuit doctrina Scoti in 4. d. 12. q. 4. I.

Dices, Naturā est causa methaphysica vltimæ realitatis, seu hæcceitatis, ergo non poterit hæc deinde esse principium indiuiduationis eius. Pr. consequ. alias idem esset principium, & principiatum, causa, & causatum. natura esset principium, quia ab ipsa hæcceitas dimanat, & deinde esset effectus, quia est indiuidua constituta per eamdē hæcceitatem. ℞. neg. conseq. & ad probat. dicimus non esse inconueniēs idem esse causam, & causatum in diuerso genere causæ; sic materia est causa formæ quò ad esse materiale, & potentiale, & forma est causa materiæ in esse formali, specifico, & determinato. Subiectum est causa caloris in genere causę efficiētis, & idem calor est causa formalis respectu subiecti calidi. Natura est causa methaphysica emanatiua respectu risibilitatis, & hæc est causa formalis respectu hominis formaliter risibilis; Sic in casu, natura est causa efficiens methaphysica hęcceitatis, sed hęc est causa formalis, & qua, ipsa natura dicatur, hæc, & singularis; Vnde propositio illa, idem non potest esse causa, & causatum &c. valet tantùm de causalitate essendi absolutè, & quò ad actum primum, & in eodem instanti naturæ. sicut igitur homo in primo instanti naturæ non dicitur formaliter risibilis, sed in secundo instanti, quando intelligitur emanare risibilitatem, sic de natura, & hæcceitate philosophandum est. Plura alia argumenta solēt pro Aduersarijs adduci, quæ libēter omittimus, tùm breuitatis gratia, tùm quia ex dictis facilè diluuntur.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Primus Numerus Paginam, Vltimus Columnam designat.

A

C

Con-

N.

Nutri-

FINIS.

DISPVTATIO VNICA
CIRCA LIBROS
DE COELO, ET MVNDO
In aliqua Dubia diuisa.

Postquam Arist. in octo libros Phys. de Principijs Corporis naturalis in communi egit, ac eius affectionibus, relicto deinde ordine doctrinæ, qui exposcebat, vt à libris de generatione, tamquam à familiaribus nobis, & magis notis inciperet, ordinem seruauit naturæ, à Generalissimis ad perfectiora, & nobiliora descendendo; & primò hoc opus in quatuor libros distributum composuit; At ordinē, quem ille optimo fine reliquit, ego rationabili causa arripui, priùs de Generatione, & Corruptione agendo, vt à nobis notioribus, postea de Cælo, & Mundo, ac eius partibus disserēdo. Ad hunc ordinem seruandum me impulit materia, & tractatus, qui in his libris agitantur, hic .n. de multis agitur, quæ ad Astrologos spectant, vbi quia non possunt demostrationes, vel rationes conuincentes adducere, sed omnia per experientias, & coniecturas diuinant, in quibus etiam experientijs nec ipsi Astrologi conueniunt, inde in eorum consideratione tepescit intellectus; in libris verò de Generat. & Corrupt. celeberrimæ instituuntur controuersiæ, vt iā infra videbimus; nā illa, quæ in lib. Phys. in genere, & in vniuersali speculātur, in lib. postea de Generat. in specie, & in particulari, delectabiliter traduntur, conclusiones semper in suas causas, & principia resoluendo, vbi intellectus magis acuitur, & euidentius doctrinam percipit. Hac etiam de causa totam hanc Disputationem solùm in aliqua dubia secui, quia non potui ordinem meum seruare, Scotum pro quolibet art. in principio adducendo, cum .n. Subtilissimus Doctor semper fuerit Methaphysicis deditus speculationibus, nihil, aut parum de Astronomicis obseruantijs curauit. Agit igitur Aris. in primo lib. de

Cælo

Cœlo, de Vniuersi vnitate, immultiplicitate, perfectione, sempiternitate, & de Cælo in communi, eiusque proprietatibus, & accidentibus. In 2. libr. de Corporibus Cœlestibus in particulari. In 3. & 4. de Elementis prout Vniuersi partes sunt integrales, secundum Situm, & ordinem, & de virtutibus motiuis elementorum, de quibus omnibus summatim, & breuiter agam.

DVBIVM PRIMVM.
De obiecto horum librorum.

DVbitari hic solet, quodnam sit horum librorum obiectū. Quia in physica obiectum in communi contemplauimus, quod in Aristot. philosophia cum subtilissimo Doct. corpus naturale constituitur, rationabiliter modò ad species eius descendimus, communiora .n. prius cognosci debent, ex 1. phys. & primò de prima specie, quæ est corp' simplex sub ipso corpore naturali in communi contento. ℞. igitur ad dubium, *obiectum adæquatum horum librorum esse corpus simplex, quatenus propriam, & peculiarem habet naturam*. est ad mentem Scoti, Simplic. Zabarell. Conimb. Amic. & aliorum, contra Ruu. & illos, qui pro subiecto statuerunt, vel mundum ipsum, vel corpus mobile ad vbi, vel Cœlum. Pr. ex conditionibus subiecti in logica, & in phys. relatis; nam de corpore simplici præsupponitur quia est, & quid est, vt patet ex tex. 7. huius primi libri; & per eius ꝙ quid est, seu definitionem demonstratur eius passio, vt est mobilitas simplex, & tandem ad ipsum corpus simplex omnia reducuntur, nam Cœlum, & elementa sub ipso continentur, tamquam species sub genere. Diximus, *quatenus propriam habet naturam*, quia cum Phylosophia cōsideret corpus naturale, vt naturale in communi, quęlibet eius pars debet considerare speciem aliquam corporis sub ratione naturalitatis coarctatam ad illam speciem.

Probatur 2. ex confutatione opinionum Aliorum; nam primò nō rectè ponitur Vniuersum, vel mundus; quia hic non significat aliquā rationem per se vnam, de qua passiones demonstrati possunt, vt requiritur ad subiectum scientiæ, sed est aggregatum quoddam plurium corporum, & aggregatum per accidens. Neque esse potest corpus mobile ad Vbi, nam Cœlum, & elementa non solùm considerantur hic ab Arist. vt localiter mobilia, sed etiam de ipsis alię passiones demonstrantur; nam de Cœlo demōstrantur esse finitum, esse ingenerabile, & incorruptibile, perfectius elementis &c. De elementis etiam ostendit esse generabilia, & corruptibilia, vt in 3. & 4. de Cælo, ergo. Neque tandem poni potest

test Cœlum ipsum, quia non complectitur omnia in libris istis considerata, de quibus non solùm in 3. & 4. libr. principaliter Aristot. agit, sed etiam in 1. dum inuestigat passiones corporis simplicis, & ipsius mundi, quatenus quinque simplicia corpora dicit.

Obijcies: Illud est subiectum in aliqua scientia, cuius principia, & passiones in illa considerantur, sed Vniuersum est huiusmodi, ergo. ma. est Scoti. mi. Pr. nam Arist. in tex. 5. primi libri ostendit mundū esse perfectum, & in fine 4. ait: *de ipsius igitur Vniuersi natura, siuè infinita sit secundum magnitudinem, siuè finita sit secundum molem, posterius cōsiderandum est &c.* & à tex. 32. vsque ad 76. demonstrat finitatem, & à tex. 76. vsque 100. ostendit vnitatem, à quo deinde de mundi perpetuitate agere incipit, sed hæc omnia sunt passiones mundi, & tex. 5. primi libri de simplicibus corporibus agit, vt partes sunt vniuersi, ergo vniuersum erit subiectum in his lib. de Cœlo. ℞. neg. mi. mundus .n. formaliter dicit aggregationem ordinatam simplicium corporum, materialiter verò dicit immediatè ipsa corpora simplicia; si .n. mixta non essent, adhuc mundus extaret, & esset perfectus, quia iam magnitudinem haberet, omnemque repleret locum. Passiones de Vniuerso ostēduntur immediatè de ipsis corporibus simplicibus, in tantum .n. mundus est finitus, & vnus, in quantum corpora simplicia sunt huiusmodi; & quia subiectum debet esse vnum per se, rectius corpus simplex, subiectum poni debet. Neque corpora simplicia considerantur vt partes essentiales constituentes mundum per se vnum, sed vt partes integrantes.

Ob. ex 1. Cœli 91. & alibi, Cœlum dicitur primum elementum, ergo elementum erit subiectum horum librorum. ℞. neg. conseq. Cœlum .n. dicitur elementum, pro vt elemētum significat corpus simplex. Neque hic consideratur Cœlum, vt principium subiecti, sed vt pars subiectiua corporis simplicis.

Dices, hi libri inscribuntur de Cœlo, ergo hoc erit subiectum, vel saltem Arist. non egit hic per se de elementis. ℞. neg. consequ. nam inscriptio librorum non semper sumitur à subiecto adæquato, sed aliquando à principaliori. Tum quia etiam hi libri secūdum aliquos Interpetes inscribuntur de Cœlo, & Mundo. Vel per Cœlum intelligitur vltima sphæra cum omnibus sub ipsa contentis, in quo sensu cū elementis, & vniuerso conuertitur.

DVBIVM SECVNDVM.

De numero Corporum Simplicium, & de motu simplici.

Dubitatur 2. de numero Corporum simplicium. Plures fuerunt Priscorum Philos. opiniones, quas refert, & confutat Arist. 3. de Cœlo cap. 3. ipsius tamen

sent. est, quòd corpora simplicia sint quinque 5. Cœlum Ignis, Aër, Aqua, & Terra, errauit tamē, quia putauit, nec de facto, nec de possibili posse alia corpora simplicia reperiri, siue eiusdem, siue diuersæ speciei, alios mundos constituentia, vt patet 1. Cœli cap. 4. & 5. quam sententiam deinde amplexi sunt Vuiclephus, & Abaylardus hæretici, vt Valdensis refert cap. Doctrin. antiquæ fidei. Communis tamen opinio Catholicorum est, *de facto vnum tantùm mundum reperiri, de possibili verò posse numero, & specie multiplicari*. Corpus simplex illud est, quod non resoluitur in aliqua corpora, quę in ipso aliquo modo continentur, & ad sui constitutionem præsupponuntur, sicut præexigit corpus mixtum; quæ explicatio est à priori, & patet euidenter ex Arist. 3. Cœli à tex. 30. & 2. de gener. à tex. 46. vbi per hoc mixta ab elementis distinguit, & Pr. corpus mixtum est illud, quod fit per mixtionem, ad quam miscibilia concurrunt, quæ sunt corpora aliqua ad inuicem, & in generatione mixtorum, virtualiter in illis permanentia, vt infra patebit, ergo corpus simplex illud erit, quod non fit per talem mixtionem, neque aliud corpus in se continet. Pr. 2. à posteriori: Illud est corpus simplex, quod per se primò habet naturam simplicem, quæ sit principium simplicis motus, sed corpus simplex in communi est huiusmodi ergo &c. ma. est Aristot. de Cœlo tex. 7. & seq. & 3. cœli tex. 35. vbi per hoc, corpus simplex definit, ipsumque à mixto distinguit. mi. est etiam ipsius, quia si motus mixtus posset simplici corpori conuenire, non rectè probaret ex simplici motu circulari dari aliud corpus simplex ab elementis distinctum. Diximus per se primò, quia etiam aliquādo mixta simplici motu mouentur, & talis motus principium habent intrinsecum, vt cùm lapis tendit deorsum, nam loc. cit. manifestè docet grauia, & leuia simplici motu moueri, & lapis, & terra eodem ferè modo deorsum tendunt, licèt huiusmodi motus non cōueniat per se primò corporibus mixtis, sed propter elementum prædominans, hinc Philosophus concedens motum simplicem elementis conuenire, semper subdit, & si quandoque conuenit mixtis, hoc erit secundum elementum prædominans.

Ob. Arist. 1. Cœli tex. 7. & 8. distinguit corp⁹ in simplex, & mixtum, ex qua diuisione postea colligit illam, .s. motus in simplicem, & mixtum, & illum tribuit corpori simplici, istum corpori mixto. & 4. Cœli 37. ex numero corporū simpliciū colligit numerū elemētorū, ergo falsò asseritur motū simplicē posse corpori mixto conuenire. Responsio patet ex dictis, Aristot. .n. concessit motum simplicem mixto solùm secundum elemētum præualens .s. nō per se primò, ideoque

que non colligit numerum elemẽtorum ex numero motuum simplicium absolutè, sed ex numero motuum simplicium per se primò corporibus conueniẽtium. Ex his colligitur, simplicem motum esse, qui fit per lineam simplicem, siuè rectam, siue circularem à principio per se primò intrinsecè determinato ad illum motum, & è cõtrà motus mixtus erit, vel qui fit per lineam ex recta, & circulari mixtã, vel à principio intriseco indeterminato. Pr. ideò motus proiectorum simplex non est, quia principium illius motus non est intrinsecum, nec motus fulminis, aut animalis erit simplex, licèt secundum lineam simplicẽ fieret, quia principium intrinsecum non est solùm ad talem motum determinatum, sed motus leuium sursum, & grauium deorsum sunt simplices, nam ad propria loca per lineam rectam in quantum possunt feruntur; & si aliquando ad latera declinant, vt in motu fluuiorum patet, hoc erit per accid. ratione impedimenti; cœterùm semper ad propria loca per lineam breuiorem tendunt, nec ad aliũ motum inclinationem habent. Sic etiam Cœlum simplici motu mouetur, quia linea illa est circularis, & non est ex se aptum moueri motu recto; nec aliæ conditiones requiruntur; Vndè per Arist. simplex motus simplici corpori cõuenit, & mixtus mixto, & si motus mixtus posset simplici corpori conuenire, non rectè ipse duceret ex simplici motu circulari dari aliud simplex corpus ab alementis distinctum, nempè cœlum.

Ob. Si terra sursum moueretur, talis motus esset simplex ex Arist. & tamen non esset à principio intrinseco determinato, ergo hæc nõ est conditio necessaria motus simplicis. R. assignatas conditiones esse motus simplicis naturales, motus verò terræ sursum est motus simplex violentus, & dicitur simplex, quia per lineam simplicẽ fit.

DVBIVM TERTIVM.

De Vnitate Mundi.

R. *De facto vnum esse vniuersum, seu quinq; esse corpora simplicia huius mundi scilicet cælum, ignem, aerem, aquam, & terram, nec alia siuè specie, siuè numero ab istis reperiri, licèt hoc naturaliter demonstrari nequeat; De possibili verò posse alia, & specie, & numero à Deo produci.* Prima pars est Arist. 1. Cœli à tex. 7. & sequ. vbi ostendit præter quatuor elementa, dari etiam aliud corpus simplex .s. Cœlum, ex numero motuum simplicium. & 4. Cœli à tex. 26. assignat quatuor elementa ex distinctione grauitatis, & leuitatis, vt videre est in textu. & in 2. de gen. à tex. 16. probat dari quatuor elementa ex numero primarum qualitatum, dato enim vno contrario in rerum natura, debet & alterum dari, si non necessitate simpliciter, & absoluta, saltem secũdum quid, propter perfectionem vniuersi; sed quatuor

tuor sunt primæ qualitates .s. calor, frigus, humiditas, & siccitas, ergo quatuor prima corpora, quibus primò huiusmodi qualitates, tamquam primæ passiones conueniunt.

Secundò, quòd de facto nō dentur alia corpora simplicia, est contra Anaxagoram,& Platonicos,qui plures mundos diuersæ speciei posuerunt,& cōtra illos,qui tot mundos,quot astra finxerunt,apud Plutarcū, & contra illos, qui infinitos mundos somniarunt, qua ratione Alexāder audita mundorū infinitate, quos non dum acquisierat, illachrymatus refertur;& colligitur ex Sacra Gen. 1. vbi post huius mundi creationē, cessasse dicitur Deus ab omni opere, quod patrarat, & Matth. cap. vlt. *euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Tum quia non habemus rationem cogentem,vel necessitatem plures mundos ponere; sicut neque adest ratio conuincens mundi vnitatem, quòd .n. vnus sit, vel multiplex à libero Dei beneplacito pendet ex Doct. in 1. sent. d. 8. q. 1. quod beneplacitum ex nullo capite nobis innotescere potest, sed solùm quædam congruentiæ, & coniecturæ.

Tertiò, quòd de possibili esse possint plures mundi, inde patet, quia non repugnat ex parte Dei, cùm potentiæ sit infinitæ; neque ex parte rerum, species .n. sunt infinitæ syncathegorematicè, ex dictis, & species potest in plura indiuidua in infinitum multiplicari, ergo similiter potest Deus alia elementa, & alios Cœlos in illo spatio inani collocare cum alijs mixtis. Neque illam Ruuij limitationem recipimus, quòd non possint dari alia corpora simplicia includentia alios homines specie à nobis diuersos; nam experimur in eodē gradu essendi substantiæ incorporeæ plures Angelorum species reperiri, & plures alios Angelos specie ab istis diuersos posse à Deo produci, ergo similiter alia elemēta ab istis specie diuersa, possibilia sunt, & ex istis aliud corpus organicum specie diuersum à nostro, & alia anima intellectiua specie à nostra diuersa informatiua, ex quibus alij homines specie à nobis diuersi componerentur, vt amplectitur Zenardus qu. 7. de elementis, & sequuntur Mastr. & Bell.

Ob. Aris. 1. Cœli tex. 92. aliquibus rationibus probat, neq; de possibili dari posse plures mundos, cui etiam fauere videtur D. Tho. ibidē, & 1. p. q. 47. art. 3. ad 3. vbi ait: nō est .n. possibile esse aliam terram, quàm istam, quia omnis terra naturaliter fertur ad hoc medium, vbicumq; esset, & eadem ratio est de alijs corporib. quæ sunt partes mundi. ℞. quòd duplex est Dei potentia, vna ordinaria, alia absoluta. Prima est illa, qua Deus operatur conformiter ad nātură creatam. Secunda, qua supra naturæ ordinē, inde ad philosophiā dicimus in hoc errasse, ꝙ potentiā Dei

abso-

absolutam nō cognouerit. D. Tho. locutus fuit de potentia Dei ordinaria, vt rectè exponunt Caiet. & Capreol. quia iam S. Doct. in 1. d. 41. q. 1. art. 2. manifestè docuerat Deum absoluta sua potentia posse plures mundos efficere.

Ob. Mundi vnitas ostendit vnitatē supremi artificis, & primi motoris ex 2. meth. ergo plures mundi ostenderent dari plures primos motores. Confirmatur ex Auerr. hic tex. 55. cap. 19. si darentur plures mundi, possent concedi plura prima mobilia, ergo plures primi motores, & plura prima principia, quod est falsum. ℟. rationem illā non esse conuincentem, sed congruam, & persuasiuam, inde negatur consequentia, & in ordine ad potentiā Dei absolutam. Ad Auerroem ℟. eodem modo, vel negando sequelam, nam posset alius mūdus fieri sine Cælorum motibus, vel motibus diuersis, vel illum cōstituendo ex solis substantijs spiritualibus, vel corporibus immobilibus influentibus sine motu locali, & luce, vel ex ambobus permixtis. Vel concessa sequela maioris, neg. conseq. vnus .n. potest plura mouere. Vnde si darentur plura prima mobilia, darentur etiam plures intelligentiæ motrices, sed vnus Primus motor independens, omnes mundos sua omnipotentia censeruans, & sua immensitate replens.

Dices cum Platonicis, effectus imitatur conditionem causæ, sed primum efficiens est vnum de necessitate, ergo & mundus. Confirmatur, ab vno, vt vno non procedit nisi vnum, sed Deus est maximè vnus, ergo non potest nisi vnum mundum producere. ℟. distingu. ma. quò ad exemplar admittimus, quò ad naturam causæ negamus, & maximè si causa fuerit æquiuoca, vt in casu est Deus ℟. 2. maiorē esse veram de effectu non adæquāte potentiam actiuam, vt est mundus respectu Dei. ad confirmationem, verificari de vno vniuoco, & quod est vnum formaliter tantùm, non de vno æquiuoco, quod licèt sit vnum formaliter, est tamē multiplex virtualiter, vt est Deus. Vel est verum de vno, quod est causa necessaria, & vnum habet exemplar, non de vno, quod est causa libera, & plura habet exemplaria, veluti est Deus, vt optimè explicat D. Thom. 1. p. q. 47. art. 1. ad 1.

DVBIVM QVARTVM.

An Mundus sit vnus per se, vel per accid.

℟. *Esse vnum per accidens, scilicet aggregatione, & contiguitate ordinata.* Est communis contra Platonicos, qui mundum vnum per se esse dixerunt, ex istis corporibus tamquam ex materia, & formam, quam animam mundi appellabant. Alij verò dixerunt formam hanc esse substantiam quamdam tenacissimam per totum diffusam, omnia corpora inter se vnientem, & connectentem. Pr. non datur forma vna totalis in mundo omnia

nia

nia corpora informans, ergo non patur aliquod per se ex istis corporibus constitutum. Pr. anteced. vel talis forma est anima, vel non anima, sed nullo modo, ergo &c. Pr. non est anima, quia sic omnia corpora essent animata, quod est falsum. Tum quia cùm omnis anima sit vegetans, anima mundi etiam talis esse deberet, vndè etiam inueniri debebit mundi nutrimentũ, quale esset ostendi nequit, neq; est non anima, quia sic de mundo tollerentur plantæ, animalia, & homines, quæ sunt partes nobiliores mundi; Hinc Arist. lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 2. sic descripsit mundum: *est Compages è cælo, terraque congmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur. Item, est ordo, & digestio vniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruantur.* quibus verbis Arist. fatetur talem vnitatem supra ista corpora non addere, nisi relationem ordinis.

Ob. Mundus est proprius effectus Dei, ergo suo artifici assimilari debet, & consequenter erit animatus. ℞. neg. conseq. cũ Deus nõ sit causa vniuoca, sed æquiuoca mundi. Vel sufficere, quòd mundus ei assimiletur, quò ad aliquas partes.

Dices, Totus non est inferioris ordinis, & conditionis, quàm suæ partes, sed plures vniuersi partes sunt animatæ, ergo ℞. ma. esse veram de toto per se, non de toto per accid. & per aggregationem, cuiusmodi est mundus.

DVBIVM QVINTVM.

An Mundus habuerit esse à se, vel à Deo.

Parmenides, & Melissus negarunt mũdum fuisse à Deo productum. Democritus, & Leucippus affirmarunt originem habuisse ex concursu atomorum per naturam, sine principio dirigente, sed casu, & fortuito ex vehementi ipsarum agitatione, ex quibus Chaos constabat, absque primæ causæ prouidentia, sed multis ex ipsis diuersimodè collectis, varietatem hanc vniuersi accidisse, ex leuioribus quidem atomis cœlestia, ex grauioribus verò hæc sublunaria. Aliqui post Arist. dixerunt mundum non esse factum à Deo, sed ex Salete meretrice. Alij finxerunt conditum fuisse ab Angelis, Deo ignorante. Manichei asseruerunt mundum quò ad bona productum esse à Deo bono, quò ad mala à Deo malo. Arist. hanc atomorum compositionem impugnat 1. phys. sic .n. nullum esset ens necessarium, sed omnia casu euenirẽt. Tùm quia dari vnum principium efficiens est naturaliter notum ex Scot. in 1. d. 2. q. 2. H. & quol. 7. nullum .n. ens potest seipsum producere, & equidem de generabilibus, & corruptibilibus, res euidentissima est, & solùm dubitari poterit de incorruptibilibus, vt sunt materia prima, & corpora Cœlestia. Pererius, Hurt. Acerbus, & aliqui putant in sent. Arist. cœlos, & ma-

& materiam primam esse independentes à prima causa, & consequẽter mundum esse improductum: quò ad incorruptibilia dicèt secundum veritatem confiteantur oppositum. Moris. lib. de Cœl. disp. 1. dub. 2. facit Arist. de hac re dubium, & ancipitem. ℞. tamen; & secundum veritatem, & in Aristot. sent. mundum etiam quò ad incorruptibilia pendere in esse à Deo, ita D. Thom. 1. p. q. 47. art. 2. & Scot. loc. cit. & in 1. d. 8. q. 5. & quò ad primam partem est de fide, vt patet ex Psal. 145. *Qui facit Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt*, & 1. Ioann. *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum nihil.* & ex Symbol. Apost. & Niceno apparet, & in Concil. Later. sub Innocent. III. definitur, quòd Deus est Creator omnium, & simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualẽ, & corporalem, Angelicam, & mundanam. Persuadetur etiam, nam Cœlum quò ad operationes pẽdet à Deo, ergo etiã in esse; quia operatio arguit essentiam. Tum quia esse à se maximam dicit perfectionem, ergo nequit entibus finitis, & limitatis conuenire, quæ defectibilia sunt. Quòd etiam solus Deus creauit mundum sine consortio alicuius, etiam Angelorũ, habetur; Isa. 44. ego *Deus faciens omnia extendens Cœlos solus, stabiliens cœlos, & nullus mecum.*

Secundò, quòd hæc sententia sic vera etiam in Arist. opinione, colligitur euidẽter ex pluribus eius locis, præsertim 12. Meth. text. 30. vbi loquens de Deo, docet, quòd tàm cœlum, quàm natura à tali principio dependet, & tex. 52. docet ad ipsum omnia ordinata esse, ergo si Deus est causa finalis vltima, erit etiam efficiens primum, quia finis vltimus, & efficiens primum coincidiunt ex Doct. in 1. d. 2. q. 2. Item Aristot. 1. Cœli 100. ait Deum esse summum ens, & primũ, à quo alia accipiunt esse, quædam exactius, quædam obscurius.

Ob. Causa efficiens dicit imperfectionem, quia à fine mouetur, & pendet, at Deus est perfectissimum ens, ergo non potest esse causa mũdi efficiens. Confirmatur, potest dari res per se existens, à causa subiectiua independens, ergo independẽs etiam à causa effectiua ℞. ad primum, ma. vel esse absolutè falsam, vel solùm veram de causa efficiente, distincta à finali, non de indistincta cuiusmodi est Deus, qui mundum propter seipsum vltimatè produxit. Ad Confirmationem neg. conseq. nam hæc causa efficiens independens esset, alter Deus, & ita plures Dij, ratio enim Dei est, vt sit ens à se existens à nullo alio dependens.

Dices, Potentia actiua definitur in ordine ad passiuam, sed potentia creans, nullam supponit potẽtiam mundi passiuam, ergo non datur. ℞. ad min. sufficere, quòd potentia Dei creatiua supponat potentiam passiuam mundi, nõ subiectiuam,

uam, sed obiectiuam, quæ est pura non repugnantia, ita Fasol. & M. Iacob. Brun. q. 1. de Cœlo art. 1. ex D. Thom. de pot. q. 3. art. 1. ad 2. Vndè ergo tàm acriter aliqui Thomistæ Scotum carpent, quod sine fundamento posuerit distinctionem illam de potentia subiectiua, & obiectiua in illa famosa controuersia de propria existentia materiæ, si prius à Diu. Thoma assignata fuit?

Ob. quòd saltèm in sent. Arist. Cœlum, & materia prima non pendet à Deo; nam creatio est productio rei de non esse ad esse, sed non esse Cœli, & materiæ nunquam præcessit in eius sent. cùm fuerint æterna, ingenerabilia, & incorruptibilia, ergo non fuerunt creata à Deo. Tum quia in Aristot. sent. ex nihilo nihil fit, ergo non est possibilis creatio. ℞. ex Scoto in 2. d. 1. q. 2. neg. min. nam non esse cœli. & materiæ primæ, præcessit saltem natura, quòd sufficit ad veram causalitatem, nec esset contra rationem æternitatis, & dicuntur ingenerabilia generatione propriè dicta, quæ supponit subiectum. Ad 2. Illud Philosophi axioma valere apud ipsum de actionibus creaturarum, non de actionibus Dei, & æternis.

Dices, ex 1. Meteor. cap. 1. Cœlum ponitur ab Arist. prima causa, & primum efficiens, ergo non est causatum ab alio. ℞. ibi Arist. loqui de primo principio in gen. entium productorum.

Instabis. Arist. 10. Eth. cap. 8. negat Deo omnem actionem, ergo in eius sent. Mundus quò ad incorruptibilia non fuit à Deo productus. ℞. negasse à Deo actionem moralem, quatenus non agit iuxta regulam alterius superioris præcipientis, non actionem effectiuam.

DVBIVM SEXTVM.

De Mundi Inceptione.

PRobat Scot. in 2. sent. d. 1. q. 2. §. *Sed contra istud*, &c. contra Arist. mundum potuisse in tempore incipere, ex illo principio, quod cùm Deus sit ens infinitum, & æternũ, à quo omnes creaturæ participant esse totum quod habent, agens ad extra per intellectum, & voluntatem, & consequenter liberè se communicans creaturis, nulla videtur implicantia ens in tempore producere, si .n. liberè creat, liberè etiam quando, & quomodo ei placuerit creare potest. Quod fuerit in tempore creatus, est de fide iuxta illud gen. *in principio creauit Deus cælum, & terram*, &c. & psal. 89. *prius quam mundus fieret, aut formaretur terra, & orbis ego eram*, & Definitur in col. later. in capit. *Firmiter de summa Trinitate &c.*

Quo autem tempore, probabilius, est, quòd verno æquinoctio productus fuerit, & colligitur ex illo gen. 1. *producat terra herbam virentem*, &c. quod tali tempore abundantius fit. Tum quia hoc tẽpus assimilatur adolescentiæ, quod

ad

ad generationem rerum aptius est, & quolibet anno quasi mundus renouatur; Æquinoctium verò autũnale potius senectuti comparatur, quia tunc ad corruptionem omnia tendunt; & licèt in ipsa mundi productione fructus maturi fuerint, hoc Dei prouidentia factum est, ad hominum, & animalium sustentationem. Adducitur etiam congruentia, quia tunc Verbum Diuinum carnem assumpsit, & passionem subijt, vt renouatio tunc fuerit, quãdo facta fuit productio. Neque sentent. D. August. 4. super Gen. ad lit. cap. 22. & Caiet. recipimus, quòd omnia in instanti inceperint, sed cùm communi asserimus, quòd mundus spatio sex dierum fuerit productus, vt exprefsè habetur in Sac. Gen. & Exod. 20. vbi legitur; *sex dies fecit Deus Cælum, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & die septimo requieuit.* hinc apud Theolog. extat regula, quòd nunquam in script. Sacra accomodandus est sensus methaphoricus ad literalem destruendum, cùm iste facilè accommodari poterit. Tùm quia sensus scripturalis satis confusus, & contrarietatibus implicitus videretur, quomodo .n. potuisset simul terra in anis existere, & vacua? & aquis operta, & simul ab aquis remota, & herbis ornata? & tenebræ, & lux simul existere super faciem abissi, vt sacra refert historia?

Ob. Ex Sac. Gen. 2. *istæ sunt generationes cœli, & terræ quando creata sunt in die, quo fecit Dominus cœlum, & terram.* & Eccles. 18. *qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* R. cum D. Bonau. in 2. d. 12. has, & similes auctoritates circumscribere nobis totum tempus, totamque moram continuatam sine interpolatione creationis mundi. Multa alia hìc dicenda erant, quæ tamen à Theol. in opere sex dierum examinari solent.

Non desunt tamẽ Doctores, qui Arist. in sent. de mundi æternitate in bonum sensum trahant, ita præsertim D. Thom. 1. p. qu. 46. art. 1. Albert. Magn. 4. phys. cap. 2. & alij, vt videre est apud Perer. & sequuntur Fasol. & Ferchius, & illo præcipuè motiuo, quia Arist. libro illi tributo de natura Deorum ad Alexandrum, docet, mundum fuisse creatum à Deo in tempore, hinc 8. physic. & 1. Cœli, vbi de mundi æternitate ex professo loquitur, solùm opinatiuè, dubitatiuè, problematicè, & gratia disputandi loquitur, & 1. Topoc. cap. 9. inter problemata dialectica ponit hoc, *Vtrũ mundus sit ab æterno.* Vel quòd Arist. voluit mundum non habuisse principium, eo tantùm modo, quo ponebant Philos. 5. per generationẽ, & ex præsuppositione materiæ, nõ verò negare mũdum habuisse principium per creationem.

Verùm communis Peripat. Sentent. de mundi æternitate tenet fuisse Dogma Aristotelicum, neq; aliquid intactum reliquit, vt suam stabiliret sententiam. Imò aliqui addunt, quòd propter hanc opinionem

nem de mundi æternitate fuerit accusatus apud Hierophantam Summum Græcorum Sacerdotem, & damnatus tamquam propriæ Religioni contrarius, & quòd compulsus fuerit aufugere in Chaluidem. Alij etiam referunt, quòd in morte constitutus, cuidam discipulo proponenti lib. Sac. Gen. in quo versus ille legebatur: *In principio, seu in tempore creauit Deus Cœlum & c.* responderit, *huic viro, s. Moysi, non debeo credere, quia eius scripta rationi non subijciuntur*, & quòd apud alios dixerit: *Hic rusticus multa dicit, sed nihil probat.* Sed mirum nõ est, quia fidei lumine carebat, & pro veritatis confirmatione, argumenta in modo, & figura expectabat; Moyses verò puro, & simplici ritu sacram historiam iuxta reuelationẽ Diuinam referebat.

Quòd autem Mundus potuerit esse ab æterno, saltem quò ad permanentia, resolutum fuit in Physic. Sed contra hoc est, quòd si daretur ens permanens ab æterno, daretur etiam ens successiuum ab æterno, quòd implicare determinauimus, patet sequela, duratio, n. dicit quid successiuum à re durante realiter distinctum, vel in sensu formali, vt contendunt Arriag. & Ares. vel saltèm connotatiuè, vt in phys. diximus, respectum. s. ad tempus imaginariũ, sed huic arg. satisfecimus ibi satis, nam respectus ille coexistentiæ ad tempus imaginarium, non est realis simpliciter, sed secũdum quid, vndè arg. solùm vrget illos, qui tenent, durationem formaliter importare quid successiuum, realiter à re durante distinctum.

Ob. pro Arist. quòd mundus nõ potuit incipere in tempore. Si motus incepit, præsupponebatur mouens, & mobile, quæ si in tempore quoque incepersit, ergo per alium motum, & ita in infinitum. ℞. nõ esse necessariũ, mobile, quod motui præsupponitur, per motum incipere, sed per veram creationem temporalem; Neque si agens liberum non agit, hoc semper euenit propter aliquod impedimentum, sed accidere potest ex beneplacito suæ voluntatis; sic Deus ab æterno non produxit mundum &c.

Dices, tempus secundum omnes Philosophos est æternum, & ingenitum, ergo & motus, qui est simul cum tempore, ergo mundus non incepit in tempore. ℞. neg. tempus reale æternum esse, & solùm conceditur de tempore imaginario, quod non facit ad propositum.

Vrges, si mundus in aliquo instanti habuit esse, cùm omne instans sit continuatiuũ præteriti, & futuri temporis, ante illud instans fuisset tẽpus, ℞. quòd illud instãs, cui coestitit mundi inceptio, non fuit instans tẽporis realis, sed imaginarij, de quo tempore imaginario plura diximus in physic. Ais. Mundus in æternum durabit, ergo etiã ab æterno fuit. Pr. quia quod est incorruptibile, est etiam æter-

num

num. ℞. neg. conseq. cum sua probatione, nã anima rationalis semper durabit, & tamen in tempore creatur.

Ob. Si mundus non fuisset ab æterno; Deus fuisset mutatus, ipsum producens in tempore, sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. sequela, quando de nouo aliquid producitur, datur id, quod aliter se habet nũc quàm prius, sed tale non est id, ꝙ producitur, quia non præfuit, ergo agens producens. ℞. cum Scot. in 3. d. 1. q. 2. ad 1. princ. negan. sequ. cum sua prob. nam in causis liberis, qualis est Deus, potest esse nouitas effectus absquè nouitate in causa, potest .n. velle Deus, volitione æterna aliquod creatum, nõ pro æterno, sed pro tempore, neq; in creatione propria mutatio reperitur; & est hic aduertendum, ꝙ licèt Deus Benedictus quando agit, semper agit quod melius est, idest quod non est malum, non tamen actu tenetur ad agẽdum quod est melius, & ratio est, quia liberè, & non necessariò ad extra agit.

DVBIVM SEPTIMVM.

De Mundi Desitione.

Scotus de hoc dubio agit in 4. sent. d. 43. q. 2. & d. 48. q. 2. quibus in locis loquens de innouatione, & purgatione mundi per ignem in die Iudicij conficienda, supponit semper cœlos, & elementa permanere, ità vt talis purgatio vsque ad sphæram ignis peruentura non sit, quæ sent. apud PP. & Theol. est communior, vt videre est apud Tannerum disp. 6. de creat. q. 4. dub. 5. In Arist. sentent. mundus duraturus est in æternum, eo modo, quo nunc est. Alij è contrà volunt corpora omnia tàm Cœlestia, quàm sublunaria fore in die Iudicij comburẽda, & postea aliuum nouum mundum specie ab isto diuersum, quasi fenicem ex cineribus exultam, reficiendum, noua elementa, nouosque cœlos continentem, ità ex Recentioribus Molina, Hurt. Moris. & Alij.

Nos verò sumus cum Scoto, & magis communi, quòd licèt mundus possit in æternum durare cum iisdẽ qualitatibus, speciebus rerũ, serie, & successione quomodo nunc existit, possitque à Deo annihilari totaliter iuxta suum Diuinum beneplacitum, de facto tamen quòad substantiam semper duraturus est, quamuis quò ad accidentia renouandus.

Quò ad primã partẽ inde patet, quia Cœli sunt incorruptibiles naturaliter, & elementa sunt ità inter se proportionata quò ad actionem, & passionem, vt nunquam totaliter inter se destrui possint. Tum quia agens naturale corrumpendo generat, & generando corrumpit, cùm non possint materiam nudam relinquere, ex quo sequitur, quòd si vna res deficit, alia resurgit, ergo &c. Quòd etiam possit à Deo annihilari, euidens est, cùm sit in essentiali

tiali dependentia ab ipso Deo, qui sicut mundum liberè creauit, ità poterit suum cõcursum liberè subtrahere.

Quòd deinde secundum substãtiã sit permãsurus, pluribus script. locis patere potest, psal. 148. *statuit ea in æternum, & in sæculũ sæculi.* Eccl. 1. *Terra in æternum stat.* & capit. 3. *omnia opera, quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum.* Neque potest aliqua ratio conuincens adduci, qua cogamur in hac purgatione per ignem, cœlum, & elementum ignis comburi debere, & consequenter nec etiã de alijs elemẽtis, sed sufficiet si accidentaliter renouentur, & perficiantur, videatur Scot. loc. cit. & D. Bonau. in 4. d. 47. art. 3. item & D. Tho. ibidem. d. 47. & Abulensis apud Matth. cap. 35. q. 422. Tum quia mundus conditus est propter manifestationem gloriæ Dei, sed talis finis post Iudicium non cessat, ergo &c.

Ob. quòd mundus iste sit totaliter corrumpendus ex pluribus loc. Sac. Sript. Primus, ex Apocal. 21. *vidi cœlum nouũ, & terram nouam.* Secundus, ex Isa. 65. *ego creo Cœlos nouos, & terram nouam.* Tertius, ex psalm. 101. *ipsi peribunt, & sicut vestimentum veterascent, & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Quartus, ex Isa. 51. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Quintus, ex Matth. 24. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem non transibunt.* Sextus, ex 2. Petri cap. 3. *Cœli, qui nunc sunt, & terra reseruati sunt in die Iudicij.* & infra. *Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur,* quid clarius?

℞. tres primæ Authoritates intelligi debent non de creatione, & annihilatione propria substantiali, sed de accidẽtali innouatione, quæ cùm sit actio supernaturalis à Deo facta, potest dici creatio, vel annihilatio, vt D. Hier. super psal. cit. explicat. Quarta, & quinta explicantur de operationibus Cœlorum, quatenus Iudicij tempore obscurabuntur, sed postea maiori luce fulgebunt iuxta illud Isa. *erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter.* Vltimus locus D. Petri, D. Bonau. loco cit. & Scot. in 4. d. 43. q. 1. ad 2. *Princip.* per Cœlos exponunt aereas regiones, iuxta illud psal. 8. *volucres Cœli &c.* quę expositio traditur etiam à D. Augus. & Hieron. vndè quando dicitur, cælum, & terram igni seruatos, intelligi non debet de totali combustione, sed de purgatione imperfectionum. Sic etiam Doct. exponit illud Iob. 14. *Donec Cœlum atteratur.* quamuis .n. cœlum nunquam atteretur quantum ad substantiam, atteretur tamen quãtum ad efficaciam, vel influentiam ad hæc inferiora, nam post Iudicium cessabunt Cœlorum influentiæ. Aliqui per huiusmodi consumationẽ ab igne, exponunt de mixtis, mundus .n. quò ad mixta ante diem Iudicij corrumpetur, præter hominem, quia tunc completus est nume-

merus electorum, ad quem complendum motus cælorum, & generationes rerum tamquam ad finē ordinātur. Quando igitur in Scrip. fit mentio, quòd Cæli transibunt, exponi debet quò ad motum, & influētias in hæc inferiora; & quòd terra peribit quò ad generationem mixtorum, & alterationem &c.

DVBIVM OCTAVVM.

An Corpus Cæleste constet ex materia, & forma.

SCot. Dubium hoc resoluit in 2. d. 14. q. 1. distinguendo scilicet, *principijs Arist. inhærendo, cælum non est compositum ex materia, & forma, at secundum Theolog. & veritatem, constat ex materia, & forma*. Multa fuerunt Philosophorum placita de Cęli compositione, Alij enim affirmantes ex Elimentari natura constare, dixerunt esse igneum; Alij verò aqueum; Alij aereum; Alij terreum, vel ex pluribus elementis, quorum opiniones nonnulli etiam SS. PP. vt eorum discipuli sequuti sunt, quod tamen falsum est, quia cœlum superioris naturæ, ac diuersæ ab elementis ostenditur, vndè & quinta essentia appellari consueuit; & licèt cœli, & astra contrarias qualitates habere videantur, sicut habent elementa, nam sol calorem, Saturnus frigiditatem, Mars, siccitatem, & Luna frigiditatem causant, has tamen non habent formaliter, vt elementa, sed tantùm virtualiter, quatenus in his inferioribus virtutem huiusmodi qualitates producendi habent, & si Saturnus terreæ esset naturæ, vel aqueæ, inter planetas infimum obtinere locum deberet, quod tamē est falsum, cùm sit omnium Supremus. Qua sententia, vt intolerabili relicta, agitatur dubium rationabile, an scil. Corpora Cœlestia constent ex materia, & forma.

Dubium decisum remanet ex physica disp. 3. art. 7. ideò breuiter me expediam. Auerroistæ cum suo Magistro de substantia Orbis c. 2. vt Cœli incorruptibilitatem seruarent negarunt ab ipso compositionem ex materia, & forma. Thomistæ verò potius ad oppositū inclinant, vt videre est apud Giannium, Conimb. Ruu. Suar. Hurt. Moris. & Alios. Zerbius verò, Auersa, Arriag. & Ouid. vtramque opinionem probabilem putant.

Nos sumus cum Scoto, & Scotistis communiter, & Prima pars .s. quòd in Arist. principijs cœlum non constat ex materia, & forma, fauet Auerroistis, & nobis adhærent etiam Nominales, vt videre est apud Gabrielem, Aureol. Albert. de Xaxonia, Durandum, & nouissimè probabilem putat Riccard. Lync. Soc. Ies. l. 9. de Corp. incorruptibili c. 1. fol. mihi 335.

Ratio est, quia Materia est principium, & radix corruptionis, est enim in potentia contradictionis ad formam, & priuationem formæ ex 9. Meth. 17. & circa finem pri-

mi

mi Physic. semper machinatur ad maleficium, & corruptionem, sed Cœlum secundum Arist. 1. Cœli tex. 30. & 31. est æternum, & incorruptibile, ergo &c. Confirmatur, 8. Meth. 14. Arist. solùm materiam admittit, vbi adest generatio, & transmutatio substantialis, & text. 12. in Cœlis materiam solùm secundum locum mobilem ponit, quæ nõ est pars cõpositi, aliter in Angelis etiam reperiretur, cum sint etiam secundum locum mobiles, sed in Cœlis non est generatio substantialis, ergo neque materia.

Multipliciter Aduersarij Respõdent. Aliqui negant materiam esse causam corruptionis, nisi affecta sit contrarijs qualitatibus, quomodo non reperitur in Cœlo, ita Arriag. Non valet, ex principijs ipsius Arist. pluribus in locis, & præsertim de long. & breuit. vitæ cap. 2. vbi docet impossibile esse materiã habenti non existere aliqualiter contrarium, quia secundum ipsum, materia, & contrarietas se mutuò inferunt, & consequenter si in Cœlo est materia, erit etiam cõtrarietas, & si hæc remouetur, & illa remoueri debet, ergo etiam à contrarijs qualitatibus independenter, materia semper annexam habet contrarietatem, & per consequens semper radix corruptionibus constituitur.

Respondet. Ruu. quòd in Cœlis non sunt contraria disponentia ad corruptionem, vt sunt calor, & frigus, humiditas, & siccitas, sed alia, nempè rarum, & densum; lucidum, & tenebrosum; tardè, & velociter moueri, quæ ad inferendam materiam sufficiunt. Non placet, nam Arist. in textu loquitur de contrarijs disponentibus ad corruptionẽ, quia eius intentum est ostendere, quòd non datur aliquod quod corrumpitur, & non habeat contrarium, nam omne quod corrumpitur à suo contrario corrumpitur.

Resp. Alij quòd Arist. negat in Cœlis materiam hanc sublunarem, quæ est ad alias formas in potentia, & ideò principium corruptibilitatis, non verò negat materiam diuersæ rationis, respicientem formam tantùm cœlestem, qua ratione dicitur receptiua formæ, non verò in potentia contradictionis ad illam, quia non potest esse sub alia forma specie distincta, & licèt respiciat aliam formam numero hoc tamen non officit incorruptibilitati Cęlorum, quia natura non destruit vnum indiuiduum, vt alterum eiusdem speciei immediatè producat.

Sed frustra laborãt, licèt .n. materia Cœli esset diuersæ speciei à materia sublunari, adhuc tamen non saluant incorruptibilitatem cœlorum, nam etiam hæc secundũ ipsos est indifferens ad plures formas numero distinctas, quatenus materia orientalis recipere potest partem occidentalem formæ cælestis, ergo habet istius priuationem, & consequenter verè erit in potentia contradictionis ad formam cœ-

li.

li. Quòd autẽ nõ detur naturaliter transmutatio de vno indiuiduo ad aliud eiusdem speciei, hoc non saluat contradictionem ab intrinseco, sed solùm ab extrinseco ob defectum agentis naturalis, & quis rationabiliter negabit, Materiã Lunę esse posse sub forma solis? in quo casu materia Cœli non esset ad formas solùm numero, sed etiã specie diuersas; & licèt indissolubiliter vniatur materiæ, non tamen materia ità ex parte sua vnitur formæ ait Scot. ideòque habitudo hæc inter materiam, & formam non esset necessaria ex parte vtriusque extremi, & p Cõsequens Cęlũ nõ esset simpliciter incorruptibile, & necesse esse, vt Aris. asserebat. Hinc etiã in sublunaribus cernimus formas aliquas inseparabiles naturaliter à materia, vt patet de Adamantis forma &, alterius pretiosi lapidis, quib⁹ tamen adhuc corruptibilitas cõuenit propter potentialitatẽ materię.

M. Iacob. Brun. q. 2. de Cœlo art. 2. ait, maiorem argumenti ex auct. Aris. desumptam esse veram de materia priuationi ad mixta, nõ de materia cœli, quæ semper ab initio fuit cum eadem forma; & quòd licèt ex transmutatione substantiali tamquam per rationem à posteriori colligatur dari materiã primã, nõ tamen valet è cõtrà, vbi est materia dari debeat huiusmodi transmutatio, & affert exemplum, nam valet, vbi est respiratio, est animal, non tamen è contrà, vbi est animal est respiratio, quia argumentum est à causa remota.

Sed Responsio hæc reiecta fuit disp. 3. phys. art. 16. vbi directè contra ipsum ostendimus ad rationem eductionis non requiri, quòd materia præcedat duratione formam, in quo priori dicitur priuata forma, sed sufficere prioritatem naturæ, sicut in alijs causis, quæ doctrina vera est etiam in sent. D. Tho. qui 3. par. 77. art. 3. ad 1. docet, probabile esse asserere, quòd quando ex speciebus panis generantur vermes in instanti generationis materia creatur, & forma ex illa educitur, quam doctrinam amplectuntur Complut. disp. 4 q. 4. & fusius Lerma; & responsio, quam affert concedendo saluari essentiam eductionis absque mutatione actuali, non autem aptitudinali parùm vrget, quia iàm concedit quantum sufficit ad saluàndam essentiam eductionis absque mutatione actuali, & quòd Deus potest creare materiam, educendo formã ex illa in eodem instanti, cœterum accidit materiæ, vt ibi diximus, quòd accipiat formã cum sui mutatione; nec ne, estò regulariter ità in his inferioribus contingat; & iam ipse fatetur ex hoc fundamento, opinionẽ nostram esse probabilem, quòd si querit demostrationẽ, exquo capite ipse demõstrat?

Ad additionem, bona pace tãti Magistri, licèt circulus, & regressus vniformis, & formalis admitti non debeat, vt Arist. docet 1 post. cap. 3. regressus tamen, seu circulus

lus difformis, & materialis, non solùm admitti potest, sed etiam valdè vtilis in scientijs censetur, vt in log. ostendimus disp. 19. art. 5. Sententia non solùm Scoti 2. Prior. q. 4. sed etiam Caiet. Amic. Blanc. Conimb. Ioan. de S. Thom. & communior apùd Recentiores, & clarè deducitur ex Arist. 1. post. c. 10. vbi duplicem assignat demõstrationẽ. s. Quia, & Propter quid, & docuit, quòd quando termini sunt reciproci potest fieri transitus de vno ad alium, & affert exemplum de scintillatione planetarum &c. & 8. phys. 52. ex motu æterno probat æternitatem motoris, & tex. 53. ex Æternitate motoris ostendit motum æternum; & 1. de anima 11. docet ex notitia accidẽtium nos deuenire in cognitionem essentiæ, & ex cognitione essentiæ diuenire in notitiam accidentis.

Sed ad quid in hoc tempus conterere? iàm ipse M. vt Doctissimus, benè totum hoc ratum habebit. Accedamus ad casum in particulari, Arist. 1. phys. ex generatione substantiali inuestigauit existentiam materiæ, deinde alijs medijs euidentius naturam materiæ aperuit, multas eius passiones ostendendo, .s. quòd sit subiectum contrariorum, quorum conditio est, vt mutùo se expellant ab eodẽ subiecto, vnde materia modò est sub forma, modò sub priuatione formę, &c. quibus distinctè habitis, à priori deinde 1. de gen. demonstrat materiam esse causam generationis, & transmutabilitatis, vt eruditè Zabarell. ostendit de Regres. c. 4. Tolet. & Alij.

Optimus est igitur Scoti discursus: In Cœlo non datur generatio substantialis, cùm in Aris. sent. sit æternum, & incorruptibile, ergo neq; materia prima, patet sequela, quia ipse via generationis substantialis materiam primam inuestigauit, ergo si ibi non est generatio, neque erit materia; & quia isti termini sunt reciproci in eius sent. valet etiam inferre, quòd si in Cœlo erit materia, erit etiam noua generatio, & corruptio, quæ conseq. non potest negari in sent. Aris. in cuius sensu nos disputamus, qui ex generatione substantiali indagauit materiam primam, & deinde ex positione materię nouam generationem substantialem venatus est, admittens in hoc circulum difformem, & scientificum. Exemplum, quòd affert de respiratione ad animal, &c. non est ad propositum, nam respiratio instituta est à natura ad refrigerandũ calorem cordis, ne animal ex illius excessu intereat, ex quo tantùm sequitur, omne viuens refrigerari debere, non tamen respirare, nisi vbi multùm calor excedit, vndè plantæ, quia modicùm habent caloris, non respirant, sed sufficit, quòd aqua, & aere ambiente refrigerentur, & idem de animalibus exanguibus dicendum erit, ac ferè de omnibus piscibus, qui refrigerantur ab aqua ambiente per fistu-

fistulas ad interiores partes penetrante, & de inde eijcitur, licèt de facto sint aliqui pisces pulmonem habentes, qui respirant, vt in lib. de anima patebit. Quia igitur hi termini non sunt reciproci, & ad plus se habet animal, quàm respiratio, ideò exemplum allatum minimè ei suffragatur, ex qua doctrina patere potest solutio ad alias responsiones ibi allatas.

Probatur quò ad 2. partem .s. quòd secundum veritatem Cœlum compositum sit ex materia, & forma, & colligitur ait Doct. ex 1. Gen. illud.n. Chaos, quod à Theolog. ponitur attigisse vsque ad Empyreum, erat materia prima omnium producibilium, non .n. per ly *fiat* intelligitur vera creatio, & specialiter de Cęlo videtur ex aquę materia fuisse productum ex illis verbis:*fiat firmamētum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Vera autem creatio significatur per illa verba: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*. vbi per cœlum cōmuniter PP. exponunt Empyreum. & per terram materiam primam, & sap. 11. dicitur: *omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa*. Hinc D. Aug. lib. 1. de Gen. contra Manichæos, ait: *Prima ergo materia facta est confusa, & informis, vndè omnia fierent, quod credo à Græcis chaos appellari*, & suadetur, si .n. homo, qui longè præstantior cælestibus corporibus in sua constitutione materiam, & formā admittit, cur hoc Cœlestibus corporibus, quæ longè inferiora sunt denegandum erit? hæc opinio est conformior dictis SS. PP. vt videre est apud Cornel. Tannerum, & Alios.

Obiectiones.

Ob. cōtra primam partem, probādo, quòd Cœlum etiam in Arist. sent. constat ex materia, & forma, ex pluribus eius locis 1. ex 12. Meth. 22. vbi docet omnium sensibilium corporum eadem esse principia, .s. materiam, formam, & priuationem. 2. ex 8. meth. 3. vbi ait: sensibiles verò causæ substātiæ materiam habent. 3. ibidem tex 9. inquit, substantia, cuius contingit defenitionem esse, siuè sensibilis, siuè intellectualis erit composita ex aliquo, vt ex materia, & aliquo, vt forma. 4. ex 2. de gen. 51. vbi docet materiam, & formam rebus etiam æternis conuenire. 5. ex 3. Cœli 1. vbi videtur innuere, Cœlum non solùm ex materia constare, se etiam naturæ esse elementaris. 6. ex 1. Cœli 92. vbi ait, Cœlum singulare esse, & omne singulare in materia existere, & subdit, Cœlum dicere formam, & hoc cœlum dicere formam in materia.

℞. ad 1. Arist. ibi loqui de principijs in sensu, quo loquutus fuerat 1. phys. .s. pro vt communia sunt ad mutationem substātialem, & accidentalem, vt Scot. exponit in 2. sent. d. 12. q. 1. vbi philosofus loquebatur de materia, vt subiectum est, non solùm ingeneratione, sed etiam in alteratione, ibi

in. tex. 57. protestatus est agere de omni generatione, & reddens rationem, ait, quia secundum naturam priùs debemus principia cōmunia, deindè particularia speculari, quē locū Expositores potiores exponūt de generatione, & mutatione omni, tàm substantiali, quàm accidētali, vt in phyſ. diximus disp. 2. art. 2. concl. 3. & quia Arist. cognouit reperiri in Cœlo generationem accidentalem, posuit etiam ibi tria principia .ſ. subiectum, quod appellauit materiam; formam accidentalem, & priuationē.

Ad 2. ℞. Arist. ibi loqui de substantijs corruptibilibus, & colligitur ex tex. 4. vbi subdit, & si habens materiam partis sit mobile secundum quatuor mutationes, nō tamen quòd habet materiam secūdum locum mobilem, quale est Cœlum, habet materiam, quæ est generationis, & corruptionis subiectum.

Ad 3. loquitur ibi de materia meth. quod est genus, & de forma, quæ est differentia.

Ad 4. mentem Arist. fuisse ibi probare tria ad generationem requiri; nempè materiam, formam, & agens, quod probat à simili, cùm .n. principia cœli, & corruptibiliū sint eadem secundum rationem genericam, & in mutatione accidentali cœli, hæc tria requiruntur .ſ. materia, seu subiectum, quæ est essentia Cœli, forma quæ est vbi, & Agens mouens, quæ est Intelligentia, idem de generatione substantiali dicendum erit.

Ad 5. ℞. ex his, quæ habet Arist. 1. Cœli 96. quòd .ſ. Cœlum sumi potest pro toto vniuerso, in quo sēsu accipitur hic, dùm ait, Cęlum omnibus simplicibus corporibus constare, & elemētaris esse naturę.

Ad 6. Scotistæ cōmuniter Resp. quòd per ly materiam Arist. nō intellexerit materiam partis, sed totius, qualis est differentia indiuidualis contrahens quidditatem in communi ad esse indiuidui.

Sed hæc responsio non satis quadrat in sent. Scoti, qui in 2. d. 3. q. 7. ad 1. princ. & quol. 2. N. vult, quòd Arist. posuit entia æterna formaliter necesse esse absque vlla potentialitate substantiali, & ratio ipsius est, quia cùm omne contrahibile quantum est ex se, posset in infinitis indiuiduis reperiri, si æterna constarent ex natura contrahibili, & materia, seu differentia indiuiduali contrahente, posset natura illa ex se esse in pluribus, imò in infinitis indiuiduis, & consequēter, qa 9. meth. 17. in æternis idē est esse, & posse, reperirentur actu infinita indiuidua in Cœlis, quòd est falsum, & hac de causa Arist. posuit omnia æterna necessaria, & de se hæc, ergo in sent. Arist. hæc materia totius non datur in Cœlis. Tū quia Scot. loc. cit. docet carentiā materię partis in Arist. Sēt. arguere in aliquo etiā carētiā materiæ totius, seu hæcceitatis; Quare melius respondendū putamus cum Zabarell. & Aliis, quòd in quolibet sē-

sibili

sibili duo esse cōsiderare possumus .s. vel esse intelligibile, quæ est quidditas, & essentia ipsius; vel esse sensibile, & est quidditas quibusdam affecta accidentibus, primum esse Arist. vocat formā, sicut pluries formam quidditatem appellat; secundum esse vocat materiam, ità vt sensus eius sit, quando dicitur Cœlum, intelligitur esse intelligibile, seu quidditas cœli, cū verò dicitur hoc Cœlum, datur intelligi quidditas cum sensibilibus accidentibus.

Ob. ratione: Cœlum est corpus naturale, & habet moueri naturaliter motu circulari, ergo constat natura, & principijs naturalibus, quæ sunt materia, & forma. R. ex dictis in phys. naturam rectè diuidi in materiam, formam, & quidditatem; & quia Cœlum suam habet essentiam, & quidditatem, habet etiam consequenter naturam.

Ob. Cœlum est substantia, quæ in 2. de anima diuiditur in materiam, formam, & compositum, sed Cœlum non est materia, neq; forma, ergo compositum ex materia, & forma R. ibi tantùm diuidi substantiam corruptibilem, non in communi, quæ 12. meth. 5. diuiditur in substantiam sensibilē corruptibilem, vt sunt sublunaria; in sensibilem incorruptibilem, vt est Cœlum, & in insensibilē incorruptibilem, vt sunt Angeli.

Ob. Quantitas est passio materiæ, indè .n. probatur Intelligentias incapaces esse quantitatis, qa materia carent, & formæ sunt subsistentes, & 2. de gen. 37. habetur, quòd quæ conueniunt in quantitate, habent eamdem materiam, sed in Cœlo est quantitas, ergo & materia. R. neg. quantitatem esse passionem materiæ, cùm potius sit passio sequentes corpus in cōmuni, nec ex eo solùm probatur intelligentias incapaces esse quantitatis, quia materia partis carent, sed potius ex ipsorum spiritualitate; hinc notamus, dupliciter aliquid dici materiale, vel quia .s. cōstat ex materia partis, vel quia est corpus partes habens entitatiuas; Cœlum est materiale secundo modo, non primo, non tamen est spirituale, nam solùm illud immateriale cum spirituali conuertitur, quod nullo modo est materiale, corpus .n. propriè à spiritu differt per habere partes entitatiuas, & integrales, vt (si Domino placuerit) in lib. de anima patebit.

Ob. Rarum, & densum per materiam definiuntur, nam rarum illud dicitur quod habet parum materiæ sub magna quantitate, densum, quod habet multum materiæ in parua quātitate, quę accid. communiter in Cœlis admittuntur, ergo &c. R. rarum, & densum definiūtur, non per materiam partis, sed per materiam, quæ potest aliquo modo esse subiectum accidentium, habens partes entitatiuas, & patet ex Sacrosancto Euch. Sacram. Vbi adest raritas, & densitas in specieb..s, absq; materia partis,

Ob.

uam, sed obiectiuam, quæ est pura non repugnantia, ità Fasol. & M. Iacob. Brun. q. 1. de Cœlo art. 1. ex D. Thom. de pot. q. 3. art. 1. ad 2. Vndè ergo tàm acriter aliqui Thomistæ Scotum carpent, quò sine fundamento posuerit distinctionem illam de potentia subiectiua, & obiectiua in illa famosa controuersia de propria existentia materiæ, si prius à Diu. Thoma assignata fuit?

Ob. quòd saltèm in sent. Arist. Cœlum, & materia prima non pendēt à Deo; nam creatio est productio rei de non esse ad esse, sed non esse Cœli, & materiæ nunquam præcessit in eius sent. cùm fuerint æterna, ingenerabilia, & incorruptibilia, ergo non fuerunt creata à Deo. Tum quia in Aristot. sent. ex nihilo nihil fit, ergo non est possibilis creatio. ℟. ex Scoto in 1. d. 1. q. 2. neg. min. nam non esse cœli. & materiæ primæ, præcessit saltem natura, quòd sufficit ad veram causalitatem, nec esset contra rationem æternitatis, & dicuntur ingenerabilia generatione propriè dicta, quæ supponit subiectum. Ad 2. Illud Philosophi axioma valere apud ipsum de actionibus creaturarum, non de actionibus Dei, & æternis.

Dices, ex 1. Meteor. cap. 1. Cœlum ponitur ab Arist. prima causa, & primum efficiens, ergo non est causatum ab alio. ℟. ibi Arist. loqui de primo principio in gen. entium productorum.

Instabis. Arist. 10. Eth. cap. 8. negat Deo omnem actionem, ergo in eius sent. Mundus quò ad incorruptibilia non fuit à Deo productus. ℟. negasse à Deo actionem moralem, quatenus non agit iuxta regulam alterius superioris præcipientis, non actionem effectiuam.

DVBIVM SEXTVM.

De Mundi Inceptione.

PRobat Scot. in 2. sent. d. 1. q. 2. §. *Sed contra istud*, &c. contra Arist. mundum potuisse in tempore incipere, ex illo principio, quia cùm Deus sit ens infinitum, & æternū, à quo omnes creaturæ participant esse totum quod habent, agens ad extrà per intellectum, & voluntatem, & consequenter liberè se communicans creaturis, nulla videtur implicantia ens in tempore producere, si .n. liberè creat, liberè etiam quandò, & quomodo ei placuerit creare potest. Quod fuerit in tempore creatus, est de fide iuxta illud gen. *in principio creauit Deus cælum, & terram*, &c. & psal. 89. *prius quam mundus fieret, aut formaretur terra, & orbis ego eram*, & Definitur in col. later. in capit. *Firmiter de summa Trinitate* &c.

Quo autem tempore, probabilius, est, quòd verno æquinoctio productus fuerit, & colligitur ex illo gen. 1. *producat terra herbam virentem*, &c. quod tali tempore abundantius fit. Tùm quia hoc tēpus assimilatur adolescentiæ, quod

ad

ad generationem rerum aptius est, & quolibet anno quasi mundus renouatur; Æquinoctium verò autũnale potius senectuti comparatur, quia tunc ad corruptionem omnia tendunt; & licèt in ipsa mundi productione fructus maturi fuerint, hoc Dei prouidentia factum est, ad hominum, & animalium sustentationem. Adducitur etiam congruentia, quia tunc Verbum Diuinum carnem assumpsit, & passionem subijt, vt renouatio tunc fuerit, quãdo facta fuit productio. Neque sentent. D. August. 4. super Gen. ad lit. cap. 22. & Caiet. recipimus, quòd omnia in instanti inceperint, sed cùm communi asserimus, quòd mundus spatio sex dierum fuerit productus, vt expresè habetur in Sac. Gen. & Exod. 20. vbi legitur: *sex dies fecit Deus Cœlum, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & die septimo requieuit.* hinc apud Theolog. estat regula, quòd nunquam in script. Sacra accomodandus est sensus methaphoricus ad literalem destruendum, cùm iste facilè accommodari poterit. Tùm quia sensus scripturalis satis confusus, & contrarietatibus implicitus videretur, quomodo .n. potuisset simul terra in aquis existere, & vacua? & aquis operta, & simul ab aquis remota, & herbis ornata? & tenebræ, & lux simul existere super faciem abissi, vt sacra refert historia?

Ob. Ex Sac. Gen. 2. *istæ sunt generationes cœli, & terræ quando creata sunt in die, quo fecit Dominus cœlum, & terram.* & Eccles. 18. *qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* R. cum D. Bonau. in 2. d. 12. has, & similes auctoritates circumscribere nobis totum tempus, totamque moram continuatam sine interpolatione creationis mundi. Multa alia hic dicenda erant, quæ tamen à Theol. in opere sex dierum examinari solent.

Non desunt tamẽ Doctores, qui Arist. in sent. de mundi æternitate in bonum sensum trahant, ita præsertim D. Thom. 1. p. qu. 46. art. 1. Albert. Magn. 4. phys. cap. 2. & alij, vt videre est apud Perer. & sequuntur Fasol. & Ferchius, & illo præcipuè motiuo, quia Arist. libro illi tributo de natura Deorum ad Alexandrum, docet, mundum fuisse creatum à Deo in tempore, hinc 8. physic. & 1. Cœli, vbi de mundi æternitate ex professo loquitur, solùm opinatiuè, dubitatiuè, problematicè, & gratia disputandi loquitur, & 1. Topoc. cap. 9. inter problemata dialectica ponit hoc, *Vtrũ mundus sit ab æterno.* Vel quòd Arist. voluit mundum non habuisse principium, eo tantùm modo, quo ponebant Philos. 5. per generationẽ, & ex præsuppositione materiæ, nõ verò negare mũdum habuisse principium per creationem.

Verùm communis Peripat. Sentent. de mundi æternitate tenet fuisse Dogma Aristotelicum, neq; aliquid intactum reliquit, vt suam stabiliret sententiam. Imò aliqui addunt, quòd propter hanc opinio-

nem de mundi æternitate fuerit accusatus apud Hierophantam Summum Græcorum Sacerdotem, & damnatus tamquam proprię Religioni contrarius, & quòd compulsus fuerit aufugere in Chaluidem. Alij etiam referunt, quòd in morte constitutus, cuidam discipulo proponenti lib. Sac. Gen. in quo versus ille legebatur: *In principio, seu in tempore creauit Deus Cælum &c.* responderit: *huic viro, s. Moysi, non debeo credere, quia eius scripta rationi non subijciuntur*, & quòd apud alios dixerit: *Hierusticus multa dicit, sed nihil probat*. Sed mirum nō est, quia fidei lumine carebat, & pro veritatis confirmatione, argumenta in modo, & figura expectabat; Moyses verò puro, & simplici ritu sacram historiam iuxta reuelationē Diuinam referebat.

Quòd autem Mundus potuerit esse ab æterno, saltem quò ad permanentia, resolutum fuit in Physic. Sed contra hoc est, quòd si daretur ens permanens ab æterno, daretur etiam ens successiuum ab æterno, quòd implicare determinauimus, patet sequela, duratio, n. dicit quid successiuum à re durante realiter distinctum, vel in sensu formali, vt contendunt Arriag. & Ares. vel saltèm connotatiuè, vt in phys. diximus, respectum s. ad tempus imaginariū, sed huic arg. satisfecimus ibi satis, nam respectus ille coexistentiæ ad tempus imaginarium, non est realis simpliciter, sed secūdum quid, vnde arg. solùm vrget illos, qui tenent, durationem formaliter importare quid successiuum, realiter à re durante distinctum.

Ob. pro Arist. quòd mundus nō potuit incipere in tempore. Si motus incepit, præsupponebatur mouens, & mobile, quæ si in tempore quoque inceperūt, ergo per alium motum, & ita in infinitum; R. nō esse necessariū, mobile, quod motui præsupponitur, per motum incipere, sed per veram creationem temporalem; Neque si agens liberum non agit, hoc semper euenit propter aliquod impedimentum, sed accidere potest ex beneplacito suæ voluntatis; sic Deus ab æterno non produxit mundum &c.

Dices, tempus secundum omnes Philosophos est æternum, & ingenitum, ergo & motus, qui est simul cum tempore, ergo mundus non incepit in tempore: R. neg. tempus reale æternum esse, & solùm conceditur de tempore imaginario, quòd non facit ad propositum.

Vrges, si mundus in aliquo instanti habuit esse, cùm omne instans sit continuatiuū præteriti, & futuri temporis; ante illud instans fuisset tēpus, R. quòd illud instās cui coestitit mundi inceptio, non fuit instans tēporis realis, sed imaginarij, de quo tempore imaginario plura diximus in physic. Ais. Mundus in æternum durabit, ergo etiā ab æterno fuit. Pr. quia quod est incorruptibile, est etiam æternum

num. ℟. neg. conseq. cum sua probatione, nā anima rationalis semper durabit, & tamen in tempore creatur.

Ob. Si mundus non fuisset ab æterno; Deus fuisset mutatus, ipsum producens in tempore, sed hoc est falsum, ergo &c. Pr. sequela, quando de nouo aliquid producitur, datur id, quod aliter se habet nūc quàm prius, sed tale non est id, ꝙ producitur, quia non præfuit, ergo agens producens. ℟. cum Scot. in 3. d. 1. q. 2. ad 1. princ. negan. sequ. cum sua prob. nam in causis liberis, qualis est Deus, potest esse nouitas effectus absque nouitate in causa, potest .n. velle Deus, volitione æterna aliquod creatum, nō pro æterno, sed pro tempore, neq; in creatione propria mutatio reperitur; & est hìc aduertendum, ꝙ licèt Deus Benedictus quando agit, semper agit quod melius est, idest quod non est malum, non tamen actu tenetur ad agēdum quod est melius, & ratio est, quia liberè, & non necessariò ad extra agit.

DVBIVM SEPTIMVM.

De Mundi Desitione.

SCotus de hoc dubio agit in 4. sent. d. 43. q. 2. & d. 48. q. 2. quibus in locis loquens de innouatione, & purgatione mundi per ignem in die Iudicij conficienda supponit semper cœlos, & elementa permanere, ità vt talis purgatio vsque ad sphæram ignis perueutura non sit, quæ sent. apud PP. & Theol. est communior, vt videre est apud Tannerum disp. 6. de creat. q. 4. dub. 5. In Arist. sentent. mundus duraturus est in æternum, eo modo, quo nunc est. Alij è contrà volunt corpora omnia tàm Cœlestia, quàm sublunaria fore in die Iudicij comburēda, & postea alium nouum mundum specie ab isto diuersum, quasi fenicem ex cineribus exultam, reficiendum, noua elementa, nouosque cœlos continentem, ità ex Recentioribus Molina, Hurt. Moris. & Alij.

Nos verò sumus cum Scoto, & magis communi, quòd licèt mundus possit in æternum durare cum iisdē qualitatibus, speciebus rerū, serie, & successione quomodo nunc existit, possetque à Deo annihilari totaliter iuxta suum Diuinum beneplacitum, de facto tamen quòad substantiam semper duraturus est, quamuis quò ad accidentia renouandus.

Quò ad primā partē inde patet, quia Cœli sunt incorruptibiles naturaliter, & elementa sunt ità inter se proportionata quò ad actionem, & passionem, vt nunquam totaliter inter se destrui possint. Tum quia agens naturale corrumpendo generat, & generando corrumpit, cùm non possint materiam nudam relinquere, ex quo sequitur, quòd si vna res deficit, alia resurgit, ergo &c. Quòd etiam possit à Deo annihilari, euidens est, cùm sit in essentiali

tiali dependentia ab ipso Deo, qui sicut mundum liberè creauit, ita poterit suum cōcursum liberè subtrahere.

Quòd deinde secundum substātiā sit permāsurus, pluribus script. locis patere potest, psal. 148. *statuit ea in æternum, & in sæculū sæculi.* Eccl. 1. *Terra in æternum stat.* & capit. 3. *omnia opera, quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum.* Neque potest aliqua ratio conuincens adduci, qua cogamur in hac purgatione per ignem, cœlum, & elementum ignis comburi debere, & consequenter nec etiā de alijs elemētis, sed sufficiet si accidentaliter renouentur, & perficiantur, videatur Scot. loc. cit. & D. Bonau. in 4. d. 47. art. 3. item & D. Tho. ibidem. d. 47. & Abulensis apud Matth. cap. 35. q. 422. Tum quia mundus conditus est propter manifestationem gloriæ Dei, sed talis finis post Iudicium non cessat, ergo &c.

Ob. quòd mundus iste sit totaliter corrumpendus ex pluribus loc. Sac. Sript. Primus, ex Apocal. 21. *vidi cœlum nouū, & terram nouam.* Secundus, ex Isa. 65. *ego creo Cœlos nouos, & terram nouam.* Tertius, ex psalm. 101. *ipsi peribunt, & sicut vestimentum veterascent, & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Quartus, ex Isa. 51. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Quintus, ex Matth. 24. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem non transibunt.* Sextus, ex 2. Petri cap. 3. *Cœli, qui nunc sunt, & terra reseruati sunt in die Iudicij.* & infra. *Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur,* quid clarius?

℞. tres primæ Authoritates intelligi debent non de creatione, & annihilatione propria substantiali, sed de accidētali innouatione, quæ cùm sit actio supernaturalis à Deo facta, potest dici creatio, vel annihilatio, vt D. Hier. super psal. cit. explicat. Quarta, & quinta explicantur de operationibus Cœlorum, quatenus Iudicij tempore obscurabuntur, sed postea maiori luce fulgebunt iuxta illud Isa. *erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter.* Vltimus locus D. Petri, D. Bonau. loco cit. & Scot. in 4. d. 43. q. 1. ad 2. *Princip.* per Cœlos exponunt aereas regiones, iuxta illud psal. 8. *volucres Cœli &c.* quę expositio traditur etiam à D. August. & Hieron. vndè quando dicitur, cælum, & terram igni seruatos, intelligi non debet de totali combustione, sed de purgatione imperfectionum. Sic etiam Doct. exponit illud Iob. 14. *Donec Cœlum atteratur.* quamuis .n. cœlum nunquam atteretur quantum ad substantiam, atteretur tamen quātum ad efficaciam, vel influentiam ad hæc inferiora, nam post Iudicium cessabunt Cœlorum influentiæ. Aliqui per huiusmodi consumationē ab igne, exponunt de mixtis, mundus .n. quò ad mixta ante diem Iudicij corrumpetur, præter hominem, quia tunc completus est nu-

me-

merus electorum, ad quem complendum motus cælorum, & generationes rerum tamquam ad finē ordināur. Quando igitur in Scrip. fit mentio, quòd Cæli transibunt, exponi debet quò ad motum, & influētias in hæc inferiora; & quòd terra peribit quò ad generationem mixtorum, & alterationem &c.

DVBIVM OCTAVVM.

An Corpus Cæleste constet ex materia, & forma.

SCot. Dubium hoc resoluit in 2. d. 14. q. 1. distinguendo scilicet, *principijs Arist. inhærendo, cælum non est compositum ex materia, & forma, at secundum Theolog. & veritatem, constat ex materia, & forma*. Multa fuerunt Philosophorum placita de Cęli compositione, Alij enim affirmantes ex Elimentati natura constare, dixerunt esse igneum; Alij verò aqueum; Alij aereum; Alij terreum, vel ex pluribus elementis, quorum opiniones nonnulli etiam SS. PP. vt eorum discipuli sequuti sunt, quod tamen falsum est, quia cœlum superioris naturæ, ac diuersæ ab elementis ostenditur, vndè & quinta essentia appellari consueuit; & licèt cœli, & astra contrarias qualitates habere videantur, sicut habent elementa, nam sol calorem, Saturnus frigiditatem, Mars, siccitatem, & Luna frigiditatem causant, has tamen non habent formaliter, vt elementa, sed tantùm virtualiter, quatenus in his inferioribus virtutem huiusmodi qualitates producendi habent, & si Saturnus terreæ esset naturæ, vel aqueæ, inter planetas infimum obtinere locum deberet, quod tamē est falsum, cùm sit omnium Supremus. Qua sententia, vt intolerabili relicta, agitatur dubium rationabile, an scil. Corpora Cœlestia constent ex materia, & forma.

Dubium decisum remanet ex physica disp. 3. art. 7. ideò breuiter me expediam. Auerroistæ cum suo Magistro de substantia Orbis c. 2. vt Cœli incorruptibilitatem seruarent negarunt ab ipso compositionem ex materia, & forma. Thomistæ verò potius ad oppositū inclinant, vt videre est apud Giannimum, Conimb. Ruu. Suar. Hurt. Moris. & Alios. Zerbius verò, Auersa, Arriag. & Ouid. vtramque opinionem probabilem putant.

Nos sumus cum Scoto, & Scotistis communiter, & Prima pars .s. quòd in Arist. principijs cœlum non constat ex materia, & forma, fauet Auerroistis, & nobis adhærent etiam Nominales, vt videre est apud Gabrielem, Aureol. Albert. de Xaxonia, Durandum, & nouissimè probabilem putat Riccard. Lync. Soc. Ies. l. 9. de Corp. incorruptibili c. 1. fol. mihi 335.

Ratio est, quia Materia est principium, & radix corruptionis, est enim in potentia contradictionis ad formam, & priuationem formæ ex 9. Meth. 17. & circa finem primi

mi Physic. semper machinatur ad maleficium, & corruptionem, sed Cœlum secundum Arist. 1. Cœli tex. 30. & 31. est æternum, & incorruptibile, ergo &c. Confirmatur, 8. Meth. 14. Arist. solùm materiam admittit, vbi adest generatio, & transmutatio substantialis, & text. 12. in Cœlis materiam solùm secũdum locum mobilem ponit, quæ nõ est pars cõpositi, aliter in Angelis etiam reperiretur, cum sint etiam secundum locum mobiles; sed in Cœlis non est generatio substantialis, ergo neque materia.

Multipliciter Aduersarij Respõdent. Aliqui negant materiam esse causam corruptionis, nisi affecta sit contrarijs qualitatibus, quomodo non reperitur in Cœlo, ita Arriag. Non valet, ex principijs ipsius Arist. pluribus in locis, & præsertim de long. & breuit. vitæ cap. 2. vbi docet impossibile esse materiã habenti non existere aliqualiter contrarium, quia secundum ipsum, materia, & contrarietas se mutuò inferunt, & consequenter si in Cœlo est materia, erit etiam cõtrarietas, & si hæc remouetur, & illa remoueri debet, ergo etiam à contrarijs qualitatibus independenter, materia semper annexam habet contrarietatem, & per consequens semper radix corruptionibus constituitur.

Respondet. Ruu. quòd in Cœlis non sunt contraria disponentia ad corruptionem, vt sunt calor, & frigus, humiditas, & siccitas, sed alia, nempè rarum, & densum; lucidum, & tenebrosum; tardè, & velociter moueri, quæ ad inferendam materiam sufficiunt. Non placet, nam Arist. in textu loquitur de contrarijs disponentibus ad corruptionẽ, quia eius intentum est ostendere, quòd non datur aliquod quod corrumpitur, & non habeat contrarium, nam omne quod corrumpitur à suo contrario corrumpitur.

Resp. Alij quòd Arist. negat in Cœlis materiam hanc sublunarem, quæ est ad alias formas in potentia, & ideò principium corruptibilitatis, non verò negat materiam diuersæ rationis, respicientem formam tantùm cœlestem, qua ratione dicitur receptiua formæ, non verò in potentia contradictionis ad illam, quia non potest esse sub alia forma specie distincta, & licèt respiciat aliam formam numero hoc tamen non officit incorruptibilitati Cęlorum, quia natura non destruit vnum indiuiduum, vt alterum eiusdem speciei immediatè producat.

Sed frustra laborãt, licèt n. materia Cœli esset diuersæ speciei à materia sublunari, adhuc tamen non saluant incorruptibilitatem cœlorum, nam etiam hæc secundũ ipsos est indifferens ad plures formas numero distinctas, quatenus materia orientalis recipere potest partem occidentalem formæ cœlestis, ergo habet istius priuationem, & consequenter verè erit in potentia contradictionis ad formam cœ-

li. Quòd autē nō detur naturaliter transmutatio de vno indiuiduo ad aliud eiusdem speciei, hoc non saluat contradictionem ab intrinseco, sed solùm ab extrinseco ob defectum agentis naturalis, & quis rationabiliter negabit, Materiā Lunę esse posse sub forma solis? in quo casu materia Cœli non esset ad formas solùm numero, sed etiā specie diuersas; & licèt indissolubiliter vniatur materiæ, non tamen materia ità ex parte sua vnitur formæ ait Scot. ideòque habitudo hæc inter materiam, & formam non esset necessaria ex parte vtriusque extremi, & p Cōsequens Cęlū nō esset simpliciter incorruptibile, & necesse esse, vt Aris. asserebat. Hinc etiā in sublunaribus cernimus formas aliquas inseparabiles naturaliter à materia, vt patet de Adamantis forma & alterius prętiosi lapidis, quib' tamen adhuc corruptibilitas cōuenit propter potentialitatē materię.

M. Iacob. Brun. q. 2. de Cœlo art. 2. ait, maiorem argumenti ex auct. Aris. desumptam esse veram de materia priuationi ad mixta, nō de materia cœli, quæ semper ab initio fuit cum eadem forma; & quòd licèt ex transmutatione substantiali tamquam per rationem à posteriori colligatur dari materiā primā, nō tamen valet è cōtrà, vbi est materia dari debeat huiusmodi transmutatio, & affert exemplum, nam valet, vbi est respiratio, est animal, non tamen è contrà, vbi est animal est respiratio, quia argumentum est à causa remota.

Sed Responsio hæc reiecta fuit disp. 3. phys. art. 16. vbi directè contra ipsum ostendimus ad rationem eductionis non requiri, quòd materia præcedat duratione formam, in quo priori dicitur priuata forma, sed sufficere prioritatem naturæ, sicut in alijs causis, quæ doctrina vera est etiam in sent. D. Tho. qui 3. par. 77. art. 3. ad 1. docet, probabile esse asserere, quòd quando ex speciebus panis generantur vermes in instanti generationis materia creatur, & forma ex illa educitur, quam doctrinam amplectuntur Complut. disp. 4 q. 4. & fusius Lerma; & responsio, quam affert concedendo saluari essentiam eductionis absque mutatione actuali, non autem aptitudinali parùm vrget, quia idm concedit quantum sufficit ad saluandam essentiam eductionis absque mutatione actuali, & quòd Deus potest creare materiam, educendo formā ex illa in eodem instanti, cœterum accidit materiæ, vt ibi diximus, quòd accipiat formā cum sui mutatione; nec ne, estò regulariter ità in his inferioribus contingat; & iam ipse fatetur ex hoc fundamento, opinionē nostram esse probabilem, quòd si querit demostrationē, exquo capite ipse demōstrat?

Ad additionem, bona pace tāti Magistri, licèt circulus, & regressus vniformis, & formalis admitti non debeat, vt Arist. docet 1. post. cap. 3. regressus tamen, seu circulus

lus

lus difformis, & materialis, non solùm admitti potest, sed etiam valdè vtilis in scientijs censetur, vt in log. ostendimus disp. 19. art. 5. Sententia non solùm Scoti 2. Prior. q. 4. sed etiam Caiet. Amic. Blanc. Conimb. Ioan. de S. Thom. & communior apùd Recentiores, & clarè deducitur ex Arist. 1. post. c. 10. vbi duplicem assignat demõstrationẽ. s. Quia, & Propter quid, & docuit, quòd quando termini sunt reciproci potest fieri transitus de vno ad alium, & affert exemplum de scintillatione planetarum &c. & 8. phys. 52. ex motu æterno probat æternitatem motoris, & tex. 53. ex Æternitate motoris ostendit motum æternum; & 1. de anima 11. docet ex notitia accidẽtium nos deuenire in cognitionem essentiæ, & ex cognitione essentiæ deuenire in notitiam accidentis.

Sed ad quid in hoc tempus conterere? iam ipse M. vt Doctissimus, benè totum hoc ratum habebit. Accedamus ad casum in particulari, Arist. 1. phys. ex generatione substantiali inuestigauit existentiam materiæ, deinde alijs medijs euidentius naturam materiæ aperuit, multas eius passiones ostendendo, .i. quòd sit subiectum contrariorum, quorum conditio est, vt mutuò se expellant ab eodẽ subiecto, vnde materia modò est sub forma, modò sub priuatione formę, &c. quibus distinctè habitis, à priori deinde 1. de gen. demonstrat materiam esse causam generationis, & transmutabilitatis, vt eruditè Zabarell. ostendit de Regres. c. 4. Tolet. & Alij.

Optimus est igitur Scoti discursus: In Cœlo non datur generatio substantialis, cùm in Aris. sent. sit æternum, & incorruptibile, ergo neq; materia prima, patet sequela, quia ipse via generationis substantialis materiam primam inuestigauit, ergo si ibi non est generatio, neque erit materia; & quia isti termini sunt reciproci in eius sent. valet etiam inferre, quòd si in Cœlo erit materia, erit etiam noua generatio, & corruptio, quæ conseq. non potest negari in sent. Aris. in cuius sensu nos disputamus, qui ex generatione substantiali indagauit materiam primam, & deinde ex positione materię nouam generationem substantialem venatus est, admittens in hoc circulum difformem, & scientificum. Exemplum, quòd affert de respiratione ad animal, &c. non est ad propositum, nam respiratio instituta est à natura ad refrigerandũ calorem cordis, ne animal ex illius excessu intereat, ex quo tantùm sequitur, omne viuens refrigerari debere, non tamen respirare, nisi vbi multùm calor excedit, vndè plantæ, quia modicùm habent caloris, non respirant, sed sufficit, quòd aqua, & aere ambiente refrigerentur, & idem de animalibus exanguibus dicendum erit, ac ferè de omnibus piscibus, qui refrigerantur ab aqua ambiente per

fistulas ad interiores partes penetrante, & de inde eijcitur, licèt de facto sint aliqui pisces pulmonem habentes, qui respirant, vt in lib. de anima patebit. Quia igitur hi termini non sunt reciproci, & ad plus se habet animal, quàm respiratio, ideò exemplum allatum minimè ei suffragatur, ex qua doctrina patere potest solutio ad alias responsiones ibi allatas.

Probatur quò ad 2. partem .s. quòd secundum veritatem Cœlum compositum sit ex materia, & forma, & colligitur ait Doct. ex 1. Gen. illud.n. Chaos, quod à Theolog. ponitur attigisse vsque ad Empyreum, erat materia prima omnium producibilium, non .n. per ly *fiat* intelligitur vera creatio, & specialiter de Cęlo videtur ex aquę materia fuisse productum ex illis verbis *fiat firmamētum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Vera autem creatio significatur per illa verba: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*, vbi per cœlum cōmuniter PP. exponunt Empyreum. & per terram materiam primam, & sap. 11. dicitur: *omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa*. Hinc D. Aug. lib. 1. de Gen. contra Manichæos, ait: *Prima ergo materia facta est confusa, & informis, vndè omnia fierent, quod credo à Græcis chaos appellari*, & suadetur, si .n. homo, qui longè præstantior cælestibus corporibus in sua constitutione materiam, & formā admittit, cur hoc Cœlestibus corporibus, quæ longè inferiora sunt denegandum erit? hæc opinio est conformior dictis SS. PP. vt videre est apud Cornel. Tannerum, & Alios.

Obiectiones.

Ob. cōtra primam partem, probādo, quòd Cœlum etiam in Arist. sent. constat ex materia, & forma, ex pluribus eius locis 1. ex 12. Meth. 22. vbi docet omnium sensibilium corporum eadem esse principia, .s. materiam, formam, & priuationem. 2. ex 8. meth. 3. vbi ait: sensibiles verò causæ substātiæ materiam habent. 3. ibidem tex 9. inquit, substantia, cuius contingit defenitionem esse, siuè sensibilis, siuè intellectualis erit composita ex aliquo, vt ex materia, & aliquo, vt forma. 4. ex 2. de gen. 51. vbi docet materiam, & formam rebus etiam æternis conuenire. 5. ex 3. Cœli 1. vbi videtur innuere, Cœlum non solùm ex materia constare, se etiam naturæ esse elementaris. 6. ex 1. Cœli 92. vbi ait, Cœlum singulare esse, & omne singulare in materia existere, & subdit, Cœlum dicere formam, & hoc cœlum dicere formam in materia.

℞. ad 1. Arist. ibi loqui de principijs in sensu, quo loquutus fuerat 1. phys. .s. pro vt communia sunt ad mutationem substātialem, & accidentalem, vt Scot. exponit in 2. sent. d. 12. q. 1. vbi philosofus loquebatur de materia, vt subiectum est, non solùm in generatione, sed etiam in alteratione, ibi

.n. tex. 57. protestatus est agere de omni generatione, & reddens rationem, ait, quia secundum naturam priùs debemus principia cõmunia, deindè particularia speculari, quẽ locũ Expositores potiores exponsit de generatione, & mutatione omni, tàm substantiali, quàm accidẽtali, vt in phys. diximus disp. 2. art. 2. concl. 3. & quia Arist. cognouit reperiri in Cœlo generationem accidentalem, posuit etiam ibi tria principia .s. subiectum, quod appellauit materiam; formam accidentalem, & priuationẽ.

Ad 2. ℞. Aris. ibi loqui de substantijs corruptibilibus, & colligitur ex tex. 4. vbi subdit, & si habens materiam partis sit mobile secundum quatuor mutationes, nõ tamen quòd habet materiam secũdum locum mobilem, quale est Cœlum, habet materiam, quæ est generationis, & corruptionis subiectum.

Ad 3. loquitur ibi de materia meth. quod est genus, & de forma, quæ est differentia.

Ad 4. mentem Arist. Fuisse ibi probare tria ad generationem requiri; nempè materiam, formam, & agens, quod probat à simili, cùm .n. principia cœli, & corruptibiliũ sint eadem secundum rationem genericam, & in mutatione accidentali cœli, hæc tria requiruntur .s. materia, seu subiectum, quæ est essentia Cœli, forma quæ est vbi, & Agens mouens, quæ est Intelligentia, idem de generatione substantiali dicendum erit.

Ad 5. ℞. ex his, quæ habet Arist. 1. Cœli 96. quòd .s. Cœlum sumi potest pro toto vniuerso, in quo sẽsu accipitur hic, dùm ait, Cęlum omnibus simplicibus corporibus constare, & elemẽtaris esse naturę.

Ad 6. Scotistæ cõmuniter Resp. quòd per ly materiam Aris. nõ intellexerit materiam partis, sed totius, qualis est differentia indiuidualis contrahens quidditatem in communi ad esse indiuidui.

Sed hæc responsio non satis quadrat in sent. Scoti, qui in 2. d. 3. q. 7. ad 1. princ. & quol. 2. N. vult; quòd Arist. posuit entia æterna formaliter necesse esse absque vlla potentialitate substantiali, & ratio ipsius est, quia cùm omne contrahibile quantum est ex se, posset in infinitis indiuiduis reperiri, si æterna constarent ex natura contrahibili, & materia, seu differentia indiuiduali contrahente, posset natura illa ex se esse in pluribus, imò in infinitis indiuiduis, & consequẽter, qa 9. meth. 17. in æternis idẽ est esse, & posse, reperirentur actu infinita indiuidua in Cœlis, quòd est falsum, & hac de causa Arist. posuit omnia æterna necessaria, & de se hæc; ergo in sent. Arist. hæc materia totius non datur in Cœlis. Tũ quia Scot. loc. cit. docet carentiã materię partis in Arist. Sẽt. arguere in aliquo etiã carẽtiã materiæ totius, seu hæcceitatis; Quare melius respondendũ putamus cum Zabarell. & Aliis, quòd in quolibet sẽsibili

sibili duo esse cōsiderare possumus .s. vel esse intelligibile, quæ est quidditas, & essentia ipsius; vel esse sensibile, & est quidditas quibusdam affecta accidentibus, primum esse Arist. vocat formā, sicut apluries formam quidditatem appellat; secundum esse vocat materiam, ità vt sensus eius sit, quando dicitur Cœlum, intelligitur esse intelligibile, seu quidditas cœli, cū verò dicitur hoc Cœlum, datur intelligi quidditas cum sensibilibus accidentibus.

Ob. ratione: Cœlum est corpus naturale, & habet moueri naturaliter motu circulari, ergo constat natura, & principijs naturalibus, quæ sunt materia, & forma ℞. ex dictis in phys. naturam rectè diuidi in materiam, formam, & quidditatem; & quia Cœlum suam habet essentiam, & quidditatem, habet etiam consequenter naturam.

Ob. Cœlum est substantia, quæ in 2. de anima diuiditur in materiam, formam, & compositum, sed Cœlum non est materia, neq; forma, ergo compositum ex materia, & forma ℞. ibi tantùm diuidi substantiam corruptibilem, non in communi, quæ 12. meth. 5. diuiditur in substantiam sensibilē corruptibilem, vt sunt sublunaria; in sensibilem incorruptibilem, vt est Cœlum, & in insensibilē incorruptibilem, vt sunt Angeli.

Ob. Quantitas est passio materiæ, indè .n. probatur Intelligentias incapaces esse quantitatis, qa materia carent, & formæ sunt subsistentes, & 2. de gen. 37. habetur, quòd quæ conueniunt in quantitate, habent eamdem materiam, sed in Cœlo est quantitas, ergo & materia. ℞. neg. quantitatem esse passionem materiæ, cùm potius sit passio sequentes corpus in cōmuni, nec ex eo solùm probatur intelligentias incapaces esse quantitatis, quia materia partis carent, sed potius ex ipsorum spiritualitate; hinc notamus, dupliciter aliquid dici materiale, vel quia .s. cōstat ex materia partis, vel quia est corpus partes habens entitatiuas; Cœlum est materiale secundo modo, non primo, non tamen est spirituale, nam solùm illud immateriale cum spirituali conuertitur, quod nullo modo est materiale, corpus .n. propriè à spiritu differt per habere partes entitatiuas, & integrales, vt (si Domino placuerit) in lib. de anima patebit.

Rarum, & densum per materiam definiuntur, nam rarum illud dicitur quod habet parum materiæ sub magna quantitate, densum, quod habet multum materiæ in parua quātitate, quę accid. communiter in Cœlis admittuntur, ergo &c. ℞. rarum, & densum definiūtur, non per materiam partis, sed per materiam, quæ potest aliquo modo esse subiectum accidentium, habens partes entitatiuas, & patet ex Sacrosancto Euch. Sacram. Vbi adest raritas, & densitas in speciebus, absq; materia partis,

Ob.

Ob. in Cęlo iam reperitur compositio ex partib. quātitatiuis: Itē ex subiecto, & accidente, quæ imperfectiores sunt compositione ex materia, & forma, ergo si illæ compositiones cœlorum perfectioni nō repugnant, neque ista. ℞. quòd si arg. valeret, concluderet etiam de Angelis, qui compositionem ex subiecto, & accidēte admittunt, hinc dicimus Cœlo repugnare compositionem ex materia, & forma, non propter perfectionem simpliciter, sed propter aliquam perfectionem ingenere .i. propter incorruptibilitatem, cui compositio ex materia, & forma repugnat, licèt aliæ compositiones non repugnent. hoc tamen in sent. Arist. non secundū veritatem.

Ob. Vel Cœlum est pura potentia, vel purus actus, vel ex vtroq; compositum; non primum, quia cœlum non est materia, neque secundum, quia esset Intelligentia, ergo Tertium. ℞. Cœlum est purum actum substantialiter in sent. Arist. cum potentia tamen ad aliquas accidentales formas, quam potentiam secundum eumdem nō habent Intelligentiæ, quas putauit omnino esse purissimos actus. Nostram sent. amplectitur etiam Illustrissimus Contarenus in suis quæstiouibus de rebus naturalibus tom. 1. q. 18. Secunda pars decisionis cùm sit communissima in scholis, non apponuntur obiectiones ad maiorem euidentiam enucleandam.

DVBIVM NONVM.

An Materia Cœli sit eiusdem rationis, seu speciei Atomæ cum materia sublunari.

Scot. decisionē huius dubij dedit in 2. d. 14. q. 1. & in 4. d. 11. q. 3. lit. H. vbi resp. affirmatiuè, quem omnes eius discipuli sequuntur, & fauet etiam D. Bonau. & ex alienis Molina, Moris. Angelt. Argent. & Alij, & nouissimè P. Ioseph. Dente Soc. Iesu vir vtrque doctissimus, in sua illa parua Centuria Philosophica Propositione 94. Hurt. verò, Arriag. Conimb. Ouid. Zerb. & Alij, vtramq; opinionem probabilem putant, Thomist. opinio est negatiua, & amplectitur à Suar. Ruu. Amic. Auersa, & ab Alijs. Nos sumus cum nostro Doctore; & præter rationes adductas in phys. disp. 3. art. 7. hoc vnico probatur fundamento: Nulla. n. est necessitas ponēdi hic, & ibi diuersas specie materias, ergo &c. Pr. antecedens, ratio propter quā Aduersarij fingunt tòt materias diuersas, nō solùm cum rebus sublunaribus, sed etiam cum corporibus ipsis Cœlestibus est, vt saluent incorruptibilitatem Cœlorum, at non ob id omnimodam, & intrinsecam incorruptibilitatem saluāt, ergo frustra ad tot materias specie diuersas recurrunt. Ma. est Ipsorū. Minor Pr. potest Deus hanc materiā ab hac forma cœli separare, ergo verè est indifferens, & in potē-

tia

tiā contradictionis ad hanc, vel illā formam, sicut forma Cœli ad generari, & corrumpi in eadem materia, & consequenter corruptibilis intrinsicè, licèt sit incorruptibilis extrinsecè, quatenus non datur agens naturale Cęlū corrumpens. Non negamus tamen possibilitatem huiusmodi materiæ specie diuersæ, sed solùm negamus factum. Ægid. in lib. de materiali compositione Cœli q. 2. & in 2. sent. d. 12. q. 3. art. 4. & 8. meth. q. 3. magis adhæret sententiæ Scoti, vt videre est apud M. Bonherherbam q. 1. de Corpore Cœlesti dubit. 2. fol. 26. vbi affert rationes Ægidij.

Obiectiones.

Materia, & forma debent inter se proportionari, ergo si Cœli forma est talis naturæ, vt nequeat à materia expelli, etiam materia talis esse debet, vt nequeat ab illa forma separari. ℞. si hoc arg. vim haberet, probaret etiam materiam horum inferiorū specie distingui, nam multæ dantur gemmę naturaliter incorruptibiles, vt experiētia patet. Negatur igitur consequētia, non est.n. de ratione materiæ, quòd formam respiciat amissibiliter, vel inamissibiliter, vt Thomistæ autumant, imò hoc esset contra ipsius rationem, cùm illas respiciat vt quid potentiale, de cuius ratione est, vt sit indifferens ad hanc, & illam. Vndè proportio, quæ inter materiam, & formam requiritur, non attenditur pènes hoc, quòd est amissibiliter recipere, vel non, sed in hoc consistit, quòd materia sit per se potentia actuabilis à forma, hæc verò per se actus, & informatiua materiæ.

Ob. ex hac sent. sequeretur, Cœlum esse corruptibile, cùm materia sublunaris sit radix corruptionis, sed hoc est contra plura sacræ script. testimonia, psal. 18. *statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi*, & in Iob. 37. & alibi ℞. concedendo sequelam, & per loca sacræ script. non colligitur in Cœlis incorruptibilitas intrinseca, sed tantum extrinseca, quatenus ab agente naturali nec corrumpi, nec generari potest.

Ob. Sequeretur, quòd saltem posset abigne aliqua pars Cœli alterari, & consequenter ibi noua substantia generari, quæ .n. communicant in materia, sunt adinuicem transmutabilia ex 1. de gen. 53. Neque virtus resistens formæ cœlesti est infinita, vt non possit abaliquo agente naturali separari. Vel si nullum datur agens naturale tantæ actiuitatis, posset saltem à Deo, vt Authore naturæ supplere vices causarum secundarū corrumpi, vt facit in generatione viuentium, & præsertim hominis, vbi statim ac materia est disposita ad receptionem animæ, Deus illam infundit, supplens defectum causæ naturalis; sic in casu, statim ac ignis introduceret dispositionem propriæ formæ, si non posset in materia Cælorum propriam formā produce-

duce-

ducere, propter resistentiam formæ Cœlestis, ad Deum spectabit hanc impotentiam suppellere, vt Author est naturæ; & sic Cœli naturaliter essent corruptibiles etiam ab extrinseco. Nec potest assignari ratio, cur Cœli huiusmodi qualitates recipere nequeant. R. neg. ignem posse agere in Cœlum. Neq; Aris. docuit, quæ in eadem materia communicant, esse adinuicem transmutabilia, sed propositionem fecit negatiuam, dicens: *quæcumque .n. non habent eamdem materiam, faciunt impassibilia existentia:* ex quo nõ licet inferre propositionem oppositam affirmatiuam, etiam in his inferioribus, nam experimur Adamas, aurum, & aliquas prætiosas gemmas, nec ab igne corrumpi posse, & de aliquibus animalibus fertur in igne nutriri. Si igitur in his inferioribus, & mixtis, aliquæ dantur formæ ità tenaciter materiæ vnitæ, vt ab igne destrui non possint, quid mirum si deformis cœlestibus hoc asseratur, & maximè in nostra, & Thomist. sent. defendente subiectum accidentiũ, non esse materiam primam, sed totum compositum; & licèt hæc resistentia sit finita, non ob id sequitur vinci posse ab agente naturali, nam idem de Adamante astruendum esset. Etiam quantitas impedit penetrationem alterius quantitatis resistentia finita &c. Ad impediendum igitur effectum aliquẽ, non requiritur resistentia infinita, sed incapacitas quædam naturalis, vndè cùm agens creatum nequeat Cœlum ad propriam formam disponere, non sequitur Deum, vt Authorem naturæ, formam illam introducere debere.

Exemplum, & maximè de anima rationali, est potius ad oppositum; Ideo .n. Deus vt Author naturæ animam rationalem creare debet, quia homo attingit eius dispositionem, introducendo .s. formam corporeitatis in materia, ex qua resultat corpus organicum, quod est subiectum adequatum susceptiuum animæ, at ignis in materia cœli nullam ponere potest dispositionem, & consequenter non potest Deum cogere, vt Authorẽ naturæ ad formam ignis in Cœlo producendam. Et si ignem ibi Deus produceret, potius censendum esset opus miraculosum, quàm naturale, sicut .n. quando causa naturalis, apponens omnes conditiones requisitas ad aliquẽ effectum producendum, si talis effectus non sequitur ex de negatione concursus Diuini, talis effectus censetur opus miraculosum, vt fuit in fornace Babilonis, sic etiam quando Deus aliquem effectum operatur, ad quem causa naturalis nullam potest attingere dispositionem, tale opus miraculosum censendum est, & non naturale, per quam doctrinam euertitur ratio, quam contra nostram sent. affert. M. Iacob. Brun. q. 2. de Cœlo art. 3. fol. 75.

Sed Contra, formæ viuentium sunt

sunt Cœlestibus perfectiores & tamen non possunt cohibere materiam, quin alias suscipiat formas, ergo multo minus formæ cœlestes hoc possent, si materia cœli esset eiusdem rationis. ℞. neg. conseq. nam licèt formæ viuentium sint in entitate, simpliciter, & absolutè cœlestibus perfectiores, tamen secundum quid .s. quò ad durationem sunt imperfectiores, ideoque mirum non est, quòd corpora cœlestia perpetuò durent, non autem viuentia, quod etiam experimur in aliquibus, quæ non ità corruptioni subiacent, sicut viuentia.

Ob. ex Arist. 1. Cœli 124. vbi contra Platonem probat falsò asseri Cœlum esse corruptibile, & ab alio perpetuari. ℞. argum. Arist. vim habere quia putauit omne sempiternum esse ex se necessarium ex 9. meth. 17. Tum quia ipse autumauit Deum adextra agere necessariò & consequenter necessariò perpetuare Cœlum, quibus concessis impossibilis erat corruptibilitas, quod non necessariò repugnat, impossibile est ex Doct. in 4. d. 49. q. 13. ad 1. Princ. K.

Ob. ex 1. de gen. cap. 24. vbi Arist. contra Diogenem ait: non esse omnium vnam, & eamdem materiam, sed eorum dumtaxat, quæ sunt inuicem transmutabilia, seu alterabilia, & possunt esse, & non esse, ergo &c. ℞. 1. frustra hic authoris. Arist. adduci, cùm negauerit in Cœlo esse materiam, vt iam ostensum est. ℞. 2. illam Author. intelligendā esse de materia secunda, varijs qualitatibus, ac dispositionibus affecta, non de materia prima, & nuda quò ad suam entitatem. Et in hoc etiam sensu resp. M. Bonherba loc. cit fol. mihi. 28. vt manifestè colligitur in Iudicio opinionis suæ, vbi ad confirmationem sic respondet: Tota distinctio specifica, quę intercedere potest inter vtramque materiam .s. Cœli, & sublunarium, vel ortum habet ab aliquo actu, vel tātū à pura potentia, non hoc secundum, quia pluries dictū est ex Philosofo, quòd solus actus distinguit. si primum ergo materia Cœlestis in tantum dici potest diuersæ speciei à sublunari, in quantum est subactū diuersæ speciei ab actu sublunarium, (concludens) & in hoc sensu defendimus sent. Thomist. hæc ille & benè, quia tunc distinctio non cadit super diuersitatem specificā materiarum, de qua est controuersia, sed super distinctionem specificam, siuè genericam formarū, quod nullus negabit.

Illud arg. Thomist. quod est eorum Achille, de inamissibilitate, & amissibilitate formarū, ex qua colligunt differentiā specificā materię Cœli, & sublunarium &c. plenè solutum fuit in phys. disp. 3. art. 7.

DVBIVM DECIMVM.

De Differentia Cœlorum inter se.

THomistæ cum D. Tho. 1. p. q. 47. art. 2. affirmant, quòd

Cœli de facto inter se specie essentiali distinguntur, ità Bannes 1. p. q. 86. art. 2. Caiet. & Alij, quos sequûtur Suar. Conimb. Ruu. Hurt. Angeli & ex nostris Tatar. 2. Cœli in fine. Quidam verò solùm numerò differre asserunt; ità Moris. disp. 2. de Cœlo dub. 6. Arriag. hic disp. vn. sec. 1. fol. 430. Auersa. & probabiliorem putat Amicus.

Nos verò cum Doct. nostro dimus, in sent. Aris. *omnes Cœlos, omniaq; Sydera specie inter se differre, imò esse de se singularia, & necesse esse; ità vt non possint numero multiplicari; sed secundum veritatem, Cœlos inter se numero differre, ab astris verò specie, astra verò aliqua specie inter se distingui, licet non necessariò omnia*. Prima pars de Arist. sent. est Scoti in 2. d. 3. q. 7. in fine, quē sequûtur Mastr. & Bell. & patet ex dictis, si n. non different specie, & immultipicabiles numerò nō essent, haberent naturam communem cōtractam per differentias indiuiduales, sed quodlibet communicabile, quantùm ex se est, potest esse in pluribus, imò in infinitis indiuiduis, ergo etiam natura Cœlestis, sed in æternis in sent. Aris. 9. math. 17. idem est esse, & posse, ergo actu in infinitis indiuiduis communicata esset, quod esse fallum euidenter constat.

Si verò secundum veritatem loquamur, asserimus ipsos orbes numero differre, cum Moris. Auersa, & Alijs, & potior ratio est, quia nulla apparet necessitas hanc specificam distintionem ponendi inter Cœlos, ergo &c. anteced. patebit ex solutione argumentorum.

Quòd deinde Cœli ab astris specie differant, ex eo patet, quia astra in hæc inferiora peculiares, & distinctos effectus causant, quod nō cōceditur de Cœlis, quia isti sēper sunt super terrā, & cōsequenter si talem virtutem haberent, sēper eosdē effectus causarent, quod tamen falsum est, nam videmus peculiares quosdam effectus, non nisi ex ortu, coniunctione, & dominio aliquarum stellarum prouenire. Est communis apud Recentiores, vt videre est apud Molinam, Hurt. & lynceum, & fuit sent. D. Tho. 2. Cœli lec. 10. Auer. Albert. Mag. Ægid. & Aliorum. Quòd etiam materia sit eiusdem rationis, & speciei in Cœlis, nulla est difficultas, nam vt bene vrget Arriag. si materia prima eiusdem speciei potest esse vnita formæ hominis, Leonis, aquilæ, &c. cur non possit vniri duob⁹ astris specie distinctis.

Quòd tandem astra specificè inter se differant docuit Doct. Angel. 2. Cœli tex. 60. & patet experientia de planetis, diuersa n. specie accidentia, effectus, & proprietates, diuersam etiam arguunt naturam, sed Planetæ diuersos, & cōtrarios effectus producunt, Luna n. humiditatem, Mars calorem, & Siccitatem, Saturnus frigiditatem, & siccitatem, & sic de reliquis astris, &c. Item varios, & contrarios effectus causant quò ad tem-

pestates, infirmitates, & temporũ mutationes, cùm igitur impossibile videatur ab agentibus eiusdem speciei, & naturæ, tot diuersos, & contrarios effectus prouenire, suadẽdum est specie inter se huiusmodi astra differre.

Idem quoque iudicium de stellis fixis dicendum erit, nam experimur Planetas ex varia coniunctione cum stellis fixis, varios etiam, & cõtrarios causare effectus; quod etiam probabiliter aliqui asserunt de quibusdam Cœlorum partibus; & præsertim primi mobilis, sol .n. quando est in signo Zodiaci primi mobilis diuersa producit, ac quando est in alio signo. Non oportet tamen, vt omnes, & singulæ stellæ fixæ specie inter se differant, nam experimur, multas pluuias, multos ventos, multas siccitates influere, de quibus affirmari poterit esse eiusdem naturæ, & speciei, cũ similes effectus producant.

Ob. 1. contra primam partem, probando quòd in sent. Arist. Cœli sunt in prædicamento, ergo in eius sent. compositi meth. ex gen. & differentia, & consequenter sunt species, ergo nõ sunt de se singulares, & numero immultiplicabiles. ℞. quòd in sent. Arist. supremum genus substantiæ comprehendit etiam cœlos, ac propterea ex hoc capite benè deducitur in sent. ipsius, quòd Cœli sint meth. compositi; at ex alio capite, quia autumauit Deum ad extra agere necessariò, & quidquid potuit immediatè producere, ab æterno produxerit, coactus fuit affirmare omnia æterna, qualia per ipsũ sũt corpora Cœlestia, necesse esse, & de se hæc, ne in productione æternorũ in infinitum procederetur; & sic latentes contradictiones admisit. sed quid mirum, si lumine fidei carebat?

Arguitur, quòd etiam secundum veritatem corpora Cœlestia specie differãt; nam vnum cœlum est maius alio, & continet alium; diuersum occupat locum; diuerso motu mouetur, diuersa etiam continet astra, ergo diuersam quoque naturam habebit. ℞. neg. consequ. hæc .n. omnia, vt etiam benè aduertit Arriaga, non nisi differentiã accidentalem inferunt, sicut si vnus circulus esset maior altero, & vnus esset aureus, alter ligneus &c.

Aliqui Thomist. nullam facientes distinctionem quid dicendum esset in sent. Arist. & quid secundũ veritatem absolutè volunt, quòd Cœli totales de facto inter se specie essentiali distinguantur. probant: Multiplicatio indiuidualis solùm est in rebus sublunaribus, in quibus cùm nullum sit incorruptibile oportet esse plura, sed cœli sunt incorruptibiles, ergo &c. ℞. arg. solùm valere in Arist. sentent. & ità primam partem nostræ conclusionis confirmant, at secundum veritatem est falsa, nam etiam Cœli sunt intrinsecè corruptibiles, nec materia prima est principium indiuiduationis, vt suo loco patebit.

Ob. Diuersitas proprietatum, ope-

operationum, & effectuum notabilium est signũ diuersitatis essentialis, sed Cœli habent diuersas virtutes, & operationes ad contrarios effectus inducendum; nam luna humectat, sol calefacit, & exiccat, &c. ergo Cœli inter se specie differunt. ℞. neg. min. & probatio procedit de astris, non de Cœlis, nam astra sunt, quæ diuersas illas habẽt influentias, & proprietates, non Orbes, in quibus astra sunt affixa, non essentialiter vnita.

Arguitur, quòd astra non distinguantur specie: Diuersitas effectuũ non semper in causis distinctionem arguit, quod euidens est in hominis corpore, cuius partes habent varias passiones; sic etiam vna terra habet virtutem generãdi aliqua, quam non habet alia; Vnus magnes attrahit ferrum versus septẽtrionem, alter versus austrum, vel à se repellit, & tamen specie non differunt; ergo sic etiam de astris asserẽdum erit. ℞. quòd licèt productio actualis non semper distinctionem specificam arguat, productio tamen aptitudinalis, de qua loquimur, semper huiusmodi distinctionem infert, hinc est, quòd estò aliqua possint eumdem effectum producere, si tamen ab extrinseco, vel propter diuersitatem qualitatum de foris aduenietium, vel ob diuersitatem aspectuum Cęlorum, vel ob aliam occultam causam eumdem effectum non producuntur, vtique specificè non differunt, & ità terræ accidit; Si verò ex proprijs naturis, determinatas, ac contrarias aptitudines habent, tũc non erunt eiusdem speciei; sic in casu de partibus corporis, & magnetibus relatis iudicandũ erit &c.

Sed Contra, si hæc doctrina esset vera, Cœlum esset quoddam corpus Ætherogeneum, & discõtinuũ, & consequẽter organicum, sed hoc est falsum, & eius simplicitati repugnãs, ergo &c. Pr. sequela, nam diuersa specie continuari non possunt, ergo si Cœlum, & astra differunt specie, non erunt continua, & homogenea. ℞. concedendo, Cœlos Ætherogeneos esse, & discontinuos, vt ex orbibus, & astris aggregatos, non tamen organicos, nam adhuc partes istæ discontinuæ, & dissimilares, non sunt aptæ instrumenta ad vitales operationes exercendas; & Cœlum dicitur corpus simplex pro vt opponitur mixto, non pro vt oppinitur composito ex materia, & forma, & partibus dissimilaribus, & discontinuis.

Ob. Arist. 2. Cœli text. 41. docet omne astrum esse eiusdem rationis cum orbe, ergo &c. ℞. quòd tunc Arist. arguebat contra Antiquos, qui contendebant astra esse ignea, ostendens identitatem genericam cum orbibus, non specificam, & per hoc satisfit arg. Ægid. quol. 51. q. 17. qui ex citato tex. sic arguebat: omne quòd realiter est fixum in aliquo est iusdem naturæ, sed astra sunt fixa in Cœlo, ergo. &c. ℞. sufficere esse eiusdem naturæ genericæ, non specificæ.

Ob.

Ob. pars densa, & pars rara non differũt specie essentialiter, sed solum accidentaliter, nam quælibet pars aeris est aer, & quælibet pars aquæ est aqua, sed Stella nõ est, nisi pars densa eiusdem cœli, ex 2. de Cœlo, ergo. ℞. rarum, & densum, aliaque dissimilia accid. quandoq; prouenire ab extrinseco, & tunc non arguunt essentialem differentiam; quandoque ab intrinseco, & propria natura, & tunc differentiam essentialem inferunt, & maximè in corporibus simplicibus quale est Cœlum, vbi raritas, & dẽsitas non se habent sicut in aqua simplici, & congelata, quæ licèt sint eiusdem naturæ, differunt tamen accidentaliter, & congelata, quæ est densior efficitur lucida, nõ autem aqua, quæ est rarior; non sic Cœlum, & stella, cùm potius se habeãt, vt fumus, & carbo, quæ specie essentiali differunt.

Dices, quæ sunt continua non differunt specie, sed Cœlum, & astra sunt continua; ergo. ℞. 1. neg. ma. potest .n. vnum corpus specificè ab alio differre, & esse illi quantitatiuè vnitum, quod patet, dum aqua vino miscetur, & de virga partim viridis, partim sicca. ℞. 2. neg. mi. nam astrum non est Cœlo continuum, sed corpus illi affixum & contiguum.

DVBIVM VNDECIMVM.

An Cœlum sit animatum.

SCot. hoc dub. examinat in 2. d. 14. q. 1. lit. B. vbi concludit, secundum veros Philos. *Cœlum non posse esse animatum.* Fuit opinio Stoicorum asserentium, Cœlos informatos esse anima vegetatiua, & Solem ali humido, & nutriri vaporibus, qui ex aqua eleuantur. Auic. 9. meth. cap. 4. affirmauit cœlos animatos esse anima informante sensibili, localiter se mouere, & vim imaginatiuã habere. Plato in Phedone, & Peripatetici cum suo Mag. qui 2. Cœli tex. 13. ait, *Cœlum autem animatum est*, asseruerunt Cœlum informari anima intellectiua completa. s. Intelligentia, non ad finem dandi Vitam, sed efficiendi motum, vt D. Tho. refert 2. contra Gent. cap. 7. in quã sent. deindè conspirarunt plures PP. & Scholastici, eorum discipuli, vt videre est apud Amic. & Auersã.

Nos tamen defendimus cũ Scot. Cœlum non esse de genere animatorum, tàm secundum Arist. quàm secundum veritatem, & est communior apud PP. & scholasticos. In sent. Arist. veritas est clarissima, si .n. Cœlum est corpus simplex ex dictis, non compositum ex materia, & forma, non potest ex anima constare, materiam Cœlestem informante: Sèd quòd neque secundum veritatem Pr. primò, quòd talis forma esse non posset Intelligentia, nam ex Doct. quod est simpliciter, & per se subsistens, idest, quod habet vltimam actualitatem, & nõ est per se ordinabile ad aliud esse per se, nõ potest esse per se forma materiæ, nam forma Substantialis ordinatur ad esse totius, sed

Intel-

Intelligentia est huiusmodi, quia est ens perfectum in specie perfecta, imò perfectiori, quàm sit aliqua species substantiæ materialis; ergo non poterit esse forma alterius, maior suadetur à simili de substantia materiali, &c. Tum quia Arist. 8. phys. tex. 40. & 41. docet Intelligentiam vniri Cœlo contactu virtutis, & tex. 48. constituit eã in certa parte Cœli, sed forma vniri debet vnione substantiali, & in toto composito reperiri debet, ergo &c. & 12. Meth. 30. manifestè docet Intelligentias esse æternas, quia carent materia. Tum quia sic Intelligentiæ ad phys. pertinerent, cuius est omnes formas materiæ immersas considerare ex 2. phys. tex. 22. contra Ipsum 2. phys. tex. 26. & 73. & 6. meth. c. 1. asserentem Intelligentias ad meth. spectare, vt potè à materia separatas; ergo Intelligentia non erit forma informans cœlum, sed assistens sicut nauta naui, & hæc est communis sent. Perip.

Neque secùndum veritatem, nã si Cœli animarẽtur ab Angelis, vel hoc esset ab Angelis malis qui peccauerunt, vel à bonis, qui in gratia permanserunt; non primum, quia explicari non potest quid de talibus Cœlis factũ fuerit; si .n. anima cœli separata fuerit, & in Infernum detrusa, eius cœlum remansisset cadauer, & consequenter immobile. Nec dici potest, ꝙ Cœli cum animabus fuerint in terræ centro detrusi, quia terra ad Cęlos comparatà est veluti punctũ. Neque secundum dici potest, quia sic Cœli essent Beati, & consequẽter propter eorum excellentiam adorandi essent sicut Angeli boni, & nos Fideles cœlebrare possemus festum de Sole, Luna, &c. vt D. Aug. arguebat in Enchir. cap. 35. sed hoc est falsum, & cõtra illud Deut. 4. *ne fortè eleuatis oculis in Cœlum, videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus, adores ea, quæ creauit Deus in ministerium cunctis gentibus*. Hæc ratio demonstrat, sed est ex principijs fidei.

Neque hæc forma potest esse anima rationalis, nam vel esset eiusdem rationis cũ nostra, vel diuersæ; non primum, quia anima nostra est forma corporis mixti, & caduci, cœlum est corpus simplex. Neque alterius rationis, cùm nulla ratio vrgeat. Tum quia anima est actus corporis physici organici &c. sed omnes cœli partes sunt inorganicæ, ergo. Tum quia hæc anima siue eiusdem, siue alterius esset rationis, cùm sit intellectiua, esset quoque libera, & consequenter mereri posset, & demereri, prẹmio afficit, vel pæna, quod erroneum est de cœlis asserere, vt bene deducunt M. & Bell. qui ex Nicephoro lib. 17. Ecclesiast. hist. cap. 28. & Liberato in Breuiario lib. 23. referunt hunc errorem dannatum fuisse in 2. Syn. Cõstantinopol. quę dicitur *Quinta generalis*, & in cap. *Firmiter de Summa Trinitate*, vbi nõ agnoscitur alia intellectualis natura

ra præter Angelicam, & humanam.

Quantùm verò ad hoc, Aliqui Doctores contendunt cum Auersa, talem definitionem, non reperiri in actis dicti Concilij, & dubitatio Doctorum circa hanc rem obstat certitudini definitionis, si .n. fuisset vera definitio non fuisset ignota succedentibus PP. Vndè esse potest, quòd punctus tractatus, & examinatus fuerit in Concil. sed nõ plenè resolutus, vel à Pontifice approbatus, & ità nec in acta repositus. Et quæ Liberatus in Breuiario scripsit satis cautè legẽda sunt, aut .n. non sunt ipsius, aut ex falsa relatione deceptus fuit, vt notat Mg Iacob. Brun. q. 2. de Cœlo art. 5. vbi etiam affert D. Tho. 1. p. q. 70. art. 3. & quol. 12. art. 8 asserentem *diuersimodè sentire Doctores Ecclesiæ, Hyeron. .n. dicit super Ecclesiastem quòd sol est animatus, Damascenus hoc negat, ego autem dico secundum Aug. quòd non refert ad fidem, vt sit, vel aliter sit.* Vndè colligitur in sent. D. Tho. non esse de fide oppositum sentire, sed quidquid sit de hoc, saltem negari non potest, hanc oppinionem esse valdè temerariam, scripturis dissonam, communi Scholasticorum contrariam, & periculosam. Et licèt D. Aug. in Gen. cap. 18. affirmauerit sub dubio, cœlos ab Angelis animari, tamen lib. 3. Enchiridion cap. 58. suum dubium rettractauit, & oppositam oppinionem, vt temerariam respuit, quia sine ratione asseritur, & ex scripturis non colligitur.

Neque hęc forma poterit esse anima sensitiua, nàm sensus externi requirũt in organis sensibiles qualitates, & elementares, quæ corruptionem inducunt; Nec sensitiuum sine sensu tactus dari potest ex 2. de anima 68. sed in Cœlo non sunt tangibiles qualitates, ergo si in Cœlo non sunt sensus externi, nec interni admitti debẽt, qui absque externis operari non possunt, cùm illis medijs species obiectum recipiant.

Neque anima Cœli esse potest vegetatiua, nàm operatio huius animæ sunt generatio, & nutritio, sed hæc non sunt in Cœlo, ergo &c. ma. est clara, mi. Pr. vbi est generatio, & nutritio est corruptio, sed in Cœlo non est corruptio, ergo &c. Tum quia non potest sufficiens elementum assignari, nam vapores non trascendunt secundam aeris regionem, vbi concussi in pluuiã, rorem, & pruinã ad terrã reuertuntur, & dato ꝙ trascenderent, nõ forẽt ad vnius astri sufficiens pabulũ.

Arriag. disp. vn. de Cœlo sec. 2. fol. 440. fingit quoddam genus animæ siue intellectiuæ, siue sensitiuæ, exigens nouas, & diuersas operationes, nouaque instrumenta, & organa ab his, quæ nobis cognitæ sunt; sed non placet, nam nos loquimur de facto, & de rebus pro vt modo sunt, & de Philosofia, vt modo estat, non de Philosofia noua possibili, & de his, quæ Deus facere potest.

Obie-

Obiectiones.

Ob. 1. Auth. scrip. psal. 135. facit Cœlos in intellectu, idest intellectu preditos, & psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, & Deuter. 32. *audite Cœli, quæ loquor*, ex quibus patet Cœlos habere operationes vitales, & Eccles. 1. Sol appellatur spiritus: *in circuitu pergit spiritus*. ℞. ly intellectu, vel se tenet ex parte agentis, & sonat, quòd Deus cęlos cum intellectu, hoc est, sapientia fecit, vel se tenet ex par passi, & sensus est, quòd Deus fecerit Cœlos cum Intelligentia assistente, & monente. Cœli dicuntur enarrare gloriam Dei materialiter, in quantum sunt hominibus materia exultandi, & laudandi Deum. Similia etiam inueniuntur in alijs locis de elementis, montibus, & collibus, & de alijs creaturis inanimatis. Vel explicantur cum D. Damasceno de Angelis habitatoribus Cœlorum. Sol dicitur spiritus, non ratione formæ, sed propter motus velocitatem, qua etiã ratione venti spiritus appellantur.

Ob. ex Arist. qui 2. de anima 29. & 2. Cœli 13. ponit Cœlos animatos, ergo saltem in Philos. sent. conclusio est falsa. Resp. Scotus loc. cit. B. vbicunque Aris. vocat animam cœli, exponi debet quantùm ad conditionem, quia anima motrix est, nõn quã forma est; & talis anima est Intelligentia motiua proprij orbis.

Hinc Aduertendum, quòd maior est vnio intelligentiæ cum Cœlo, quàm nautæ cum naui, nam vnio hæc est libera, & voluntaria, illa verò necessaria, stante Dei decreto, ideòque non ità rationabiliter nauis dicitur animata ex assistentia nautæ, sicut ex assistentia Intelligentiæ, Cœlum.

Ob. ratione nobiliori corpori nobilior debetur forma, sed Cœlum est nobilius sublunaribus, ergo ei nobilior forma debetur, quæ est anima. ma. est euidens, mi. Pr. Cœlum .n. in hæc inferiora influit, est vniuersalis causa, ad omnia entia cõcurrens etiam ad generationem hominis, nàm Sol, & homo generant hominem, gubernat, & regit hunc mundum inferiorem ex Arist. 1. methcor. cap. 2. ergo est sublunaribus nobilius. ℞. neg. mi. vniuersaliter; est .n. tantùm nobilius inanimatis; concurrit ad generationem viuentium, quatenus ad edutionem formæ corporeitatis concurrit partialiter cum causis sublunaribus, quæ est dispositio ad animam. Regit mundum inferiorem, non vt agens principale, & suppositum dirigens, sed vt instrumẽtum est Intelligentię, quod aggregatum ex Intelligentia, & Cœlo, Mundus superior ab Arist. appellatur. Vel Cœli sunt animalibus nobiliores secundum quid scilicet situ, vel regione, non simpliciter, nempè natura, perfectione, & dignitate. Vel cum alijs, corpora cœlestia sunt plantis, & animalibus perfectiora, non quò ad gradum essendi, sed quò ad modũ essen-

essendi, quia habent esse incorruptibile saltem extrinsecè. Vel quò ad modum informandi, quatenus informātur formis naturaliter inseparabilibus.

Ob. quidquid perfectionis est in inferioribus, debet etiam in superioribus reperiri, sed in his inferioribus datur gradus vitæ, qui dicit perfectionem, ergo &c. ℞. ma. esse satis dubiam, & ambiguam. Pro modo dicimus tunc valere, quando nulla sequitur contradictio, at in casu est contradictio, quia anima est actus corporis physici organici, quod non est Cœlum, ex dictis. ℞. 2. maiorē valere in genere causæ efficientis totalis, & quò ad continentiam virtualem, vel eminentialem, veluti est Deus, non in genere disparato, & quò ad continētiam formalem, aliter ignis, & aer deberent etiam esse animati.

Hinc aduertimus, quòd licèt in Cœlo sit compositio accidentalis, non tamen licet indè inferre, ergo etiam erit compositio substantialis ex materia Cœli, & intelligentia, sed sufficit inferre in sent. Arist. ibi esse substantiam, & secundum veritatem esse ibi compositionem ex materia, & forma substantiali. Item, quòd licèt Cœlum naturaliter moueatur ex 2. Cœl. tex. 3. hoc tamen non debet intelligi à forma intrinseca, quæ sit anima, sed dicitur moueri naturaliter, quia iuxta principium passiuum, seu inclinationem ipsius Cœli, nō iuxta principium actiuum.

Ob. Cœlum à se ipso mouetur ex 8. phys. 34. nam Cœlum est primum mobile, ergo prius à se, quā ab alio mouetur; & tex. 48. ait, Cœlum moueri per aliquā sui partem immobilem. ℞. Cœlum dicitur à se ipso moueri ipsum accipiēdo, vt quoddam aggregatum est ex Orbe, & Intelligentia, & hæc dicitur mouens immobile.

Ob. dans actum secundum scil. operari, dat etiam actum primum, seu esse, sed Intelligentia dat Cœlo operari, seu moueri, ergo & esse, nō in genere causæ efficientis, vt patet, ergo in genere causæ formalis. ℞. ma. esse veram quando actus secundus cōuenit rei ab intrinseco, secus quando ab extrinseco rei cōuenit, vt est de motu respectu Cœli, qui solùm connaturalis dicitur respectu principij passiui, quod Cœlo intrinsecum est.

Ob. Quod habet differentias positionum est organicum, sed Cœlū est huiusmodi, datur .n. in Cœlo ante, & recto, sursum, & deorsum, dextrum, & sinistrum, ergo &c. ℞. ma. esse verā de eo. quod habet differentias positionum cū heterogeneitate, & diuersitate partium substantialium, quod nō habent Cœli.

Sed Contra, Stellæ, & Planetæ sunt Cœli partes dissimilares in figura, magnitudine, & temperatura qualitatum, ergo corpora Cœlestia sunt organica, ergo cōstāt anima. ℞. planetas, & stellas non esse partes cœli, sicut nec arbores partes terræ. Et dato etiam, quòd

E

quòd essent partes Cœli, quia tamen dispositionibus ad vitam carent, non sunt propriè organicæ,& animatæ dicendæ.

At Contra, Arist. 2. de partibus anim. c. 1. quærens quomodo cor esse possit sedes animæ, vt principium motus, & sensus, cùm sit similare affirmat, adhuc cor organicum esse, quia propriam, & determinatam habet figuram, sed Cœlum est huiusmodi, quia suam habet sphæricam figuram; & in Cœlis partes aliquo modo dissimilares experimur, quædam .n. aut nō mouentur, aut tardè mouentur, vt poli, & quæ illis propinquiora sūt, quædā verò velociùs, vt partes in medio Cœli, quædā sunt oriētales, quædā occidētales, quędā rariores, vt partes Cœli, quædā densiores, vt stellæ, ergo &c. ℞. neg. min. neque habere determinatam figuram dicit corpus organicum, sed requiritur dissimilitudo quò ad partes substantiales, quam Arist. ex tali figura in corde collegit. Ex parte orientali,& occidentali non potest colligi heterogeneitas, cùm eadē pars sit simul oriens, & occidens respectu diuersarum regionum. Astra, specie vtiq; à Cœlis differunt, sed hæc dissimilitudo non infert Cœlum esse Corpus organicum, nec ex tali heterogeneitate rectè deducitur Cœlum animatum esse, licèt .n. omne animatum sit heterogeneum, non tamen è contra omne heterogeneum est animatū, hinc videmus Iaspidem habere diuersos colores, & diuersa qualitatum temperamenta, & tamen non esse animatum, sic asserendum erit de Cœlo, quia adhuc illæ partes carent dispositionibus ad vitam, quæ sunt quatuor qualitates.

Ob. proprium animatorum est moueri in proprio loco ex 2. de Cœlo 13. sed Cœli mouentur in proprio loco, ergo &c. ℞. maiorē esse veram de se mouentibus ab intrinseco. Vel proprium animatorum, siuè anima assistente, siuè informante, in proprio loco moueri, quo sensu Cœlum dicitur animatum, non per informationem, sed per assistentiam; in hoc sensu Cœlum dicitur primum mobile .s. in genere mobilium, non tamen in genere se mouentium.

DVBIVM DVODECIMVM.

An Cœli sint solidi, vel fluidi.

℞. secundum probabiliorem sent. *esse solidos*,& ità Aristot. docuit 2. Cœli à text. 43. ad 52. cum scholasticis ferè omnibus cōtra Priscos Philosophos, Rabinos, & aliquos Sanctos PP. quos nunc Aliqui Recentiores sequuntur, vt Auersa, Ouiedo,& Alij. Illi, qui tenent esse solidos, sic probāt: si Cœlum esset liquidum, & astra per illud discurrerent, esset corruptibile, nam astra Cœlum diuiderent, ac scinderent, at idem est, esse diuisibile, & corruptibile, ergo &c. Non placet, non .n. omne diuisibile est corruptibile, & patet de materia prima, quæ est diuisibilis in suas

suas partes entitatiuas, & tamen incorruptibilis est, quia non quælibet diuisio corruptionem substantialem causat; Vnde Aduersarij dicerent cœlũ esse liquidũ, & de facto diuisibile, & statim partes reuniri, vt in aqua cõtingit, quæ ad ingressum alicuius corporis diuiditur, sed statim reunitur, & continuatur.

Probant Alij: Si Cœli essent liquidi ad nos defluerent, sicut si aqua in sublimi posita statim defluit, & descendit. Non valet, nam Aduersarij dicerent, Cœlum esse fluidum, & liquidum, non sicut aquam, vel oleum, sed sicut aërem, qui firmus in suis regionibus residet; imò aquas vaporabiles supra se sustinet, sicut aqua ipsum oleum.

Melius igitur probatur ex illo Iob. 3. num. 32. *Tu forsan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?* & Prou. *stabiliuit Cœlos prudentia.* & 4. ad Hæbreos: *Habemus Pontificem, qui penetrauit Cœlos.* At si Cœli fluidi essent, Christus sine penetratione eos transisset, sicut nos sine penetratione aerem pertransimus. Cœterùm sicuti pro hac sent. paucæ reperiuntur conuincentes rationes, ità etiam facile est ad relatas authoritates respondere, vnde hæc sent. iudicatur probabilior tantùm extrinsecè ex maiore concursu Doctorum, vt videre est apud Mastr. & Bell. & Mag. Iacobum Brun. & nouissimè apud Lync. Societat. Iesu de Cœlorum essent. cap. 4.

Aliqui Recentiores distinguentes, volunt, Cœlum stellarum fixarum esse solidum, planetarum verò esse fluidum, quorum fundamentum est, quia sic magis conciliantur PP. quorum aliqui dixerunt esse solidos, aliqui fluidos. Tum quia sic dicendo, facilius saluatur ratio cur planetæ non semper eamdem distantiam à nobis seruant absque multiplicatione epyciclorum, orbium Excẽtricorum, & canalium, aut Sulcorum, quæ opinio sua probabilitate non caret.

DVBIVM XIII.

De Perfectione Cœlorum tam inter se, quàm cum sublunaribus.

QVoniam Arist. posuit Cœlos specie distinctos, debuit consequenter concedere etiã in perfectione essentiali differre, & quò altiores, eò perfectiores esse, vt docet 1. Cœli 16. vbi ait. *tanto honorabiliorem habens naturam, quantò plus distat ab his, quæ hic sunt*, & hoc propter quatuor rationes. Prima, quia 12. meth. text. 43. & 44. docẽt, ordinem, Cœlorum esse secundùm ordinem Intelligẽtiarum mouentium; sed Intelligentia, quò superior, eò nobilior propter vicinitatem ad primum motorem, ergo & Cœlum, quò superius, eò perfectius. Secunda, quia continens est nobilius contento ex 4. phys. text. 49. Tertia, quia in maiori corpore est maior virtus, & velocior motus, ideoque planetæ, quò superiores situ, eò nobiliores effectus producunt secundum Astrologos. Quarta, quia superiores orbes faciunt

ad conseruationem, permanentiā, & diuturnitatem, inferiores verò, & præsertim Sol ad variationem, & productionem inferiorum; sed permanentia est nobilior varietate, ergo Cœli superiores sunt inferioribus præstantiores, & idem iudicium ferendum est de corporibus elementaribus. Hæ tamen rationes sunt tantùm probabiles, cùm non concludant de astris, nam Sol est omnium perfectissimus, & tamen supremum locum non obtinet, & Aristot. 1. Cœli non comparat Cœlos inter se, sed cum sublunaribus, & idem de astris secundum veritatem asserendum est, quòd scilicet secundum varias virtutes, & actiones possunt dici alijs præstantiora, & è contra; at quia Cœli per nos solo numero differunt, eiusdem perfectionis essentialis ponendi sunt.

Comparando verò Cœlum cum sublunaribus certissimum est apud omnes, corpora Cœlestia esse omnibus inanimatis perfectiora, & ratio est, quia illa sunt incorruptibilia saltem extrinsecè, & causæ istorum. Quantùm verò ad hominem, qui anima rationali, spirituali, & intellectiua præditus est, nullum est dubium, quòd Cæli sint imperfectiores; Vndè dubium solùm est de animatis anima sensitiua, & vegetatiua. Et quidem si comparatio fiat quoàd perfectionem incorruptibilitatis, certum est, Cœlum perfectius esse animatis, quæ corrumpuntur; Si verò comporatio fiat quò ad gradum vitæ, sic omnia animata etiam sensitiua, & vegetatiua perfectiora sunt corporibus Cœlestibus. Remanet tamen adhuc inquirendum, quidnam ex his simpliciter, & absolutè perfectius sit dicendum; seu quænam ex his sit maior perfectio .s. incorruptibilitas, quæ in Cœlo reperitur, an gradus vitæ, qui sensitiuæ, & vegetatiuæ inest.

Scot. in 2. d. 18. q. vn. & in 4. d. 12. qu. 2. lit. E. Res. *viuentia esse simpliciter perfectiora Cælestibus corporibus*, & præter Scotis. sequũtur Conimb. Ruu. Amic. Sonc. Contar. Ocham cum Nominalibus, Argen. & Alij. & fuit sent. D. Aug. in lib. de vera Relig. c. 29. & 11. de Ciu. Dei cap. 16. Pr. Scot. In tantum vnum dicitur altero perfectius, qa est propinquius primo enti perfectissimo, & similius, sed quando aliqua duo sunt propinquiora, & similiora in duabus perfectionibus summo enti, illud dicitur simpliciter perfectius, quod est similius, & propinquius secundum nobiliorem perfectionem, & perfectius attributum, sed vita in Deo habet rationem magis perfecti, quàm æternitas, & incorruptibilitas, nam vita est de quidditate Dei, æternitas verò attributum, ergo animata, quæ sunt Deo propinquiora in gradu vitæ, quàm Cœlum, quod est similius in incorruptibilitate, erunt simpliciter perfectiora; Cœli verò perfectiora secundum quid. minor est euidens, maior est. Arist.

3. Top.

3. Topic. 2. vbi affert exemplum: Simia est similior homini, qui est perfectissimum animal in effigie, & rebus ridiculosis, quã equus, q similior est homini in magnanimitate, & disciplina, at per hoc non sequitur Simiam esse simpliciter perfectiorem equo, sed potius è contra res se habet.

Decisio est contra quamplures Thomistas, & contra Valent. Perer. Moris. Auersam, & Alios, qui ad rationem Scoti resp. concedendo, quòd viuentia quò ad gradum genericum sint simpliciter perfectiora Cœlestibus corporibus, non tamen quò ad gradum specificum, saltem in vegetantibus, & ratio est, qa vitalitas in plãtis oritur ex imperfectione corruptibilitatis, ideò .n. plantæ nutriuntur, vt deperditum reficiant, at Cœlum ex vi differentiæ specificæ excludit corruptibilitatem, & consequenter perfectior erit differentia Cœli, quàm differentia vegetatiua, & quia perfectio ex differentia desumpta est maior, quàm perfectio ex genere, ideoque Cœlum erit vegetante simpliciter perfectius. Adducunt exemplum de gratia, quæ ratione generis .s. accidentis est quacumq; substantia imperfectior, ratione verò differentiæ supernaturalitatis, est perfectior.

Non valet, nam licèt differentia adueniens generi, semper illi aliquam addat perfectionem, per quã illud ad gradum maioris perfectionis eleuat, numquam tamen eleuare potest ad talem gradum, vt superet, quæ ipsum à toto genere excedunt, ergo nulla responsio. Pr. assumpsum, inter genus, & differentiam est proportio talis, vt determinata differentia determinato generi tantùm conueniat, & non cuilibet, ex dictis in logica, qua ratione licèt differentiæ non includant formaliter genus, dicuntur tamen aliquitates illius generis, ergo sicut vnum genus alterum in perfectione excedit, ità differentiæ vnius generis debent differentias alterius generis excedere, alioquin non essent inter se debitè proportionata; hinc Aliqui Aduersariorum ex nobilitate formæ Cœlestis, nobilitatem etiam materiæ, super materiam sublunarium inferunt; & ad exemplum de gratia negat Scot. in 3. d. 13. gratiam ratione supernaturalitatis esse perfectiorem substantia, quia infimum supremi generis est perfectius supremo Inferioris generis, vndè licèt differentia supernaturalis perficiat, & eleuet genus accidentis, non tamen potest eleuare ipsum accidens supra gradum, & genus substantiæ, à quo genere exceditur; aliter non esset inter differentiam, & genus ordinata proportio. Tum quia estò differentia vegetãtium includat ordinem ad corruptibilitatem naturæ, adhuc tamen dicit ordinem ad gradum vitæ, ergo differentia animę vegetantis est non tantùm quid corruptibile, sed est etiam quid vitale, & differentia

Cœli

Cœli erit quid incorruptibile, & quid mortuum, & exanime, & consequenter de his adhuc vrget prima ratio, quia adhuc absolutè perfectior est differentia vegetantium, quatenus suo modo similior primo enti in maiori perfectione. nostram sent. amplectuntur ex familia Dominic. Nazar. 1. p. q. 3. art. 1. con. 2. & Iacob. Brun. q. 8. de Cœlo art. 4. fol. 212. ex D. Tho. 1. p. q. 70. art. 3. ad 2.

DVBIVM XIV.

De Numero Cœlorum

DVbium insipidum, quia potius dictis Astrologorum innititur, quā alicui conuincenti rōni, & quia etiam ipsi nec inter se conueniunt, semper dubiam, & æquiuocam reliquunt decisionē. Supponimus primò tamquam certum apud omnes Patres, & Theologos dari cęlum Empyreum, quod sedes est, & domus Beatorum, & quòd detur vnum Celum naturaliter notum, in quo astra fixa reperiantur, Firmamentum appellatum, eò qa stellæ firmiter ipsi adhærent, vel stellatum ex multitudine stellarum in ipso reperta. Cæterùm ad cælorum numerum venandum, videndum est primò, an supra hoc cœlū, firmamentum appellatum, detur aliud medium inter ipsum, & Empyreum. Deinde an sub isto stellato dentur alij Cœli pro stellis errātibus, & Planetis.

Quò ad primam partē, fuit Antiqua opinio temporibus Platonis, & Arist. quòd non detur aliud cœlū supra stellatum, sed hoc esse primū mobile, quam sent. modò sequuntur Ruo. Hurt. Arriag. Cremon. Auers. in quam etiam inclinat Amic.

Ptolomeus verò, & quamplures Astrologi aliud Cœlum suprà stellatum posuerunt, & hoc ex diligenti obseruatione motus Cœli sydecei, quod vltra motum diurnum, alium motum habet ab occidente in orientem, tardissimum tamen, quæ opinio tempore Scoti erat apud Astrolog. communissima, & eā amplectitur in 2. d. 14. q. 2. & 12. meth. tex. comm. 44. & seq. ita etiā & D. Thom. in p. p. q. 68. art. 2. & in Quol. 4. art. 4. & in 2. sent. dis. 14. art. 1. Ægid. in 2. d. 14. q. 1. art. 1. & alij. Probatur. si n. vnum elementum non habet nisi vnicum motum proprium, multò magis vnum, & idem Cœlum, quod est magis simplex, ergo Cœlum illud, quod mouetur diuersis motibus habebit supra se aliud Cœlum reuoluens; sed compertum est, Cœlum Syderum moueri duobus motibus vno ab Oriente in Occidens supra polos mundi, & alio ab Occidente in Oriens supra polos Zodiaci, ergo supra Cœlum stellatum, oportet sit aliud Cœlum mobile mouens, & ipsum firmamentum reuoluens.

Petes, cuius naturæ erit hoc primum mobile, quod Cœlum sydereum mouet? R. & est communis sent. *esse aqueum*, iuxta illud Genesis: *fiat Firmamentum in medio aquarum, &c.* & habere aliquam condi-

tio-

tionem de aquis, & quia in nostris aquis duo sunt .s. frigiditas, & diaphaneitas, Cœlum istud, quod ponimus supra stellatum, dicitur tale à diaphaneitate, & esse non potest fluidum, sed solidum cum Ægidio, & ratio est, quia debet reuoluere Cœlum Sydereum, ergo soliditate præditum esse debet; Hinc Magister in lit. de huiusmodi Cœlo loquens, ait, dici aqueum non tenuitate vaporabili, sed soliditate glaciali, vel crystallina, quæ verba sunt iuxta sensum SS. Patrum appellantium dictum Cœlum crystallinum; siuè igitur hoc Cœlum vocetur aqueum, siuè crystallinũ, vnquam tamen tale nomen sortitur à frigiditate, sed solùm à Diaphinitate, & hæc tria quantum ad propositum spectat, vnum, & idem significãt, nam ex aqua fit glacies, & glacies diu in Alpibus permanẽs propter continuum frigus conuertitur in lapidem, & fit crystallus.

Obijcies: Sanctus Clemens Papa, qui præsens fuit disputationi D. Petri, cum Simone Mago, refert ex D. Petro, duos tantùm esse Cœlos, vnum .s. Empyreum, & perpetuũ, alterum visibile, quod est firmamentum. ℞. PP. non conuenire circa numerum Cœlorum, nam alij vnum, alij duos, alij tres, alij plures posuerunt Cœlos; & licèt Sacra Script. aliquando de Cœlis in singulari loquatur, sæpius tamẽ in plurali D. Petrus per primum Cœlum intellexit Empyreum, per secundum, omne interiectum inter terram, & Empyreum, sic cõiter.

Ob. Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, sed nullum Cœlũ supra firmamẽtum est sensu perceptibile, ergo &c. ℞. neg. mi. licèt .n. nonum Cœlum non cadat immediatè sub sensu, potest tamẽ ex sensatis sufficienter ostendi, cùm .n. sensu percipiamus multiplicem motũ octauæ sphæræ, benè ex hoc inferimus, octauam sphæram non esse primum mobile, & consequenter, quòd supra sit aliud Cœlum, ad cuius motum mouetur.

Ob. Saltem pro hac sent. adest insignis Aristot. Authoritas, octo tantùm Cœlos ponentis; .s. firmamentum, & septem Cœlos planetarum. ℞. Auth. Aristot. in hoc parum vrgere, cùm in Astrologia parum versatus fuerit, & in hac materia parum sibi costans, nam 12. meth. tex. 47. secundum placita aliquorum Astrolog. sui temporis posuit sphæras 55. vel 57. & in prohæmio meth. Cœlorum numerũ minorauit iuxta placita Pithagoricorũ. Vel vt aliqui, quòd Cœlum crystallinum negauit, quatenus hoc immediatè non cadit sub sensu.

Ob. Si supra Firmamentum daretur aliud Cœlum, hoc maximè esset illud aqueũ, & diceretur tale ab aquis, quæ supra Cœlos sunt, iuxta illud Gen. *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, sed ex illis aquis, quæ super Cœlos sunt non potest vllum Cœlum constitui, ergo &c. ma. patet, min.

min. Pr. nullum Cœlum est eiusdē speciei, cum elementis, sed illæ aquę super Cœlos sunt eiusdem speciei cum nostris, ergo ex illis aquis quæ sunt supra Cœlos, non potest Cœlum constitui. Minor hæc vltima, in qua consistit difficultas. Pr. nàm aquæ dilluuij fuerunt de illis aquis superiorib. iuxta illud Gen. 7. *cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus &c.* sed aqua dilluuij fuit eiusdem naturæ cum aquis nostris, ergo & illæ aquæ, quæ super Cœlos sunt. ℞. neg. min. ad cuius probationem iterum negatur minor, nā aquæ illæ super Cœlos non sunt eiusdem speciei cum aquis elementaribus, quæ aquæ dicuntur à tenuitate vaporabili, illæ verò à soliditate glaciali; & cū dicitur in Sacra Script. cataractæ Cæli apertæ sunt, ibi Cęlum accipitur pro aere, & cataractæ pro nubibus, tanta .n. tunc fuit inundatio, quòd videbantur illæ nubes, Cœli quasi aperti, quæ expositio est magis rationabilis, & litteralis, non .n. verisimile est, quòd Orbes illi Cœlestes fracti, & diuisi fuerint tempore dilluuij.

Opinio Platonis, Anselm. Chrisost. August. lib. 2. supra Gener. ad lit. cap. 10. Bonau. in 2. d. 14. par. 2. art. 1. q. 1. quos sequuntur Lucillus, Phileletus, Hurt. Arriag. Ouiedo, Tellez, & Alij. est, quòd omnes apparētiæ diuersorum corporum Cœlestium saluari possunt, vnum tantum Cœlum ponendo, & astra per illud mobilia; ad quod declarandum, dicunt primò, Cœlum esse latæ profundatis, & consequenter posse in medio corpore partes diuersas assignari .s. summas, vbi sunt stellæ fixæ, medias, & imas, vbi sunt Sydera errantia, seu planetæ, quæ ex varia giratione per Cœli partes varios motus regulares efficiant, atque congressus, non minus ac si essent in diuersis Cœlis, & sic infima superficies Cęli, in qua conspicitur Luna, dicitur Cœlum Lunæ, illa verò pars per quā girat Mercurius, dicitur Cœlū Mercurij, & sic de reliquis planetis, sicut à pari à nobis aer tripartitur in tres regiones .s. infimam, mediam, & supremam, in quibus variæ fiunt generationes, & corporum formationes.

Dicunt 2. debere necessariò in Cœlo dari canales, & surculos, seu spiras per quos Planetæ moueantur, & rotentur, siuè ab vna, siuè à pluribus Intelligentijs iuxta varias mundi exigētias, & per distinctum motum à sui orbis motu. Quorum ratio est, quia sicut in corpore humano plures sunt cauitates prorsus necessariæ ad varias vitæ functiones, ità etiam Cœlum suas habere debet, per quas stellæ, & Planetæ vehantur, non tamen motu irregulari sicut pisces in mari natantes, sed motu vniformi, qua ratione, stellæ errantes non debent dici partes orbis, sicut nodus est pars tabulæ, sed dicuntur habitatores orbis, & ideo dicuntur errā-

tes,

tes, quia motu proprio mouentur per spiras, & surculos.

Dicunt 3. dictos canales, vel esse plenos aliqua substantia fluida, quæ scindi, & diuidi potest, & quę mouetur ad replendum vacuum relictum à Planetis dum mouentur, vel esse vacuos, impropriè tamen, quia vacuum est locus aptus repleri corpore naturaliter, dicti verò carnales non sunt ex natura sua apti repleri.

Dicunt 4. ex eorum sent. non sequi Cœlum fore discontinuum, quia continuaretur per superficies canalium tàm conuexas, quàm cōcauas, & sicut in communi sentent. Cœli superiores habent cauitates, quibus inferiores capiant, & sunt continui, ità erit continuum Cœlum, surculis admissis.

Dicunt tandem, quòd cùm stellæ sint solutæ, & liberæ, nullo modo Cælo inhærentes, sed solùm illi contiguæ, possunt à Cœlo rapi, & ad motum Cœli moueri ab ortu in occasum sine violentia, & possunt etiam moueri proprio motu iuxta mundi exigentiam: sic relati Doctores. Auersa verò qu. 32. sec. 6. & 7. sequens Andream Cæsalpinum lib. 3. Peripath. ne fluxibilitatem aliquam, vel vacuitatem in Cœlis admitteret, concordat cum illis ponēdo vnicum Cœlum stellatum, sed solidum, & continuum, in quo sint omnia Sydera tum fixa, tum errantia, fixa in superiori parte istius Cœli, erratica verò in profunditate ipsius, non tamen quòd se ipsis moueantur, sed ad motum quarumdam Zonarum; Ponit enim Auersa in hac profūditate sub Zodiaci circulo septem Zonas, seu annulos inter se certo modo consertos, sicut septem sunt Planetæ, debitam latitudinem, & profunditatem habentes, quantum erit necesse ad molem, & motum Planetæ in qualibet Zona infixi, & hæc opinio probabilior censetur à Mastrio, & Bell. quam sequuntur disp. 2. de Cœlo q. 1. art. 2.

Cæterùm, quia in omnibus relatis sentētijs solùm probabilitatem cernimns, sed in nullis conuincentes rationes, quia dictis, & experientijs Astrolog. innituntur, in quibus non omnes Astrologi conueniunt, ideoque rationabiliter iudicamus à communi sent. Peripat. vtriusque Scholæ non recedere. Asserimus igitur cum Scot. loc. cit. in 2. & D. Thom. 1. p. q. 68. art. 4. Decem esse Cœlos, nempè Empyreum, cryflallinum, seu primū mobile, Firmamentum seu stellatum, & septem orbes Planetarū, s. Cœlum Saturni, deinde Iouis, postea Martis, sequitur sphæra Solis, deinde Cœlum Veneris, posteà Mercurij, tandem Lunæ, & ità suadetur: Quodcumque Cœlum, vel est totum lucidum, vel totum non lucidum, vel partim lucidum, & partim non lucidum. Totum lucidum est Cœlum Empyreum; quod dicitur à pyrà quod est ignis, vnde Empyreum dictum est Cœlum igneum, non à calore, sed à splendore,

dore, quia totum splendidum, & lucidum est. Cœlum totum non lucidum est primum mobile, seu crystallinum, quia totum est diaphanum sine vlla stella. Cœlum verò, quod partim est lucidum, & partim non lucidum est Cœlum stellatum, seu Firmamentum, & septem alij Cœli Planetarum, quorum quodlibet quantum ad stellam, quam habet, est lucidum, quantum verò ad alias partes, vbi non est stella, est non lucidum.

Ob. Inter nominatos Cœlos, nulla facta est mentio illius Cœli, in quod volebat lucifer ascendere in Isa. 14. *in Cœlum conscendam &c.* nec poterat Empyreum prætendere, quia iam erat ibi, ergo plures Cœli, quàm Decem. ℞. Cœlum illud, quòd lucifer petebat nō fuisse corporeum, sed Cœlum SS. Trinitatis, volebat n. æquari Deo, & similē esse Altissimo.

Dices, Diuus Paulus raptus fuit vsque ad 3. Cœlum, vt dicitur 2. Corinth. 12. ergo Cœli sunt tantum tres, s. Primum mobile, Sydereum, & Empyreum. ℞. 1. quòd omnes decem Cœli comprehendi possunt sub tribus, scilic. Empyreo, crystallino; & Sydereo, intelligendo pro Sydereo, firmamētum cum septem sphæris Planetarum. ℞. 2. cum Ægidio, per illud 3. non intelligi Cœlum corporale, sed quoddā tertium genus visionis; Visio enim intellectiua, per quā æterna capere possumus, dicitur Cœlum, iuxta illud August. 3. de Trinit. cap. 20. *in quantum aliquid æternum mente concipimus, nos in hoc mundo sumus, sed possumus cū Apost. dicere, nostra autem cōuersio in Cœlis est.* Triplex est igitur genus visionis intellectiuæ. Prima causatur à sensibus externis, vnde inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, idest sensibilia, intellectu conspiciuntur. Secundum genus visionis est cognitio intellectiua phanthasmatibus admixta, nam secundum Philos. nostrum intelligere nō est sine phantasmatibus. Tertium tandem genus visionis est cognitio non occupata à sensibus exterioribus, neque admixta phantasmatib. sed in pura, & clara visione Diuinæ essentiæ constituta; & ad hoc Tertiū genus visionis raptus fuit Paulus, vidit n. Diuinam essentiam in illa claritate, in qua vident Beati, licèt per modum transeuntis.

DVBIVM XV.

De Vita lactea, & de maculis Solis, & Lunæ.

SVpponendum pro modo, densum illud esse, *quod in parua quantitate, parum materiæ habet.* Opacum verò illud dicitur, *quod ex se non transmittit lumen, & radios visuales, & diaphano, & perspicuo opponitur, quod ex se transparens est, & lumen, radiosq; visuales transmittit.* Quod opacū est, dēsū est, non tamen è cōtra, nā crystallum densius est ligno, & tamen diaphanum, ac perlucidum est. Verū est tamen, quòd aliquando densum sumitur pro Opaco, & ità intelligi debet Scot. in 4. d. 49. q. 15.

q.15. ad 1. cùm ex Auic. ait: susceptiuum lucis est opacum, & densum, susceptiuum verò luminis est peruium, & perspicuum, subdés, quòd densior pars orbis est lucida .s. stella; quod probat, quia per eam videri non potest, quod est post eam; Aliæ autem partes orbis sunt luminosæ, & perspicuæ, ex quibus patet densum ibi capi prout diaphano, & perspicuo opponitur, & cum opaco conuertitur.

Ex his deducitur, astra omnia nõ esse eiusdem densitatis cum materia Cœli, & solùm differre penès opacitatem, & perspicuitatem, ità vt astra sint partes Cœli opacę, Orbes verò omninò diaphani. Omnia hęc lucida corpora, seu astra in duas classes ab Astrologis diuiduntur, Alia dicuntur fixa, Alia errantia, quæ etiam planetę appellantur. Fixa illa dicuntur ex Doct. in 2. d. 14. q. 2. A. quæ eamdem figuram, eumdem situm, eamdem distantiam, ac eumdem motum seruant; errantia verò, quæ neq; inter se, neq; à stellis fixis semper æquè distant. Stellę fixæ superiores sunt planetis omnibus, & ratio deducitur, quia per Planetas, aliquæ fixæ occultantur, nullus tamẽ Planeta à fixis. An autem omnia fixa sint æqualis distantiæ à terra, an verò vnum superius, alterum inferius in profunditate Cœli, nihil certi colligi potest.

Stellæ fixæ innumerabiles, ac quasi infinitæ iudicantur, vt Aris. docuit 1. meteor. c. 8. & colligitur ex Sacro Gen. 15. vbi Deus loquẽs ad Abraham ait: *Suspice Cœlum, & numera stellas si potes*. & Ierem. 33. *sicut numerari non possunt stellæ Cœli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen Dauid*. hoc autem intelligi non debet de stellis, quæ apparent, quia istæ ab Astronomis numeratæ sunt, sed de omnibus in Cœlo existentibus, multæ .n. non videntur à nobis, quod indè colligitur, quia Recentiores Astronomi maioribus, ac melioribus istrumẽtis vtentes, noua Sydera antiquis ignota adinuenerunt.

Loquendo igitur de Astris fixis, quæ magis visibiles sunt, non plures ab Astrologis numerantur quã millæ, & viginti duo in sex classes distributa, inter quæ videtur Zona quædam intersecta totum Cœlum ambiens, Circulus maximus ab Arist. appellata, quæ propter candorem, quem retinet, Via lactea dici solet, grecè autem Galaxia. Nec à stellis fixis vnquam aspectum mutat, quarum plures ibi reperiuntur, quàm in alia Cœli parte, & mouetur ad motum Cœli stellati absque vlla diuersitate, & de hoc circulo dubitari solet quid sit.

Prima sent. fuit Pythagoricorũ, asserentium, quòd illa dealbatio causata fuerit à Sole per adustionem, dum per viam illam olim moueretur, aliquid .n. combustione fit album, vt patet in calce. Secunda sent. fuit Democriti, & Anaxagoræ, affirmãtium, quod sol propter interpositionem terræ non potest stellas ex opposito existentes

 illu-

illuminare, sed alias, à quibus diffunditur lumē quoddam secundarium in illis stellis Soli oppositis, quod lumen est via lactea. Tertia opinio fuit aliorum dicentium, quòd sicut species visibiles incidentes in speculum tersum reflectuntur in ipsum obiectum, sic lumen stellarum porrigitur in aerem humidum sub ipsis existentem, qui aer iterum reflectit lumen in Cœlum stellatum, circulum illum producēs. has opiniones Arist. adducit, & confutat 1. Meteor. deindè cap. 6. suam ponens sententiam, ait, hanc viam esse rem quamdam Meteorologicā in suprema aeris regione existentem, & prouenire ex magna congerie halituum terrestrium, vi stellarum illuc attractorum, qui ex Cœli motu accensi videntur albescere.

Sed nulla harum sentent. placet. Non prima, quia supponit Cœlum esse corruptibile, & terrestre, & quòd Sol non semper eadem via, ac regulari motu incedat. Secunda suppponit vmbram terræ vsque ad Cœlum stellatum peruenire, cùm tamen ad Orbem Mercurij non perueniat. Tum quia hęc Zona moueri deberet ad motum Solis, sicuti vmbra ad motum luminosi, cuius tamen oppositum cernimus. Neq; Tertia valet, nam radius reflexus mouetur tàm ad motum luminosi, quàm ad motum corporis reflectētis, & consequenter hoc lumen secundarium moueri deberet ad motum aeris reflectentis, & ad motum stellarum, quod non experimur.

De sent. Arist. Aliqui suspicantur textum fuisse corruptum, & ferè ab omnibus relinquitur, licèt ab aliquibus defendatur, vt videre est apud Antonium Roccum & Amicum, sed frustrà laborāt, si enim res metheorologica esset, variaretur, sicut in alijs similibus impressionibus contingit. Tum quia cometæ non in eadem parte gignuntur, & secundum eamdem figuram, nec semper in eodem Cęli aspectu, sed continuè variantur, quæ de hac Zona non verificantur, cùm semper eodem modo, & in eodem loco appareat.

Potius igitur dicendum est, *quòd Via lactea in in Cœlo stellato resideat, & aliud non esse, quàm congeriem quamdā stellarum, quarum singulæ per se ob paruitatem non discernuntur, sed omnes simul congregatæ ob maximam à nobis distantiam apparent continuatæ, vnde illa pars Cœli satis albescens apparet.*

Quæ opinio hodiè est cōmunissima, & minus erroribus exposita, & affertur experimentum, nam tubo optico compertum est maximā in illis partibus minutissimarum stellularū vnionem reperiri, quod etiam obseruatum est de stellis nebulosis dictis, quæ tamquam guttę lactis, & maculæ albæ apparent. esse circulum quemdam stellularum, amplectitur Galileus, cum Auersa, & alijs.

Sol, quamuis nitidissimus, & fōs totius luminis sit, adhuc tamē quibusdam maculis respersus apparet tamquē nubeculis, dissimilis omnino

nino figuræ, & inæquales, augentur, & diminuuntur, & modò pauciores, modo plures apparent, de quibus multæ sunt etiam Doctorũ sententiæ, vt apud Tannerum, & Auersam videri poterunt, & quia reuera res imperscrutabilis est, vnusquisque pro libito, suam sent. profert. Nos asserimus cum alijs, quos sequuntur Mastr. & Bell. huiusmodi maculas esse stellulas quasdam veluti Solis asseclas, ipsum planetarum Principem comitantes, & vt ministros pro generatione diuersorum effectum inseruientes; & licèt subobscuræ appareant, non est tamen illis lumen aliquod denegandum, nam quando minus luminosum cum maiori coniungitur, tunc vt obscurum conspicitur. Sic placuit Altissimo illo Architecto machinas illas tot gemmis, & ornamentis in obsequium suorum seruorum picturare, vt rectè ex his, quę pro famulatu eis huc data sũt, apprehendant, quanta illa erunt, quæ pro mercede, & Corona præparantur diligentibus se.

De maculis Lunę multę ferũtur sẽtẽtię, vndè videtur aliquos Recẽtiores antiquas Pythagor. Fabulas renouare. Alij alia sine vlla necessitate, & solido fundamẽto fingunt. Nos breuiter, quia pro veritate inuigilamus, dicimus ad mẽtem Scoti, & cum D. Thom. 1. p. qu. 70. art. 2. Ægid. in 2. d. 14. q. 3. art. 1. Scaliger, & Alijs, illas maculas prouenire ex difformitate, & varietate partium Lunæ, nã aliquæ partes sunt magis opacæ, & densæ, aliquæ magis raræ, & perspicuæ; illæ, quæ sunt luminosæ, sunt densæ; quæ obscuræ sunt raræ, quæ nõ de facili penetrantur; Hinc in Luna partes, quæ magis illuminantur eminere videantur quasi montes, quæ minus illuminantur, vallibus, & antris assimilantur, quod totum manifestũ fit ex pictura, vbi propter colorum varietatem, montes, & valles repræsentantur, licèt tabula tota plana sit, & æqualis.

DVBIVM DECIMVM VI.

De Motu circulari orbium Cœlestium.

Scot. de hoc agit in 2. d. 14. q. 2. & alibi, & quòd Cœlum sit mobile, indè patet, quia est corpus natura constans, natura autem est principium motus, & quietis, & dubium non est, quòd in Cœlis sit motus alterationis, verè .n. corpora Cœlestia illuminãtur, & nouam aliquando opacitatem, & diaphaneitatem acquirunt, & deperdunt. Quod etiam motus circularis Cœlo conueniat est omnibus notum, cùm non sit graue, nec leue. Solùm Pythagorici, quos temporibus istis ex Astronominis sequũtur Copernicus, & Andreas Cisalpinus finxerunt, Cœlos esse immobiles, terram verò circulariter moueri. Quæ opinio damnata fuit à Sacra Congregat. Card. sed hoc iam fusius resoluetur disput. vltima Meteor. de terra, dub. 2.

DV-

DVBIVM DECIMVMVII.

An Cœli inferiores primo mobili duplici moueantur motu.

SCot. ipsum resoluit in 2. d. 14. q. 2. §. *De Secundo.* supponimus plures motus in Cœlis reperiri, vt supra diximus, vnum .s. ab ortu ad occasum, virtute primi mobilis, qui in sphęris inferioribus appellatur motus raptus, primum .n. mobile sua velocitate omnes alios Orbes secum rapit, alterũ in alijs sphęris ab occasu ad ortũ à primo mobili diuersum, qui proprius, & naturalis dicitur. Non loquimur de motu trepidationis, de quo nullam euidentiam habemus, quòd si daretur idem iudicium ferendum esset, ac de alijs. Quia igitur in Cœlis tot motus experimur, dubitatur rationabiliter, an tales motus sint reales, & veri, ità vt quilibet orbis inferior duplici reali motu moueatur, an vnico tantum.

Viguit opinio Antiquorum Astrolog. quibus etiam Aliqui Recentiorum adhærent, quòd possit idem mobile duplici motu reali moueri, & contrariis, vno per se, altero per accid. ad motum alteri', & afferunt commune exemplum de existente in naui, ad cuius motum Nauta mouetur per accid. v. g. versus occasum, si tamen à prora ad Puppim reuerteretur, moueretur per se motu contrario; sic de motu inferiorum orbium &c.

Dicimus cum Scot. loc. cit. quodlibet Cœlum inferius vnico tantùm vero, & reali motu moueri ab ortu in occasum attemperato tamen, & tardiori, & super polos Zodiaci. sequuntur Scotistæ, Ruu. Arriaga, & Alij. & ità faciè probatur: Illud mobile vnico locali motu mouetur, quod vnum Vbi acquirit, vt terminum ad quem, aliud deperdendo, vt terminum à quo; & illud duplici motu mouetur, quòd duo acquirit Vbi, & duo Vbi amittit, motus .n. inter duos terminos oppositos fit, vnde ad multiplicationẽ terminorum multiplicatur motus, ex dictis in physica disp. 17. artic. 6. sed implicat naturaliter vnum mobile duo Vbi acquirere, ergo & duobus motibus simul moueri.

Resp. Aduersarij, quos ex Recentioribus sequuntur Lynceus, & M. Iacob. Brun. minorem esse veram, si vterque motus competeret subiecto per se, secus si vnus per se, alter per accid. à diuersis Motorib. quod declarant exemplo formicæ, quæ circum agitur per rotam, dum rota contrario motu mouetur. Nec motus Cœlestes propriè sunt contrarij, quia vnus motus circularis non opponitur alteri motui circulari. Nec ab vno Motore causantur, sed à duobus .s. à primo mobili secum rapiente omnes sphæras inferiores, & à proprijs Intelligentijs in aliam partem impellentibus.

Non placet, & ratio fundamentalis est, quia implicat idẽ in duobus locis adæquatis reperiri, siuè per se, siuè per accid. siuè illa loca sint verè contraria, siue disparata, siuè ab vno moueantur, siuè a pluribus

ribus licèt in. Motores multiplicētur, nunquam poterunt idem mobile in pluribus locis simul collocare, ergo naturaliter implicat idē moueri simul pluribus motibus quomodocumq; modo acceptis; & tantò magis hæc ratio Thomist. vrget, qa putant nec supernaturaliter idem corpus esse posse in pluribus locis. Hinc Arriag disp. vn. Cœl. sec. 5. fol. mihi 148 sic discurrit. Sumo V. G. vnum punctum fixum superioris Cœli, vel inferioris, cui correspondeat Sol, & peto quando Sol habet hos motus contrarios, an simul, & semel sit vltra illud punctum versus orientem, & simul versus occidentem ex altera parte, vel non; Si primum, ergo simul est ante, & post illud punctum, ac proinde in duobus locis, quod naturaliter repugnat; Si sēcd. nō moueri versus vtramq; partem, ergo non habet duos motus contrarios, sed vnum tantùm, licèt paulò tardiorem, quia non ità properat versus occidentem.

M. Iacob. Brun. q. 7. art. 5. admittit, quòd ad multiplicationem motuum, requiritur multiplicatio formarum, & terminorum, cùm motus sint via ad Vbi, addit tamē, quòd sicut multæ viæ possunt ducere ad vnū locum, ità multi motus à causis extrinsecis prouenientes ad vnum Vbi, affert exemplum, lapis grauitate sua naturaliter, & ab intrinseco fertur deorsum, si tamen ab extrinseco in dexteram, vel leuam impellatur deorsum, habet duos motus, & vnam tantum Vbicationem. Sic ergo potest probabiliter dici, quòd non repugnat eidē corpori duos, vel plures motus habere, dummodo vnus naturalis sit, & ab intrinseco, reliqui ab extrinseco.

Sed bona pace, non hic loquimur de motibus contrarijs raptu, & proprio, & de oriente in occidens, & de occidente in oriens, vt ipse etiam se exemplificat de motu nauis pergentis versus occasum, & de illo, qui mouetur in eadem naui à prora ad puppim, ac consequenter quæstio instituitur de motibus contrarijs, Cæterum quis dubitat, quòd multi currere, & moueri possunt diuersis vijs ad idem Vbi. exemplum, quod affert est cōtra seipsum, si enim graue tendens deorsum, ab extrinseco impellatur ad dexteram, quomodo essent duo motus? tunc essent duo motus simul, quando simul moueretur motu recto deorsum, & motu obliquo ad dexteram, vel sinistram, at dum ab extrinseco impellitur ad leuam, vnus est motus, & vnum acquiris Vbi, putat fortè, quòd illa grauitas in tali descensu, erit motus? alia formalitas est grauitas, alia mot'.

Remanet igitur, quòd Cœli inferiores vnico motu ab ortu in occasum mouentur, sicut primum mobile, cum hac tamen differentia, quòd non eadem velocitate, nam primum mobile, circulum perfectè complet spatio 24. horarum, cæteri verò aliquanto minus, & di-

uer-

uersimodè, hinc sciendum, quòd Cœli inferiores non mouentur ab ortu in occasum per lineam perfectè circularem, vt fit ab vno puncto ad idem punctum, quomodo est motus primi mobilis, sed mouētur per polos Zodiaci per lineam giratiuam super quasdā lineas spirales, vndè fit, vt motu taliter attēperato Cœli inferiores moueantur, ex qua modificatione .s. ex tarditate varia planetarum, & ex lineis illis spiralibus circa axim Zodiaci descriptis, secundum quas mouentur, oriatur, vt Planeta modò cum vno, modò cum alio astro coniungatur, nec eumdem situm semper sub Zodiaco seruet. Solet hoc trito, & communi exemplo declarari, sint tres equi versus occasum currentes, quorum primus sit velocior alijs duobus; & secundus velocior tertio, nec super idem omninò spatium moueantur, sed vnus aliquantulum ad latus deflectens, clarum est, quòd qui tardius mouetur, alicui procul aspicienti, potiùs apparebit retrocedere versus ortum, quàm ad occasum pergere, & tamē omnes versus eamdem partem mouentur, quæ retrocessio posset dici motus apparens, licèt motu verò, & reali tendant ad occasum. Patet etiam exemplo nauis pergentis super aquas, quæ licèt cum aqua versus eamdem partem tendat, si tamen nauis velocius currit, videtur aqua retrocedere, estò simul ad idem punctum currant, licèt aqua tardiùs moueatur, sic in casu, &c.

Ob. ex 2. de gen. 56, vbi Arist. docet plures necessarios esse motus in Cœlis propter varietatem generationum sublunarium, nā ab vno motu, non nisi vnicus effectus causatur; ergo plures mot' veri, & reales in Cœlis reperiri debent. ℞.

℞. neg. conseq. sufficit .n. ad generationes rerum vnicus motus virtualiter multiplex, qui concipitur ac si esset multiplex formaliter; motus .n. factus ab ortu ad occasum per circulum Zodiaci est quidam motus obliquus, quia fit per lineas spirales, & solùm apparenter est multiplex, & virtualiter, quatenus æquiualet moueri de facto ad Occidens, & ad Boream, vel Austrū; nec aliud intendunt Astrologi cùm dicunt Planetas pluribus motibus simul moueri.

Ob. non potest mobile vnico motu moueri per duas lineas distinctas sed Planetæ mouentur per Æquatorē super polos mūdi motu diurno, & per circulum Zodiaci super polos ipsius, ergo, &c. ℞. neg. mi. implicat .n. naturaliter idem mobile esse in duobus locis, sed mouetur per lineas spirales, & giratiuas, quæ duab. lineis correspōdent .s. lineæ ab ortu in occasum; & lineæ à Borea ad Austrum; vndè apparenter tantùm, & virtualiter est multiplex, non verè, & formaliter.

Ob. homo existens in naui licèt quiesceret, mouetur tamen ad motum nauis, at si pergeret à prora ad puppim nouo motu moueretur,

ndm

nàm propria virtute moueretur, quia fatigaretur, nec ob id cessaret moueri motu nauis; quia adhuc esset in naui;ergo tunc duobus motibus moueretur. ℞. neg. anteced. tunc .n. homo diceretur moueri duobus motibus tantùm apparenter, & extrinsecè ob pluralitatem motorũ,non intrinsecè, & realiter, semper .n. in eodem loco, & puncto Cœli existeret,vbi existit nauis.

Hinc aduertendum, quòd quando duo agentia sunt productiua effectuum aliqualiter compossibiliũ, vt patet de calore, & frigore in gradibus remissis, possunt simul agere,quando verò duo effectus sũt simul incompossibiles naturaliter, vt sunt duo Vbi in eodem corpore, non possunt ambo proprium effectum causare, sed vel vnum solùm agens aget, vel ambo ad effectum medium concurrent; Sic in casu, primum mobile mouet Cœlos inferiores ob ortu in occasũ, & quia virtus in corpore distanti minus efficaciter diffunditur, hinc impetus a primo mobili impressus, non causat in Cœlis inferioribus perfectam circulationem, sed cum aliquali retardatione. Indè Propriæ Intelligentiæ impellentes orbes ad latera, resultat motus quidam modificatus ab ortu in occasum per ineas spirales, seu aliquantulum obliquas. ità Bell. & Mastr. disp. 2. de Cœlo q. 4. artic. 1. & hic est verus, & germanus sensus huius præsentis dubij, & manifestari poterit eodem exemplo, quo vtitur M. Brun. Si .n. lapis dum directè ad centrum descenderet, ab aliquo ad dexteram impelleretur,ille non esset duplex motus,sed motus quidam obliquus, & spiralis,& tardius ad centrum perueniret.

DVBIVM DECIMVMVIII.

An motus Cœli sit naturalis, vel neuter.

SVpponendum est, quòd potentia neutra aliquando stat cum naturalitate, vt Scot. docet in 1. d. 1. q. 1. in fine, & in 3. d. 13. q. 4. M. vbi asserit inclinationem voluntatis ad gratiam, licèt indeterminata sit ad hunc, vel illum gradum gratiæ, esse tamen naturalem, & patet ex dictis in phys. disp. 3. art. 9. vbi probauimus potentiam materiæ indeterminatam ad omnes formas esse quidem naturalem, sed esse etiam neutram propter illam indifferentiã. Cuius ratio est, quia cùm neutralitas consistat in indifferentia, vbicumque reperitur aliqua ratio indifferentiæ, potest etiã aliqua neutralitas admitti, quæ tamen non excludit omninò omnem naturalitatem, cùm adhuc actus illi sint iuxta proriam perfectionem subiecti, etiam secundum rationes speciales.

Hinc in potentia naturali, vt benè notat Auersa dantur aliqui gradus, vndè subiectum dicatur magis, vel minus inclinatum. Primus gradus est quando subiectum est prorsus determinatum ad aliquam formam, ità vt oppositum, vel carentiam illius repugnanter respi-

ciat, vt graue ad locum deorsum, leue ad sursum, & vniuersaliter subiectum ad connaturales qualitates, qui gradus omnem neutralitatem excludit, sicut nullam habet indifferentiam.

Secundus est quando subiectum respicit oppositos actus, & naturaliter sub quocumque quiescit, quia quilibet est iuxta exigentiã rei natiuã, & à quolibet perficitur, non tamen est indifferens ad totalem carentiam illorum, & hæc potentia est mixta, nam propter determinationem, quam dicit ad actum in communi, & non ad carentiam, dicitur naturalis, sed propter indeterminationem ad oppositos actus dicitur neutra, vt contra distinguitur à potentia naturali in primo sensu; est etiam naturalis indeterminata, quia quilibet actus secundum gradum specificũ ipsam perficit; sic se habet materia in ordine ad formas, quarum quælibet est illius perfectiua, ità vt si omnibus careret, diceretur esse in statu violẽto, eò quia priuaretur perfectione sibi naturaliter debita. Sic etiam existimantur cum Mastr. & Bellut. mixta respectu aliquarum qualitatum, vt sunt colores, qui videntur esse perfectiones eorum subiectorum consequentes. Item animata respectu figurarum, quodlibet .n. viuens exigit naturaliter peculiarem figuram, quia arbor non figuram petit hominis, nec leo figuram equi, &c. tamen quodlibet indeterminatè se habet ad figuras contentas sub illa communi, quam sibi determinat. Sic etiam potentia quælibet vitalis actiua respectu propriorum actuum. Quantitas respectu naturalis figuræ, nã ex propria natura petit necessariò figurari. Diximus naturalis ad differentiam figurarum artificialium, quarum quantitas non est ex propria natura exigitiua. Insuper esse in loco respectu animalium, & Angelorum, licèt .n. animalia non respiciant determinatum locum, vt progressiua sunt, & Angeli secundum potentiam motiuam, attamen esse in aliquo loco indeterminatè, est ex propria natura ipsorum, & quidam modus connaturalis.

Tertius tandem gradus est quãdo subiectum ex propria natura, & intrinsecè non respicit actum, tamquam perfectionem intrinsecam, aut quòd per illum aliqua perfectio ex propria natura sibi debita, & sui completiua acquiratur, sed quia est ratio, seu conditio, qua aliquod bonum causetur, & proueniat, ad ꝙ ipsũ subiectũ inclinationẽ habet, & sic motus Cœli dicitur naturalis, & est minimus naturalitatis gradus, si .n. tali actu subiectũ careret, non existeret violẽter, quia non est ad perfectionem intrinsecè sibi debitam, sed ad extrinsecam.

Præter istos gradus, datur alia potentia, quæ omnem actum naturalem excludit, & repugnantiam, & simpliciter neutra appellatur, & ità explicatur: Dantur aliqui actus qui nec destruunt naturalem perfe-

ctionem subiecti, neque illam perficiunt iuxta propriam exigentiam naturalem, ità quòd ex sua intrinseca natura illos petāt, sed per accid. se habent, & concomitanter, ergo motus, & potentiæ ad illos actus, nec erunt naturales, nec violenti, sed neutri, consequ. patet ex definitione harum potentiarum. Anteced. Pr. exemplo Scoti de superficie respectu colorum, nam quantitas ex propria natura neque respicit colores in particulari, neque colorem in communi tamquā perfectionem ex propria natura sibi debitam, aliter in Cœlo, & in elementis, in quibus quantitas absque vllo colore reperitur, esset in statu violento.

Item Quātitas in ordine ad formas artificiales est in potentia simpliciter neutra, quia nulla talis est perfectio ipsi debita ex propria natura, neque est ipsius destructiua. Item Natura humana respectu personalitatis alienæ, licèt in ordine ad agēs dicatur esse in potētiā obediētali, vt tamē respicit talē psonalitatē, nō dicitur esse in potētia naturali, sed neutra, quia personalitas aliena non est naturę debita secundum natiuam exigentiam, neque in ea violenter existit. Hoc idem asseritur de motu ignis in Orbem vt infra patebit.

Respondendo igitur ad dubium, *dicimus motum circularem Cœlorum esse naturalem.* Pr. ex Doctrina Scoti in 1. d. 1. in fine vbi ait: Omnis potētia receptiuā alicuius formæ perficientis ipsam, est naturalis, sed motus Cœli ex eodem in 4. d. 48. qu. 2. N. est perfectio ipsius Cœli, ergo &c. Tum quia ex 1. Cœli à tex. 6. vsque ad 16. habetur Cœlū circulariter moueri secundum naturam, & ex isto motu deducit Arist. Cœlum esse alterius naturæ ab elementis, quod non rectè deduceretur, si motus ille naturalis non esset. Tum quia ex Doct. in 4. loc. cit. licèt motus localis non sit in Cœlo propter aliquam perfectionem intrinsecam completiuam sui per motum acquisibilem, est tamē in ipso propter maximam totius vniuersi perfectionem à natura intentam, quæ est conseruatio horum inferiorum, ad quam requiritur ordinatus Cœlorum influxus, qui sine motu fieri non potest, & consequenter motus erit perfectio secundū quid ipsi Cœlo, quatenus .s. bonū totius, est etiam bonū partiv, & per ordinatum motū effectiuè se inferioribus cōmunicat, ad quā cōmunicationē habet naturalem aptitudinem, q deducitur aliqualiter ex sphærica figura, quæ habilitatē quamdam ad motum circularem habet. Et tandem Decisio patet ex disp. 6. Phys. art. 3. vbi determinauimus, definitionē naturæ, quæ est principium motus, omni quidditati secundum se conuenire, siue materiæ, siue formæ, siue corporis naturalis, tam simplicis, quàm cōpositi; non quòd in Cœlo sit principium determinatum ad motum, sed indifferens ex se ad motum, &

quietem, quæ indeterminatio quã-dam neutralitatem arguit; vndè & naturalis dici potest, & neutra.

Dices, Scot. in 2. d. 2. q. 6. lit. O. & in 4. d. 48. q. 2. E. motum Cœli neutrum appellauit, non naturalem, ergo decisio non est ad mentem Scoti; ℞. Scot. remouisse è Cœlo naturalitatem rigorosam, prout dicit potentiam ad vnum determinatum, & neutralitatem prout huic potētiæ neutrali opponitur, ideoque non est contra nos.

Faber Theor. 46. fatetur motum Cœli dici naturalem in ordine ad principium passiuum, & inclinationem naturalem, neutrum verò dici in ordine ad terminum, qa Cœlum nullum Vbi determinatè respicit, sed indifferenter se habet. Non placet, nam vt benè Bellut. & Mastr. aduertunt, si motus Cœli dicitur naturalis ratione principij, ità vt in Cœlo sit aptitudo intrinseca naturalis, talis aptitudo necessariò terminum aliquem respicere debet, ad quem dicit relationem trascendentalem, cùm dari nō possit aptitudo respiciens aliquid tamquā terminū, & nulla res reperiatur, quæ à tali aptitudine respiciatur, illamq; terminet, hoc .n. significat motum esse naturalem ratione termini .s. terminari ad rem aliquā, ad quā mobile inclinatur.

Dices, aptitudo Cœli non est ad aliquod Vbi, sed ad ipsum motum, qui terminus dicitur huius aptitudinis, motus verò habet pro termino Vbi, ad quod non datur naturalis inclinatio in Cœlo; ℞. cum citatis Doctoribus, quòd motus non est propter se appetibilis, cùm intrinsecè sit via ad terminum, à quo habet perfectionem, & consequenter aptitudo nequit primò terminari ad motum, sed ad terminum ipsius, ideò .n. frigefactio naturaliter ab aqua respicitur, quia aqua habet naturalem aptitudinem ad frigus, nam si motus esset terminus primò, & per se intentus, iam per alium motum acquireretur, quod falsum est. Nec rectè dici potest, quòd Cœlum primò, & per se motum circularem intendat, sed potius Vbi diuersa, vt possit huic, vel illi parti mūdi sublunaris proprios influxus per motum communicare. Dicitur igitur motus Cœli naturalis, quia est ratio, seu conditio, non acquirendi Cœlo intrinsecam aliquam perfectionem, sed extrinsecam vt .s. possit se effectiuè inferioribus communicare, eamque propter bonum Vniuersi conseruare; Dicitur verò neuter, quia hæc aptitudo in Cœlo est indifferens, & vltimus gradus naturalitatis.

Obijces. Motus naturalis velocior est in fine, quàm in principio, sed motus Cœli est vniformis, ergo non est naturalis, aliter esset irregularis. ℞. maiorem esse veram de motu recto, non de motu circulari.

Ob. Nullus motus liber est formaliter naturalis, sed motus Cœli est ab Intelligentia, liberè mouente, ergo non est naturalis. ℞. quòd ma. est vera de motu libero simpliciter,

citer, & adæquatè tamen ex parte principij actiui, quàm passiui, non de motu libero secundum quid, & inadæquatè ex parte principij tantùm actiui, vt est motus Cœli, qui liber dicitur in quantum ad ipsum concurrit mouens liberum, sed ex alia parte motus est necessarius, quia Intelligentia mouet Cęlū pro vt naturaliter mobile est, ad quem materia, & forma Cœli propēdunt; Hinc vnio Intelligentiæ cum Cœlo dicitur naturalis, & proportionata veluti vnio mouentis, & mobilis.

Ob. Motus localis naturalis est ad locum, & acquisitiuus alicuius perfectionis debitę mobili, sed motus circularis non est acquisitiuus loci, nec Cœlū per ipsum in loco cōseruatur, quia ab initio Cęlum fuit perfectū, & productum inalterabile, talem naturaliter ergo motus localis non est Cœlo naturalis. ℞. maiorem valere de motu recto, non de circulari, qui est circa locum. ℞. 2. ma. esse veram de motu naturali, accipiendo naturale in pima & secunda acceptione; non in tertia, motus .n. Cœli nō est ad acquirendam aliquam perfectionem, sed ad communicādam suam virtutem pro conseruatione sublunarium.

Hinc colligitur, falsum esse motum semper tendere ad acquirendā aliquam perfectionem mobili intrinsecam, corpora .n. naturalia habent naturalem inclinationem ad producenda sibi similia, & tamē productio hęc non est perfectio intrinseca agenti. Item quòd Cœlum naturaliter inclinatur ad motum localem, tam vt species particularis est, quàm vt pars præcipua Vniuersi; & licèt ex tali inclinatione ad motum nullum bonum particulare in Cœlo resultet, non per hoc tolli debet ab eo talis inclinatio naturalis, quæ aliquando tendit ad acquirēdum bonum non habitum; aliquando ad effusionem boni habiti, quia bonum est naturaliter sui ipsius communicatiuum. Cœlum igitur quia habet naturalem inclinationem ad lucem, & ad influendum in sublunaria, habebit etiam naturalem procliuitatem ad motū, quæ est conditio influendi in vniuersas terræ partes, nam idem appetitus naturalis est, quo res fertur in finem, & ad media ad finem. Item præter inclinationem naturalem actiuam, datur etiam inclinatio passiua in subiecto ad aliquē effectum ab alio inducendum, vt patet de materia, quæ naturaliter passiuè inclinatur ad formam, quā tamen recipit ab agente naturali extrinseco; Sic Cęlū inclinatur passiuè ad motū, quē tamen ab Intelligentia extrinseca accipere debet.

Solet adhuc etiam dubitari, an Cœlo possit esse naturalis aliquis motus rectus. V.g. si per Diuinam omnipotentiam Cœlum extraheretur à loco, vbi nunc repetitur, vel si aliqua Cœli pars abscissa collocaretur in mundo inferiori, an talis motus esset naturalis, vel violētus, aut neuter. Respon. Cœlum non habere determinatam inclinatio-

tionem ad aliquẽ locum, nisi quatenus pars est quædam vniuersi, cui vt sic congruit esse in supremo loco supra omnia corruptibilia, & vt possit in sublunaria influere, locum verò proprium, in quo reperitur, non propriè respicit vt naturalem, nam locus naturalis est conseruatiuus locati, qua ratione locatum extra proprium locum est extra statum naturalem, & corruptioni obnoxium, Cœlum verò est incorruptibile, & consequenter vbicumque locetur, nunquam violenter existet, nec conseruatiuo extrinseco indiget, ex quo sequitur, quòd motus ille, quo Cœlum, vel eius pars à propria sede extraheretur, non esset violentus, nam motus localis violentus dicitur, cùm terminatur ad locum mobili violentum, sed locus ille non est ex propria natura violentus, ergo neque motus. Item si pars illa Cœli in his inferioribus locata, iterum sursum moueretur, vel ab Angelo, vel quia elementa ex se ipsis postulent inter se connecti absque vlla interruptione, vnde partem illam sursum impellerent, motus ille non esset naturalis, quia non terminaretur ad locum naturalem, & locati conseruatiuum. Tum quia si motus iste esset naturalis, oppositus esset violentus, quod est falsum, vndè sequitur quod sit simpliciter neuter.

Ob. Motus circularis est Cœlo naturalis, ergo quies, quam in his inferioribus pars illa possideret, esset violenta, ergo, & motus ad illam terminatus, ℞. negando conseq. nam motus circularis est cælo naturalis naturalitate indeterminata, ità vt etiam naturaliter quietem respiciat, & licèt quies in actu contraria sit motui, hoc tamen nihil officit, quia etiam frigus est cõtrarius calori, & ignis aquæ, at non per hoc tollitur quin materia ad vtrumq; habeat aptitudinem, & inclinationem, & si non simul, saltem successiuè, & ideò dicitur materiã habere simultatem potentiæ, non potentiam simultatis.

DVBIVM XIX.

Vtrum Cœlum per se moueatur, an ab Intelligentia.

Aliqui Philosophi ante Aris. & Aliqui Theolog. quos sequũtur Gabriel, Maior, & Alb. de Saxonia asseruerunt Cælum moueri circulariter à propria forma, veluti elementa, & non ab aliquo principio actiuo extrinseco. Alij affirmarunt moueri ab extrinseco, ad quem tamen motum dixerunt concurrere partialiter formam Cœli. Communis tamen sent. defendit *Cœlum solùm ab extrinseco principio moueri, & ad eius motum concurrere tantũ passiuè*; & docuit Scot. in 2.d.2.q.5. & in 4 d.48.q.2.N. & fauet Aris. 8.phys.tex.52. & D.Tho.1.p.q.70. art.3. & opusc. 10.art.3. ait, se nullum Sanctorum, vel Philosophorũ legisse, qui contradicat, & opusc. 11.art.2. inquit demõstratiuè probari posse, quòd ab aliquo principio intellectuali Cœlũ moueatur.

Co-

Conimbric. 2. Cœli cap. 5. q. 5. art. 3. sententia de motu Cœlorum ab intelligĕtia physicis rationibus demonstrata putant, & fidei Clypeo ob armata, & citant etiam D. Thom. q. 6. de pot. art. 3. vbi ait: Fidei sĕtentia est, quòd non solùm corpora Cœlestia suo imperio moueant localiter Angeli, sed etiam alia corpora, Deo ordinante, ac permittĕte, & D. Bonau. ait, quòd sententia de motu Cœlorum ab Intelligentiis tàm rationi, quàm fidei consentanea est, quia fides docet inferiora per superiora regi, & spiritualia corporalibus vniri.

Prob. Illa habent in se principiū actiuū motus, quę mouentur propter bonum proprium, & intrinsecum, vt patet de viuentibus; quia moueri à se debet esse propter bonum sui, sed Cœlum mouetur localiter non propter bonum proprium, sed horum inferiorum, ergo non mouentur ab intrinseco, seu non habent in se principium actiuum motus. Confirmatur: Grauia, & leuia localiter mouentur, vt propria loca naturalia consequantur; animata, vt cibos, aliaq; necessaria adipiscantur; Sed Cœli semper sunt in proprio loco naturali, nec sunt animati, ergo non mouentur à propria forma, aut naturali virtute. Afferri solent aliquæ Sacræ Scrip. Authoritates ad hoc probandum, vt illa matth. 24. *Virtutes Cœlorum mouebuntur*; & illud Iob. 1. *sub quo curuantur, qui portant Orbem*; & illud 38. *cum me laudarent astra matutina*, & aliæ; sed quia ab Alijs PP. aliter exponuntur, ideò nullius sunt roboris.

Quid verum dicendum esset de possibili, veritas est, quòd non potest assignari aliqua ratio conuincens Cœlos à se ipsis moueri, supposita .n. Dei infinita scientia, & Omnipotĕtia, posset aliquod Corpus talis naturæ excogitari, vt se ipsum circulariter ab intrinseco moueat, siuè partialiter, siuè totaliter, & hoc præsertim si asseratur posse Cœlos esse animatos anima alterius rationis à nostra vt Arriag. defendit; Vnde dici posset animā illam tantæ esse virtutis, vt absque fatigatione, & sine vlla resistentia Cœlum moueat, sicut de anima Beata mouente corpus affirmant Theolog.

Hinc Baltazar Tellez Societ. Iesu part. 2. Cœli disp. 64. sec. 3. ait, quòd hæc opinio licet à multis iudicetur temeraria, nihilominus nimis temerè censuratur, quia oppositum non constat ex aliquo loco script. expresso, nec ex alio concilio, nec ex communi Antiquorum PP. sent. & Valentia, & Vasq. 1. p. dicunt oppositum non esse adhuc demonstratum.

Ob. Natura est principium internum motus, sed Cœlum constat natura, ergo ab intrinseco mouetur. R. quòd natura in Cœlis habet solùm rationem principij passiui in ordine ad motum localem, & vt sic est internum principium, & denominat motum naturalem.

Sed

Sed contra, potentiæ passiuæ intrinsecæ correspondet principium intrinsecum actiuum ex 5. Meth. sed Cœlum habet potentiam passiuã naturalem ad motum, ergo habere debet potentiam actiuam, s. formam. ℞. M. Iacob. Brun. q. 7. art. 2. ad 3. ad ma. quòd potentiæ passiuæ Cœli ad motum correspõdet potentia actiua, non quò ad substantiam, sed quò ad motum. ℞. 2. & putat melius, quòd correspondet Cœlo potentia actiua, non vt forma, sed vt motrix, quia sic aptè reguntur inferiora per superiora, & Intelligentia dicitur propria Cœlo nõ per naturam, sed per proportionem, etenim inter passiuum, & actiuum non est necessaria conueniẽtia naturæ, sed proportionis, quò ad effectum.

Vtraq; responsio est bona, sed coincidit cũ illa Scoti, quòd potentiæ passiuæ naturali, seu intrinsecæ, non est necesse, vt correspondeat actiua naturalis, sed sufficit, vt correspondeat actiua in quocumq; ordine, siue naturalis sit, siue supernaturalis, quam tamen resp. nolunt Thomistæ recipere. Sed recipit saltem hic Magister, dum ait, quod inter passiuum, & actiuum non est necessaria conuenientia naturæ, sed proportionis quò ad effectum, & sic est de facto de Viatore, qui licèt habeat inclinationem passiuã, & naturalem ad Deum, non tamen indè oportet, vt in eodem homine sit principium actiuum ad huiusmodi inclinationem, & potentialitatem explendã, sed sufficit, vt correspondeat actiuũ proportionatũ quò ad effectũ, quia non est necessaria conuenientia in natura, vt etiam ipse Mag. fatetur. Non est ergo intelligenda illa authoritas 5. metha. q; potẽtiæ passiuæ intrinsecæ correspõdere debet principium actiuum intrinsecũ, sed sufficit, vt correspondeat actiuum, quomodocumque, siue intrinsecum, siue extrinsecum.

Ob. Mouere se est perfectio, & reperitur in sublunaribus, ergo non est deneganda Cœlis superioribus. ℞. neg. conseq. quia non oportet, vt omnes perfectiones, quę in inferioribus inueniuntur, reperiantur in superioribus formaliter, sed sufficit si inueniãtur virtualiter, vel eminenter, quatenus perfectio superioris perfectionem inferioris superet, vt patet de Angelo respectu hominis, de auro respectu argenti &c. Tum quia in non viuentibus mouere se est perfectio supplẽs imperfectionem, nam ideo tale principium habẽt, quia à proprio, & connaturali loco extrahi possunt ad locum contrarium, & ibi à contrario violẽtiam pati; hinc quia natura non deficit in necessarijs, tale contulit principium, vt ad propria loca redire possint; At Cœli non habent contraria, & consequenter cõseruante non indigẽt.

Ob. Posita hac doctrina, forma Cœli esset otiosa, cũ proprio motu, & operatione cessaret; contra illud Arist. vnumquodque est propter

ter suam operationem, R. negan. sequ. nam forma Cœli inseruit ad componendum Cœlum, vt altera pars componens, & ad recipiẽdum motum ab Intelligentia productũ, & astra per diuersas mundi plagas conducendas, vt ibi suas communicent influentias.

Cuius autem conditionis esse debet hic extrinsecus Motor, R. cum communi, *non debere esse corporeum, & materialem, sed incorporeum, & spiritualem, & operantem per cognitionem, qualis est Intelligentia*. Ratio est, quia non potest Cœlum ab aliquo corpore sublunari moueri, vt patet, Neque ab aliquo corpore in Cœlo existente, Cœli enim sunt contigui, & consequenter non potest inter illa aliquod corpus sine penetratione mediare. Nec naturaliter suaderi potest reperiri aliquod corporeum tantæ virtutis, vt tàm breuissimo tempore, tàm vastissimam molem circumuoluere possit, ergo poni debet aliquod incorporeum, & immateriale, quòd non fatigatur. Et quia Cœlum determinare debet, vt tali motu moueatur, & regulariter propter bonum vniuersi; talis Motor esse debet finis cognitiuus, & mediorum ad talem finem, & consequenter esse debet naturæ intellectualis, qualis est Angelus. Non tamen ob id negamus primum mobile cæteros inferiores Cœlos mouere, nam corpus solidum alia corpora perfectè continens, quibus contiguum sit, si velocissimè mouetur, rapiet etiam secum corpora inclusa, maximè si sint etiam solida, hic tamen impetus non sufficit pro omnibus Cœlis, sed solùm causare potest motũ ab ortu ad occasum, licèt propter distantiam cum retardatione aliqua, ideoque requiritur Intelligentia, quæ immediatè mouet Cœlos inferiores per lineas spirales.

DVBIVM VIGESIMVM.

De numero Motorum orbium.

SOlet etiam hic dubitari de numero Motorum Orbium Cœlestium, & multæ sunt opiniones; Prima tenet vnicam tantùm esse motricem Intelligentiam omnium Cœlorum, sed Aliqui increatam, aliqui verò creatam, Secunda Opinio tot multiplicat Intelligentias Motrices, quot orbes sunt moti, sed inter Sectatores huius sent. adhuc est lis, nam Aliqui volunt inter has numerari quoque debere Deum ipsum, tamquam immediatũ Motorem primi mobilis in sent. Arist. ità Recentiores communius, Rui. Conimb. Auers. Amic. Piccol. Ragus. & Alij cum Gregor. Arim. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. Alij verò negãt secundum Aris. Deum immediatè, i. solitariè absque alia intelligentia mouere primum mobile; sed etiam huic propriam Intelligẽtiam tribuunt, ità D. Thom. 1. Contra gent. c. 13. Scot. in 1. d. 2. q. 1. ad vlt. Princ. & d. 8. q. 5. V. amplectuntur Suar. disp. 35. mẽ th sec. 1. nu. 3. Contar. Ianduu. & Alij.

Decisio igitur dubij est, *quod de*

 facto

facto Deus se solo non mouet Cœlum, posset tamen mouere si vellet; sed in sent. Arist. *nec de facto nec de possibili posset immediatè mouere Cœlū*. est ad mentē Scoti, & tres habet partes. Prima probatur author. D. Gregor. 4. Dialog. cap. 4. Aug. lib. 8. super Gen. cap. 24. & 3. de Trinitate. c. 4. & D. Dionisi. de Diuin. nom. c. 4. & de Cœlest. Hierar. c. 5. Pr. 2. illo communi axiomate Theologico, quicquid potest à causis secundis perfici, potest Deus illud producere, concurrendo vt causa vniuersalis cum illis ad actionem, & hoc vt magis Diuina bonitas, & omnipotentia reluceant, dum tam liberaliter, & suauiter dignatur tales actiuas virtutes suis creaturis communicare, sed motus Cœli potest ab Angelis prouenire, & causari, ergo similiter à Deo.

Secūda pars, q̄ posset Deus se solo Cœlos mouere si vellet, inde patet, quia potest Deus supplere concursum cuiuscūque causæ efficientis, & quicquid medijs causis producit, potest se solo producere. Neque ex hoc sequitur absurdum Abulensis .s. sequi Deum in instanti mouere Cęlum, cùm sit Infiniti Vigoris, non sequitur, Nam Deus ad extra liberè agit, ideò non producit quidquid producere potest. Neque etiam sequitur stante nostra opinione, Deum habere imperfectam actionem, qualis est motus, vt Abulensis arguebat; Nam producere imperfectum, dummodo sit potētia producendi perfectiora nō arguit imperfectionē in producente, sed in re producta; Sic Deus benedictus immediatè materiam primam creauit in genere substantiæ omnium imperfectissimam, at non ex hoc arguitur imperfectio in Deo, quia producit res sicuti natura sua sunt producibiles, sic de motu &c.

Tertia pars, quòd secundū Arist. non moueat Cœlum immediatè Pr. ex duobus ipsius principijs. Primum est, quòd Deus ad extra agit necessariò, de quo egimus in Physica. Secundum, quod Deus sit infiniti vigoris intensiuè. vt dicemus in meth. ex quib. principijs sequitur, Deum non posse mouere Cœlum immediatè, aliter illud moueret in instanti, quod est absurdum, patet sequela, quia si aget necessariò, aget quantum potest, & cum sit virtutis infinitæ, mouebit motū infinitæ velocitatis, & consequenter in instanti; Vel si in tempore mouebit ob aliquod impedimentum, tunc virtus finita æquari posset virtuti infinitæ, quod est aliud absurdum.

Quantùm verò ad numerum Intelligentiarum, licèt Suar. disp. 35. meth. sec. 1. nu. 2. putet probabile posse dari vnam Intelligentiam superiorem tantæ virtutis, quamuis finitæ, vt exigat mouere totam machinam Cœlorum simul ordinatorum, & per vnam speciem attendat ad omnes illius motus, & conditiones, quia in substantijs separatis superior potest totum id, &

quid

quid amplius quod potest inferior, tamen de facto dicendum est, & probabilius, & communius, quòd singulis Cœlis totalibus mobilibus singulares assistant Intelligentiæ motrices; Tum quia innuunt loca Script. citata dum loquuntur de Intelligentijs in plurali. Tum quia cum Angeli virtus sit limitata, & finita, non videtur omnes Cœlos posse esse adæquatam sphæram vnius Angeli, & propter ingentem magnitudinem Cœlorũ; & propter motuum varietatem. Tum quia sicut singulis hominibus, Deus singulos deputauit Angelos Custodes, imò secundum aliquos Theolog. etiam & singulis Prouincijs, & Vrbibus, & Templis, & Altaribus, vt præsertim docet Albertinus in lib. de Angelo Custode, ità & rationabilius id affirmandum erit de Cœlis, tantò tota terra maioribus, & pro totius orbis communi vtilitate. An autem hoc etiam asserendum erit de Zonis Planetarum, & de Epicyclis sub dubio relinquitur.

Dices cum Lessio, Diuus Gregor. ait: *Deus mundum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit*, ergo non per Intelligentiam. ℞. hoc esse verum quò ad ordinationem, seu directionem, non verò quò ad executionem.

Ob. cum Frascatorio. Anima vna sufficit ad mouendum corpus, & ad diuersas corporales operationes eliciendas, ergo vna Intelligẽtia sufficiet ad plures Cœlorũ motus. ℞. neg. conseq. nam anima respicit pro suo obiecto adæquato corpus cum omnibus suis partibus, & illæ diuersæ operationes intra sphæram suæ actiuitatis continentur, i. intra corpus organicum, quod informat; Angelus verò respicit pro obiecto adæquato vnicum Cœlum tantùm, & omnes alij Cœli sũt obiectum excedens, & plures illorũ motus sunt vni Angelo improportionati; hoc tamen asserimus de facto, non de possibili, & iuxta sensum Script. quæ de Intelligentijs Cœlorum motricibus semper in plurali loquuntur; & sicut vnus Angelus sufficeret ad custodiam plurium Ciuitatũ, & alter ad protegendum integram Prouinciam, & tamen Deus sua infinita bonitate, & prouidentia cuilibet Ciuitati, & Oppido, & homini proprium assignauit Angelum Custodem; sic in casu de corporibus Cœlestibus asserendum erit.

Vrgebis: Motus, qui est à principio extrinseco est violentus mobili ex 5. Meth. sed motus Cœli nõ est violẽtus, sed naturalis ex dictis. ergo nõ est ab intelligentia extrinseca. ℞. maiorem esse verã quando motus ità est ab extrinseco, vt mobile resistat motui, at Cœlum non resistit, sed naturaliter ad motum circularem inclinatur, ideòq; inconueniens non est vt ab Intelligentia moueatur.

Quæres, quo pacto talis motus causatur ab Angelis, an s. per Intellectum, & voluntatem. vt plures Thomistæ putant cum D. Thom. 1.

p. q. 29. art. 1. ad 3. & q. 54. art. 5. an verò per potentiam executiuam, seu locomotiuam, R. cum Scot. in 1. d. 45. A. & in 4. d. 10. qu. 7. C. & D. quòd supposita distinctione potentiarum ab essentia, *Angeli mouent Cœlos per potentiam loco motiuam, distinctam formaliter ab intellectu, & voluntate.* Pr. ex diuersitate propietatum harum potentiarum; nam intellectus, & voluntas agunt actione immanenti ex 9. methaphysic. Non requirunt approximationem localem obiecti. Nec ab Alterò Angelo impediri possunt, præsertim Voluntas ne in proprias exeant operationes; Potentia autē executiua agit actione transeunte; Requirit obiectū approximatum, Potestque ab alio Angelo superioris virtutis impediri, quę diuersitas munerum, & cōditionum aliquam arguit distinctionem, & non rigorosam realem, cùm in eadem essentia radicentur, nec rationis, cum nullo intellectū cogitante, hęc omnia realiter verificentur, ergo distinctione media reali, quæ dicitur in sent. nostra formalis ex natura rei. Sunt nobiscum Suar. disp. 35. sect. 2. Caiet. 1. p. loc. cit. D. Tho. Zenardus q. 23. & M. Iacob. Brun. q. 7. art. 2. de Cœlo, vbi ait Angeli mouent Cœlos per potentiam loco motiuā connaturalē, realiter, vel ratione distinctā ab intellectu, & volūtate. Hic Doctor ne vtatur termino distinctionis formalis, quę est distinctio media, vtitur potius distinctione reali, vel rationis, quæ sunt extrema distinctionis, omninò incompossibilia, & neutrum potest ad propositum accommodari, vt Eruditis patere potest.

Quanta autem sit vlocitas motus Cœlorum, quasi incomprehensibilis est à nobis. Vnde Astronomi saltèm cōfusè colligunt, quòd Sol, qui multò minus breuiter mouetur quàm primum mobile, singulis horis plusquam vndecim cētena millia milliarum peragit. & Stella octauæ sphæræ circa Equinotialem existens, vna hora percurrit suprà 42. milliones milliarum. Mirabilis Deus in operibus suis, quæ si saltē transeunter meditaretur peccator, non ità facilè tantum sperneret Opificem.

DVBIVM XXI.

De luce, & lumine, vbi etiam de Scintillatione, & Eclypsi.

SCot. in 2. d. 13. q. vnic. ponit differentiam inter lucem, & lumen licèt ab Aliquibus pro eodem sumantur; Nam lux est illa forma, quæ in corpore lucido reperitur, vt lux in Sole; vel in igne; lumen verò est illa forma, seu radius ille, qui in medio reperitur, vel in subiecto illo, quod à se illud non habet, sed ab alio recipit, vt lumen in aere à luce alterius corporis causatū; Lumen immediatè à luce productum, dicitur primarium; lumen verò causatum à lumine, dicitur lumen secundarium, quod reperitur vbi est vmbra. V.g. lumen hoc per aerem diffusum dicitur lumen prima-

marium. quia est immediatè à luce Solis, vel Lunæ, vel Stellarum causatum, at lumen in hac aula reuerberans dicitur lumen secundarium; Vndè in hac vmbra à tenebra differt, quòd tenebra negat tum lumen primarium, tum secũdarium, vmbra verò solũ primarium. Quæritur igitur primò tàm de luce, quã de lumine, an sint formæ accidentales, vel substantiales.

Ad quod ℞. cum Scot. loc. cit. *quòd tàm lux, quàm lumen sint formæ accidentales qualitatiuæ*, & fuit etiam sent. D. Thomæ 1. p. qu. 6. art. 3. vbi citat, & impugnat illos, qui lucem, & lumen substantiam faciebant. Decisio est communis, & Peripat. contra Empedoclem relatũ ab Arist. 2. de anim. c. 7. Pr. à Scoto, Corpus est ab alio corpore naturaliter impenetrabile, sed lumen cum corpore diaphano, & aere penetratur, ergo &c. Pr. min. quia si aer in aduentu lumini, recederet, respirationem aeris non experiremur. Tũ quia substantia non intẽditur, & remittitur, at lux, & lumen intenduntur, & remittuntur etiã in Cœlis, iuxta illud Isa, 30. *& erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter &c.* ergo lux, & lumen non sunt substantiæ. Tum quia aer tàm perfectus substantialiter est quando est illuminatus, ac quando est tenebrosus, & lumen adest, & abest præter aeris corruptionem, ergo est accidens.

Dices, ex 1. Genes. lux dicitur facta: *fiat lux*. ergo est quid subistantiale, nàm accidentia propriè non fiunt; sed potius comproducuntur. ℞. Scot. ibi lux non accipitur pro forma illa accidentali, sed pro connotato, seu corpore lucido, quod denominatur à luce tamquam à principaliori, & potiori significato, & in hoc etiam sensu Doct. Patres exponit.

Ob. Omne accid. sensibile habet contrarium, nec transit de subiecto in subiectum, & ad motum subiecti mouetur; sed lumen non habet contrariũ, transit de subiecto in subiectũ, & non mouetur ad motũ aeris, ergo non est accid. ℞. negãdo omne accid. sensibile habere contrarium, sed solùm verificari de primis qualitatibus, & illas consequentibus, lux verò est qualitas superioris ordinis. Falsum est etiam lumen migrare de subiecto in subiectum, sed continuò renouatur; Sicut falsum est, quòd lumẽ ad motum aeris non moueatur, reuera. n. species obiectorum mouentur in aere, licèt ex hoc visio non impediatur; & ratio est, quia estò species in aere subiectatæ transeant ad motum aeris, semper tamen aliæ de nouo producuntur in medio ab obiecto, & in instanti, vt in lib. de anim. patebit.

Quæritur 2. An omnes Cœli, & astra habeant lucem, an solùm Astra, & Illorum, an omnia. De Cœlo Empyreo, quòd sit totum lucidum, nullum est dubium, iuxta illud Apocal. 2. *Ciuitas illa non eget Sole, neq; Luna, vt luceant in ea, quoniam*

clari-

claritas Dei illuminauit eam. Non tamen videtur à nobis, quia ex parte concauæ superficiei est opacum, & quasi cortina quadam coopertum in Federis Arca figuratum, quæ caprinis pellibus contecta erat. De alijs Cœlis, stellis, ac etiam de ipsa Luna, multi multa dixerunt, nos breuiter cum communi asserimus, *Cœlos omnes* (Excepto Empyreo) *nullam habere lucem, sed lumen à Sole, & cæteris Astris mutuare*, quod experientia comprobatur, si .n. Cœli lucem aliquam haberent, species visibiles ad nos transmitterent, & sic Cœlos videremus. Nec dicere valet propterea illa corpora non videri, quia rarissima sunt, sicut etiam ignis in sua sphæra non videtur propter sui raritatem. Non valet in sent. nostra, quæ raritatem in Cœlis negat, & solidissimos ponit, & si aliquam lucem haberent conspicerentur, sicut via lactea, & aliæ stellæ videntur, & colligitur ex Gen. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in Firmamento Cœli, vt lucerent super terram*. Quòd autem corpora illa Cœlestia à Sole, & Astris illuminentur, indè patet, quia sunt diaphana, & consequenter luminis capacia etiam in profunditate.

De Luna communiter asseritur non esse ex se lucidam, sed illuminari ab extrinseco .s. à Sole, & probari potest ex variatione luminis, quò ad nos, quod habet iuxta accessum, & recessum à Sole. Tùm quia si esset lucida, non contingeret eius Eclypsis ob terræ interpositionem inter Solem, & Lunam. Sed an saltem aliquam exiguam lucem in se habeat, est dubium. Aliqui affirmant, eò quia in Eclypsi Luna non totaliter obscuratur, sed adhuc aliquem ruborem in se retinet, & quando est cornuta pars à Sole non illuminata, albicans apparet. Alij verò oppositum defendunt, nam si ab intrinseco lucida esset, maiorem lucem in se contineret, & secundum omnes partes æqualem. Tum quia esset aliquo modo diaphana, & lumini peruia, & ità non posset Eclypsim solarem causare; & ad experientiam allatã respondent multipliciter, & præsertim Galileus, quòd illa lux in Luna oritur per reflexionem luminis terræ à Sole illuminatæ. Sed melius Licetus, Tannerus, Auersa, & Alij, quòd illud lumen est quoddam lumen secundariũ proueniens à partibus Cœli propinquioribus à Sole illuminatis, & à stellis proximis, quòd indè colligitur, quia Luna magis illuminata apparet in extremitatibus, quàm in medio, quatenus partibus illis Cęlestibus propinquius existunt. Tùm quia radij solares per reflexionem à terra secundam aeris regionem non transcendunt.

De Astris communis sent. est, & quòd à Sole illuminentur, & quòd propriam lucem habeãt, maiorem quàm Lunæ. Prima pars patet experien-

perientia Astronomorum, qui obseruant superiores Planetas magis lucidos apparere, dum Sol est illis propinquior, quàm dum est remotior, & tubo optico copertum est Venerem, & Mercurium variari, & corna habere ad modum Lunæ. Secunda pars suadetur ex eo, quia omnia alia astra sunt diaphana, ergo si lucida non essent, non viderentur, vel saltem non ita lucida apparerēt, sicut nec Cœli quia diaphani sunt cernuntur.

De Scintillatione, quia est effectus lucis meritò dubitatur, Cur quædam astra scintillent, quædam verò minimè, & cur vnū plus alio. Antiquiores ponebāt differentiam inter Stellas fixas, & planetas, quia Stellæ fixæ scintillant, seu tremulæ apparent, Planetæ verò minimè. Sed quia à Recentioribus Astrologis compertū est Mercurium Scintillare, & Solem ad instar feruentis metalli ebullire, & totum commoueri, & Simeon Marius in præfat. Mundi Iouialis fatetur se comperisse omnes Planetas præter Lunam rutilare; qui tremor nō est in omnibus æqualis, hinc conati sunt Philosophi causam huiusmodi effectus inuestigare.

Arist. 2. Cœli tex. 48. asserit, stellas non propriè scintillare, sed ità nobis vid ri propter imbecillitatē visus; & distantiam specierum fixarum, nam species visibiles obiecti, quò longius protrahuntur, eò magis elanguescunt, vnde potentiam iuuare nequeunt, vt faciliter visionem perfectam eliciant, ideoque requiritur maior conatus potentiæ, ad quam exigitur maior copia spirituum vitalium, qui cùm mobiles sint, efficiunt, vt species in visu receptæ moueantur, & obiectum mobile repræsentent, sicut existenti in naui, terra moueri apparet ex eo, quia species mobiliter in potentia recipiuntur; & quia Planetæ sunt propè nos, hæc debilitas specierum non adest, & consequēter non scintillant, sicut Stellæ, quę ratio est Peripat. & sequuntur Conimb. Amic. & Alij.

Illi verò, qui Cœlum fluidum faciunt, aliam causam extrinsecā assignant, s. Vel motum Cœlestem Syderum continuè agitatum; Vel sublunarem motum ex continua agitatione ventorum, & vaporum transmutatione, vndè etiam sequitur species necessariò moueri, sicut patet in aquis, quæ dum mouentur transmittunt species rerum etiam tremulas.

Alij tandem hoc tribuūt rapidissimo Cœlorum motui, Vndè sequitur, vt species fractæ, & tremulæ proijciantur.

Bell. & Mastr. disp. 2. de Cœlo q. 5. has tres rationes satis rationabiliter impugnant, nulla .n. est sufficiens. Non prima, quia Mercurius minus distat, quàm Saturnus, & tamen magis rutilat. Tum quia Stellæ æquè distantes diuersimodè scintillant, ergo ratio Peripatetica assignata non non satisfacit. Neque Secunda, & Tertia, quia

assignāt rationes quasdam vniuersales, quæ æqualiter de omnibus astris concludunt; nec ostendunt, cur quædam magis, quædam minus, quædam minimè scintillant; & præsertim contra Tertiam est, quia citius mouetur Saturnus, quàm Mercurius, ergo magis scintillare deberet, quod tamē non experitur.

Aquilonius lib. 5. Proposit. 81. aliam assignat causam scil. Stellas ideo scintillare, quia circulariter circa proprium centrum mouentur, & quoniam non æquali motu circumaguntur, ideo vna magis altera scintillare videtur, Luna verò quia tardissimo motu in seipsa mouetur .s. in eodem tempore cum motu sui epicycli, ideò non videtur rutilans & hanc opinionem Mastr. & Bell. tamquam probabiliorem sequuntur. Auersa quia putat Stellas diaphaneitatem cum opacitate ad mixtam retinere, & in partibus interioribus lucidas esse, ac proinde non tam expeditè se vi sui offerentes; Lunam verò perfectè opacam, & tantùm in externa superficie illuminatam, indè concludit, Stellas rutilationem causare, & vnam alia maiorē diaphaneitatē, Lunam verò nullatenus tremere, quem modum dicendi etiam Bell. & Mastr. approbant.

De Eclypsi dicimus, quòd licèt omnia Sydera possint eclypsari, si inter ipsa, & nos aliquis Planeta interponatur; tamen quia tales Eclypses non sunt sensibiles oscurationes, idcircò communiter solùm mentio fit de Eclypsi Solis, & Lunæ, quæ contingit in medio circuli Zodiaci in linea Eclyptica, quæ sic dicitur, quia in ea fit Eclypsis Solis, & Lunæ. Eclypsis Lunæ sic definitur: *est priuatio luminis solaris in Luna, propter interpositionem terræ inter Solem, & Lunam*; & contingit qñ Sol dum directè mouetur sub Eclyptica in capite, vel cauda Draconis, incidit in vmbram terræ, quę est corpus nigrum, & opacum, quā lux Solis non potest peruadere, & consequenter nec Lunam sibi diametraliter oppositam potest illuminare.

Eclypsis Solis, *est priuatio luminis Solis in terra propter interpositionem Lunæ inter nos, & Solem*; ad quam Eclypsim duo requiruntur, quòd .s. Luna sit cum Sole coniuncta, vt in nouilunio; & quòd simul sint in capite, vel cauda Draconis, aut propè, aliter vmbra Lunæ non proijceretur diametraliter ad terram, sed lateraliter; & potest magis, vel minus durare, & maior, vel minor pars Solis nobis oscurari secūdum maiorem, vel minorem propinquitatem Lunæ ad illa puncta Eclypticæ, & ad Solem; & quia nō in quolibet nouilunio Luna est in capite, vel cauda Draconis; hinc non semper in nouilunio fit Eclypsis solaris. Nec mirum esse debet, quòd Luna licèt minor obscuret Solem maioris molis, nam etiam vna manus oculis proprius ad mota montem maximum obtegit, sic Luna licèt sit parua, & vicina Solem maximum

ximum occultat. Est tamen differentia inter duas istas Eclypses, q Eclypsis Lunæ est vniuersalis in tota terra, & æquali tempore durat apud omnes, & ratio est, quia hæc Eclypsis est quædam luminis corruptio, quæ non corrumpitur comparatiuè respectu huius, & illius partis Orbis, sed destruitur absolutè, & ità apud omnes, & in toto tẽpore dicitur luce priuata. Eclypsis verò Solis non est vera priuatio luminis in Sole, sed tantùm radiorum in terra existentium, vndè priùs vni parti, quàm alteri contingere potest, & diutius durare quibusdam partibus, quàm alijs, nec est vniuersalis in vniuersa terra, quia hæc ex nostro aspectu pendet, ideoque ad varietatem aspectus, Eclypsis Solis variatur; Hinc quia in Passione Domini Eclypsis Solis in vniuersa terra, & in plenilunio contingit, miraculosa censetur.

Ex hac doctrina colligunt Astrologi, quòd Eclypses magnæ Solis, & Lunæ mirabiles, & magnos solẽt parere effectus cùm multiplicãtur, ennis. n. sequẽtibus necessariò succedet sterilitas, & alia incommoda, & ratio est, quia nimis terra refrigeratur, & exiccatur, circa verò alios effectus particulares attendenda sunt astra, quæ sunt Domini Eclypsium.

Dices, magis occultantur Sol, & Luna in nocte, quàm in Eclypsi, sed in nocte non causant tot magnos effectus, & mirabiles, ergo neque Eclypses. ℞. neg. consequ. & ratio est, quià occultatio luminarium in nocte, est ordinaria, sic ordinata à Deo, vt diei succedat nox, ne calor omnia consumeret; at Occultatio luminariũ in Eclypsi est extraordinaria, & præter ordinatum cursum, ideoque est nociua, & effectuum extraordinariorum præsagium.

DVBIVM XXII.

De quibusdam alijs accidentibus Cœlorum, & an specie à sublunaribus differant.

SVpponitur primò tamquã certum apud omnes, non reperiri in Cœlo primas qualitates formaliter .s. calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, istæ namque sunt propriæ qualitates Elementorum, vel ex his constantiũ, & propter contrarietatem ad generationem, & corruptionem maximè disponentium, Cœli verò naturaliter incorruptibiles sunt ex dictis; & licèt qualitates istæ in his inferioribus ab astris producantur, nõ tamen actione vniuoca, sed æquiuoca, quæ in Astris continentiam virtualem tantùm inferunt, non formalem. Ex quo etiam sequitur nec dari in Cœlis qualitates secundas prouenientes a mixtione primarum qualitatum, vt sunt sapores, odores, colores, &c.

Et licèt astra appareant aliqualiter colorata, vt Saturnus plumbeus, Iouis flauus, Mars rubeus, Sol aureus, Venus etiam flaua, Mercurius similis argẽto viuo, Lu-

na argentea, & Cœlum totum cæruleum, hi tamen non sunt veri colores, vt Platonici putarunt, sed apparentes. Differentia inter colorem verum, & apparentem est, quòd verus color est extremitas perspicui in corpore, seu opaco terminato, & ex mixtione primarum qualitatum insurgens; apparens verò est qualitas per se immutatiua visus, hinc lux, & lumen ex 2. de anim. 69. dicuntur colores, & consurgit ex concursu radiorum solarium cum opaco, vnde ad diuersitatem opaci, diuersi apparent colores.

In Proposito, quia color cæruleus est propter mixtionem lucis cum opaco, non erit versus color in Cœlo existens, cùm sit diaphanum, sed apparens, & in aere, sicut color in aqua, in iride, & in collo columbæ; sic etiã diuersitas colorũ in Stellis ex varia dispositione diaphaneitatis, & opacitatis ipsorum prouenit. Neque in Cœlis leuitas, & grauitas admittenda est, nam hæc sunt principia motus sursum, & deorsum, qui Cœlis non competunt, cum vnus motus simplex vni corpori simplici conueniat, & hujusmodi qualitates datæ sint sublunaribus, vt ad propria loca tendere possint, Cęlum verò à propria sede extrahi nequit.

Supponendum est 2. ex Arist. 2. Cœli 52. quòd ex motibus Cœlorum, nullus sonus causatur, vt Pythagorici somniabant, qui sic Cœlestem armoniam componebant .s. sonus acutus deriuatur à Cęlo Stellato propter maximam illius Cœli velocitatem, grauis à Luna propter ipsius tarditatem, medij verò ab alijs Cœlis inter medijs. Pura imaginatio, nullus .n. Cœlorum sonus auditur à nobis. Nec suffragatur dicere non audiri propter assuetudinem, vel propter distantiam, vel quia sit alterius rationis; si .n. non auditur, quomodo affirmant, quòd ex Cœlis causatur sonus? etiam talis sonus interrumperetur ex somno, aut aurium obturatione per aliquod tempus, si postea quis auditum recuperaret. Tum quia assuefactio faceret, vt alij soni minores à nobis non perciperentur, vt in alijs sensibus contingit, in quibus vehemens sensibile impedit alias sensationes, vt patet de Sole respectu aliorũ visibilium, & sic de alijs sensibilibus; Neque distantia obstaret, nã experimur parua corpora etiã in magna distãtia sonos efficere, & audiri, ergo tãto magis Cęlos, qui tam ingentis magnitudinis sunt, vt tota terra eorum comparatione ad instar puncti se habeat. Nec sufficit recursus ad sonum alterius rationis; Vel .n. hoc accidens esset eiusdem rationis cũ sublunaribus, sicut alia accidentia Cœlestia in sent. nostra, & sic suppositum esset falsum; Vel esset diuersæ rationis, vt aliqui ponunt accidentia Cœlorum, & neque intentum haberent, nam in hac sent. etiã lux Cœli est qualitas conueniens substantiæ alterius rationis ab ele-

men-

mentis, & tamen videtur à potentia sensitiua per medium sublunare. Tùm quia sic esset voluntariè philosophari, & quædam potius ficta diuinatio, quàm ratiocinatio. Tum tandem, quia sonus fit ex collisione duorum, inter quæ intercipitur aer, vel aliquod aliud corpus subtile, quod frãgatur, sed in Cœlis non adest tale corpus subtile medium, ergo non potest talis sonus causari. Nec obstat authoritas illa Iob. 38. *Concentum Cœli quis dormire facit?* nam vt ibi exponit Diu. Hier. non fit sermo de sono corporali, sed de ordinatissima Cęlorum, & rerum dispositione, quæ concẽtus dici potest, quatenus ad laudãdum Deum nos excitat, iuxta illud psal. *Laudate Dominum de Cœlis, &c.*

Neque reperitur in Cęlis tangibilitas qualitas, nam hæc vel est prima qualitas, vel à primis dependens, vt Scot. docet in 4. d. 49. q. 13. ad 1. Princ. vbi vult, quòd si quis superius ascendendo, Cœlum pertingeret, verè impediretur à Cœlo, ne vltra ascenderet, nam experiretur se non posse vlterius progredi propter resistentiam alicuius corporis; non tamen adesset verus tactus, nec cognosceret Cœlum esse calidum, vel frigidum, durum, vel molle &c. quòd si aliquis diceret, solam quantitatem ad tactum sufficere, esset ad libitum, & voluntariè discurrere.

Visis igitur, quæ à Cœlis remouentur, videndum remanet, quæ accidentia illis conueniunt. Et quidem in Cęlis reperiri Quantitatem certum, & euidens est. Deinde omnis res quanta, est etiam figurata, ità vt figura quantitatis passio ponatur, & consequenter Cœli habẽt figuram, non trilateram, vel quatrilateram, aut multilateram, sed rotundam, non ouali, vel lenticulari, sed perfectè sphæricam, & hoc rationabiliter, si .n. essent rudes, & quasi per quosdam angulos inter se concatenati, sequeretur vel ipsarum penetratio, & scissura, vel vacuum in Cœlis. Tum quia figura sphęrica magis conducit ad motum circularem, & ad influendum, quæ sunt munera Cœlorum &c. Idẽ dicendum erit de astris propter eãdem rationem.

Ad quantitatem sequitur etiam raritas, & dẽsitas, opacitas, & diaphaneitas. in Cœlis reperitur densitas, sed non raritas, vt supra dictum est, reperitur etiam diaphaneitas perfecta, cùm nullo modo visionem astrorum impediant. De Stellis est aliquod dubiũ, & maximè de Luna, quæ diaphana esse nõ potest, aliter non cõtegeret Solem in Eclypsi, experimur enim quòd quælibet parua nubes solares radios occultat. Alia astra non sunt perfectè opaca, vt solùm in extrema superficie lucida sint, nã etiã in profunditate lucida apparẽt, qua ratione etiam partes interiores nostro visui obijciuntur, ex quo prouenire diximus scintillationem, & hanc opinionem sequuntur Mastr. & Bellut.

Quantum ad alium punctum de distinctione specifica, vel identitate accidentium communium Cœlorum cum sublunaribus, vt sunt quantitas, lux, densitas, Opacitas, & diaphaneitas, licèt quamplures Thomist. non esse eiusdē speciei affirment, Scot. tamen in 2. d. 15. q. 1. A. omnia esse eiusdem speciei sustinet, quem sequuntur Soncin. 8. meth. qu. 13. Herueus, & Torrens totus Recētiorum, Pr. opinio Scoti, non .n. sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla apparet necessitas huiusmodi specificæ distinctionis, ergo &c. Tum quia idem effectus formalis reperitur in quantitate Cœlesti, & sublunari quomodocumq; ponatur, siue effectus formalis sit quantitatis partes extendere in ordine ad se, siue in ordine ad locum impenetrabiliter, siuè sit diuisibilitas, siuè ratio mensuræ, eodem modo hic, & ibi reperiuntur; Similiter quælibet lux habet illuminare; Quælibet densitas habet reddere corpus valdè in se vnitum secundum partes; Quælibet opacitas reddere corpus imperuiū lumini; Diaphaneitas tandem corpus perspicuum, & transparēs reddere, estò secundum magis, & minus, quæ speciem non variant.

Ob. Quantitas sublunaris est cōtrariorum susceptiua, est diuisibilis in partes, est corruptibilis; Cœlestis verò oppositas habet conditiones. Neque dicas Cœlestē quantitatem ità se habere nō ex propria ratione, sed ex substantia, cui inhæret; nam hæc munera quantitati conueniunt ex propria natura independentes à substantia. Tum quia potentia hæc quantitatis in Cœlis esset frustratoria, nec ità perpetuò duraret, nullum .n. per accid. est Æternum.

Rt. vt ibi, & licèt quantitas sit subiectum accidentium, dependenter tamen à substantia, quæ est subiectum vltimatum, nam omne munus, quod exercet, vltimatò à substantia recognoscit, & per consequens poterit à substantia impediri, ne .s. diuidatur, corrumpatur, & contraria recipiat, si hæc substātiæ repugnent, quæ tamen muniā non inferunt in accidentibus differentiam specificam, cùm sit respectu subiectorum, aliter albedo in niue, in facie, in Cygno differrent specie, quod est falsum. Ad Aliud, negatur sequela, sufficit .n. vt non dicatur frustra vt in aliqua portione quantitas actuetur .s. sublunaribus; & licèt per accidens ex sua ratione non posset esse æternum, ab extrinseco tamen, & ratione tertij perpetuari posset, vt in adamanti experimur.

Hinc ait Ruu. quòd si de essentia quantitatis vt sic, est recipere contrarias qualitates, potest quantitas Cœlestis esse de se receptiua qualitatum contrariorum, sed per accid. impeditur, ne ipsas recipiat, quia .s. in tali substantia Cœli reperitur; vndè si diuinitus separaretur à Cœli substantia, posset ab igne altetari, & contraria accidentia recipere

pere, & diuidi, sicut in facto accidit in quantitate separata à substantia in Sacramento Eucharist. quæ doctrina applicari potest de alijs accidentibus; Nec Diuersitas causatum efficietiũ semper infert distinctionem specificam, vt patet de calore producto à Sole, & ab igne.

DVBIVM XXIII.

An Cœlestia corpora influant in sublunaribus.

PIcus Mirandula lib. contra Astrologos, Georgius Agricola, Torreblanca, Pererius, Medina, quibus etiam videtur fauere D. Damascenus lib. Ortodoxę fidei cap. 6. affirmant, Cœlos non habere in hæc inferiora nisi communem influentiam motus, & luminis; vnde diuersitatem effectuum sub orbe lunæ venientium in causas tãtum proximas reducunt, non in aliquas syderum constillationes. At communis sent. tàm Theolog. quàm Philosophorum est, *quod Cœlestia corpora in hæc inferiora agant.* ita D. Tho. 1. p. q. 115. art. 3. Scot. in 2. d. 14. q. 3. & alij. & hoc non tantùm, vt causæ vniuersales concurrendo cum causis sublunaribus à quibus multi effectus non producerentur, nisi cœlestis virtus accederet; sed etiam agunt aliquando vt causæ speciales, & totales, plurimi namque effectus non nisi à cœlestibus corporibus prouenire possunt. Et de Planetis quidem euidẽtissimum est, nam experimur multos, & varios effectus ab ipsis generari; sic etiam de astris fixis, Canis n. causat calorem, Arturus frigus, Orion pluuiam, Articus polus influit in magnetem, & sic de alijs. Cõmunis igitur sententia est, quòd astra in hæc inferiora influant.

De Cœlis autem est dubium; Vndè Scot. loc. cit. loquens de influentijs Cœlorum, solùm de stellis mentionem facit. Ratio est, quia cùm omnes Cœli primo mobili inferiores sint homogenij, si aliquam influentiam haberent, iam per omnes mundi partes æqualiter influerent, eosdemq; effectus causarent, quod falsum apparet. At de primo mobili, quia aliud Zodiacum continet ab illo, quod in Cœlo stellato existit, secundum tales partes heterogeneas satis probabile est, vt influat in sublunaria, nam Sol diuersos effectus producit quando est in signo Tauri, ac quando est sub signo Leonis, & sic de alijs, vt Astrologi obseruant, quibus in hac materia adhibenda est fides.

Ob. 1. auth. D. Damasc. loc. cit. vbi negat Cœlestia corpora esse causas generationis, & corruptionis rerum, sed hoc ad sublunaria pertinere ℞. Sanctum Doct. non negare Cœlos in sublunaria influere, sed negare Cœlos esse primam causam, & à Deo independentem, vt concedebant illi, contra quos disputabat.

Ob. Agens, & passum debent cõmunicare in eadem materia ex 1. de gen. 87. sed Cœlum non habet materiam eiusdem rationis cũ sublunaribus, ergo non agit in sublunaria,

naria. Item debent esse simul 7. phys. 8. omne agens assimilat sibi passum 1. de gen. 52. in agendo repatitur ibidem 43. quæ omnia Cœlis conuenire non possunt respectu sublunarium, ergo, &c.

℟. ad 1. maiorem esse absolutè falsam de omni agente, nam Deus, & Angeli operantur in corpore, & tamen materia carent, quare authoritas intelligi debet de agente, & passo corporeo sublunari. Minor est etiam falsa secundum veritatẽ, vt diximus supra.

Ad 2. Simultas agentis, & passi non necessariò debet esse localis, sed sufficit virtualis, vt nempè simul sint per contactum virtutis, de quo satis diximus in phys. an Agẽs possit agere in distans, &c. Ad 3. Agens vniuocum sibi assimilat passum formaliter, æquiuocum verò virtualiter tantùm, quatenus in passo formam illam producit, quã virtualiter effectiuè in se continet; Astra sunt causæ æquiuocæ, & hoc modo sibi inferiora assimilant. Ad 4. Tunc euenit in agente repassio, quando per actiuas, & contrarias qualitates agit, vt sunt calor, frigus, &c. & de hoc loquebatur Aris. non de quocumq; vniuersaliter.

Ob. ex hac sent. seq. nullum effectum contingenter euenire, nam propter maximam actiuitatem ipsorum Astrorũ, omnes causæ sublunares ab ipsis raperentur, & ità necessariò causarent.

Rt. Scot. in 2. cit. quòd circumscripto omni libero arbitrio Diuino, Angelico, & humano, tales causæ necessariò, & naturaliter causarent; at propter libertatem iam relatorum, causæ illæ modificantur, ideòque nulla est conseq. Tum quia vna causa Cœlestis potest per aliam impediri, & vnum astrum per aliud, quia varia astra, varias habent, & oppositas virtutes; Nec inferiorum materia semper disposita inueniri potest ad talem certum effectum producendũ, quarum concursus est etiam necessarius, idcirco non semper sequitur effectus, ac propterea contingenter operantur.

Ob. In his inferioribus inueniũtur agentia, & materia, quæ satis sunt ad effectus producendos, ergo non sunt Cœli, qui hujusmodi effectus causant. ℟. neg. antecedens, nam præter hæc requiritur adhuc aliquod principium actiuum mobile, quòd per suam præsentiam, & abundantiam causet varietatem circa generationes, & corruptiones rerum; hinc aiunt Astrol. quòd Planetæ non solùm varios effectus causant propter variationem accessus, aspectus, & situs ad stellas fixas, sed etiam per variam coniũctionem cum signis Zodiaci, &c.

Ob. Cum Pico Mir. Causa vniuersalis non distinguit effectus, sed solùm causæ proximæ, siuè specificæ, siuè singulares, sed Cœlum est causa vniuersalis, ergo non est causa diuersitatis in his inferioribus.

℟. neg. ma. causa .n. vniuersalis benè potest distinguere effectus in suo

suo genere, medijs causis secundis, cum quibus coniungitur ad operandum, sicut patet de igne, qui applicatus ab arte, varios, & mirabiles effectus producit. Vnde D. Tho. opus. 28. art. 4. docet, ob variam dispositionem, complexionẽ fœminarum, & climatum se vidisse fæminam, quæ peperit vndecimo mense; & Aris. aliam, quæ duodecimo mense peperit. Sic dicendũ erit de stellis recipientibus lumen Solis vniuersale, determinari per virtutes particulares stellarum, & in multiplices effectus prosilire, & cum multis particularibus causis, vario modo dispositis diuersimodè operari.

Ob. Experimur plures Natos simul eodem momento ex diuersis parentibus intra eamdem regionẽ, & tamen fortuna, ingenio, & corporeis satis diuersos, ergo illorum diuersitas non à Syderum positione petenda est, quæ est vnica, sed potius à particularibus causis, quæ diuersæ sunt. ℞. negando conseq. nam Cœlum agit media causa secunda ad effectum illi proportionatum, ideoque varijs causis ad varios effectus vtitur, sicut à pari Artifex diuersis instrumentis ad artificiata vtitur, nec tamen sequitur diuersitatem effectum ab Artifice non pendere. Agunt igitur Astra in sublunari, sed remotè, & attemperatæ iuxta diuersam dispositionem materiæ, & particularis agentis, ac propterea contigenter, ita vt in vno non producatur idem effectus propter aliquod impedimentum, siue constellationis, siue agentis sublunaris; in alio verò quia nullum est impedimentum, producitur effectus, quem nata est agere stellata positio.

DVBIVM XXIV.

De Cœlo Empyreo an in sublunaribus influat.

D. Thom. 1. p. q. 66. Artic. 3. ad 2. Ægid. Suar. Conimb. Amic. Mayr. Dur. Argent. & Alij respondent affirmatiuè. Aliqui verò, quos sequuntur Mastr. & Bell. negant. Supponendum est, quòd de existentia Empyrei non datur aliqua naturalis ratio hoc ostendens, sed solùm adest communis consensus PP. & Catholicorum ex Sacra Script. deductus, nam illud Cœlũ, ad quod perueniebat illud Chaos, censetur communiter fuisse Cœlum Empyreũ. & Doct. amplectitur in 2. d. 14. q. 3. & cõstat ex tribus partibus, duabus extremis solidis, & vna media, sed liquida ad modum auræ cuiusdam Cœlestis, vt Lessius affirmat de sum. bono lib. 3. c. 8. Pars infima est solida, in qua Beati residẽt, quæ etiam analogicè terra viuẽtium appellari solet; Suprema etiam solida, mediam fluidam coercens; & hoc quia in Cœlo debet esse sonus, & cantus, vt neque mẽs, neque lingua in Sanctis à Diuina laude vacent, ad quem necessarius est alicuius corporis refractio. Suar. loc. cit. cap. 8. affirmat Beatos habituros pulmonem, stoma-

macum, & hypocondriam plenam aere, & quem cùm volent loqui, & canere, sursum attrahant, atque palato allidant, ità tamen vt nihil foras amittant, sed per corporis poros, & dimensionum penetrationem, assiduo quodam circulo ad priores cauitates redire faciunt; qui modus dicendi licèt nō sit spernendus, facilius tamen, & credibilius videtur, ponere illam mediam partem fluidam, in quo sensu exponi potest illud psal. *& aquæ omnes, quæ super Cælos sunt.* Quò ad fluxibilitatem, & hoc Cœlum ponitur totum immensa luce respersum, & secundum Aliquos illuminat conuexam superficiem primi mobilis; Aliqui verò hoc probabilius negant, quia concauam superficiem habet opacam, & hac ratione à nobis non videtur.

In illa igitur fælicissima mansione, omnes Beatorum sensus recreabuntur, sicut è contra omnes sensus damnatorum in Inferno cruciabūtur. Oculi visu, & intuitu Beatorū, & præsertim Domini Iesu, ac Beatissimæ eius parentis. Aures suauissimo, ac dulcissimo sono, & musicali concentu. Nares suam capient voluptatem in suauitatem odoris, quem corpora Beatorum, & fortè etiam ipse locus diffundunt, iuxta Illud: *Florebunt Iusti sicut lilium, & sicut odor balsami ante Dominum.* Gustus delectationem suam habebit in in suauissimo quodam liquore semper in ore permanente, sicut Manna in ore Hæbreorum suauitatem quamdam omnium saporum redolebat. De tactu est aliqua altercatio, sed saltem negari non potest, quin illis iucūdissima delectatio de osculis mutuum Christi, ac Sanctissimæ Virg. resultet. Ex quibus omnibus sufficienter apparet finis, propter quem à Deo conditum fuerit, vt .s. esset sedes, & domicilium Beatorum, & nihil commune habere videtur cum his inferioribus sed totaliter ad aliam vitam, & statum pertinens.

Tum quia non potest assignari quid Empyreum influat in hæc inferiora, ergo voluntaria est positio opposita affirmatiua. Rñt. Aliqui cum Durand. Suar. & Lancellotto, Empyreum influere lumen, & mediante lumine aliquem affectum præstantissimum, quem nescimus; nec mirum, quia multi effectus in his inferioribus proueniunt à corporibus Cœlestibus, & tamen cui Cœlo sunt ascribendi ignoramus. Non valet, si .n. nescitis hunc effectum præstantissimum, quem producit, quomodo fatemini in hæc inferiora tale Cœlum influere? hoc est quoddam genus diuinationis, non probationis. *Nos fatemur Sydera influere in hæc inferiora*, & probamus ab effectu, & Astrolog. quibus in hac facultate adhibenda est fides, assignāt à quo Sydere prouenit talis, vel talis effectus.

Ob. Locatum conseruatur à loco sibi superiore, à quo cōtinetur, sed primum mobile continetur ab Empyreo, ergo ab eo conseruatur, & con-

& consequenter verum habet influxum conseruatiuum circa primum mobile. Non valet, nam de ratione continentis, nō est conseruare, sed sufficit vt contentum ambiat; sic ignis continet aerem, & tamen nihil influit in aerem. Tum etiam quia primum mobile est incorruptibile, ideoque non indiget conseruante, nisi Deo, à quo conditum est.

Ob. Vnitas Vniuersi est vnitas ordinis, seu influentiæ superiorum in inferiora, sed Empyreum spectat ad vnitatem vniuersi, ergo etiam ad influendum in sublunaribus. ℞. quòd vnitas ordinis inter partes vniuersi saluatur per ordinem corporum simplicium quò ad situm tantùm sine influxu, quam vnitatē Empyreum retinet, quia iam supereminet omnib⁹ vniuersi partibus, quas intra se continet. Neq; Empyreum est propriè pars vniuersi, quia non inseruit alicui rei naturali, sed supernaturali, nempè beatitudini.

Ob. Si Empyrium in sibi inferiora nō influeret, daretur in Vniuerso substantia perfectissima otiosa in operando, sed hoc est absurdum, cùm vnumquodq; sit suæ operationis gratia ex 2. Cœli tex. 17. ergo, &c. ℞. neg. sequelam, sicut .n. materia prima licèt nullam habet operationem, non inde otiosa dici debet in rerum natura, cùm diuersas formas successiuè recipiat, ita neq; Empireum quamuis omnis actio ab eo remoueatur, sed satis est deseruire ad continendum intra se corpora Beatorum, & domicilium esse Beatorum Spirituum, & Machinam hanc vniuersi terminare.

Ob. Multi effectus sēper fiunt, & vniformiter in diuersis terræ partibus, qui non nisi ad aliquam causam immobilem referri debent, quæ est Empyreum. Pr. anteced. experimur .n. homines vnius regionis semper easdem inclinationes habere; In Vngaria, & Tartaria equi generantur ad cursum perniciosissimi; In Mauritania innumeræ gignuntur Simiæ, & idem de arboribus, & metallis videmus, quæ vniformis diuersitas non debet totaliter ascribi terræ variè dispositę, sed etiam Cœlo, à quo dispositiones illæ proueniunt, nec alicui Cœlo mobili, aliter quæ in vna regione fiunt, deberent etiam in omni alia sub eodem parallello existente fieri, quia per motum pars Cœli pertransit omnes illas regiones, ergo debet alicui Cœlo immobili adscribi, quod non est nisi Empyreū. ℞. neg. antec. nam prout etiam Suar. concedit, potest pro causa assignari terra tanquam causa materialis, quæ propter varias dispositiones, & rerum semina ab initio illi insita, varios, & diuersos producit effectus, & quia illæ dispositiones semper remanēt, nec in omnibus regionibus reperiuntur, idcircò poterit produci peculiaris effectus in vna regione, & non in alia; Causa efficiens erit diuersitas astrorum, & coniunctionum ad in-

 uicem,

uicem, licèt, n. pars illa Cœli semper eodem modo se habeat respectu totius terræ, non tamen quamlibet illius terræ partem in eodem aspectu cum alijs stellis aspicit, sed in hac parte habet talem coniunctionem cum alijs stellis tam errãtibus, quàm fixis, in alia parte aliã coniunctionem, & aspectum; Vnde Astrologi dicunt, quòd Sydera tã fixa, quàm errãtia peculiari quoddam aspectu quasdam regiones aspiciunt, & dominantur; Si igitur causæ efficientes, & materiales variantur, mirum non est, quòd aliqui effectus gignantur in vna regione, & non in alia.

Ob. Empyreum est omnium Cœlorum perfectissimum, ergo non est ei denegãdus influxus, imò perfectior inter omnes Cœlos ei concedendus est. R. neg. conseq. nam vt sæpè dictum est, perfectio in substantia nõ semper arguit pefectiorem operationem, & patet in Angelis, qui licèt perfectissimi sint, nullam tamen possunt actionem substantialem elicere; Vnde sufficit, vt Beatis ad inhabitandum inseruiat, ne otiosum dicatur.

DVBIVM XXV.

De effectibus, qui ab Astris producuntur.

Omnes effectus ab Astris producibiles ad Quatuor genera reduci possunt; Primum est genus accidentium; Secundum corporum quorumdã inanimatorum, vt elementa, mixta &c. Tertium animatorum omnium anima tam vegetatiua, quam sensitiua; Quartum tandem animatorum anima rationali.

Quò ad Primum, Auerroes 2. Cœli, com. 42. cum Achill. Zim. Iandun. & alijs Auerroistis affirmarunt præter lumen, calorem, siccitatem, & motum localem nullum aliud accidens causare in his inferioribus, aut saltem non producere frigus, & humiditatem per se, sed solùm per accidens.

Communis tamen sententia est ad oppositum, quòd multa alia preter illa ab ipsis cõcessa, ab Astris causantur in istis inferioribus; & Scot. docet in 2. d. 14. qu. 3. A. & præsertim etiam frigus, & humiditatem, & patet ex illo Iob. 37. *Ab interioribus orietur tempestas, & ab Arturo frigus*. Pr. etiam experientia & euidentia Astrologor. qui obseruant dominante Saturno siuè per annum, siuè per mensem, in his inferioribus magnum frigus generari, similiter regnante Luna maximam humiditatem, hinc experitur, quòd dormiẽs expositus radijs Lunaribus efficitur paraliticus, & hoc quia membra nimis infrigidantur, & humectantur. Nec valet, Effugium, quòd hæc per accidens contingunt propter recessum, & absentiam Planetæ, sicut Nauta sua præsentia est causa conseruationis nauis, & sua absentia naufragij, vel quia hæc Sydera modicum habent calorem, ideò videntur refrigerare, & humectare. Non valet, quia tale frigus, vel humiditas non sentiun-

tiuntur in absentia Saturni, aut Lunæ, sed cùm præsentes sunt, & dominium in hæc inferiora habent, & expertum est ex concursu Saturni maximum frigus de nouo euenire, cũ antea dies maximè calidus fuerit, ex qua experientia impugnatur Secunda euasio, nam modicus ille calor Saturni, vel Lunæ potius augere debeat calorem, quàm mitigare calorem illius diei. Tũ quia deberent assignare causam per se illius frigoris; quod non faciunt. Tum quia non solùm calor, sed etiam frigus per se à natura intenditur, quia ambo sunt dispositiones necessariæ ad sublunarium generationem, vel simul, vt in mixtis, vel separatim, vt in elementis, ergo si calor per se efficitur ab astris, similiter, & frigus, & humiditas.

Dices, experimur ex absentia Solis in nocte statim frigus, & humiditatem causari, item dantur elementa ex se frigida, & humida, ergo non oportet alia agentia Cœlestia ponere per se frigoris, & humiditatis productiua. Hinc Arist. 25. sec. problem. 21. negat stellas frigidas esse, nam se habent, ait, vt cor, quod in membra solùm calorem influit. R. quòd etiam experimur ex præsentia quorumdam Astrorum generari frigus, ergo dari debet aliqua causa per se illius productiua, & cùm per se sit intentum à natura, non sufficit quòd per accidens generetur; ex hoc autem, quòd dantur elementa per se frigida, & humida, non sequitur superfluere causas Cœlestes per se productiuas frigoris, quia causa particularis non excludit vniuersalem, aliquando immediatè, aliquando mediatè concurrentem.

Quò ad Secundum genus, corpora inanimata alia sunt simplicia, vt elementa, alia mixta imperfecta, vt pluuiæ, nix, nubes &c. alia sunt mixta perfecta, vt lapides, gēmę, metalla, &c. respectu horũ omnium, astra duplicem habere possunt actionem, vnam alteratiuam, seu dispositiuam, alteram generatiuam; Primum conceditur ab omnibus; nam clarum est Sydera in omnia ista influere, primas qualitates producendo, de Secunda scil. generatiua est altercatio.

Contarenus q. de origin. form. negat formam aliquam substantialem à Cœlis produci, sed ait, omnem formam reperiri in seminario formarum, quod est essentia quædam spiritualis à Deo creata simul cum materia, quæ licèt in se indistincta sit, & indeterminata, in suo tamen gremio quamplures gradus essentiales continet, qui sunt formæ determinatæ rerũ, & ad dispositionē propriā materiæ vnus gradus exurgit, & fulget, vbi prius latens, & consopitus manebat, adueniente autem alia dispositione, prior gradus iterum abscōditur in seminario, & alter nouus egreditur, sicut in tragedijs, & repræsentationibus ad varietatem Scenarum mutantur interlocutores. Alij volunt produci ab Intelligētia. Ragusius

& Fernelius autumant omnem formam substantialem à Cœlis produci. Sonc. 12. meth. q. 13. concedit formas substantiales à Cœlis produci, non quidem principaliter, sed instrumentaliter, quatenus assistes Intelligentia vtitur Cœlis ad generationem rerum.

℞. his propositionibus. Prima: *Cœlum agit in productione substantiæ*, est communis contra Contar. Prob. Cœlum est causa vniuersalis, ergo debet concurrere simul cum causis particularibus eas mouendo, alterando, adiuuando, & diuersimodè modificando, hinc cũ leone, producit leonem, cum aquila, aquilam &c. Pr. 2. Quod ordinatur ad medium, ordinatur ad finem, sed Cœlum ordinatur ad medium generationis, .f. ad generationem accidentium, cum sit causa omnis alterationis ex 2. de Gener. ergo ordinatur etiam ad generationem substantiæ.

Secunda Propositio: *Cœlum generat elementa, non secundum se tota, sed secundum partes*. Ratio primi est, quia generatio specierũ spectat ad primam causam. Ratio secundi, vt docet Scot. loc. cit. est, quia accedente Sole, & Stellis calidis ad Zenith vnius regionis augentur elementa calida, .f. ignis, & aer; frigida verò .f. terra, & aqua minuuntur, è contra verò cùm Sol recedit, & accedunt Sydera frigida, & calida minuuntur, ergo elemẽta quò ad partes immediatè ab astris producuntur. Item si Æstiuo tempore exponatur Soli speculum cõcauum, & vbi fit reflexio radiorum fit esca præparata, statim ignis generatur, ergo tunc ignis immediatè à Cœlo generatur, licèt aliquando astra mediatè concurrant, vt cùm ignis ignem, & aqua aquã generet.

Dices, ex hac doctrina sequitur, quòd sphæra aquæ aliquando sit maior, aliquando minor, & sic daretur vacuum. ℞. neg. seq. nam species elementorum semper seruant eamdem quantitatem, quia dum in vna regione conuertitur multũ aquæ in aerem, in opposita diametraliter conuertitur aer in aquam, quia quantùm astra ascendunt ad nostrum Zenith, tantùm recedunt ab opposito, & ità non sequitur vacuum.

Tertia Propositio: *Mixta imperfecta totaliter à Cœlestibus corporibus causantur*. Pr. nam materia illorum sunt vapores, & exhalationes, qui virtute stellarum, & terræ concauitatibus, ad locum generationis eleuantur, quos Sol nunc in nubes condensat, modo dissoluit in pluuias, dealbat in niues, rotundat in gradines, dispergit in flumina, lacerat in tonitrua, colorat in Irides, euaporat in coruscationes &c. Idemque dicendum est de mixtis perfectis, nam hæc non producuntur vniuocè ab alijs similibus corporibus, nec ab alijs mixtis in quibus virtute contineantur, nec ab elementis, quia ista sunt imperfectiora mixtis, ergo remanet quòd à Cœ-

à Cœlestibus corporibus totaliter producantur, hæc tamen intelligẽdum est effectiuè, non materialiter, nam sic aqua, & terra vel saltẽ vapor, aer eius aliquo modo cõcurrit. Neque etiam hæc à Celestibus corporibus gignuntur, vt instrumenta sunt Intelligentiæ, vt Soncin. autumabat, vt causæ sunt principales, astra .n. sunt istis perfectiora, & sunt de genere actiuorum, cùm materiam ad recipiendam formam substantialem disponant, ideoque productiua virtus non erit eis deneganda. De seminario illo Contar. actum est in libris de generatione.

Dices, Virtutes ad excitandum fulgura, & tempestates non fuerũt inditæ astris ante Adę peccatum, quia iniuria esset tali homini, vt exponeretur tempestatibus, & fluminibus in tali statu; nec post peccatum, quia magna fuisset Cœlo illata mutatio, ergo nullo modo astra causæ sunt huiusmodi mixtorum. ℞. concedendo, quòd tales virtutes ante peccatum stellis inditæ fuerint, suos tamẽ effectus, Deo sic disponente, non produxissent, quos nunc causant Adamo peccãte, vel si produxissent, nullum nocumentum attulissent hominibus.

Quarta Propositio. *Cœlum, & astra generant principaliter metalla, non quò ad speciem, sed quò ad indiuidua.* Ratio primi est, quia vt dixi species horum mixtorum perfectorum fuerunt ab initio mũdi à Deo creatæ, sicut & species aliarum rerum; ergo &c. Ratio secundi probatur à Scoto, quia productio metallorum de nouo, & auctio eorum, non potest tribui terræ effectiuè, quia terra in omnibus partibus est eiusdem speciei, & sic in omnibus illis metalla producerentur, nec potest elementis tribui, quia metalla sunt ipsis elementis perfectiora, & nemo dat, quod non habet, ergo tribui debent constellationi, quæ alicui regioni dominatur, & idem dicendum est de gemmis, & lapidibus prætiosis.

Ob. Cœlum non continet inferiora corpora formaliter, quia est diuersæ speciei, & conditionis ab illis, nec eminenter; quia quod cõtinet aliud eminenter debet habere gradum essendi superioris, & diuersi ordinis ad contentum, vt patet de anima rationali respectu animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, quia spiritualis est, aliæ verò materiales, sed Cœlum habet gradum essendi eiusdem ordinis cum inferioribus, .s. corporeum; ergo non continet eminenter inferiora, & consequenter nec illa causat. ℞. quò ad continentiam virtualem non est necesse, vt continens, & contentum differant genere, sed sufficit, vt differant specie, seu ad summum genere proximo, & exemplum de anima est pro nobis, nam anima rationalis, sensitiua, & vegetatiua conueniunt in genere, & vniuscē eamdem definitionem participant, sed quia differũt specie, secundum illũ gradum specificum, in quo anima

rationalis est superior, & alias animas excedit, secundùm illam continet alias eminẽter,& virtualiter; sic in proposito de Cœlo, & sublunaribus dicẽdũ,licèt .n. conueniũt in eodem prædicamento generico corporeitatis, quia tamẽ differunt in gradu specifico, hoc sufficit, vt Cœlum virtualiter inferiora contineat; patet ex doctrina illorum,qui dicunt lucem cõtinere virtualiter, & effectiuè calorem, & tamen in eodem prædicamento qualitatis reperiuntur, ideo nihil contra nos.

Ob. facilior est generatio sui similis, quàm dissimilis, sed Cœlum nõ potest producere aliud Cœlum, nec Sydus aliud Sydus, ergo tanto minus elementa, metalla &c. R. 1. maiorem esse veràm in rebus non constantibus tota sua perfectione, vt sũt res corporales animatæ,quæ ob sui conseruationem idigẽt propagatione, & generare sibi simile in specie; non autem in rebus constantibus tota sua perfectione, vt sunt Angeli, & Cœli, qui propter eorum incorruptibilitatem propagari non indigent. Remanet agendum de 3, & 4. genere producibilium, sed quia, exactionem petunt discussionem, idcirco de ipsis duo dubia particularia instituimus.

DVBIVM XXVI.

An Astra influant in animam vegetatiuam, & sensitiuam.

DVplicitèr potest dubium agitari, cùm .n. in quolibet viuente reperiatur anima, & forma corporeitatis in sent. nostrã, potest quæstio de vtraque excitari, an .s. possint astra omnem animam vegetatiuam, & sensitiuam producere, an saltem omnem formam corporeitatis, tàm plantarum,quã brutornm. Supponimus communiter, quòd animata alia sunt perfecta, alia imperfecta; Perfecta dicuntur illa, quæ non nisi virtute seminis gigni petunt; Imperfecta verò, quia ex putrida materia generantur, licèt etiam aliqua ex his vi seminis producantur; Sic plantæ quædam gignuntur ex putri, & semine; Quædam solùm ex semine. Idem in animalibus experimur, nã apes solùm ex putri generantur, mures verò, ex putri, & semine; leones, equi &c. solùm ex semine; & perfectio hæc, & imperfectio nõ attendi debet penes gradus essentiales, quodlibet .n. brutum ex putri genitum perfectius est qualibet planta in gradu essentiali, sed attenditur in ordine ad modos generationis.

Quod spectat ad animã, illi qui posuerunt Cœlos perfectiores rebus animatis, debent concedere etiam posse illas producere, licèt plures ex istis suam restringãt sent. ad viuentia imperfecta, & negant perfecta à Cœlis produci posse, qui verò affirmant Cœlos imperfectiores esse, concedunt etiam nullum viuens posse ab astris principaliter causari, sed tantùm instrumentaliter, & in virtute Intelligentiæ motricis, vel inferioris ordinis, vt

Thom.

Thom. Auic. Alphar cum Alijs. apud Conimb. 2. Cœli c. 3. qu. 6. vel Intelligentiæ Primæ, vt communius alij. M. Iacob. Brun. q. 8. de Cœlo art. 4. proposit. 3. vtrũq; vt probabile amplectitur ex Diu. Thom. 1. p. qu. 70. art. 3. ad 3. & 3. contra Gent. cap. 103.

Quò ad formam corporeitatis, Auicen. & sequi videtur Albert. 8. phys. putat Cœlos posse formam corporeitatis inducere in materia, tàm imperfectorum viuentium, quàm perfectorũ, etiam hominis, ità quòd in sent. istorum fæmina non videtur simpliciter necessaria ad formationem corporis, sed tantùm ad bene esse, quatenus rarò in elementis inuenitur locus aptus ad generationem viuẽtium perfectorum ob continuã variationẽ, ideoque natura prouidit de certo, & determinato loco, q est matrix fæminæ; Cõmunis tamen sent. hoc solũ de viuentibus imperfectis cõcedit.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, nullo pacto astra attingere productionem cuiuscumque animæ, siue vegetatiuæ, siue sensitiuæ, tàm perfectorum, quàm imperfectorum, nec principaliter, nec instrumentaliter, sed quando assignari non potest viuens aliquod pro causa, vt in viuiparis, immediatè produci à Deo, vt Authore naturæ. est ad mentem Scoti in 2. d. 8. qu. vn. & d. 14. q. 3. & sequuntur in terminis Mastr. & Bell. & Pr. quò ad oẽs partes: Quòd Sydera principaliter nullam animam producunt, patet ex illo principio vniuersali, nempè nullum imperfectius potest producere perfectius, sed astra sunt imperfectiora viuentibus ex dictis, ergo &c. Quòd neque instrumentaliter, patet etiam ex dictis in phys. disp. 9. artic. 9. vbi determinauimus non esse de ratione instrumentalis causæ attingere terminum principalis agentis, nec virtute propria, nec virtute ab agente de nouo recepta. Tum quia Cœlum quomodocumque eleuatũ, semper quolibet viuente imperfectius est, cùm per eleuationem non constituatur in genere viuentium, ergo vt sic nequit productionem animæ attingere; Vndè sequitur, quòd productio animæ superiori agenti ascribi debebit, (præter quã in viuiperis, vbi agens assignari poterit fæmina, vt in lib. de gener.) Tale autem agens non est Intelligentia creata, nam hæc non potest immediatè in corporibus producere formam aliquam absolutam, sed solùm motum localem, & secundum Aliquos Doctores impulsum ad talem motum, cætera verò producit mediante motu Cœli, applicando actiua passiuis, vt communiter Theol. docent, cum Scoto, & D. Thom. 3. cont. gen. cap. 103. & ità non erit agens principale, sed solùm applicatiuum agentis principalis, sicut se habet applicãs ignem stuppæ; Cœlum autem neq; in se, nec per motum habet talem virtutem viuentia producendi, ergo solus Deus est immediatè animarum productiuus. Neq; hoc est

ad miraculum confugere, vt Auersa autumauit, & vilificare Dei concursum, quòd productionem effectuum tàm ordinariorum sibi reseruasset, quoniam Dei est, vt Authoris naturæ supplere imperfectionem causarum secundarum, quando non adest sufficiens causa, vt in proposito, quod etiã in multis alijs effectibus DD. concedunt, sicut de facto ad ipsum recurritur ad determinationem effectus, quò ad indiuiduum, & productionem animalium rationalium, hoc autẽ non est Dei concursum vilificare, sed potius ex hoc eius Diuinã prouidentiã conspicuam cõmendare.

Deus igitur ad animalia perfecta concurrit, vt causa vniuersalis, non tamen excludens Cœlum, vt causam secundam vniuersalem fouentem calorem vitalem seminis, & matricis, neque excludens causam particularem principalem virtute sibi ab ipsomet Deo insita. Ad animalia verò imperfecta ex materia putrida, concurrit Deus vt causa vniuersalis, & particularis, non quidem modo extraordinario, & indebito naturæ, quia sic miraculosè ageret, sed modo ordinario.

Ob. Agens potens inducere in materia dispositiones sufficientes pro aliqua substantiali forma, potest etiam educere eam de eius potentia, vel principaliter si talis forma non excedit vires ipsius agẽtis, vel instrumentaliter virtute agẽtis principalis, si excedit; & huius ratio est, quia forma substantialis naturali sequela sufficientes dispositiones cõsequitur, ergo potens inducere tales dispositiones, educet etiã formã, ne materia disposita sine forma existat, Sed Cœlũ potest formã corporeitatis saltẽ imperfectorũ inducere, q̃ est sufficiens dispositio ad animã, ergo poterit etiã saltem animalium imperfectorum animas à potentia educere. ℞. Si forma excedit in perfectione agens disponens, negatur ma. & ad probat. vel per ly naturali sequela consequi, intelligitur, quòd statim ac introducuntur ab agente dispositiones, producitur etiam forma vitalis causalitatis, & sic est falsũ, cũ hęc causalitas semper sit instrumẽtalis causæ, non principalis; vel est sensus, q̀ prima causa, q̀a regulariter imperfectionẽ naturę supplet, propterea ad dispositiones formæ excedentis virtutes naturæ, statim formam inducit, & nil contra nos.

Dices Scot. in 2. d. 18. E. videtur admittere ranas a Cęlo produci, ergo falsa conclusio, saltem in via Doct. ℞. ibi propriè Doct. loquitur dubitatiuè, & hoc quia non adhuc determinauerat quamlibet animam esse Cœlestibus corporib. perfectiorem, vt postea fecit in 4. d. 12. qu. 2. lit. E. vbi ait: *In hoc ergo ordine propinquius est Deo musca, quam Cœlum &c.* Vel ait ranã à Cœlis produci tamquam ab inducentibus vltimam dispositionem animæ, quæ est forma corporis, sicut homo hac ratione dicitur genera-

nerare hominem, quod non est cōtra nos.

Sed Contra, eiusdem agentis est disponere materiam, & introducere formam, vt docet Auer. 7. met. com. 31. sed Cœlum vt causa principalis disponit materiam ad formam animalium, ergo introducit formam, seu animā, vt causa principalis. ℞. cum Scoto 7. meth. qu. 11. maiorem non esse semper veram, quod patet in productione hominis, & de calore ignis in furno, qui disponit oua ad generationē pullorum, nō tamen eos generat, quia est pullis imperfectior. Neque absurdum est effectum esse à duobus agentibus subordinatis, quorum vnum sit disponens, aliud introducens formam, vt patet in artificiatis, nam aliquando Artifex disponit ligna in nemore, & alius inducit formam nauis ex 2. phys. 2. & sæpè ars disponit materiam, & natura introducit formā.

Ob. In subordinatis quidquid potest causa inferior, potest superior, sed Cœli sunt causæ superiores, & vniuersaliores, quàm agētia vniuoca, ergo quicquid potest facere agens vniuocum mediante semine, potest efficere Cœlum sine semine. ℞. ma. esse veram de causa superiori simpliciter prima, & respectu actionum non vitalium, non de causa superiori, & vniuersali secundum quid, seu secunda, vt est Cœlum.

Ob. Semen est imperfectius Cœlo, & inanimatum, sicut Cœlum in communi sent. & tamen ipsum semen producit viuentia, ergo similiter & Cœlum, licèt inanimē, quia est productū à Deo, vt quodam semen omnium generabilium ℞. si semē viuit secundum aliquos, est perfectius Cœlo, sed dato, quòd non viuat quando est ab animali decisum, negatur sequela, nam semen est virtus decisa à viuente, à quo accepit virtutem alterādi, disponendi, & inducendi formam corporeitatis, & est aliquid viuentis, quod non habet Cœlum, an verò possit etiam formam viuentis attingere, saltem partialiter, visum fuit in lib. de generatione.

Ob. Cœlum est loco matricis in productione animalium imperfectorum ex D. Thom. 1. p. qu. 71. art. vn. ad 1. ergo etiam in productione animalium perfectorum. ℞. neg. seq. nam animalia perfecta maiorem exigunt organizationem totius corporis, quàm animalia imperfecta, & consequenter perfici non possunt à solo Cœlo, nisi cum virtute formatiua particularis agentis ad hoc destinati.

Ex his deducitur, quòd animalia neq; ab Angelis produci possunt, licèt perfectioris naturæ sint animalibus, & hominibus, perfectio n. naturæ non est signum sufficiēs ad huiusmodi generationes, aliter homo posset generare aurum, plātas, & animalia sensitiua, sed requiritur, vt perfectius in se contineat virtutem actiuam imperfecti licèt eminentius, quæ continentia argui-

guitur ab effectibus producibilibus à perfectiori, sed quia Angeli sunt naturæ intellectualis, cuius potentiæ sunt intellectus, & voluntas, & secundum aliquos, & nos potentia etiam executiua, & motiua, quarum nulla est productiua substantiæ, hinc rationabiliter hæc virtus in Angelis negatur; & ad illud, quod afferri solent, quòd Dæmones à Magis constricti multoties hæc animalia produxerunt, vt in Sacr. Script. legitur de Magis Egyptijs incantationibus suis ranas, & alia animalia producentibus, negatur Demones propria virtute animalia illa produxisse, sed solùm applicasse causas naturales potentes alterare materiam ad dispositiones necessarias, benè f. n. cognoscunt proportionem miscendorum, & virtutes; hinc quia quò ad motum localem, omnia corpora Dæmonibus obediunt, nisi ab Agente superiori impediantur, possunt ipsi actiua passiuis coniungere, & directè Cœlestibus influentijs applicare, ex quibus animalia illa produci poterant, vt D. Aug. docet 3. de Trinit. cap. 8. vel dici potest, quòd multa animalia ex illis fuerunt tantùm apparentia, vel aliunde translata.

Arguitur, quòd animalia imperfecta non producantur immediatè à Deo, nam vel esset causa vniuersalis, vel particularis; non primũ, quia hæc requirit causam particularem simul coagentem, qualis esset Cœlum, quod negatur; Neque secundum, quia tunc esset perpetuum miraculum, dum sine causa naturali ageret; Tum etiam quia multò magis animalia perfecta exigerent immediatè à Deo produci, quæ tamen ab alijs agentibus eiusdem speciei generantur. ℟. si ratio hæc concluderet, probaret etiam Deum in animæ rationalis productione, semper miraculosè agere; hinc dicimus, quòd Deus cõcurrit, vt causa vniuersalis quatenus est omnium gubernator, & rector, cuius est supplere defectus creaturarum; Potest etiã dici causa particularis id est, solitaria, quia non habet causam secundam coagentem, non tamen ob id supernaturaliter agere dicitur, nam talis actio non est extraordinaria, & indebita naturæ, sed ordinaria, & debita propter defectus agentis. Paritas de animalibus perfectis non valet, cùm hic assignetur agens æquè perfectum, & approximatum.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. posse Sydera formam corporis imperfectorum viuentium, totaliter producere, perfectorum verò tantùm coadiuuando semen, & fæminam in actionibus, non totaliter, est Scoti in 2. d. 8. & 18. & sequuntur Scotistę communiter. Explicatur, & probatur, Animalia imperfecta non habent partes multum dissimilares, nec indigent concursu plurium requisitorum ad generationem, quare breuissimo tempore fiũt; nec ad conseruationem, & perfectionem vniuersi spectant, ergo poterunt

quò

quò ad corpus à Cœlis produci, qa poterũt elemẽta alterare ad dispositionem formæ corporeitatis, quę cùm inperfectione ipsa non excedat, non est eis concursus productiuus denegandus, hinc euidenter experimur plantas aliquas, & animalia, vt vermes, serpentes, pisces aliquos, ranas, mures, &c. sine commixtione sexuum generari, etiam vbi prius non fuerant, eo qa ex putri materia fiunt.

Viuentia autem perfecta quia partibus multũ dissimilaribus constant, plures etiam alterationes, & mutationes præuias requirunt, antequam forma corporietatis introducatur, nec sufficit agens vniuersale, & indeterminatum, ergo requiritur agens particulare, & determinatum à natura ad talem effectum destinatum, quale est semẽ, & virtus matricis fæminæ. Pr. antec. quia propter hanc partium Etherogeneitatem multum temporis consumitur vt ad perfectionem reducatur, vt patet de homine, cuius corpus spatio 40. dierum formatur si est vir, vel 60. si est fæmina; efformatur in ventre, in quo partes diuersæ rationis generãtur, nam stomaco inest virtus chilifica, epatis virtus sanguifica, testiculis virtus prolifica, cor est calidum, cerebrum frigidum, at impossibile videtur in Cœlis tot dierũ spatio durare eumdem aspectum, & constellationem, & ad tot contrarias mutationes simul concurrere, cùm in continuo sint motu, & variatione. Tum tandem, quia animalia perfecta plura etiam requirunt ad cõseruationem, & vt statum perfectum consequantur, & præsertim nutrimento, cura, & solicitudine parentum indigent, à quibus si destituti essent, statim interirent, & hac ratione natura, quæ in necessarijs nõ deficit, dedit fæminæ matricem, vt locum proprotionatum, in quo fætus post generationem nutriri, conseruari, & ad statum perfectum peruenire possit, quibus omnibus esset destitutum animal si à Cęlis quò ad corpus pósset in aliquo loco elementorum produci, nam statim interiret, ergo quia natura non deficit in necessarijs, asserere debemus Cœlos non habere hanc productiuam virtutem aliter etiam nutritiuam, ac conseruatiuã habere debeẽt, quę doctrina desũpta est ab Arist. sec. 10. probl. 13. Vndè sol concurrit tantùm vt causa vniuersalis, quatenus proprio calore vitalem calorem seminis fouet, & matricis, vt facilius materia disponatur, iuxta illud 2. phys. 26. Sol, & homo generant hominem, & ratio fundamentalis nostrę sent. est experientia, quia nunquã videmus animalia perfecta ex putri generari.

Obiectiones.

Ob. Forma corporeitatis introducitur in materia disposita; quę dispositio consistit in quodam temperamento primarum qualitatũ, Sed Sydera possunt totum hoc pręstare, ergo &c. Pr. mi. experientia

 de

de metallis, quorum materiam al-terant, & disponunt, & in viuentibus imperfectis, in quibus non solum est dispositio materiæ, sed etiã partium æterogeneitas. ℞. nego mi. & ad probationem, negatur paritas, imò multò plura requiruntur ad formam corporeitatis perfectam, quæ non requirũtur ad formam metallorum, & animalium imperfectorum, &c.

Ob. Semen est imperfectius Cœlis, forma corporeitatis perfectorũ est etiam Cœlis imperfectior, ergo poterit è Cœlis produci, aliter nõ sufficienter probaremus formam corporeitatis imperfectorũ posse ab astris causari. ℞. neg. conseq. non.n. nos ex imperfectione seminis, & matricis inferimus virtutẽ ipsorum in Cœlis reperiri, aliter inferre possimus reperiri etiam in Angelis, cùm sint talibus formis perfectiores, sed ratio est, quia ad generationem perfectorum nõ sufficit agens vniuersale, & indeterminatum, sed requiritur agẽs particulare determinatum, quod durare possit, quantùm necesse est ad corporis generationẽ, vt deinde postea sit illud fouere, nutrire, & conseruare, & ideo natura prouidit de semine, & matrice in animalibus.

Solent hic adduci à Doctoribus non parui nominis quamplures experientiæ in contrarium, quæ reuera institutum nostrum trascẽdunt, cùm tãtum breuitati insistimus, attamen, vt curiosorum desiderio satisfaciam, aliquas illorum affero, quarum Prima est de Ogyge, & Inacho, quos è terra genitos fuisse referunt Iustinus Mart. in Paræn. Euseb. lib. 7. de præpart. Euangel. 7. & Philo Iudæus in lib. de Mundi incorrupt. & Alij.

Secunda est Plinij lib. 8. nat. hist. c. 24. & Alij referentes equas in Lusitania Zephyro flante cõcipere.

Tertia est de Phenice, quæ auis vnica in mundo reperitur, & ob sui perfectionem non debet inter animalia imperfecta computari, & tñ non vi seminis, sed ex cinere demortuæ quotannis resurgit, & renouatur.

Quarta est de efferatis bestijs, quæ in insulis ab habitatu remotissimis inueniuntur, quæ propter earum ferocitatem nõ potuerunt illuc ab hominibus transferri, neque ex seipsis ob maximam distantiam illuc peruenerunt, nec ab initio creatæ, & per generationem procreatæ, quia diluuij tempore, paucis in Arca exceptis, omnia animalia interierunt, ergo remanet à Cœlis producta fuisse, & hoc etiam de hominibus Americam habitantibus dici posset.

Quinta est illa ex Cardano, Munstero, & alijs, referentibus, quòd in Hibernia anates ex lignis putridis in mari iacentibus procreãtur, vbi etiam quedam arbor reperitur, intra cuius fructus auiculæ continentur, aues autem sunt animalia perfecta, ergo &c.

Sexta ex Monstris, videmus.n. aliquando oriri ex brutis animal cũ capi-

capite humano, & angelus lib. de propr. cauf. 15. refert in Italia ex muliere, & hurso homine probæ vitæ generatũ, à quo nobilis progenies deriuata est, & similes casus adducit etiam Roccus 4. phys. 9. ergo neo matrix, nec semen animalis eiusdem speciei sunt necessaria instrumenta ad generationem animalium perfectorum, nam in relatis casibus non generatur figura vnius animalis in matrice alterius diuersæ speciei, nisi virtute stellarum.

Ad primam, & secundam ℞. esse fabulas, & inuentiones ociosorum, & relati Patres, vt fabulas retulerunt, quæ ex ignorantia vulgi acceptæ fuerunt vt veræ. Quòd equæ in lusitania spirante Zephyro concipiant, non est mirum, quia forte talis aura satis ad concipiendum apta est, sed non sine semine.

Ad 3. ℞. eodem modo, sunt.n. fabulæ, & inuentiones Poetarum non.n. verificatur vnitas hæc Phænicis, nec certa vitæ duratio, nec certũ genus mortis, nec sunt Authores, qui hoc de visu testantur, sed solum loquuntur in fide parentum, aiunt Mastr. & Bell. & quamuis multi PP. hoc affirment, & medio etiam vtãtur ad Resurectionis possibilitatem ostendendum, nihil tñ urget, quia argumenta assumebãt ex concessis à Gentilibus; & quando etiam fabula esset vera, dicẽdum esset Phænicem non esse animal perfectum, cum ex coniunctione seminum non producatur, quia illud primò non efformatur ad modum auis, sed ad modum vermiculi, qui ex putri generari solet.

Ad 4. Dicunt Aliqui, quòd Dilluuium operuit vniuersam terrã, vbi homines tunc habitabant, non omnem terræ partem, & ratio est, quia finis dilluuij fuit punitio peccatorum, & consequenter terra, quæ non adhuc erat peccatis corrupta, vt tunc erant illæ insulæ, deleri nõ debebat, qua ratione Scot. in 2. d. 17. q. 2. negat Paradisum terrestrem fuisse à dilluuio destructum; Sed quicquid sit de hoc, ℞. cum D. Aug. 16. de Ciuit. Dei c. 7. illa animalia fuisse ad illa loca delatà vel ministerio Angelorum, vel hominum, vel enatando. Addic Amicus, ex Lusitanorum nauigatione habetur multas, & maximas insulas reperiri sine vllo perfecto animali; Potest etiam dici, quòd aliqui homines illuc cum illis animalibus efferatis appulerint ad inhabitandum, vel fortuna deiectos, sæpè enim experimur naues è longinquo animalia etiam efferata coducere, quomodo etiam fatendum est de hominibus in Indijs occidentalib' repertis, nempè illuc aliquãdo peruenisse tempestate ventorum, vel quòd non adhuc cõstat Americam insulam esse an, verò continenti coniunctam.

Ad 5. ℞. vt supra ad 1. 2. & 3. sunt.n. res ab hominibus inuentæ, & fabulosæ.

Ad 6. ℞. concedendo Cœlos cõcur-

currere cum semine ad generationem Monstri, potest .n. aliqua cōconstellatio corrumpere, & peruertere aliquam partem seminis, vel impedire, si non totaliter, saltem partialiter, vnde monstra generantur. Ratio est, quia natura vniuersalis videns propter imperfectionem actiuitatis seminis non posse perfectum animal generari, nec materiam rectè disponi ad figuram talis animalis, ne frustrata remaneat, eo modo quo potest aliquid producit, & ita monstra cōtingunt; Et quando semina sunt diuersæ speciei, vt in exemplo allato fertur de fæmina, & vrso, tunc agunt ad effectum medium. Imò hoc totum præstare potest vis imaginatiua, vt Rocc. cit. cum alijs asserit, non ob id tamen hoc concedendum est solis astris, sed simul coagentibus cum agentibus particularibus, & determinatis.

Circa homines nullum est dubiū, vt diximus de animalib' perfectis, possunt tamen partialiter concurrere, alterando materiam, ac causam secundam in suis operationib' adiuuando. Possunt etiam Astra per se, & directè influere in corpus, & sensus humanos, inducendo dispositiones aliquas conueniētes, vel disconuenietes, corrumpere .n. & lædere possunt organa sensuum, vt in fræneticis patet, & lunaticis, quatenus intendere, & remittere possunt corporeas qualitates, vndè etiā infirmitates inducere queūnt, vt Scot. docet in 2. d. 8. cit. Ratio est, quia humana corpora sunt quędam mixta materialia, & consequenter vt sic Cęlorum influxibus subijciuntur.

Magis. Iacob. Brun. q. 8. de Cęlo art. 4. fol. mihi 213. assentiens nobiscum, quod vita est nobilior forma, quàm incorruptibilitas Cęli, &c. in 2. responsione, sic tandē concludit: Materia est propter formam, & talis forma .s. anima, quę altioris ordinis est, quàm quæcūq; forma corporis, vt corpus est, requirit talem materiam .s. corpus corruptibile, quod se habet vt materia remota ad animam, fit autem proxima per esse organicum. Peto, quid intelligat per hoc esse organicum, non potest intelligere illam congeriem accidentium in materia prima in hærentium, quia conuenit nobiscum, subiectum accidentium non esse materiam primā, sed compositum substantiale, quod est commune vtriq; Scholæ, ergo oportet vt intelligat congeriem illam formarum partialium, ossis, nerui venæ, cordis, epatis, &c. Neq, hoc esse organicū in tali materia ab anima prouenire potest, quia hæc in instanti in tali corpore creatur, at efformatio illa organica, & Ætherogenea plures dies, (saltem loquendo de corpore humano) expostulat, ergo non potest esse ab anima, quia quod non existit, nullum esse dare potest; neq; priùs producitur ab eo, quod est posterius se, ergo velit nolit admittere cogitur in materia formam illam

lam distinctam Corporeitatis, quã nos dicimus dispositionem esse ad animam, & ipsam precedere vt materiam, licèt respectu materiæ primæ dicatur forma, & actus.

DVBIVM XXVII.

An Corpora Cœlestia influant in animã rationalem, eiusque potentias.

MAius dubium est an etiam in animam rationalem Astra influant, ac eius potentias intellectum .s. & voluntatẽ. Antiqui quidam, & Priscillianistæ Hæretici affirmatiuè ad dubium responderunt, ità vt omnia fatali quadam necessitate hominibus contingerẽt ex Astrorum actiuitate, & influentia directè, & per se in animam terminata.

Primò not. est pro maiori captu huius grauissimæ difficultatis ad quam dissoluendam Piccus Mirãd. duodecim consumpsit libros, quòd Astrologia *est quædam facultas, quæ versatur circa motus Cœli, Planetarum, & Stellarum, eorumq; effectus in particulari*; & diuiditur in naturalem, & Iudiciariam. *Naturalis est scientia, quia ex quibusdam principijs .s. ex Planetarum ortu, occasu, oppositione, & coniunctione coniectat, seu enunciat effectus, qui in sublunaribus naturaliter, vel necessariò eueniunt*. & quamuis non semper, frequenter tamen, & vt in plurimum succedunt, & hæc scientia est laudabilis, qua licitè, & prudenter vtuntur Medici, Nautæ, Agricolæ, & Pastores, etenim ex Solis, & Lunæ vario colore, aut motibus, ex crescentia, & decrescentia Lunæ, probabiliter prognosticant ventos, pluuias, serenitates, tempestates, fæcunditatem, sterilitatem, calorem, frigus, & morbos, qui effectus vt plurimum succedunt, aliquando tamen impediuntur naturaliter à causis inferioribus, quæ efficaciores sunt, vel supernaturaliter à Deo, qui aliquãdo orationibus flexus, dat serenitatem non futuram, aliquãdo peccatis offensus, castigat siccitate, sterilitate &c. iuxta illlu psal. 106. *posuit flumina in desertum, exitus aquarum in sitim, terrã fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea*, & hanc Astrologicã scientiã in Bulla cõtra Astrologos, approbat Sixtus V. cũ alijs Theologis cnmmuniter.

Astrologia verò Iudiciaria, quæ ab aliquibus interrogatoria nuncupatur, sic describitur .s. *est illa, quæ ex astrorum oppositione, & natiuitate hominis prophetizat, seu prognosticat futuros eius euentus, & declarat præsentia, & futura*. & de hac quæritur an sit licita, vel perniciosa &c.

Not. est 2. quòd agere, seu influere stat dupliciter .s. directè, & & indirectè; Agere directè, & per se in aliud est, quando agens respicit aliud tamquam proprium passum, inducendo formam aliquam, vt cũ ignis V. G. calefecit aquam; Agere indirectè, & per accid. est, qñ agens non producit suum effectum in illud, vt in proprium passum, sed in aliquod illi coniunctum, ex qua coniunctione prouenit in illo

ali-

aliquis effectus, affertur exemplū, V.g. si Petrus esset vnitus cum cane, & alius proijceret sagittam in cane, tunc indirectè ageret etiam in Petrum, quibus habitis.

Conclusio.

Dicimus, Astra directè, & per se non influere in intellectum, & voluntatem; sed solùm indirectè, & per accidens, in intellectum quidem necessariò, in voluntate verò contingenter. Prima pars est de fide, definita in Concil. Bracarensi cap. 9. vbi decretatur: *Si quis animas, & corpora humana fatalibus Stellis credit astringi, anathema sit.* Adsunt etiam Decreta Sixti V. & Vrbani VIII. Pr. agens directè in aliud debet saltem virtualiter continere effectum, cuius subiectum est capax, ergo si Cœli agerent directè in intellectum, & voluntatem, deberent saltem virtualiter continere formam cuius illæ potentiæ sunt capaces; sed non possunt illam cōtinere, quia talis forma necessariò est spiritualis, & nullum spirituale potest à materiali contineri, & causari, cùm imperfectius nō possit agere in perfectius se, ergo Cœli non possunt directè agere in intellectum, & voluntatetem.

Confirmatur. Anima non est capax aliarum qualitatum, quàm speclerum intelligibilium, intellectionum & volitionum habituum, & passionum letitiæ, tristitiæ, similiumque quæ ab obiectis cognitis diuersis causantur, nec assignari potest quas aliquas qualitates recipere possit, nec vlla adest experientia, quòd aliquas recipiat; Sed Sydera non habent vim directiuam ad huiusmodi qualitates producendas; non species intelligibiles, quia non sunt natæ produci, nisi ab obiectis, quorum sunt species; neq; actus, quia non sunt nati produci nisi à potentijs mediantibus his speciebus habitus naturales producuntur medijs actibus naturalibus, habitus supernaturales infunduntur à Solo Deo. Neque passiones, nam istæ solùm produci possunt ab obiecto taliter, vel taliter per intellectum proposito, & à voluntate nolito, vel volito, vt in lib. de anima patebit. ergo &c.

Tum quia si Cęlum directè ageret in animam rationalem, eiusque potentias, sequeretur, quòd hominis voluntas necessariò, & naturaliter ageret, non liberè, sed hoc est falsum, ergo &c. prob. sequela. Ex subordinatione essentiali causæ inferioris ad causam superiorem, cùm .n. Cœli naturaliter agant, & sint causæ superiores, si directè in voluntatem agerent, non posset voluntas non agere, & consequenter necessariò, non liberè operaretur.

Secunda pars est communis cum Philosophis, ac Theologis omnib. quàm docuit D. Thom. 3. c. Gentes cap. 84. vbi ait: *Indirectè corpora Cœlestia ad bonitatem Intelligentiæ operantur,* & 1. p. qu. 115. artic. 4. concedit, quòd passiones ad bella, & ad alios actus liberos, quæ sunt in irascibili, & concupiscibili habent

bent quamdam vim ad inclinandũ voluntatem. Scot. in 2. sæpè cit. Ægid. in 2. d. 14. qu. 3. art. 3. Argentina ibidem, & communiter. Pr. ratione: Intellectus, & voluntas nostra pro statu isto pendent à sensibus in operari, ergo si astra directè influere possunt in sensus humanos, possunt etiam dici indirectè in intellectum, & voluntatẽ influere, hinc experimur, quòd qui ob aliquam influentiam, deordinatum habent organum sensus, & perturbatum, vt amentes, malè per intellectum discurrunt, & operantur. Videmus etiam, qui à Syderibus sensitiuum habent appetitum magis ad vnum obiectum inclinatum, quàm ad aliud, difficulter ab illo abstineri, & ratio est, quia pro statu isto voluntas nostra nata est cõdelectari appetitui sensitiuo iuxta illud: *Ducimur in vetitum semper, cupimusque negatum.* Cum hac tamen differentia, quòd intellectus, quia est causa naturalis, mouetur indirectè, & necessariò à stellis: nam repræsentatis speciebus, & perturbatis phãtasmatibus, necessariò intellectus exit in actum iuxta ordinem potentiarum; At volũtas, quia est potentia libera, non necessariò præsentato obiecto exit in actum, sed adhuc potest actum suspendere, ideoque mouetur ab astris indirectè, & contingenter. Vndè licèt quò ad entitatem potẽtiæ animæ sensitiuæ, & voluntas sint radicatæ realiter in eadem anima, non tamen quò ad operari, sed potest voluntas non agere, & suspendere etiam actiones potentiarum sensitiuarum, vt ipsius imperio subduntur.

Obiectiones.

Ob. Contra 1. partem. Potest Spiritus directè agere in corpus, vt patet de Angelo mouente Cœlum, & de anima informante corpus, ergo pariter potest corpus Cœleste directè agere in animam rationalẽ, non. n. habet maiorem improportionem corpus spiritui, quàm è cõtra. R. neg. paritatem, nam Angelus quò ad motum, & Anima quò ad informationem sunt virtualiter diuisibiles, licèt formaliter indiuisibiles, sed nullum corpus est virtualiter indiuisibile, aliter producere posset effectum se ipso nobiliorem, quod est falsum.

Ob. pluribus experientijs in cõtrarium. Prima est, quòd Cœli influunt in Dæmones, ac propterea Dæmones secundum Lunæ incrementa solent lunaticos inuadere, & euocati à Maleficis certo syderum aspectu, citius occurrũt, quòd non esset si Sydera tunc aliquid illis non imprimerent, ergo similiter possunt, & à fortiori Sydera in animas rationales influere. R. notando 1. ex D. Thom. 1. p. quæ 115. art. 5. magnum esse discrimẽ inter Angelos, & animas rationales, nam Cœlum circa Angelum, quia est substantia spiritualis completa non dependens à corpore, non potest aliquid imprimere, nec per se, nec per accidens; nec directè,

ctè, nec indirectè; ac consequenter in suis operationibus nullo modo à Cœlo pendere potest; Anima verò licèt sit substantia spiritualis, quia tamen est incompleta, pars, & essentialiter informat corpus, propter hanc colligationem, saltē indirectè, remotè, & per accidens à corpore pendet in operationibus Intellectus, & voluntatis. ℞. modo ad arg. neg. ant. Ratio verò quare Dæmones velint vocari sub certo astrorum aspectu, triplex est: Prima, vt res à Deo creatas infament tamquam maleficij participes ex D. Hier. cap. 4. in Matth. Secunda, quia Dæmones non possunt operari in corpore qualitates, nisi applicando actiua passiuis, ideoq; obseruant ad id temporum opportunitatem, & corporum dispositionem, quæ dispositio oritur ex influxibus astrorum, & quia dum Luna crescit augetur humiditas cerebri, ideò tunc Dæmones phantasiã perturbant, & hæc est causa, quare Dæmones tunc currrũt, quia sciunt paratiorem esse tunc materiam corporalem ad effectus à Magis intentos, & idem dicendum de herbis, verbis, & lapidibus, quibus allici videntur, non .n. physicè hoc esse potest, cùm nullũ corpus possit physicè, & naturaliter in Dæmones agere; sed hoc erit tantùm moraliter ex pacto cum Maleficis inito. Tertia ratio, quæ assignatur à Diuo Thom. 1. par. quæst. 115. artic. 5. ad 3. est, vt homines superstitione obruant, & inducant ad colenda astra tamquam Numina.

Hinc transeunter notandum, q̃ Dæmones non possunt cogi ab hominibus vt intrent anulos, phialas, statuas &c. nam homo quò ad naturam suam est Dæmonibus inferior, & consequenter non potest Dæmones compellere: Neque hæc ars eos compellendi potest à Dæmone hominibus communicari, vt patet; Tum etiam quia Dæmones sunt superbissimi, & nunquam homines hanc artem docerent, vt in captiuitatem redigerẽtur, quòd si pluries cogi videntur, id fit virtute Dei, vel bonorum Angelorum, vel ab Ecclesia propter authoritatem illi à Deo præstitam, vel à Dæmonibus superioribus, vel ex pacto tacito, aut expresso, vt ab hominibus adorentur, & Dij credantur.

Secunda experientia est, quia ex vario Syderũ aspectu homines quò ad ingenium mores, & scientias satis inter se differunt, quòd Ptolomeus significauit in Centiloquio, dicens: Cùm Mercurius in alicuius natiuitate fuerit in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in suo esse, dat bonitatem Intelligentiæ medullitus in rebus, ergo Cœlum influit in Intellectum, & consequẽter etiam in voluntatem, quæ in suis operationibus sequitur ostensionem intellectus, quia nihil volitum, quin præcognitũ. ℞. argum. solùm probare secundam partem conclusionis; nam diuersitas acuminis intellectus in vna materia, & non in alia, prouenit indirectè à Cœlis, quatenus sẽsus internos disponunt, & inclinationes in vnum

obie-

obiectum, & non in aliud, complexiones .n. naturales sunt diuersæ, & diuersas habent proportiones cũ reb', vnde aliquis magis in vna re, quàm in alia delectatur, & intellectus perfectius circa rem vnam, quàm in aliam operatur; sed totũ hoc prouenit à Syderibus indirectè, & remotè, directè verò, & proximè ab alijs causis prouenit, scil. vel ex passionibus, quib. homo dispositus est, vel ex complexione naturali, qua homo magis apprehendit vnum obiectum, quàm alterum, & maximè si videt alium in illa scientia ipsum excedere, vel ex dispositione à parentibus contracta; Hinc est, quòd melius Medici iudicant de ingenij qualitate, quã Astrologi, quia illi iudicãt per causas remotas, ex quibus potest haberi aliqua, sed non certa cognitio, at medici per causas inferiores, & proximas .s. ex complexione, & temperatura primarum qualitatũ, & mollitie carnium orta ex humido subtili, & spumoso aere benè temperato cum calido, subtilitate vnguium, nigredine capillorum, oculorum, & cãdore lucis, & c. quia hæc arguunt complexionem calidam ex Alberto Magno.

Tertia experientia desumitur ex Martirologio 8. Iunij, vbi habetur, quòd S. Medardus Episcopus Noniomensis, & S. Gildardus Episcopus Rotomagensis, gemini eodem die nati, eodemque die Episcopi consecrati, ac eodem die de hac vita subtracti, simul in Cœlum migrarunt, sed vnde tam exacta coniunctio, & copulatio nisi quia à Planetis, sub quibus nati erunt, inclinabantur, & cogebantur? Confirmatur, nam Astrologi dicunt, q qui nascitur sub Planeta Lunæ, est liberalis, & potius pauper, quã m diues. Qui sub Mercurio est eloquens, plus sapiens, quàm fatuus. Qui sub Venere, inclinatur ad cantum, & pulsandum instrumenta. Qui sub Sole est contemplatiuus, despiciens mundum, fortunatus ad officia, & dignitates. Qui sub Marte bellicosus, sicuti erant Romani. Qui sub Ioue gratiosus, generosus, affabilis, audax, honorabilis, & totus gratus in actionibus suis. Qui sub Saturno est arcanus, tristis, macer, pallidus, malè indutus, mendax, & in omnibus falsus; ergo hæc diuersitas ad astrorũ constellationẽ referenda est.

Rc. neg. consequentiã, nã illa cõiunctio Sanctorum Episcoporũ m in omnibus fuit mera accidentalis, & casualis, tàm ex parte Cœli, quã ex parte ipsorum, nisi dicere velimus totum illum progressum intẽtum fuisse à Deo, ex speciali sua prouidentia, apud quem non datur casus, & fortuna; quòd si ad Constellationem Cœlorum hoc referẽdum esset, sequeretur, quòd omnes nati sub eadem constellatione essent boni, aut mali, & ità omnes nati cum Aristot. & Platone essẽt docti, omnes nati cum Alexandro essent Dominatores orbis; sed oppositum experimur, multi .n. sub

vna

vna cõstellatione nati, diuersi sunt in motibus, & complexione, vt patet Genes. 25. de Iacob. & Esau. & Albert. lib. de Naturis refert, quòd quædam mulier peperit tredecim filios, qui omnes concepti fuerunt sub vnica cõstellatione Martis, qui omnes bellicosi esse debebant, sed satis diuersi fuerunt in moribus, nã vnus accidiosus, alter vanus, &c. quòd non debebat euenire, si astra efficaciter inclinarent. Diuus Gregor. refert duos natos sub vna Cõstellatione, vnum euasisse diuitem, & Regem, alium ignominiosum, & pauperem, cur ergo tantã diuersitas, si constellatio cogit? Ad Confirmationem ℞. Planetas, & Stellas utique quantum est ex parte sua ad illos effectus inclinare, sed solùm remotè, & in communi, non verò determinatè, & in particulari, cùm impediri possint per inferiores causas, & per libertatem voluntatis, vel Dei Prouidentiam.

DVBIVM XXVIII.

Quid possint Astrologi ex Astrorum observatione cognoscere.

Sciendum est, 1. quòd prescientia habita ex Syderum obseruatione, qua ratione, Astrologia dicitur, & professores Astrologij seu Planetarij, maximam habet annexam difficultatem, ex pluribus capitibus prouenientem, & præsertim, quia magna inuenitur inter Astrologos dissensio in principijs, in numero, & motu Cœlorum, & Syderum, & rationes quibus vtuntur, non aliæ sunt, quã experientiæ, quæ difficulter verificantur, & aliquando totum oppositum contingit, cuius fundamentum est, quia ad hoc requiritur multum tempus, & vita hominis breuis est, & nunquam est idem Cœlorum aspectus, habitudo, & dispositio; Vnde vnusquisq; sibi conficit Astrologiam pro ve sibi videtur experiri, & reuera valdè difficile est omnes virtutes Syderum simul cõponere, quid singula astra in tali statu, & situ cõstituta efficere possint, & perfectè cognoscere si vna stella sit superatura, vel impeditura virtutem alterius, & penetrare etiam qualitates indiuiduales, regionum causarum materialium .s. vaporum, ex halationum, &c. & an omnia hæc eleuabuntur, & in qua quantitate; hinc Scot. in 2. d. 14. q. 3. rectè ait: Solùm Dæmones, & Angelos perfectè hanc scientiam possidere, quia attingunt omnes causas, circumstantias, & conditiones.

Sciendũ 2. q̃ si ex cognitione alicuius rei præcognoscatur aliquis euentus habens cũ illa re conexionẽ aliquã naturalẽ, quia .s. est effectus illius mediatè, vel immediatè, tunc præcognitio est bona, & licita: si verò motiuum enunciandi aliquem euentum, erit res aliqua, quæ nullo pacto connexionem naturalem habet cũ illo motiuo, tunc præcognitio erit suspecta, & mala.

Tres sunt opiniones. Prima affirmat ex Astrorum perfecta obseruatio-

natione præsciri posse, non solùm effectus omnes naturales, & necessarios, sed etiam liberos, & casuales; & si non influant, sunt saltem signa, quæ denotent, & significent, instar litterarum, quibus in pectis certò, & infallibiliter omnes effectus præsciuntur. Secunda opinio negat posse ex perfecta Syderum cognitione præsciri posse euentus aliquos, nisi fortè, qui in ipsis Cœlis causantur, vt motus, lumen, ortus, & occasus &c. Media admittit cognosci posse in his sublunaribus; negat tamen actus liberos, nisi in vniuersali, quò ad quasdam inclinationes, & hæc est cōmunis sent. Theolog. & Philos. rectè philosophantium, quibus habitis respondetur duplici conclusione.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. ex perfecta Syderum obseruatione, certò præcognosci possunt etiā in particulari, effectus ad statum Cœli pertinentes, illi nempè, qui à solo motu Cœlesti dependent, vt sunt aspectus, coniunctiones, ortus, & occasus Syderum, Eclypsis, &c. Effectus verò naturales ab alijs causis prouenientes, omnibus tamen præmissis certò etiam præcognosci possunt, & tales sunt morbi, tempestates, pluuiæ, siccitates, sterilitates &c. ità Scot. loc. cit. & Pr. Quæ determinatam, & necessariam causam habent in rerum natura, possunt cognita causa cognosci, & si causa præcognosci potest, & ipsi effectus, etiā in particulari præsciri poterunt, sed effectus relati determinatas habēt causas, ergo istis præcognitis, possunt præcognosci, ergo Astrologia in se huiusmodi effectus præuidere poterit, cum hac tamen differentia, quod ad præcognoscendos certò effectus primi generis, sufficit cognitio motuum Cœlestium, cùm solùm ab ipsis dependeant, effectus verò secundi generis, quia præter Sydera diuersimodè mota, alias causas respiciunt, siuè efficientes, siuè materiales, vt certò præsciantur, omnes istæ causæ præuideri debent, quælibet .n. sufficit ad impediendum, ne tales effectus sequantur.

Poterit ex hac doctrina deduci, quòd etiam tempus mortis naturalis alicuius præsciri potest, nam licèt præcognosci non possit V.g. Paulum vsq; ad talem diem victurum, cùm mors multò antè alijs de causis contingere potest, attamen cognosci poterit tali die tam contrarios influxus Syderum adesse, tamq; notabiliter Pauli temperamentum alterare, vt industria Medicorum, humanæque vires resistere nequant. Hæc tamen fatemur, si ordo tantùm rerum naturalium consideretur, si autem respectus ad Dei omnipotentiam habeatur, à qua creaturæ cunctæ dependent, sic ordo rerum poterit aliter disponi.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. posse Astrologos ex Cœlorum motibus, & Syderum influentijs coniectare, & cum formidine loqui de complexionibus corporum humanorum; est Scot. loc. cit. & D. Tho. 3. c. Gent.

cap.

cap. 84. & 92. vbi ait: *Astrologi possunt coniicere in natalibus aliquorum quas .s. dispositiones, vel inclinationes habeant secundum corporis complexionem, & stellam dominantem, non tamẽ certò quæ studia debent infallibiliter sequi, nam vir sapiens, & studiosus dominabitur astris, & inclinationibus ex illis prouenietibus.* Diximus, *cõiectare, & cum formidine loqui*. quia tantùm per coniecturam potest Astrologus præuidere effectus sublunares ab Astris dependentes, qua ratione hæc scientia appellatur coniecturalis; Vndè licèt admittamus figurã natiuitatis fieri posse à peritissimo Astrologo, veram supponentẽ Syderum dispositionem, fortior tamen dispositio mouens ad contrarium, quæ est in materia, sæpè illã falsam ostendit, hinc experimur quotidie plures filios ex diuersis parentibus ortos sub eadem Cœli Constellatione, pro parentum natura, diuersa educatione, & diuersitate regionis, diuersum etiam temperamentum sortiri.

Talis igitur prędictio, quę Astrologis conceditur circa complexiones, & temperamentum hominum, debet esse limitata, & cum debita cautela, dicendo V. g. iudico hãc, vel illam inclinationem Cœlum puero prætendere, n si aliundè impediatur. Sic etiam dum de liberis actibus ex complexione Astrolog. prædicit, illa prædictio etiam in vniuersali, solius coniecturæ, & suspicionis nomen meretur; & in hoc sensu intelligendus est D. Tho. 3. c. gentes cap. 92. vbi ait: *bonam fortunam conuenire homini ex Deo dirigente, Angelo custodiente, & Cœlo indinationem præbente.* Pr. conclusio: Cognita causa, cognoscitur effectus, sed temperamentum corporis dependet à coniunctione, aspectu, & vario influxu stellarum, vt Astrologi lõga experiẽtia docent, ergo possunt Astrologi cõplexiones, seu temperamenta hominum prædicere, licèt non certò. Pr. hoc quia quòd ex pluribus causis pendet, illud ex vna tantùm causa indicare, temeritas est, sed temperamentum corporis non solùm pendet ab influxu Astrorum, qui difficulter cognoscitur, sed etiam ab alijs causis sublunaribus, quas omnes Astrologus cognoscere non potest, ergo Astrologia nõ potest certò de complexione humani corporis iudicare.

Ex hac doctrina sequitur, quòd potest Astrologus cognoscere certitudine quadã morali inclinationes, & passiones appetitus sensitiui, quibus homo in genere tantùm & indeterminatè propensus est, & inclinatus ad quædam operationũ genera, vel ad aliquod vitæ genus, V. g. ad arma, ad studia &c. & hoc non solùm vt in principio sunt inditæ homini, sed etiam pro certo, & determinato vitæ tempore. Ratio est, quia Cœli non solùm influũt in natiuitate, producendo in homine has, vel illas qualitates, sed etiam in progressu vitæ, vt patet in sanitate, quæ aliquando vi Syderũ deper-

deperditur, quatenus alterãtur humores &c. Sic etiam dici poterit Petrum in vno tempore esse magis inclinatum ad certum genus rerũ, quàm in alio tempore (quicquid dicat Auersa) possunt .n. tunc a Syderibus illæ qualitates] in vno tẽpore intendi, in alio remitti, vndè experimur aliquando ineptos esse ad speculandum, vel poetandum, vel ad aliquid aliud agendum; aliquando verò promptiores, cuius ratio assignari potest varius Cœlorum aspectus in diuersis temporibus. Diximus certitudine quadam morali, quia volũtas, vt plurimum operatur iuxta inclinationes naturales; Simpliciter tantùm cùm sit libera, potest oppositum velle, hinc rectè D. Thom. 1. p. q. 115. artic. 4. in corpore ad 3. ait: *Corpora Cœlestia imprimere in appetitum sensitiuum, & ad eius passiones cooperari, &* 1. 2. q. 9. art. 5. ad 3. inquit: *appetitus sensitiuus est actus organi corporalis, vnde nihil prohibet ex impressione corporum Cœlestium aliquos esse habiles ad irascendum, vel concupiscendum, vel ad aliquam huiusmodi passionem.*

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. ex cognitione astrorum, quantumcumq; perfecta, non posse præcognosci certitudinaliter, vel probabiliter, effectus omnino à nostra voluntate dependentes, & in particulari, nec effectus fortuitos, & casuales: est omnium Theolog. & colligitur manifestè ex pluribus script. locis, Isa. 47. habetur: *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent, & saluent te Augures Cœli, qui contemplabantur Syderas & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi, ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos.* & Ier. 10. *iuxta vias gentium nolite discere, & à signis Cœli nolite metuere, quæ timẽt gentes.* & ad Gal. 4. *dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis.* Hinc Sixt. V. & Vrban. VIII. celebres ediderunt Const. contra Astrolog. Iudiciarios, etiam si hos effectus se non certò, sed probabiliter asse. ere affirmarent, & PP. vnanimiter contra hos Astrologos maximè inuehuntur. Item & leges Ciuiles, vt in C. de Malef. & Mathem. per totum, vt videre est apud Salas 2. tract. 5. disp. 2. Pr. etiam ratione: Huiusmodi effectus nullam habent connexionem naturalem cum Syderibus, ergo ex præuisione horum præcognosci nequeunt. Pr. antec. non habent connexionem tamquam cum suis causis, quia effectus liberi totaliter à voluntate dependẽt, vt V.g. quòd Petrus ducet Bertam in vxorem, cras audiet Sacrum &c. (non loquimur hic de illis effectibus ad quos Sydera indirectè, & per accid. concurrunt, de quibus concl. præcedenti locuti sumus) ergo præcognosci non possunt ex stellarum positione. Neque etiam effectus fortuiti, vt sunt inuentio thesauri, lesio capitis ex casu tegulæ &c. quia isti nullam habent causam determinatam certam, & per se, præter primam. vndè & effectus per accidens dicuntur

tur, ergo nec certò, nec probabiliter possunt præsagiri ex astrorum observatione, in quibus nullo pacto virtualiter continentur.

Neque connexionem habent tanquam ad signa repræsentatiua hos effectus, nam vt benè discurrit D. Thom. 2. 2. qu. 95. art. 5. omne Signum vel est naturale, vel ad placitum, sed corpora Cœlestia nō sunt signa naturalia euentuum liberorum, vt dictum est, cùm nullo modo in ipsis virtualiter contineãtur, neque sunt signa ad placitum ex Dei impositione, quia nec nobis, nec astrologis reuelatum est, imò oppositum ex Sacra Scriptura colligitur, ergo Sydera non significant futura libera. Tùm quia vel sunt signa certa, vt non possunt fieri falsa, & sic tollitur libertas, vel possunt esse falsa, & sic sunt deceptiua. Tùm quia Astrologia perfectè reperitur in Angelis, qui tamē regulariter loquendo, non possunt secreta cordium cognoscere ex cōmuni consensu Theolog. solus .n. Deus scrutator est cordiū, ergo &c.

Obiectiones.

Contrà allatam doctrinam plura objiciuntur argumēta, & primò contra primam, & secundam Conclus. Cœlum est causa vniuersalis, & indeterminata, ergo ex ipsius cognitione, non habetur cognitio determinati effectus. ℞. neg. consequ. & de rebus naturalibus est contra experientiam, videmus .n. hãc sciētiam multum agriculturæ, nauticæ, & medicæ professioni conducere, & Cœli dicuntur causæ vniuersales, non quia nullum effectum se solis, & determinatè producant, sed quia virtutem habent quasi illimitatam ad plures effectus iuxta exigentiam, & diuersitatem applicationis à causis particularibus.

Siluius, Sanchez, Filliuc. & Layman negant ex astrorum aspectu prædici posse alicuius hominis tēperamentum, & inclinationem, pro quibus sic obijcitur: Videmus natos in eodē puncto diuersas habere inclinationes, complexiones, & ingenia etiam si ab eisdem parētibus nati sint, vt de Iacob. & Esau patet. Nec qui in bello eodem moriuntur, aut naufragio sub eadem constellatione omnes nati sunt, ergo falsum est ex aspectu Cœlorum præcognosci posse hominum inclinationes. ℞. neg. conseq. ad inclinationes .n. & temperamentum multum causæ sublunares conferunt, ex quarum varietate possunt etiam complexiones variari. Potest quoque esse, quòd plures sub eadē constellatione natos easdem complexiones, & temperamentum habeant quò ad actum primum, non tamen quò ad actum secundum, potest .n. vnus ex propria libertate contra illas inclinationes operari, & ex frequentatis actibus habitum contrarium acquirere (vt de Socrate refertur, cui cum objiceretur, quòd in Venerea multum effusus esset, respondit: *talis fuissem, nisi Philosophia me coercuisset*) Alter verò sequi connaturales inclinationes;

alter

alter impeditur, vt suas inclinationes, vel aptitudines exerceat, defectu natalium, loci, paupertatis &c.

Hinc satis mihi placet discursus Serræ 1. p. qu. 115. art. 4. vbi ait: Astrologos posse per coniecturam, non verò certò, & Syllogisticè, ex Cœlorum motibus, & Astrorum influentijs cognoscere complexiones corporum humanorum, & inclinationes appetitus sensitiui, & ex his, non ex Astris prædicere propensiones ad actus liberos, puta ad iram, ad veneria &c. non tamen quòd erit rixosus, mulierosus &c. quia poterit esse sapiens, & astris dominari, vt ait Ptholomeus, & poterit educari, & habere Magistros, & Parentes optimos à quibus corrigatur; ex quibus colligitur tantùm remotè, indirectè, & incertè Astrologos præscire inclinationes, & propensiones ad iram, ad amorem &c.

Ad illud de Gemellis Iacob. & Esau non vrgere; nam hoc fuit ex Dispositione Diuina, cuius imperio creaturæ omnes subduntur. Potest etiam accidere, quòd aliquando tempus medians inter natiuitatem vnius, & alterius infantis Cœlorum aspectus notabiliter varietur, quandoque minimè; & licèt Cœli rapidissimo motu voluantur, ità vt quolibet minuto varietur totaliter aspectus in se, quò ad influentiam, tamen aliquando idem aspectus perseuerat, etiam per medietatem horæ, aliquando minus; vnde prouenit, quòd quandoque gemelli figura, complexione, & temperamento sint valdè similes, quandoque valdè dissimiles, ità Mastr. & Bell. ex Hippol. Obic. Ad illud de occisis in bello, ideò diximus falsum esse omnia à Syderibus causari, & præsertim mors violenta ab alijs capitibus accidere potest; Vnde aliqui effectus casuales proueniunt ab astris, aliqui a fortiori actiuitate causarum sublunarium, & præcipuè à nostra voluntate.

Ob. Si probabiliter cognosci posset bona fortuna, aut fælicitas in negotijs, deberent consequêter attendi constellationes illorum omnium, cum quibus negotiari occurrit, quia constellatio vnius non influit in alterum, sed hoc est impossibile, ergo &c. ℞. Neque nos asserimus ex constellatione præsciri posse exitus fælices, vel infælices cuiuslibet tractatus in particulari, qui ex multis circumstantijs, & occasionibus pendent; sed solùm asserimus in generali Syderum virtute aliquem tales propensiones, & mores habere posse, vt gratus, & amabilis pluribus reddatur, & hoc experientia comprobatur, accidit .n. vt aliquis statim ac quempiam viderit naturali quadam Sympathia, vel antipathia erga illum amore, vel odio afficiatur, quod multi Philosophi occultis stellarum influentijs ascribunt, quatenus in cōstellationibus conueniunt, vel disconueniunt; vnde etiam sequitur quempiam facilius, vel difficilius sua negotia peragere, vim Cœlorū atten-

attendendo, quamuis ex multis a- lijs capitibus, & præsertim ex Diuina Prouidentia, vel nostra libertate oppositum sæpè contingat.

Ex his sequitur, falsum esse asserere Victoriam Regis in bello præsciri posse, cùm hæc à Sydetibus non pendeat, sed ab alijs causis, vndè minima occasio aliquando est causa, vt acquiratur, vel emittatur victoria; Sicuti etiam negamus Dignitates ex electione prouenientes præuideri posse, cùm hæc ex multorum arbitrio pendeant, & priuatis electorum finibus, ac vtilitatibus, & præcipuè à Dispositione Diuina. Negamus etiã præcognosci posse bonam, vel malam fortunam alicuius, rigorosè loquendo de fortuna prout dicit euentum quorumdam effectuum casualium præter intentionem, vt est inuentio thesauri &c. quia isti sunt omninò per accid. & nullam habent causã.

Sciendum est etiam, quòd inter Astrologos magna est controuersia, an figura constellationis sumi debeat à conceptione, vel à natiuitate, & communior opinio docet sumendam esse à natiuitate, & præcipua ratio est experientia, ex dominio .n. stellarum in Horoscopo, vt plurimum effectus futuri rectè præuidentur, licèt etiam conceptio satis ad hoc conferat; attamen in natiuitate fortiora Sydera experiuntur, cuius fundamentum esse poterit, quia infans est tunc à matre diuisus, & extra vterum magis expositus est influentijs, ex aeris attractione, & respiratione cor refrigerante, quod est principium, & radix totius fabricę humani corporis ex Arist. vbi prius erat cum matre coniunctus, & eamdem cum matre influentiam habebat; Sed quicquid sit de hac lite inter Astrologos, negari non potest, quin Astra aliquo pacto ad inclinationes, & complexiones influant.

Dices, Horoscopus, seu punctũ natiuitatis difficulter haberi potest, nam potest contingere error in horologio, vel alijs instrumentis, & modica huius rei variatio maximam infert in iudicio diuersitatẽ, ergo per hanc rationem solùm inferri difficultatem Astrologię nostrę, non in se, quæ difficultas superari potest ex directionibus, & euentibus aduenientibus, vt sunt infirmitates, ex quibus à posteriori deuenitur in cognitionem constellationis à natiuitate, vndè etiam figura regulatur.

Obiectiones.

Contra 3. Contendunt Aliqui Authores Sydera esse facta à Deo in signa futurorum ex humana libertate dependentium, addentes non lędi liberum arbitrium ex tali præsignificatione, sicut neque læditur ex multis prædictionibus infallibilioribus, quæ à Deo in Sacra Script. reuelantur, quæ sent. tribuitur Origeni, ex qua Manichei, & Prisillianistæ hæretici dixerunt ex astris, tamquam ex Signis cognosci posse quis sit prædestinatus, & quis reprobus; & Aliqui dixerunt

Ma-

Magos ex Syderibus sine noua stella cognoscere potuisse Christi natiuitatê, quem errorem tenuit Petrus de Aliaco Cardinalis q. 30. in Gen. vt Sixtus Senensis refert lib. 6. Bibliot. ad not. 10. Sed asserere ex Astris dignosci posse prædestinationem, & hominum reprobationem hæresis est damnata à Leone 1. ep. 93. & à Concil. Tolet. 1. Sicut ingés temeritas est affirmare ex Astris ordinarijs cognosci potuisse futuram Chisti Incarnationem, & natiuitatem, est n. misterium fidei, vt dicitur ad Ephes. 3. fuit. n. *Dispensatio Sacramenti abscondi ti à sæculis in Deo*. Ad horoscopiũ Christi, ab Aliaco confictum respondet Picus lib. 5. c. 14.

Ob. Aliquibus testimonijs Sac. Script. Gen. 1. habetur, quòd Astra, seu luminaria Cæli fuerunt à Deo constituta in signa, tempora, dies, & annos. Deutoron. 6. & 11. postquam Deus legem, & præcepta dedit Hæbreis, subiunxit: *Suspendite ea pro signo in manibus*. Iob. 37. *In manu hominum signat, vt nouerint singula opera sua*. In quibus datur intelligi lineas manuum esse signa actionum humanarum, & Aristot. 10. Prob. 45. ait; *vola est carnosa scissuris vitæ indicibus distincta*. & Isa. 37. *complicabuntur sicut liber Cœli*, & Apocal. 6. *Cœlum recessit, sicut liber inuolutus*. Rc. sensum Verborum Gen. esse, quòd Sydera Cœlestia signant, & faciunt successionem temporum, s. diei, & noctis, mensium, & annorum. Dicuntur etiam Signa effectuum naturalium, nempè imbrium, siccitatum, & frigoris, aestus, &c. non vero signa futurorum liberorum, vel quæ casu eueniunt.

Ad illud de lineis in manu; Notandũ est, quòd phylosnomia, quę ex effigie corporis habetur, & pars illa Metoscopia, quæ lineas frontis contẽplatur, & Chiromantia, quæ lineas volæ manus considerat, supposita illa doctrina Astrologorum, lineas has effectus esse astrorum, possent concedi, quia procederent ad indagandos effectus Syderum, cum quibus naturalem connexionem haberẽt, ex eo quia ab eadem communi causa procederent; & ita ex hoc capite non essent hæ scientiæ suspectæ. Hyppolit. obic. pro firmo habet, lineas illas verè à stellis causari, & ad variationem aspectus Cœlorum variari, & ex inspectione harum linearum facillimè deueniri in cognitionem Horosco pi, seu puncti natiuitatis, quòd experientia se multoties comperisse confitetur; an autem hoc suppositum sit verum, ostendant Astrologi, sufficit nobis, quòd Chyromantia saltem vt signum est actionum liberorum, damnata est ex Const. Sixti V. & ad summum lineæ illæ essent tantum signa effectuum naturalium, & inclinationum; licèt reuera sensus Script. sit Spiritualis, & per manus denotantur opera, quæ in signum deseruire possunt ad indagandum præmium, vel pœnam pro altera vita, & in eodem sensu Cœli vocari possunt li-

bri .s. effectuum naturalium, non liberorum, & quòd in illis manifestetur Dei prouidentia erga creaturas sublunares.

Ob. Dæmones de futuris, & liberis in oraculis respondebant, sed hæc futura non poterant in se ipsis cognoscere, ergo in Cœlo tamquā in signo, vel causa. ℞. 1. illa oracula semper fuisse ambigua, & æquiuoca, quæ in diuersos sensus referri poterant, & multoties falsa. ℞. 2. Dæmones multa pronunciasse ex Diuina, vel Angelica reuelatione, sic disponente ordine occulto Diuinæ prouidentiæ ex Aug. super Gen. ad lit. c. 17. & D. Thom. 2. 2. q. 172. art. 6. plura etiam futura consequentia cognoscere possunt in causis propter perspicuitatem ingenij, & per indicia externa, V. g. per immutationem vultus, & alias corporis affectiones, & ex his principijs Astrologi futura reuelant.

Ob. Cometæ communiter dicūtur esse signa alicuius vniuersalis calamitatis, immò quasi sēper denotant mortem alicuius Principis, ergo non potest negari superiora, signa esse horum inferiorum. ℞. q Cometæ non sunt signa naturalia effectus liberi, immò nec vniuersaliter semper sunt signa sterilitatū, pestis, mortis Principium &c. hæc .n. aliquando eueniunt, nullo præuio cometa; & aliquando Cometæ apparuerunt, & tamen effectus illi non contingerunt, vel saltem non plus, quàm alijs temporibus; Dicuntur tamen rationabiliter signa naturalia sterilitatum, & infirmitatum, quia ex multarum exhalationum copia in aere proueniunt, à quibus regulariter humores hominum alterantur. Dicuntur signa mortis Principium, quatenus à Diuina Prouidentia assumuntur aliquando ad monendos homines, vt pœnitentiam de peccatis agant, quia Princeps est Persona communis, & ex vnius morte facilè oritur Regni perturbatio; Vel vt Principes, & Magnates aduertant, & tereant, quia cùm sint Rectores populorum, ex ipsis præsertim petēda est ratio de obseruantia, vel corruptione morum, & Præceptorum Diuinorum.

DVBIVM XXIX.

An Sydera influant in sublunaria per motum, lucem, & per qualitates occultas.

Dubium non est, an quando astra concurrunt tamquam causæ principales ad productionē rerum substantialium, agant p lucem, aut aliā aliquā virtutē accidentalē, clarum est .n. in sent. Scoti, astra neque per lucem, neq; per aliud Instrumentū producere immediatè sublunares substantias, sed per proprias suas formas substantiales, nam per Doct. Subtil. nullū instrumentum attingere potest terminum principalis agentis, de quo iam egimus in Phys. Sed dubium est, quando Sydera concurrunt ad productionem accidentium, & alterationes requisitas ad generationem

nem

nem substantialem, An hoc agant per motum, vel per lucem, vel per qualitates occultas?

De motu fuit opinio Aris. 2. Cęli 42. & 1. Metheor. c. 4. quod tantùm sol per motum localem tamquam per rationem agendi producit lumen, & calorem in istis inferioribus; sed quomodo producat lumen non explicat, quomodo autem producat calorem, ait, quod corpus tunc aerem calefacit, quando est solidum propè ipsum aerē, & velocissimè mouetur, quæ conditiones, tm in sole reperiuntur, nam licet Luna proximior sit mundo inferiori, tardè tamen mouetur motu diurno, cætera verò astra licet velocissimè moueātur, maximè tamen distāt, Sol verò est satis propinquus; quia sol in sent. Aris. immediatè constituitur supra Lunam, quæ sent. ferè ab omnibus eius expositoribus relinquitur. D. Tho. q. 5. da pot. art. 8. & in 2. d. 2. q. 3. art. 3. negat motum esse Cœlo rationem agendi, sed benè conditionem, sine qua non operarentur corpora Cœlestia, cessante .n. motu, cessarent Cœli ab operationibus quibuscumq; præter illuminationem; & specierum visibilium diffusionem, immò & quòd cessarent actiones omnes causarum sublunarium, & in hac sent. sunt quāplures Thomistæ.

De luce, communis oppinio est, quòd non solùm lumen in his inferioribus producat, sed etiam medio lumine producat calorem: Ægid. in 2. d. 14. q. 1. Durand. Auersa. Lync. & Alij volunt Solem per lucem tantùm illuminare, per aliam verò distinctam virtutem calefacere.

De Influentijs, seu virtutibus occultis, Auerr. Ziin. Iand. Achil. Zabarel. Contar. & Alij negant huiusmodi influentias in Astris; sed dicunt omnia produci per lucem tāquam per actiuam virtutem, vel saltem calore per lumen producto, qui calor non potest dici instrumētum à lumine distinctum, cum ab ipso lumine causetur; Agunt verò per motum tamquam per rationē applicatiuam agentis ad passum. Ex opposito Scot. in 2. d. 14. q. 3. ad 1. Ægid. in 2. d. 14. q. 3. art. 2. dub. 1. laterali, Gabriel, Riccar. Alb. Recentiores omnes, & præsertim Cottunius cum Astrolog. admittunt in Astris alias qualitates actiuas præter lucem, per quas varios effectus producunt, & ad multas substantiales generationes cōcurrunt, quos effectus non causant lumine tamquam instrumento medio, sed actionibus immediatè ab illis virtutibus procedentibus.

Conclusio Prima.

Dicimus 1. motum Cœlestem nec Soli, nec Lunæ, nec alijs corporibus esse rationem agendi, aut conditionem sine qua corpora Cœlestia, vel sublunaria non agerent, sed esse tantùm conditionem necessariò requisitam, vt astra per motum in varijs mundi partibus diuersos producant effectus est Scoti in 2. d. 14. q. 3. ad 3. & in 4. d. 1. q. 4. D. & ali-

& alibi est communior, & ex Thomistis Recentioribus sequitur M. Iacob. Brun. q. 8. de Cœlo art. 2, contra Ban. & quam plures Thomistas. Pr. quò ad primam partem: Motus localis ex sua ratione, non est nisi acquisitio loci, & præsentiæ in loco, ergo non requiritur ad operandum, nisi vt agens fiat præsens passo: ergo qñ agens est in loco, & præsens passo, poterit sine motu in passum operari, & consequenter quia quodlibet Astrum est in se ens completum & perfectissimas in se virtutes habet operatiuas; non requirit motum, vt causam, vel conditionem agendi. Tū quia, quod non est necessarium in agentibus sublunaribus neq; est necessarium in Cœlestibus. Sed agens sublunare immotum potest agere, vt patet de magnete ferrum localiter attrahēte; & ignis immotus cōburit stuppam sibi approximatam; & Aug. 11. Confess. cap. 23. docet, quòd stante Cœlo adhuc rota figuli moueretur, ergo similiter & Cœlum immotum potest agere. Tum quia tempore Iosue stante, & quiescente Sole, homines localiter mouebantur, & pugnabant, & fiebat generatio, & corruptio, & alteratio, & hæc sine miraculo, nā hoc solùm accidit circa solis quietem, non circa alterationes in hæc inferiora, aliter quælibet minima actio inferiorum causarum in vniuerso miraculosè contingisset, quod esset multiplicare tot miracula sine necessitate.

Quòd deindè motus sit conditio requisita, vt Sydera ordinatè per varias mundi partes diuersos effectus producant, patet, nam agens naturale manens idem in eodem loco, & eodem modo applicatum, natum est producere idem, vt ergo diuersa in diuersis locis agat, oportet vt moueatur, & diuersimodè applicetur. Vndè si Sol in vno tantùm hemisphærio quiesceret, nec omnem mūdi partem illuminaret, nec nisi in vna parte influeret, & eodem modo, & ità non daretur rerum vicissitudo, sed in vna regione semper æstatem causaret, in altera hiemem, vnde totus Vniuersi ordo perturbaretur, & mixta corrumperentur, nam si Sol, qui modò semper est in motu tàm immēsum calorem in his inferioribus producit, quid faceret si in eadem parte semper permaneret?

Ob. contra allatam doctrinam, & auctoritatibus, & rationib. ex 2. Meth. 4. Primū in vno quoq; genere, est causa, & metrū motuū cæterorū, sed motus Celi est primus in genere motuum, ergo est causa omnis motus in sublunaribus. Confirmatur. 8. phys. tex. 56. vbi Aris. ait: motus localis comparatiuè ad alios motus dicitur *prior quo non existente, non erunt alij, ille verò sine reliquis erit*, ergo motus localis Celi erit conditio necessaria ad alios Celorum motus.

R. ex Doct. in 4. cit. ma. esse veram de primo, primitate causalitatis, & quòd est mensura rerum

in esse quidditatiuo, qualis est Deitas, non de primo primitate vniformitatis, & velocitatis, & de mensura accidentali, quæ per applicationem, vel coextensionem mensurat, sicut vlna mensurat pannum: at motus Cæli non est per se, & simpliciter causa cæterorum, sed per accid. quatenus est conditio requisita ad generationum, & corruptionum vicissitudinem, quo sensu concedi potest cessante Cæli motu, cessare quoque actiones inferiorum, quia paulatim omnia interirent. Ad Confirmationem resp. vt supra, motus n. Cœli est necessarius, non vt Cœlum operetur, sed vt applicetur ad singulas mundi partes, vndè oritur ordinata rerum vicissitudo, & hac ratione motus Cœli dicitur primus.

Ob. Cœlum se habet ad vniuersum sicut cor in animali ex Arist. Sed cessante motu cordis, statim cessant omnes motus animalis, ergo cessante Cœlesti motu, cessarent omnes motus mobilium. R. maiorem esse veram quò ad aliquam similitudinem, quatenus sicut cor cōfert membris spiritus vitales ad varias operationes exercendas, ita Cœlum inferioribus vires præbet ad generandum, non est tamen vera quò ad omnem similitudinem, nam cessante motu cordis, moritur cor, & animal, quia non potest fieri attractio aeris in pulmone, ad eius refrigerationem, at cessante motu Cœli, non corrumperetur Cœlum, cùm sit impassibile, ac consequenter nec inferiora corpora statim perirent. Hinc D. Thom. q. 5 de pot. art. 10. ad 8. ait: *Cessante motu Cœli [illegible] mouerentur, & omnia [illegible] per subtractionem Diuini influxus omnia subitò perirent, non sic per subtractionem Cœli, sed post aliquod tempus.* Ratio est, quia causæ sublunares dependent essentialiter à Deo, sed non essentialiter à corporibus Cœlestibus; Vndè Cœlum dicitur causa vniuersalis, non quia eius concursus necessarius sit ad omnes effectus, nam talis est solus Deus, sed quia ad plures effectus est illimitatus, & suo calore fouet, & adiuuat præsertim virtutem seminalem viuentium; & quando etiam hæc subordinatio essentialis esset vera, adhuc neganda est consequentia, quia Cœli immoti etiam influerent, & concurrerent ad effectus sublunarium.

Ob. Motus localis in istis inferioribus est causa caloris, ergo tanto magis in Cœlis, vbi est perfectissimus, & velocissimus, antec. patet experientia, nam homo ambulando incalescit, & per attritionem silicis, & chalybis concipitur ignis. R. communiter, quòd motus in his inferioribus est causa tantùm per accid. non per se, & ratio est, quia motus per nos est respectus, qui est de numero sterilium. Tum quia si esset causa per se, quilibet localis motus calefaceret, quod falsum est, nam motus tardus non generat calorem; homo existens in naui, licèt velocissimè moueatur,

 non

non tamen calefit; Aer huc, & illuc vento impulsis, non calefcit; Aqua calida agitata frigefcit; Vinum in niue, quò citius mouetur, citi⁹ frigefcit; Aer flabello commotus refrigerat, ergo motus per se non est causa caloris, sed per accid. ratione .f. quarumdam conditionum, quæ aliquando interueniunt; & quidem in viuentibus est clarum, nam ambulante animali transeunt spiritus ab internis partibus ad externas, sicut etiam sanguis; vndè ex magno sanguinis, & spirituum concursu, qui ex se sunt calidissimi, externæ animalis partes incalescunt, ideoque causę per se caloris sunt sanguis, & spiritus vitales, motus verò dicitur causa per accid. quatenus est causa, vt spiritus ad exteriores partes accedant. In non viuentibus, relictis Plurimotũ sententijs, tunc motus est causa caloris, quando duo corpora inter se conteruntur (dummodo vnum nō sit formaliter frigidum, vt de vino, & niue patet) nam tunc aer interceptus, vel qui est in poris, purificatur, idest, segregantur, & expelluntur partes ipsius crassiores, & aduētitiæ .f. terreę, & aqueæ, ita vt per eos eorum afflictum aer rarescat, & quia natura sua calidus est propè summum, statim ac depuratus est ab aduētitijs impressionib. quæ propriam caliditatem impediebant, per naturalem quamdam emanationem sequitur calor, & consequenter etiam in corporibus propinquioribus diffunditur, hinc causa per se est ipse aer, causa dispositiua est raritas, motus verò est causa per accid. quatenus per motum partes aeris segregātur ab inuicem; & quia sunt aliqua corpora, quæ propter innatam duritiem, & angulorum distinctionem aptiora redduntur ad talem attritionem aeris, & segregationē, vt sunt chalybs, & silex; hinc euenit, vt aer ità rarefiat, vt aptus reddatur ad introductionem formæ ignis, quæ ab agente vniuersali introducetur, si non adsit aliud agens, licèt igitur motus Cœli sit causa, vt multa in hæc inferiora producantur, non tamen sequitur esse causam per se caloris, sed solùm per accidens & ei sicut etiam est causa frigoris, adducens circa nostrum emisphęrum stellas illas, quæ frigus influunt.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. licèt probabilis sit opinio, quòd lumen est causa caloris, probabilius tamen censemus per aliam virtutem Solem illuminare, per aliam verò calefacere. est ad mentem Scoti, & plurium Recentiorum, cum Ægidio in 2. d. 14. q. 1. Durando. Auersl. Linceo, lib. 9. physic. tract. 11. de Cœlor. propriet. cap. 5. & Alijs, Contra D. Thom. 1. p. qu. 67. art. 3. vbi docet, quòd Cœlum agit per lumē tamquam per formam, & rationē agendi. Pr. Si stellæ per lucem calefaciunt, ergo quæ æqualem habent lucem, æqualem producerent calorem, sed hoc est falsum, nam stella canis maximum inducit calorē, & tamen in luce non excedit Stellas

las primæ magnitudinis, ergo &c. Tum quia maius lumen reperitur in montibus, quàm in planitie terræ, & tamen maior calor est hic, quàm ibi, cùm totum oppositum contingere deberet ex maiori propinquitate ad luminosum, cuius est agere intentius in partes propinquas, quàm in remotas. Tum quia sequeretur idem simul, & semel esse causam oppositorum, sed hoc est falsum, ergo & id vndè sequitur. sequela patet, nam Saturnus frigefacit, & ratione lucis calefaceret. Pr. mi. Nequeunt ab eadem essentia duo principia fluere inter se contraria, si .n. vnum est naturale, alterum erit violentum, sed virtutes illæ calefactiua, & frigefactiua sunt quædam potentiæ à principio actiuo, & intrinseco fluentes, & sũt contraria, ergo si Saturnus per suã virtutem frigefacit, non poterit per aliam virtutem oppositam calefacere; Vnde si aqua frigefacit, & humectat, non calefacit, & exiccat. Tum quia lux est eiusdem speciei in omnibus luminosis, vt diximus supra, sed multa sunt luminosa, quæ non calefaciunt. Hinc. P. Lync. loc. cit. ait: Quid dicent Aduersarij ad metalla ab astris producta in visceribus, latebrisq; terrarum, quò nec eorum motus, nec lux descendit? quid ad fluxus, refluxusq; maris à luna in alio hemisphærio existente, & nec lucem, nec motum huc transmittente causatos? quid ad magnetis, acusq; eo attritæ conuersionem ad polum articum, etiam vbi nihil est lucis?

Ob. ex Aris. 4. de part. anim. c. 5. vbi docet, noctes plenilunij tepidiores esse propter intensionem lucem; hinc in plenilunio ostrea, conchilia, & similia sunt pleniora propter maiorem calorem lunarẽ. ℞. cum auersa Aris. intelligendum esse per concomitantiam, vndè maior illa tepeditas nõ necessariò refundi debet in lucem, sed potius in aliquam aliam virtutem occultam lunæ prouenientem ex tali aspectu solis, quem non habet alijs temporibus. Vel dicendum est cum Bell. & Mast. Aris. fauere oppinioni oppositæ, & talem calorem prouenire non per concomitantiam, sed effectiuè ex reflexu radiorum, & hoc propter probabilitatem oppositæ sent.

Ob. apposito lumine, generatur calor, remoto lumine destruitur, & si speculum concauum Soli exponatur, & vbi fit reflexio radiorũ aliquod combustibile reperiatur, statim accendetur, Signum euidẽs, lumen esse productiuum caloris. ℞ Neg. assumptum, in Saturno .n. est lux, non calor; In Canicula est intensa vis calefactiua, non intensa lux. Ad exemplum, non est reflexio luminis, quæ causat incendiũ per speculum, sed reflexio caloris in punto reflexionis, nam tale incendium per speculum non fit, nisi tempore æstiuo quando aer satis incalescit, Ratio autem cur in hac infima aeris regione causatur calor intensior, quàm in se-

O cun-

cunda regione, est propter maiorem densitatem, & impuritatem huius infimę regionis, nam aer mediæ regionis est purior, & rarior, maiorem autem impressionem generat ignis in materia crassiori, quàm in rara, vt experientia patet.

Conclusio Tertia.

Dicimus 3. præter motum, & lumẽ admitti debere in Cœlis influentias occultas, quibus astra agant in hæc inferiora per proprias, & distinctas actiones. Colligitur ex Scot. in 2. d. 14. q. 3. ad 1. & D. Tho. 2. Cœli cap. 7. & in 2. d. 15. q. 1. art. 2. ad 5. & sequuntur Recentiores ferè omnes, vt videre est apud Conimb. Ferrar. Lync. Iacob. Brun. & Alios Contra Caiet. 1. p. q. 70. art. 1. ad 2. vbi expresśè negat huiusmodi qualitates occultas, & contra Pic. Mirand. Perier. & alios Astrologos, qui qualitates occultas appellant nouitium inuentum, & ignorantiæ asylum. Pr. nam etiam qui in Cœlo negant influentias, concedunt deinde illas motui, & lumini, dant .n. illis virtutes aliquid efficiendi .s. alterandi, & generandi, quæ non sunt nec motus, nec lumen, ergo sic etiam dicere poterāt dari has influentias distinctas.

Patet etiam relatis experientijs à P. Lynceo tactis, nam acus attritu magnetis confricata attrahitur à Cœli partibus polo vicinis, quæ attractio fit etiā in tenebroso loco. Cepæ sub tecto existētes diebus hiberni solstitij germināt. Diebus canicularib' maiores experimur calores quā in solstitio ęstiuali, quādo dies lōgiores sūt, & sol est nobis ꝓpinquior. Luna in nouilunio licèt terrā non illuminet, maiores tamē fluxus, & refluxus causat in mari. Tandem metalla à Syderibus generantur in visceribus terræ, & quāuis metallorum substantia immediatè à formis substantialibus Syderum gignatur, attamen dispositiones, & præuiæ alterationes proueniunt ab aliqua accidentali virtute à luce distincta, nam lux per lumen tamquam per instrumētum tantùm extimas terræ partes attingit. Astrologi tribuunt Saturno virtutem infrigidādi, & exiccandi, Ioui efficiendi temperiem, Marti ardendi, Soli liquefaciendi, & æstuandi, Lunæ humectandi, Veneri, & Mercurio virtutem producēdi moderatum calorem, quæ omnia necessaria sunt ad generationē viuentium, quas qualitates Cœlestis calor producere non potest, vt de calore sublunari patet, qui est eiusdem speciei cum Cœlesti, & tā neq; frigiditatem, neq; humiditatem producere potest, ergo necessariò ad aliquas occultas qualitates recurrendum est.

Aduersarij multipliciter resp. primò negando experientias, vel si sunt veræ negant ab astris prouenire, sed potius à qualitatibus occultis in his inferioribus existentibus V. G. magnes nō attrahitur ꝑ virtutem occultam Cœlorum, sed respicit polum per quamdam qualitatem sibi intrinsecam. Non placet,

cet, nam negare sensum, & experientias, imbecillitas est intellectus ait Aris. Ascribere hos effect' causis inferioribus est vilifacere virtutem causandi astrorum, totum .n. quod habent hæc mixta ab astris effectiuè accipiunt. Tum quia videmus huiusmodi effectus causari cum dependentia admotus, & aspectus Cœlorum, ergo stellæ saltem vt causæ partiales cõcurrere debent.

Respondent 2. concedentes omnes istos effectus ab astris produci, sed medio calore, qui naturæ est pfectioris, & omnes illas qualitates eminenter continet. Non valet, quia calor Cœlestis est eiusdem rationis cum elementari, cùm ad inuicem se intendant, & tamen calor elementaris non potest huiusmodi effectus cõtrarios producere. Tum quia lux est calore perfectior, quia illum producit in sent. Aduers. vt causa æquiuoca; ergo si lux non potest primas qualitates virtualiter continere, neque etiam calor Cœlestis. Tum quia cùm Astra diuersam habeant naturã, diuersasq; actiones, debeãt etiam virtutes, & distincta instrumenta, & alterius rationis habere.

Respondent 3. quòd lux in quãtum est virtus vnius Planetæ, causat calorem, in quantum verò est virtus alterius, causat frigiditatẽ. Non satisfacit, nam perlucem Sydera non attingunt viscera terræ, nec loca tenebrosa. Tum quia vel simul cum luce immediatè alia virtute distincta agunt, vel non, si hoc secundum, sicut lux in sua entitate considerata non potest illos effectus producere, ita nec vt virtus talis planetæ, si nihil ei addatur; Si primum, iam influentias occultas admittunt.

Resp. 4. Faber Theor. 100. concedendo, quòd tales effectus ab astris proprijs virtutibus producantur, sed medio lumine tamquam instrumento, cui quodlibet astrum qualitatem imprimit, qua mediãte proportionatum producit effectum, quando verò producit metalla &c. hoc faciunt virtute caloris à lumine producti, qui intimas terræ partes peruadit, & ideo non debet æstimari instrumentum à lumine distinctum. Non recipitur, nam instrumentum debet esse proportionatum tàm virtuti actiuæ, quàm effectiui, at impossibile est, tam simplex instrumentum, quale est lumen, tam varijs, & contrarijs effectibus, ac tam diuersibus virtutibus proportionatum esse. Tum quia instrumentum non attingit terminum principalis agentis ex nostro Doctore, sed solùm dispositiones præuias, ergo si lumen est instrumentum harum virtutum, quarum termini sunt accidentia disponentia ad formas substantiales, iam lumen non attingeret hæc accidentia, sed dispositiones ad illa, & sic darentur dispositiones dispositionum. Quod addit de calore penetrante terræ viscera, adest experientia in contrarium, nam tempore caniculæ loca sub-

terranea superficiei terræ propinqua sunt frigidissima, siue hoc ab antiparisti procedat, siue non, parum refert, ergo multo minùs calor Solis à lumine productus tam vastam terrę molem peruadere poterit. Tum quia nunquam tam ingens calor à lumine causatur, sicut fit à fornace, sed calor fornacis non ad modum profundè intus terram penetrat, ergo neq; ille calor à lumine productus, & tanto magis quia vterq; calor est eiusdem speciei, ergo si calor fornacis non potest tam vastam terrę grossitiem permeare, neq; hoc poterit calor Solis, qui debilior est. Ità Mast. & Bell. disp. 2. de Cœlo q. 7. art. 4. & Sequitur M. Iacob. Brun. q. 8. artic. 8.

Admittendę sunt igitur influentiæ istæ Astrorum, & dicuntur occultæ, vel quia impercibiliter, & quasi spiritualiter influunt, vt faciunt species sensibiles, vel quia in seipsis, & à priori sũt nobis ignotæ, & notissimæ sint à posteriori, & ab effectibus; sicut etiam euidentissimum est, quòd magnes à stella polari attrahatur, causam autem à priori nescimus. Sunt huiusmodi qualitates dimẽsionatæ, & per medium extensæ, sed spiritualiores elementaribus qualitatibus, quia non ità impediũtur per grossitiem obstaculi, vt elementares, sed penetrant profunda terræ, & ad distinctionem specificam astrorum, specie quoque multiplicantur, & sic definiri solent: *Sunt qualitates insensibiles in Cœlis existentes; per quas effectus proueniunt, quorum non potest reddi ratio ex causis, per sensum notis.*

Ob. Arist. nũquam de huiusmodi influentijs mentionem fecit, & Scot. in 2. d. 13. q. 1. ait: nulla qualitas consequitur formam substantialem corporis Cœlestis, nisi lux, ergo &c. ℞. arg. procedi ab Authoritate negatiua, quod non valet; & quis de facto hanc sanciuit legem, vt nihil sciamus, nisi quę Antiqui tradiderunt ait Mastr.? sic .n. de medio multa tollenda erunt, quæ ad medicinam, cosmographiam, & ad alias facultates spectant. Accedit, quòd Arist. 1. Metheor. sum. 2. c. 4. & 6. dum certis Stellis virtutem ascribit generandi Cometas, & viam lacteam, & non omnibus; & lib. de element. causis, dum maris æstum ad Lunã refert, & non ad alia astra, non obscurè has facultates insinuauit, cũ in lumine omnia conueniunt. Scot. tunc loquebatur de qualitatibus sensibilibus; non de insensibilibus, de quibus postea loquutus fuit dist. sequenti.

Ob. Idem calor naturalis in animali diuersa producit in corpore, iuxta diuersitatem potentiarum, ergo per idem lumen plures effectus confici possunt, quatenus instrumentum est multorum Sydérum. ℞. neg. assumptum, potentię .n. corporis animalis non vtuntur calore, vt instrumento, sed plurib. alijs virtutibus vitalibus, licèt calor satis ad illas actiones conferat.

Ob. Si

Ob. Si in Cœlo essent huiusmodi influentiæ, sequeretur illas esse qualitates perfectiores luce, quia proprietas consequens naturā specificam perfectior est qualitate, quæ consequitur naturam genericam, cuiusmodi est lux, sed hoc est falsum, lux.n. est præstantissimus effectus primi corporis, .s.Cœli ergo &c. ℞. neg. min. nam lux est præstātissim' effect' inter sensibiles qualitates, Influentiæ verò occultæ sunt insensibiles.

Ob. ex Fabro, quò agentia sunt nobiliora, eò paucioribus vtuntur instrumentis, sed astra sunt elemētis nobiliora, ergo quia elementa duo habent instrumenta scil. duas primas qualitates, astra vnum tantum habebunt, quod erit lumen. Tum quia omnis actio physica fit per contactum corporalem ex Arist. 7. phys. sed Cœlestia non tangunt in hæc inferiora, nisi per lumen, ergo &c. ℞. cũ Mastr. & Bellut. maiorem non esse vniuersaliter veram, quando agentia perfectiora sunt ad ordinata ad plures functiones diuersas exercendas, & ferè contrarias, vt patet in homine, qui multò plura habet instrumenta, quàm alia viuentia. Ad aliud, sufficere contactum virtualem in sent. nostri Doctoris, quem ipse Faber etiam fatetur, ponens actionem in distans; minor est voluntariè assumpta.

DVBIVM XXX.

Quid sint grauitas, & leuitas.

ARist. 1. Cœli 89. docuit grauitatem, & leuitatem esse formas positiuas, contra aliquos Antiquos, qui dicebant leuitatem non esse formam realem positiuā, sed quamdam priuationem grauitatis, asserentes omnia corpora esse grauia, sed differre secundum magis, & minus, & idcircò vnum corpus ferri sursum, non quòd sic ascendens propellatur ab intrinseca virtute, sed quasi per accid. & ab extrinseco, quatenus grauius minus grauibus se supponere contendit. Non valet, nam alij dicere possent è contra, quòd grauitas sit priuatio leuitatis, & corpora omnia esse magis, vel minus leuia, & ideò aliqua deorsum moueri, quatenus magis leuia minus leuibus supereminere nituntur. Tum quia quod habet corpus ex se petit proprium locum determinatum, ne confusè, & indistinctè corpora in vniuerso existerent, quod est contra rationem vniuersi, quod ex corporib. ordinatè dispositis integratur, & consequenter non per accid. sed per se, & ab intrinseco ad proprium locum tendere debet; hinc experimur, quòd quæ sursum tendunt, velocius in fine, quàm in principio mouentur, indicium motus naturalis, & ab intrinseco; patet de aere in vtre pleno, & de igne in subterraneis incluso, qui magno impetu sursum tendunt, signum euidens, quòd non à grauibus, sed à seip-

à se ipsis per leuitatem intrinsecam mouentur. Assignantur ergo duo hæc principia motus sursum, & deorsum, nempè grauitas, & leuitas; grauitas est principium motus, & quietis deorsum, & si est ad locum infimum, erit grauitas simpliciter, & sic ab Arist. 4. Cœli 30. definitur in concreto .s. *graue simpliciter est, quòd ad medium mouetur, & omnibus alijs naturaliter subest*; si verò mouetur ad locum deorsum, non infimum, erit grauitas secundum quid, & comparatiuè, quatenus corpus natum est esse supra vnum, & infra aliud, & in ordine ad graue simpliciter potest dici leue. Leuitas est principium motus, & quietis sursum, & si est ad locum sursum medium, erit leuitas secundum quid, & relatè; si ad locum supremum, erit leuitas simpliciter, & sic in concreto definitur: *leue simpliciter est, quod à medio mouetur, & omnibus alijs supereminet.* Est tamen hic aduertendum, quòd hæc definitio non conuenit Cœlo, vt Aliqui putarunt, Cœlum .n. non est natum moueri à medio, nec propriè dicitur omnibus supereminere, quasi in loco supremo quiescat, nam aliud est esse locum sursum, & & aliud esse in loco sursum; Cœlũ est locus sursum, ignis verò in loco sursum. Quibus habitis, quæritur, an istæ formæ sint substantiales, vel accidentales.

Auerroistæ, cum Rubion, & Alijs affirmarũt has formas esse substantiales, & ex Recentioribus sequitur Arriag. disp. 4. de gen. sec. 5. Alij inter accidentia connumerant, confundunt tamen illas cum raritate. & densitate, ità vt grauitas sit densitas, & crassities rei; leuitas verò sit raritas. Communis asserit esse qualitates à densitate, & raritate distinctas.

Conclusio.

Dicimus, grauitatem, & leuitatem non esse formas substantiales, sed qualitates à raritate, & densitate distinctas realiter. Est ad mentem Scoti in 2. d. 2. q. 10. & 15. ad 2. & 3. Quòd non sint substantiæ sic aliqui probant: Substantia non habet contrarium, non est per se sensibilis, sed grauitas, & leuitas contrariantur, & sunt per se sensibiles sẽsu tactus, ergo &c. Tum quia in Sacramento Altaris grauitates panis, & vini remanent, non remanentibus substãtijs, ergo sunt accidentia. Non valet, nam vrget Arriag. quòd inter grauitatem, & leuitatem solùm illa contrarietas adest, quæ inter duas formas substantiales reperitur; nec grauitas est per se sẽsibilis, aliter quando lapis existens in terra tangeretur, illum non eleuãdo, perciperetur grauitas, sicuti percipitur calor, frigus &c. Solùm igitur percipitur effectus grauitatis, qui est impulsus ad motum deorsum, & eodem modo in Eucharistia non est grauitas, sed effectus grauitatis.s. impulsus à Deo productus, vt miraculum occultetur.

Melius probant Mastr. & Bellut. ex hoc, quòd grauitas, & leuitas inten-

tenduntur, ergo non sunt Substantiæ, consequentia est clara, nam substātia nō intenditur, & remittitur, anteced. Pr. vapores aquei, & exhalationes omnem prorsus grauitatem amittunt, & super aerem ascendunt, propriam formam substantialem retinentes secundum communiorem sententiam, deinde vapore infrigidati conuertuntur in aquam, & descendunt, ergo nec grauitas erit substantia, nec leuitas cùm substantia nec intensionem, nec remissionē patiatur. Cōfirmatur, quod adest, & abest à subiecto præter subiecti corruptionem, est accid. sed grauitas, & leuitas sunt huiusmodi, ergo &c. patet min. experientia in humoribus herbarum, qui virtute caloris leuitatem acquirunt, vndè in operculo orificium ollæ cooperiente apparent guttæ aquæ sursum eleuatæ, ex leuitate ab igne recepta, retenta adhuc eadem substātiali forma, quod colligitur ex proprietatibus, vt odore, & virtualibus qualitatibus, quas adhuc conseruant, ergo sunt accidentia, non substantiæ; & non sunt quantitas, quia hæc indifferens est ad grauitatem, & leuitatem, imò sinè ipsis reperiri potest, vt patet in Cœlo, vbi est quantitas sine grauitate, & leuitate, quia quantitas non est actiua, grauitas verò, & leuitas sunt principia motuum, ergo remanet, quod sint qualitates.

Quòd deinde realiter à densitate, & raritate distinguantur, in nostra sent. est euidentissimum, quia non ponimus eas in prædicamento qualitatis, sed asserimus esse positiones quasdam quātitatis de prædicamento Situs, vt in lib. de gen. digestū est. Et qādo ēt essent qualitates, adhuc realiter distinguerētur, licèt .n. vt plurimum, & regulariter comitantur, vt vbi sit densitas, sit etiam grauitas, & vbi raritas, ibi leuitas, qua ratione Arist. 4. physic. 85. & 86. & 3. Cæli 10. densitatem cum grauitate, & raritatem cum leuitate videtur cōfundere, attamen interdum separātur, & patet experientia, nam fumus, & nubes sunt densiores aere, & tamen aere leuiores; lignum est densius aqua, & tamen aqua leuius; plūbū est grauius ferro, & tñ rarius. Patet etiam de glacie, & oleo frigore condensato, glacies .n. densior est aqua, vt patet, similiter, & oleum cap. 4. de sensu, & sensibili, & tamen sunt leuiora, cùm supernatent, ergo non sunt idem, sed ad summum erunt tantùm dispositiones partiales, nam densitas videtur dispositio ad grauitatem, sicut raritas ad leuitatem; Vndè Arist. 2. de gen. 8. & 7. phys. 11. manifestè grauitatem à densitate, & leuitatē à raritate distinxit.

Ob. Probando, quòd grauitas, & leuitas sint formæ substantiales elementorum: Natura diuiditur in materiam, & formam, sed grauitas, & leuitas sunt natura, cùm sint principia motus, & quietis eius in quo est; ergo vel materia, vel forma,

ma, non materia, ergo forma. ℞. neg. min. non .n. sunt principium eius, in quo est primò, & per se, sed extrinsecè, & accidentaliter.

Ob. Si poneretur terra in aere absq; omni accidête realiter distincto, vel ibi sisteret, vel descenderet, si secundum, ergo per grauitatem, quæ est principium motus deorsū, & sic grauitas est de substantia terræ, si primum, ergo ibi naturaliter quiesceret, quod est contra naturam, & dispositionem terræ. ℞. q in casu ibi terra non existeret naturaliter, sed violenter, & non moueretur deorsū, quia careret principio sibi à natura ad hoc communicato, nam forma substantialis nō est immediatum principium motus deorsum, vt infra patebit.

Ob. Aqua per propriam formā substantialem ad pristinam frigiditatem se reducit in sentent. Scoti, & hoc quia frigiditas est ipsi connaturalis, ergo quia locus deorsum est etiam aquæ connaturalis, se ipsa ad illum mouebitur, & non per distinctum accid. ergo grauitas nō est alia à forma substantiali. ℞. negando conseq. & ratio est, quia quòd vna forma sit productiua huius, vel illius effectus, nō cognoscitur nisi à posteriori, sed quia non apparet aliud principium productiuum frigoris in aqua, inferimus principium illius esse aquam ipsam; quia verò ad motum deorsum habemus principium propriū .s. grauitatem, aliter frustra esset grauitas in aqua, hinc rectè arguimus grauitatem esse principium talis motus deorsum.

Ob. Arist. 4. Cœli disputauit de grauitate, & leuitate elemētorum, & postea in lib. de gen. disputauit de primis quatuor qualitatib; sed esset reprehēdēdus si leuitatem, & grauitatem tamquam formas substantiales non acciperet, quia sic prius explicasset secundas qualitates, quàm primas. ℞. quòd Arist. hic egit de elementis, vt mobilib. & quatenus sunt corpora vniuersū integrātia, & ideò necesse fuit pri° qualitates motiuas explicare, quæ ipsis elementis competunt secundum se, quàm primas qualitates.

Hinc sciendum, quòd est maxima contentio inter Philos. à quo grauitas, & leuitas causentur, an.s. à formis substantialibus, vel à primis qualitatibus, & Quidam volūt non à primis qualitatibus, sed à substantialibus formis prouenire, & ratio est, quia si leuitas summa in igne proueniret à calore, & siccitate, ergo quia qualitates istæ sūt in ferro candenti, & terra calefacta, deberent summam leuitatem causare, quod tamen est falsum. Tum etiam quia ex opposito frigiditas, & humiditas deberent causare summam grauitatem in aqua, & in aere mediæ regionis, nempè grauitatem similē grauitati aquæ, quæ tamen falsa sunt, nam terra est grauior aqua; & aer infimæ regionis est grauior, vel saltem æquè leuis cum aere mediæ regionis, licèt sit calidior. Alij verò affirmant

has

has qualitates immediatè oriri à primis, & ratio est, quia manente eadem forma substantiali, sed variatis primis qualitatib; istæ quoque variantur, vt in vaporibus, humoribus herbarum, & exhalationibus patet, in quibus adest leuitas propter variationem, & remotionem frigoris, & fauet Aristot. 2. de gener. 10.

℞. tamen cum Bell. & Mastr. vtramque opinionem simul amplectendo, & quòd .s. causentur à forma substantiali, & primis etiam qualitatibus concurrentibus, alijsque requisitis tamquam dispositionibus .s. raritate, vel densitate, nam reuera difficile est dubium determinare, cùm experientiæ hinc inde vrgeant; Asserimus igitur, quod aliquando variatio primarũ qualitatum non sufficit ad causandam grauitatem, vel leuitatem, vt patet in ferro, & aqua calefacta; quandoque licèt æquè densa, vel rara sint corpora, & primæ qualitates variatæ, adhuc remanet leuitas, vt in aere infimæ, & mediæ regionis, sunt .n. æqualiter rari, sed aer infimæ regionis est calidus, mediæ verò frigidissimus, quod ascribi debet formis substantialibus; Quãdoque verò variatur totaliter grauitas, licèt non varietur forma substantialis, vt patet in vapore, quia vis conseruatiua formę substantialis superatur ab agente extrinseco V.g. à Sole, vel ab igne calefaciente, rarefaciente aquam, & leuitatem imprimente. Sunt igitur grauitas, & leuitas qualitates secũdæ, quia à primis dependent, & causãtur, at non totaliter, sed etiam cõcurrunt formæ substantiales, aliquando proximè aliquando remotè, cum certa etiam dispositione secundarum qualitatum .s. raritatis, & densitatis, nam saltem regulariter corpora densiora sunt grauiora, & rariora leuiora.

DVBIVM XXXI.

An omnes grauitates, & leuitates sint eiusdem speciei.

DVbium est clarum, videmus .n. terram, & aquam esse graues, & ignem, & aerem esse leues, quæritur tamen rationabiliter, an alia specie sit grauitas terræ à grauitate aquæ, & leuitas ignis, à leuitate aeris, an verò differant secũdum Magis, & minus. Gregor. Niphus, Ruu. Moris. Aref. & alij affirmant omnes grauitates esse eiusdem speciei, similiter & omnes leuitates. Achil. verò Tolet. Hurt. Auers. Dand. Conimbr. Amic. & Alij negant. sumus cum hac secunda sent. ideò,

Conclusio.

Dicimus, grauitates ad diuersa loca tendentes esse diuersæ speciei, & idem de leuitatibus affirmamus. colligitur ex Arist. 4. Cæli 26. & 27. quod ex quaternario numero harum qualitatũ, colligit numerum quaternarium elementorum, quæ ratio magis cõuincit ponendo has singulas qualitates differre specie. Sequuntur Mastr. & Bell. disp. 3. q. 1. & itâ

P facilè

facilè Pr. Si duæ grauitates non differrēt specificè, sed secundum magis, & minus, ergo corpus, quod est maioris ponderis, & consequēter maioris grauitatis deberet ad centrum magis tendere, quàm ꝙ est minoris ponderis & grauitatis; Sicut si calor vt duo potest aliquē effectum causare, multò magis calor vt tria, sed lapis vnius libræ est minoris ponderis quàm lignum centum librarum, & tamen lapis in aquis demergitur, lignum verò supernatat, ergo huiusmodi grauitates non sunt eiusdem speciei.

Respondēt Aduersarij hoc euenire, quia lignum habet in poris inclusum aerem, cuius leuitas grauitati ligni resistit, ne ad profundum pergat, sicut etiam euenit in pumice in aquis supernatante propter aerē inclusum. Rūt 2. vel hoc prouenire, quia lapis intensiuè est grauior, licèt lignum extensiuè sit grauius, vnde sicuti calidum vt duo intensiuè, licèt non itá extensum producere potest calorem vt duo, itá calidum vt vnum intensiuè quantumcumque extendatur, tantùm calorem vt vnum causare poterit.

Sed prima responsio non valet, si, n. vtrumque perpendes in statera, grauius apparebit lignum, quā lapis, ergo sicut hic leuitas aeris non impedit quin grauitas ligni præponderat, itá nec etiā in aqua. Tum quia leuitas aeris inclusi non potest esse tanta, vt superet, vel æquipolleat, tantæ ligni grauitati, ergo sicut si alicui graui sit annexū aliquod leue, non potens vincere illius grauitatem, ad motus grauis moueretur, idem in ligno, & aere incluso eueniret. Exemplum de pumice non est ad rem; nam licèt sit verum propter aerem inclusum leuitare, si tamen in puluerem reduceretur, statim in profundum tenderet, quod non verificatur de ligno. Secūda responsio est pro nobis, nam etiam quò ad intēsionem est differentia inter lignum, & lapidem, nam quantumcumque grauitas ligni intendatur, & grauitas lapidis remittatur, nunquam lignū subsidebit aquis, nec lapis supra aquas, signum, quòd huiusmodi grauitates sint alterius speciei, remissio .n. qualitatis solùm facit, ꝙ effectus non producatur itá intensus, vel itá velociter sicut à qualitate intensa, non tamen quòd nullo modo causetur, ergo grauitas remissior ligni solùm esset in causa, quòd lignum non tàm velociter ad profundum tendat, sicut lapis, non autem quòd nullo pacto sub aquis descendat. Tum quia loca ad quæ istæ grauitates tendunt, vt sunt termini istorum motuum, differunt specie, ergo motus erūt specie distincti, ergo & grauitates. 1. consequentia patet, quia motus specificantur à terminis ex dictis in phys. consequentia 2. etiam patet, quia ab eodem principio non nisi idem motus specie prouenire potest; antecedens est euidens, nam loca naturalia formaliter inspecta, ad quæ naturali-

raliter duo elementa grauia mouētur, differunt specie, nam locus terræ est centrum, quatenus terra petit esse sub omnibus corporibus, locus verò naturalis aquæ erit superficies conuexa elementi grauioris .s. terræ, & concaua leuioris aeris, &c. hanc concl. aplectitur Mag. Iacob. Brun. vt probabiliorem in lib. de Cœlo q. 11. art. 2. licèt oppositam putet etiam probabilem; Ità Bell. & Mastr. loc. cit. sunt aliæ rationes, quæ breuitatis causa relinquuntur.

Obiectiones.

Ob. Ex 4. Cœli 26. & seq. vbi Aris. elementa media vocat grauia, & leuia, & principia appellat qua si mixta ex leuitate, & grauitate, vt tepiditas ex calore, & frigore, ergo grauitas aquæ non est species distincta à grauitate terræ, nec leuitas aeris à leuitate ignis. ℞. elementa media vocari grauia, & leuia relatè, & secundum quid, vt diximus, non formaliter, sed metaphoricè respectu diuersorū, quatenus aliquo pacto videntur cum extremis conuenire.

Ob. Grauitas aquæ, & terræ eodem modo mouent deorsum, si. n. esset foramen aliquod vsq; ad centrum, eodem modo aqua tenderet per suam grauitatem ad centrum, & per eādem lineam, ac efficeret terra, solum esset quoddam discrimen in velocitate; Et quando ambo per aerem descenderent, nullū discrimē assignari posset inter principia horum motuum, ergo non differunt specie. ℞. quòd aqua, & terra non descendunt deorsum ad eumdem finem; nam terra tendit, vt sit sub omnibus corporibus, aqua verò vt sit sub aere, & igne, sed supra terram; Vndè si per illud foramen aqua, & terra simul proijcerentur, ambo quidem tēderent deorsum, quia ambo petunt esse sub aere in illo foramine existente, sed terra descenderet vsq; ad centrum, quia est grauis simpliciter, non autem aqua, quæ semper petit esse super terram, & quia motus specificantur à terminis vltimis, inde fit, quòd licèt in descensu per aerem nullum esset discrimen, non tamen ex hoc inferre possumus idētitatem specificam principiorum, cùm ad diuersa loca specie distincta tenderent.

Hinc Sciendum, quòd loca ad quæ elementa mouentur, non solùm habent rationem loci, sed etiā loci naturalis, in quo sensu non solùm dicunt superficiem cōtinentis vel situm vniuersi, sed etiam virtutes, & qualitates corporis locantis, vt sunt connaturales, & conseruatiuæ locanti, vt S. of. docet in 2. d. 2. q. 6. H. vndè licèt in priori sensu omnia vbi sint eiusdem speciei, in posteriori tamen differunt specie, sicut corpora continentia, & qualitates eorum; & ità locus naturalis terræ non est centrum sub ratione cētri, aliter terra nunc existens in superficie terrestris globi quiesceret violenter; Sed dicitur centrum, quatenus terra petit esse

ſub omnibus corporibus, ita quòd locus naturalis terræ erit ſuperficies elemẽti minus grauis .ſ. aquę. Sic aqua non tendit naturaliter ad centrũ, quia ſequeretur quòd ſub terra naturaliter quieſceret, quod eſt falſum, nam videmus aquam ſuper terram aſcendere, & hoc nō fit tantùm ab extrinſecò, ex hoc nẽpè, quòd terra petit eſſe ſub aqua, & ipſam ab inferiori loco expellit, vt aliqui putant, ſed ab intrinſeco, & virtute aquæ, experimur.n. quòd cùm aqua à terra aſcendit ſurſus, minutas terrę particulas ſecum defert, quod non contingeret, ſi ſolùm vi terræ ſurſum moueretur, qua etiam ratione probamus aerẽ propria virtute ſuper aquas aſcendere, quia ſecum defert aquam in altum, vt in Bullis apparet. Locus igitur naturalis aquæ erit ſuperficies conuexæ elementi grauioris, & concaua leuiori. Locus naturalis ignis propriè non eſt orbis Lunæ, ſed ſuperficies conuexa cuiuſcumque alterius corporis, & concaua Cœli. Locus tandem naturalis aeris erit ſuperficies conuexa elementi grauioris, & concaua ignis.

Ob. Qualitas inferioris ordinis nunquam poteſt intendere, aut ſuperare qualitatem ſuperioris ordinis, ſeu diſtinctæ ſpeciei; ſed grauitas aquæ intendit grauitatẽ terræ, vt cùm vas repletur aqua, plus grauitat vas terreũ cum aqua, quàm paululum terræ, ergo non differunt ſpecie. ℞. argum. ſolùm probat maiorem exceſſum ponderis, non exceſſum grauitatis. Ratio eſt quia maior, & minor intenſio, vel exceſſus grauitatis attendi debet, non quòd maius, vel minus pondus cauſatur, nam hoc eſt de per accidens, & potius ab extẽſione grauitatis prouenit, ſed attendi debet ex hoc, quòd vnum graue ponderat in pluribus corporibus, quàm aliud, & hoc erit ſimpliciter grauius; Quia ergo paruum terræ nunquam exceditur à multa aqua, vel ingenti ligno, quia lignum, & aqua grauitant in aere, ſed terra etiam in aqua, hinc nunquam grauitas aquæ, aut ligni propriè poſſunt intendere, aut excedere grauitatem terræ, licèt quò ad ponderis cauſationem poſſint excedere; ſed talis exceſſus maioritatem arguit extenſiuam, quia eſt effectus æquiuocus à quacumq; grauitate cauſabilis.

Ob. Ex hac doctrina ſequitur innumeras eſſe ſpecies, vel leuitates in mixtis, nã alia eſſet ſpecies grauitatis auri, alia argenti, alia plumbi, &c. quòd eſſet entia ſine neceſſitate multiplicare. ℞. concedendo tot eſſe grauitates ſpecies diſtinctas, quot ſunt corpora, quæ determinatè poſtulant tot loca diſtincta, vnde non eſt neceſſe quòd alia ſit grauitas auri, alia argenti, & c. alietate ſpecifica, cùm omnia moueantur ſecundum elementum prædominans.

Ob. Caliditas aeris, & ignis ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo & leuitates. ℞. neg.

℞. neg. conseq. nam caliditates habent eumdem effectum specie causare, non sic leuitates, cùm sint ad terminos specie distinctos, motus n. locales specificantur à terminis.

Ob. Omnia grauia definiuntur per hoc, quod est tendere ad medium, omnia leuia per moueri à medio, ergo sunt eiusdem rationis, & speciei. ℞. neg. conseq. nam definitiones illæ sunt grauis, & leuis in communi, & conceptu generico, non conceptu specifico.

Dices ex definitione leuis sequitur, quòd ignis in terra nõ sit leuis, quia non supereminet omnia. ℞. neg. conseq. quia vt ignis sit leuis sufficit, si aptitudinaliter omnibus supereminet. Multę aliæ solẽt obiectiones in contrarium adduci, quos breuitatis gratia relinquimus, & ex dictis facillimæ sunt solutionis.

DVBIVM XXXII.

A quo Grauia, & leuia ad propria loca moueantur.

Dicebat Empedocles, quòd causa effectiua grauitatis, & leuitatis est Cœlum, quatenus propter suam maximam perfectionem aborret commercium rerum corporearum, hinc vi quadam prouenientc ex suo velocissimo motu, ea à se propellit, & eò longius, quò grauiora existunt; quia terra est omnium grauissima, ad centrum detruditur; Deinde aqua, quæ est minus grauis; Sequitur postea aer, & tandem ignis omnium leuissimus. Quæ sent. vt falsa, meritò ab Arist. reijcitur 2. Cœli in fin. Nam tunc elementa violenter mouerentur, expulsio .n. inter violentos motus cõnumeratur. Tũ qa non velocius mouerẽtur in fine, sed tardius, vt in motu quolibet proiectorum contingit. Tum quia Cœlum non posset leuia sursum mouere, expulsione .n. non trahitur corpus ad se, sed à motore remouetur. Neq; verum est id, quod aliqui asserebant .s. grauia, & leuia non posse à loco proprio moueri, propter quamdã conuenientiã, & Sympathiã, quã habent cum loco, in quo virtus quædam ad sit attrahendi ad se locatum, quomodo magnes attrahit ferrum, nullũm .n. hoc inuentum fulcitur fundamento. Neq; hic loquimur de principio passiuo, nam clarum est hoc esse quidditatem grauis, vel leuis moti iuxta inclinationem illius. Neq; loquimur de principio per accid. quod est remouens prohibẽs, vt remouens lignũ, vel columnã, supra quã est Petrus. est causa p accidẽs mot' Petri deorsũ, sicuti applicans ignẽ domui est causa p accidẽs cõbustionis domus ex Arist. 8. phys. 32. Sed loquimur de principio effectiuo, & per se, quod duplex esse potest .s. *quo* vel *quod*; Primum est ratio formalis, qua mediante principium *quod* mouet; Secundũ est illud quod immediatè, & p se dicitur causare motum; & de hoc duplici principio instituitur præsens controuersia.

Quantùm ad principium *quo*, vna

vna opinio asserit, quòd sit forma substantialis ipsius grauis, vel leuis, grauitatem verò, & leuitatem esse principia instrumentalia, ita Zabarel. Contar. Rubion. & Alij. Quidam verò affirmant principiū *quo* formale, proximum, & principale esse grauitatem, & leuitatem, Principium verò remotum esse formā substantialē, Ragus. vult, hoc principium nec esse formas substantiales grauium, & leuium, nec grauitatem, & leuitatem, sed esse virtutem quamdam in ipsis grauibus, & leuibus existentem veluti passionem fluētem à quiditate grauium, & leuium.

De principio *quod*, non est minus dissidium, nam Thomistæ affirmant grauia, & leuia à se ipsis non moueri, sed à generante producēte in illis virtutem motiuam, ità D. Tho. 1. p. q. 18. art. 1. Vbi Caiet. & sequuntur Thomis. omnes, Ferrar. Iauel. Conimb. Ruu. Complut. Ioann. de S. Thom. Murcia, Tolet. Suar. & alij Scot. verò 9. meth. q. 14. & in 2. d. 2. q. 10. & d. 14. q. 1. C. & d. 25. I. & in 4. d. 14. q. 3. AA. & alibi, in quibus locis defendit idem posse in seipsum agere, sustinet, principium *quod*, horū motuum esse ipsum graue, vel leue, non generans, vel aliud extrinsecum, & præter Scotis. sequuntur Nominales omnes, & Zabarel. Cōtaren. Ragus. loc. cit. Aurria q. 14. sec. 5. Arcs. 1. de gen. disp. 5. q. 42. sec. 2. Hurt. disp. 9. phys. sec. 8. Arriag. disp. 3. de gen. sec. 10. Amic. Ferer. Achill. Vasq. Dandin. Murcia, & omnes illi, qui negāt semper necessariam esse distinctionem agentis à passo.

Conclusio Prima.

Dicimus primò, principia Quib' proxima, & immediata motuū grauium, & leuium, esse grauitates, & leuitates, formas verò substantiales esse principia remota, quatenus ad productionem grauitatis, & leuitatis concurrunt, est Scoti loc. cit. & patet ex Arist. 4. phys. 85. & 86. vbi grauitatem, & leuitatem ponit principia motuum sursum, & deorsum. & 4. Cœli. 2. docet, quòd grauia, & leuia habent in se suscitamenta quædam motus in his inferioribus, idest fomites, & incitamenta, per quæ nō potuit intelligere, nisi grauitatem, & leuitatem. Tum quia posita grauitate, omni alio ablato, ponitur motus deorsum, vt patet in Hostia consecrata; & ablata grauitate, omni alio posito, tollitur motus deorsum, vt patet in vaporibus, & exhalationibus, ergo grauitas est principium *quo* proximum, & immediatum motus deorsum, & idē de leuitate dicendum erit. Ex his patet superfluam esse potētiam illam Ragus. à grauitate distinctam, cùm nulla ratio cogat ad multiplicationē tot principiorū sine necessitate. Quòd tandē forma substātialis sit solum principium remotū motus deorsum, patet ex dictis in physica, nam licèt forma substantialis concurrat etiam cum proprijs accidentibus ad productionem alte-

rias accidentis similis in subiecto, vt forma ignis producit calorem in seipsa, & cum illo concurrit ad calefactionem ligni, nō tamen debemus vniuersaliter cōcedere formam concurrere ad quemlibet effectum propriorum accidentium, maximè cùm æquiuocè producuntur, non .n. potens producere formam aliquam, necessariò etiā virtualiter continet effectum æquiuocū illius formæ V. G. forma est causa quantitatis, quantitas est causa impenetrabilitatis, non sequitur, quòd forma se sola causare possit impenetrationem; sic forma est causa grauitatis, grauitas est causa æquiuoca motus deorsum, non tamen ex hoc necessè inferre debemus motum deorsum immediatè à forma substantiali prouenire, aliàs frustra concessa esset formæ virtus ista motiua; Vndè etiam sequitur, quòd istæ virtutes principales causæ dici debent, non instrumentales, cùm hæ non attingāt effectum principalis agentis.

Ob. Aris. 8. phys. 32. loquens de grauibus, & leuibus vt sic, ait, habere principium motus non faciendi, sed patiendi, & 2. de gen. 8. docet grauitatem, & leuitatem nec esse principia agendi, nec patiendi. ℞. ad 1. ex Doct. tunc Aris. nō loqui de principio effectiuo motus, sed de illo, à quo naturalis denominatur, quale est principium passiuum. Ad 2. de gen. loquitur de grauitate, & leuitate in ordine ad formam absolutam deseruientē generationi, cuius non sunt rationes agendi, nec patiendi, quia nō per grauitatem aliquod agens producit formam absolutam, &c. sed huiusmodi qualitates posuit principia actiua, & passiua respectu vbi localis.

Ob. Forma est natura, ergo debet esse principium motus naturalis. ℞. sufficere, quòd forma sit principium actiuum aliorum motuum, respectu verò motus localis sit principiuū effectiuū remotum, & passiuum primum, & per se, cū hæ virtutes moueant iuxta innatā formæ inclinationem.

Ob. Ragus. Fingamus vnum locum qui sit centrum, ad quem grauia moueantur, & alterum, qui sit concauum lunæ, ad quem leuia tendant, tunc si leuitas esset principium motus sursum, ergo aer cùm sit corpus leue, debet sursum ascendere, quousq; ad concauum lunæ perueniat; sed propriam regionem non trascendit, ergo illuc non mouetur leuitate, sed propria vi motrice à leuitate distincta. ℞. quòd cùm leuitas aeris sit specie distincta à leuitate ignis, non mouet ad locum simpliciter sursum, sed tantùm secundum quid, vt, s. sit supra terram, & aquam, sed infra ignem &c.

Ob. Rubion. Si forma substantialis non moueret immediatè, sequeretur graue, & leue non moueri naturaliter, sed hoc est falsum, ergo. Pr. sequela, sicut quod per se non est album, non per se disgregat visum,

visum, sic quod per se non est principium actiuum motus, sed per aliud, non per se mouetur; ac consequenter non naturaliter, quia natura est principium per se. ℞. si ratio hæc valeret, concluderet non dari principiũ naturale merè passiuum, & nullam virtutem actiuam distinctam, quod est falsum. Vnde dicimus formam ab intrinseco petere, & ex se deorsum moueri, & ex se esse determinatam passiuè ad talem motum; sed non se mouet actiuè immediatè, sed per virtutem distinctam .s. grauitatẽ.

Arguit Fortius: Apparẽt aliqui motus locales in grauibus, & leuibus, qui non nisi à formis substantialibus causantur; ergo si forma substantialis potest producere aliquem motum localem, erit etiam immediatè productiua motuum sursum, & deorsum. Pr. antec. cùm aqua infunditur in puluere, aut in aliare non madefacta, vt in folijs brassicæ, & similium herbarum, cõglobatur, qui motus non est à grauitate, quia non est motus deorsũ, & partes aquæ conglobantur intra ipsum aerem, vt illi supereminant, ergo à forma substantiali naturaliter tales motus siuè sursum, siuè deorsum proueniunt. ℞. cum Bellut. & Mastr. admittendo relatos motus esse naturales, licèt aliquo pacto contra inclinationem. Ratio est, quia natura intendens quandoque sibi subuenire, & conseruare, ad euitandum aliquod magnum nocumentum, de per accid. seipsam lædit, & in se nocumẽtum aliquod affert, quasi de duob. malis minus eligens; sic ad subueniendum parti vulneratæ magnam spirituum copiam subministrat, quæ tamen sæpè inflammationis est causa, & ad conseruationem nobiliorum partiũ corporis, humores noxios ad ignobiliores partes propellit; illasque lædi permittit; Sic in casu, quia societas, & approximatio contrarij scil. siccitatis pulueris nocet aquæ; ad hoc nocumentum euitandum se conglobat, & supra aerem secundum partes se eleuat, quia hoc est minus nocumentum, quàm illud; nam extra proprium locum potest aliquantum res persistere, non tamen ad præsentiam contrarij, quin patiatur, & ad corruptionem tendat, & cõsequenter est motus quidam naturalis iuxta appetitum se conseruandi in connaturali statu cuilibet rei à natura inditũ.

Sed dubium remanet à quo tales motus causentur, & ℞. multipliciter, primò quòd causentur ab ipsis contrarijs; quatenus propter approximationem, suas proprias virtutes coadunant, & in seipsis magis constipantur, vt fortius ad bellum tendant, & resistant, vt euenit in antiparistasi; quare etiam si accidentia essent sine subiecto, adhuc isti motus causarentur, vt in speciebus consecratis. Secundò dici potest quòd causentur ab aliqua virtute omnibus indita, cuius munus sit conseruare rem in proprio esse, quæ mouet iuxta exigentiam,

& ap-

& applicationem contrariorum, sicut Conimb. 4. phys. de Vacuo, docent in omnibus corporibus reperiri quamdam virtutem, qua moueantur corpora ad impediendum vacuum. Tertiò admitti potest, quòd relati motus immediatè à forma substantiali proueniant, negatur tamen paritas de motibus omnibus sursum, & deorsum, & cōstat experientia, nam vapor ascendit sursum, & idem contingeret etiam si ibi nulla forma substantialis adesset, Signū, quòd motus deorsum à sola grauitate prouenit, ex his patet responsio in forma ad argument. vel neg. anteced. vel consequentiam.

Conclusio Secunda.

Dicimus 2. Principium Quod immediatum, & per se grauitatis non esse generans, sed ipsum graue, & leue, ità Scot. loc. cit. Pr. ratione ex Doct. Effectus, qui actu causatur, requirit causam actu causantem ex 2. post. 11. & 2. phys. 27. & 5. meth. 3. quia quod non est, nihil producit, sed cùm graue mouetur, potest generans esse corruptum, vel valdè distans, ergo principiū *Quod* immediatum, & per se grauitatis non erit generans.

Aliqui Thomist. Resp. glosando S. Doct. generans solùm esse causam illius motus deorsum immediatè post quam graue genitum est, tunc .n. graue merè passiuè se habet, & causa illius motus est generans, sed postea nō amplius à generante mouebitur, sed à seipso. Communis tamē Thomistarum sensus est, quòd motus semper generanti tribuitur tamquam causæ, & ad Argum. Respondent cum Caiet. dupliciter generans esse potest præsens .s. vel secundum se, & hoc modo negant esse causam motus, vel secundum suam virtutem, & sic concedunt, quòd generans est causa motus deorsum; Ratio est, quia generās debet producere graue in esse naturali, & sibi proportionato, idest cum omnibus passionibus naturaliter conuenientibus, quæ licèt à forma proueniant, hoc tamen fit per quamdam emanationem, & consequenter à generante causantur actione generatiua; & quia passio debita grauib. est quies in proprio loco, vbi viuentia debēt in motu consistere, hinc munus generantis erit producere graue in esse quieto, & in proprio loco; attamen quia quandoque ab illo loco extrahi potest, idcirco debet graui virtutem tribuere, qua in proprium locum redire possit, & hac ratione grauitas dicitur virtus generantis, & grauia à generante moueri, non tamen viuentia, quia motus viuentium vt sic, non est debitus ex vi generationis, quia generantur, vt se moueant ab intrinseco, in quo consistit ratio vitæ.

Nulla responsio placet. Non prima, quia contingere potest, vt generans destruatur, antequam graue quiescat, & tunc assignari deberet causa illius motus.

Neque Secunda, quia consistit

in quodam apparatu verborũ Nos hic inquirimus causam physicam per se influentem in effectum, & ipsi assignant pro causa generans, quatenus tribuit virtutem motricẽ graui. Contra arguitur: Actio generatiua generantis, cùm sit substãtialis, non per se terminatur ad accidẽtia realiter distincta, vt est grauitas, ergo nullo pacto grauitas dici debet virtus generantis, & consequentia est clara, antecedens Pr. vnius actionis vnus est terminus, & diuersorum terminorum, diuersæ sunt actiones, forma grauis, & omnia accidentia connaturalia distinguntur realiter à forma substantiali producta à generante, ergo diuersis actionibus produci debent, quòd autem resultent, hoc solùm significat necessariam connexionem, non tamen negat distinctam actionem.

Sed dato etiam, quòd grauitas à generante immediatè producatur, non ob id tamen generans dicetur mouere, alter sequeretur, quòd si filius sustentatus ab aliquo ligno, quod propter illius grauitatem frangeretur, & filius propter præcipitium moreretur, tunc pater esset causa mortis filij, quod ridiculũ censetur. Rt. Ruu. talem motum prouenire ab extrinseco .s. ab impulso impresso. Non valet, quia non ponimus aliquod agens, quod deorsum impellat, sed ex simplici fractione ligni, quo casu nullus motus violentus interueniret, sed solùm grauitas filij, quæ vt ad centrum tenderet, lignum impediens remoueret, & quia per ipsos Thomistas talis grauitas ageret, vt virtus generãtis, ergo pater esset causa motus deorsum, & mortis filij. Tum quia quando duo sunt eiusdẽ speciei, quod est vni connaturale, & proprium, tale est etiam alteri, si ex ratione specifica conuenit, sed graue ex alio graui genitum sunt eiusdem speciei; & grauitas est accid. connaturale consequens rationem specificam grauis, ergo non minus erit virtus propria generantis, quàm geniti.

Quòd deinde graue sit principiũ *Quod*, Pr. ex illo communi axiomate: *actiones sunt suppositorum*, vel saltèm habentis modum suppositi, per Scot. in 4. dist. 12. & tale erit quod vltimatè agere denominatur ob principium *Quo* in illo existens, sed graue est huiusmodi, grauitas .n. in ipso est, ergo graue est principium *Quod* motus deorsum. Tũ quia forma est ratio formalis agẽdi illius, cui inexistit, si est accidentalis, vel quod constituit si est substantialis, nam causalitas formalis exercetur per exhibitionem propriæ entitatis, sed grauitas grauis in graui existit, non in generante, ergo grauitas erit ratio formalis agenti ipsius grauis, & consequenter graue erit principiũ *Quod* motus deorsum. Tum quia omnis actio geniti esset à generante, quia omnis potentia geniti fuit à generante, & illius est actus, cuius est potentia, & ita non solùm motus

decor-

deorsum esset à generante, sed etiā visio, auditio, commesto &c. Tum quia quando aliquid habet potentiam actiuam respectu alicuius formæ, potest illam causare in quocūque passo proportionato, sed graue potest in læui coniuncto causare vbi deorsum, & ipsum est subiectum capax, & proportionatum talis vbi, ergo ipsum graue est principium *Quod*, & actiuum talis motus. Tum quia magis propria est graui grauitas, quàm calor aquæ, sed cū aqua calore calefacit, principium *Quod* huius calefactionis est aqua, & hoc quia calor, q est principium *Quo* inhæret aquæ; ergo idem, & rationabilius de graui asserendum erit.

Ob. Quod reducit potentiam ad actum, ad quem est illa potentia ordinata, mouet illud, quod est sub tali potentia, sed generans reducit potentiam grauis ad motum ex 8. phys. 28. & seq. ergo generans est causa motus deorsum. ℞. quòd generans habet reducere potentiā essentialē, quæ est ad formā substantialem, & sic intelligendus est Arist. non autem potentiam accidentalem ad motum.

Ob. Proiecta dicuntur moueri à proijciente, licèt hoc non adsit, ex eo solùm, quia dedit impulsum ad motum; Pater dicitur generare, quia decidit semen, quòd se habet vt virtus, & vicem gerens patris, ergo idem dicendum erit de generante grauia, & leuia. ℞. Proijciens esse causam motus, & patrem causam filij remotè, nō proximè, quatenus s. proijciens produxit impulsum, & Pater produxit semen, nec pater aliam respectu filij actionem habet post seminis decisionem.

Ob. Mouere se est proprium viuentium, hinc res inanimatæ semper motæ, quarum motorem vulgus nescit, viui appellantur per similitudinem, vt argentum viuum, ergo res inanimatæ ab extrinseco idest à generante mouetur. ℞. Mouere se post quietem in proprio loco, est proprium viuentium, at grauia, & leuia post quam sunt in proprio loco, non amplius mouent se, nisi prius ex illo loco ab alio extrahantur; & quia argumentum viuum videtur post quietem etiam ex se moueri, dicitur viuum, inde negatur consequentia.

Est tamen aduertendum, quòd mixta inanimata mouētur ad propria loca etiam à propria grauitate, & leuitate, & licèt dicatur communiter moueri ab elemento prædominante, hoc non intelligēdum est, quòd elementa formaliter maneant in mixto, quia per nos remanent tantùm virtualiter, vt suo loco visū est, sed dicuntur moueri ab elemento prædominante, quatenus grauitas mixti magis assimilatur grauitati terræ, vel aquæ, quæ grauitas est simplex quædam forma, non composita ex pluribus gradibus qualitatum motricium elemētorum, quod est contra Auerroistas ponentes elementa formaliter in mixto &c.

DUBIUM XXXIII.

An motus naturalis grauium, & leuium velocior sit in fine, quàm in principio.

ARis. 5. phys. 76. & 1. Cœli 88. resp. affirmatiuè, quē omnes Philosophi sequuntur. solùm Simplic. 1. Cœli 88. de hac cummunissima sent. dubitare videtur, & nuper Arriaga expresſè illam negat disp. 4. de gen. sec. 5. subsec. 3. vbi ait: Mobile siue sursum, siue deorsum æquali semper velocitate naturaliter mouetur.

Sumus cum Aris. & patet experientia de lapide, qui eò maiorem incutit ictum, quò altius cadit, ergo quò altius mouetur, eò magis intenditur velocitas motus. Rt. Arriag. ex hac diuersitate solùm infertur diuersitas impulsus, non velocitas motus. Sed contra, impulsus, non causatur solùm ex altiori distātia, à qua lapis mouetur, sed ex celeritate motus, si .n. quis lento motu lignum securi feriat, parum, vel nihil offendet, si veloci, multum lædet, Similiter si lapis leuiter super caput imponatur, ipsum non franget, vt efficeret, si celeri motu descenderet. Tum quia Sibilus, & commotio aeris causatur ex velocitate motus, & quò lapis ex altiori loco descendit, eò maior sentitur sibilus, & maiorē ventum experimur, ergo velocius mouebitur.

Ob. Motus sursum est fumo naturalis, qui tamen non est velocior in fine, & vt ait Arriag. cadant pila coriacea, & lapis ex turri, licèt eadem velocitate moueantur, tamen pila nullum infert damnum, lapis verò confringet caput, ergo talis diuersitas non erit à maiori velocitate motus, sed à vehementiori impulsu. Tum quia velocius mouetur auis rapidissimè volans, quàm lapis decidens, & tamen lapis caput franget, auis autem non nocebit.

℞. ad 1. quòd partes fumi subtiliores, celerius mouentur sursum, grauiores verò tardius, ratio est, quia propter aerem ambientem, & segregationem ab illis calidioribus, infrigidantur, & grauiores euadūt, & hoc est in causa, quòd fumus in fine velocitatem amittit, quia grossioribus partibus detinetur. Ad 2. paritas non valet, quia nos nō asserimus ex velocitate motus præcisè causari maiorem impulsum, sed requiritur etiam in mobili grauitas, & vna sine altera non valet, & hac ratione maior impetus imprimitur in lapide, quàm in leui pluma à proiciente. Ad 3. Ideò auis non tam vehemētem impetum imprimit, sicut lapis, quia hic est durior, grauior, & agit toto conatu in corpus extrinsecum, at auis tàm propter plumas, & molitiem carnis, quàm propter vitam, qua seipsum sustentat in aere, non imprimit toto impetu grauitatē in corpus externum, ideoque non ipsum lædit. Relicta igitur Arriag. opin. quæ contra commumem est, & Cōtra experientiam, indagatur causa huius

hujus proprietatis grauis, vndè proueniat.

Aliqui dicunt, hoc prouenire à loco naturali propter naturalem Sympathiam, quam habet cum locato, vndè fortius trahit è propinquo, quàm è remoto. Alij asserunt hoc prouenire à medio, quatenus lapis terræ propinquus, minus aeris scindere habet, quàm in principio motus. Quidam verò aiũt prouenire, ex hoc, q grauc sursum existens, alias acquirit qualitates motui deorsum resistentes, vel si fuit in altum eleuatum, retinet adhuc de impulsu à projjciente impresso, quas tamen qualitates in progressu superat, vnde motus velocior euadit.

Nulla responsio adęquat; non prima, nam ex hac doctrina sequeretur, quòd lapis eadem velocitate moueretur, eũdemque impetum causaret si ab alta turri descenderet, ac si ex vno palmo distantiæ à terra caderet, cùm in loco adesset eadem Sympathia; Neque secunda, ex eadem doctrina, cum enim adesset eadem moles, propinquitas, & crassities aeris, eodemque modo esset aer à qualitatibus deporatus, eademque velocitate lapis moueretur ex alta turri decidens, ac à palmo distantiæ decisus. Neq; 3. si. n. graue in altum esset genitum, & statim absque aliquo impedimento deorsum tenderet, non esset qualitatibus peregrinis imbutus, & tamen velocius moueretur in fine, quàm in principio. Thomistæ cum D. Thom. 1. Cęli lec. 17. resp. hoc euenire, quia graue quanto magis descendit, tãto magis confortatur grauitas ejus, ob propinquitatẽ ad proprium locũ. Nõ valet, nã coincidit cum prima respõsione, & sequeretur quòd eodem modo graue moueretur à propinquo, ac à remoto loco, quicquid dicunt Manca, & Joan. de S. Thom. qui non nisi appparatu verborum hanc veritatem pallient.

Communis tamen modus dicendi refert causam in aerem, sic procedendo: Aer antecedens lapidem, cùm sit motus à lapide deorsum, pellit aerem inferiorem, & quia mobile velocius mouetur per medium ad eamdem partem commotum, quàm si esset quiescens, vt patet de naui in flumine, quæ velocius mouetur, currente flumine, quàm in aqua stagnante, hinc lapis, licèt initio tardè moueatur propter aerem quiescentem, postea tamen velocius mouetur, cùm reperiat aerem commotum deorsum, & minus inuenies in medio impedimentum retardans, vndè velocior mouetur vsque ad finem. Concurrit etiam ad maiorem hanc velocitatẽ aer subsequens lapidem, nam per motum lapidis diuiditur, & deinde à tergo lapidis, vnitur ad impediẽdum vacuum, & lapidem propellit, & quoniã eò magis, & maiori impetu propellit lapidem, quò celerius ad impediendum vacuum accurrit, hinc fit, vt magis crescat velocitas motus. Signum hujus impul-

pulsus ab aere à tergo causatus, erit ille quasi ventus, qui prope lapidé descendentem sentitur; ita Zabarell. Buril. Conrar. Ballonus, Achil. Tolet. Auersa, & Alij.

Sed licet hæc doctrina vera sit, non tamen explicat causam sufficientem huius maioris velocitatis, nam concedimus aerem impellere, & adiuuare ad talem motum, non tamen tantam vim habere, nã impetus ille causa est, vt lapis decidens caput frangat, quod non faceret si leuiter caderet; & si lapis super caput poneretur, & maior impetus causaretur à valido vento, quam ab aere lapidi à tergo accurrente, nullum tamen produceret nocumentum, ergo aer commotus, & à tergo accurrens, non est causa sufficiens, vt adeo intensum impetum in lapide causet, & idem apparet de securi super lignum posita, vento flante.

Pro solutione, notamus, quòd sicut in nobis virtus motiua imprimit in proiecta impulsum quendã, qui est qualitas causatiua motus indifferenter, pro vt à projciente dirigitur, & determinatur, sic etiam grauitas, & leuitas cùm sint virtutes motiuæ vim habent producendi impulsum in externa corpora; & sicut in nobis virtus motiua non solum causat impulsum in extrinseca corpora, sed etiam in nobis ipsis; sic etiam de grauitate, & leuitate dicendum erit, quòd .s. non solum in extrinseca corpora causent impulsum, sed etiam in ipsis grauibus, & leuibus, si .n. grauitas est productiua impulsus, & graue est capax huius impulsus, si potest in corpora externa causare, tanto magis in ipso graui; nam forma productiua alicuius actione transeunte, poterit idem causare actione immanenti, si compositum est illius capax, & sicut iste impulsus non causatur à nostra motiua virtute tam in nobis, quàm in corporibus externis, nisi mediante motu, & quo motus est velocior, eo intẽsior est impulsus, cùm .n. volumus saltare, prius aliquantulum retrocedimus, & currendo peruenimus ad locum saltus determinatum, vt ex illo motu maior impetus ad saltum nobis imprimatur, ità quoque grauitas producet impulsum in graui medio motu, & quò velocior est motus, eò magis augetur impulsus, vt patet de trutina, in qua cùm explorare volumus æqualitatem ponderum, expectandum erit, quousque trutina quiescat; sæpè .n. cõtingit, vt leuius pondus impositum cum motu in vna lance trutinæ superet grauius positum in alia, nõ ratione grauitatis, vt patet, sed ratione motus. Hic impulsus est qualitas quædam à grauitate specie distinctus, de facili corruptibilis, causatiua motus, pro vt ab agente determinatur, quòd autem causetur medio motu, & non in statu quietis, constat experientia, qui motus propriè non est ratio causandi, sed solùm conditio sine qua non produceretur talis impul-

sus,

sus, se habet. n. ac si esset applicatio causæ, & ab Aliquibus appellatur grauitatio, & leuitatio, ab alijs vero grauitas, & leuitas accidentalis.

Dubij Decisio.

Ex his patet ratio, cur grauia, & leuia mouentur velocius in fine, quàm in principio; licèt;n. aer sit causa impellendo lapidem V.g. à tergo, & quia in fine, propter paruitatem molis ipse aer facilius scinditur, causa tamen principalior est impulsus à grauitate causatus à lapide dum mouetur, & quia ad augmentum impulsus acceleratur motus, & ex motu celeriori intenditur magis impulsus, hinc quò graue longius mouetur, eò motu velociori mouebitur. Sic Mastr. & Bell. disp. 3. de Cœlo qu. 3. num. 50. ex Hieronymo Angesto de propr. formarum pag. 66. quem sequuntur Conimbr. 2. Cœli c. 6. q. 1. art. 2. Vasq. Less. Murcia, Arcsius, & alij. colligitur ex Scoto in 2. d. 2. q. 10. D. vbi volens probare grauia ab intrinseco moueri, ait: *Motus naturalis intenditur in fine secundum Arist. primo de Cœlo, & mundo, cuius difficile esset assignare causam, si effectiuum istius motus esset aliquod extrinsecum*, quibus verbis ostendit causam maioris velocitatis in motu grauium, esse ipsammet grauitatem, non aliquod extrinsecum. Patet etiam euidenter ex Arist. 1. Cœli 83. & q. 19. Mechan. vbi docet omnia corpora vehementius agere in motu; & graue, quò plus mouetur, eò plus grauitatis acquirere, ex quo fit, ait Arist. vt securim altius attollamus, dum volumus ligna vehementius scindere; quæ verba intelligi non possunt de grauitate in actu primo, nam securis post motum non est grauior, quàm antea, ergo accipi debent de impulsu, seu grauitate accidentali.

Dices, impulsus non auget motum naturalem, sed violentum, pr. quod impulsus ex se indeterminatus est ad quemcumque motum, quare si proiciens lapidem pellat deorsum, impulsus impressus intendet motum naturalem lapidis, ergo etiã impulsus à grauitate causatur, quia non est maior ratio de vno, quàm de altero, cùm eiusdem sint speciei.

Dices, data hac sent. sequere, ut quamlibet grauitatem esse virtutis infinitæ, sed hoc est falsũ, ergo &c. Pr. sequela, si. n. graue quò plus descendit, eò velocius mouetur, & maior impetus à grauitate causatur, si in infinitũ descenderet, finitum infinitum causabit impetum, ergo esset infinitæ virtutis, vel si negetur augere in infinitum impetum, necessariò negari debet motum naturalem esse velociorem semper in fine, quàm in principio, vel alia causa huius maioris velocitatis assignari debet. Rnt. Mastr. & Bell. quod si motus protenderetur in infinitum non intenderetur proportionaliter in velocitate, tùm quia grauitas est limitatæ virtutis. Tum quia impulsus non multum

durat,

durat, sed labitur, licèt diutius cũ motu conseruetur, quàm sine motu, hic .n. est velut fomentum conseruans impulsum; quare licèt semper de nouo generetur impulsus à grauitate, & ab aere, tamẽ si multũ temporis motus duraret, de priori impulsu aliquid deberet deperdi. Vnde dictum istud, quòd motus naturalis sit velocior in fine, quàm in principio, intelligi debet de rebus sic stantibus, in hac .n. rerum serie, quia grauia non tendunt deorsum in infinitum, nec leuia sursum, sed per determinatum spatiũ mouentur, non excedunt propriam virtutem, idcircò absolutè dicitur motum naturalem esse velociorem in fine, quàm in principio, ac proinde negant sequelam.

Sed tantorum Doctorum bona venia, ego etiam sequelam negarem, sed admitterem casum, nec vllum ex hoc absurdum secuturum; supposito .n. illo vniuersali principio; quòd causa naturalis non impedita producit semper effectũ nobiliorem, quem potest, & grauitas hæc sit causa naturalis respectu talis impulsus cum aere, quare si infinitum esset spatium aere plenum, non deberet in infinitum durare impulsus lapidis illuc proiectus? Dicunt, quòd grauitas est limitatæ virtutis, bene, sed etiam talis effectus, seu impulsus est finitus, licèt in infinitum multiplicatus, propter distantiam infinitam, quod non arguit nisi infinitatem Syncathegorematicam. Dicunt, quòd impulsus non multum durat, sed labitur, licèt diutius cum motu conseruetur. Non placet, nam si nõ multum durat, quomodo talis naturæ est, vt velocior sit in fine, quã in principio? hoc est attributum violenter proiectorum, & ideò eorum motus velocior est in principio, quàm in fine, sed si motus deorsum grauium velocior est in fine, quàm in principio, quantò plus durat, tãtò magis intenditur, ergo non labitur, sed magis duratione roboratur, Supposito, quòd eadem grauitas perseueret; quòd si grauitas ex alio capite remitteretur, nõ essemus amplius in casu. Confirmatur ex doctrina ipsorum Doct. in materia de Infinito Syncathegorematico in magnitudine, concedentes, saltẽ in homogeneis dari tale infinitum. & afferunt Scot. in 2. d. 2. q. 9. H. vbi Doct. ex Aristot. docet, quòd si igni continuò opponeretur combustibile, ignis cresceret in infinitum, & tamen ignis non est talis naturæ, quòd eius actio, seu virtus intensior sit in fine, quàm in principio, ergo rationabilius asserendum erit, quòd si per potentiam Dei daretur spatium, & vacuum plenum aere infinitum, & in tali spatio dimitteretur magnus lapis, semper produceret maiorem, & maiorem impulsum in infinitum, cùm semper adesset eadem causa naturalis; Sicuti igitur in casu posito de igne, non inferretur infinitas intẽsiuè in igne, ita neque hic de grauitate quò ad impulsum, cùm semper effectus

ctus esset successiuè finitus, sicut ibi, Neque grauitas intensiuè augeretur, eadem .n. semper esset in principio, & fine motus.

DVBIVM XXXIV.

An grauia, & leuia in proprijs locis grauitent, & leuitent.

ADuertendum; quòd hìc *grauitare*, & *leuitare*, non accipiuntur pro facultatibus, seu potētijs in actu primo, sic .n. sunt qualitates motrices, seu inseparabiles passiones, per quas resistunt conanti illa amouere à proprijs sedibus. Neque sumuntur pro actu secundo vltimato .s. pro motu sursum, vel deorsum, nam certum est, terram cùm peruenit ad centrum non amplius descendere, habito .n. termino, cessat motus, sed sumitur pro actu secundo proximo non vltimato .s. pro ipso conatu, & proxima vi, qua corpus leue, vel graue resistit volenti illud impedire, vel opprimere, ne ascēdat, vel descendat, quæ Aristot. 4. Cœli 2. vocauit suscitamenta quædam motus, & sæpissimè ipsam grauitatem, & leuitatem pro grauitatione, & leuitatione accepit. Sent. Arist. 4. Cœli 29. & 30. est, quòd omnia grauia, & leuia præter ignem, in proprijs locis grauitent, & pro hac sent. citantur etiam Auerr. Villalpandus, Barrius, & Conciliator. Communis tamen Philosophorum sensus negat, Aresl. 2. de gen. q. 21. mediat, vult .n. quòd elementa in propria sphæra respectu corporis inferioris grauitent, partes verò elementorum inter se nec grauitent, nec leuitent.

Conclusio.

Grauia, & leuia in proprijs locis, neque secundum totum, neque secundum partes grauitant, vel leuitant. Est cōmunis contra Arist. & docuit Diu. Thom. 4. Cœli text. 37. & Scotus in 2. d. 2. q. 10. D. vbi vult, quòd grauitas in graui sit principium quietis in loco naturali, & tūc quærit se mouere quando extra illum extrahitur; vndè per grauitatem conatur vincere resistentiam impedientis, quod est grauitare, ergo per Doct. grauia extra proprium locum grauitant, in proprio loco quiescunt, ex quibus sic Conclusio probatur: Grauitas, & leuitas datę sunt elementis, vt se reducant ad propria loca naturalia, ad quæ habent inclinationem, ergo quando huiusmodi loca adepta sunt, non amplius agent actione harum qualitatum, nam habito fine, cessat actio, ob quem ea suscepta est.

Rt. Aresl. has virtutes datas esse elementis, non vt aliquem locum determinatum obtineāt, sed vt debitum ordinē inter se conseruēt, vt grauius sit infra leuius, quare aqua semper grauitat, & descendet, quosq; inueniat corpus grauius se. Non placet, imò potius nostram confirmat sententiam, quia .n. aqua non determinat sibi centrum tamquam locum, sed solùm superficiem conuexam corporis grauioris, hac acquisita, debet quiescere,

nec vlterius agere, cùm iam consecuta sit finem, quem intendebat. Tum quia vel elementa ideò grauitant, quia naturaliter petunt esse in centro, vel quia petunt esse sub corpore leuiori, & supra grauius; si secundum, ergo quando sunt ità disposita, nõ amplius grauitabunt, Si primum, ergo quando sunt extra centrum, essent extra proprium locum, & consequẽter in statu violento, quod est falsum, ità Bellar. & Mastr.

Quod neque secundum partes grauitent, vel leuitent, pr. quia partes sunt eiusdem rationis cum toto, ergo non est maior ratio, cur potius vna pars, quàm alia petat esse supra, vel infra, & si omnes hoc postularent, iam Elementa secundum totum grauitarent. Tum quia si aer secundum partes grauitaret, deberemus sentire supra caput põdus aeris nec in trutina possemus aliquod iustè ponderare, quia iam aer in vna lance existens grauitaret. Patet etiam de aquæ natantes .n. & pisces nullum sentiunt aquæ pondus; Item vas in aqua non ponderat, extra illam statim grauitat. Tùm tandem quia partes aquæ inferiores deberent esse densissimæ propter continuam superiorum grauitationem, & tamẽ experimur esse rariores, & dulciores, seu minus salsas.

Ob. Cum Arelio aliquibus experientijs: Vtres aere pleni grauiores sunt, velociusque mouentur, quàm vacui ex Arist. in problematibus sec. 25. probl. 15. ergo elementa saltem quòd ad partes in propria sphæra grauitant. ℞. exẽplum esse incertum, & ab aliquib. negatur, sed supposito ità esse, negatur conseq. nam tunc vtres magis grauitarent propter condensationem aeris, cùm sit tunc in vtre aer ille constipatus, & humido halitus & crasso permixtus, mouetur verò velocius ob rotundatis figurã.

Ob. Lignum centum libra rum celerius per aerem fertur, quàm plumbi libra, & è contra plumbũ vnius libræ celerius per aquam descẽdit, quàm lignum eiusdem ponderis, cuius ratio est, quia aer in poris ligni inclusus grauitat, & velocius pellit lignum, in aqua verò sustentat, ergo aer propria sphæra grauitat. ℞. neg. antec. quo etiam admisso, negatur conseq. nam illud maius põdus non prouenit prop ter aerem in poris ligni inclusum, sed quia in ligno est magna pars terræ, & aquæ, quæ non sunt in plumbo; & è contra, quia aqua quia plumbum parum habet de leuitate aeris, citius descendit, non sic lignum in cuius poris prævalet aer, qui ratione petit esse supra aquam.

Ob. Arist. in Probl. sec. 11. nu. 45. docet, quòd vox melius audicur ab existente in loco inferiori, quàm in loco superiori, sed vox est aer ore exclusus, ergo aer grauitat, & tendit deorsum. ℞. quòd vox vt sonus est, ex natura sua sursum fertur, melius tamen auditur ab exi-

sten-

stent e in loco inferiori, quia efficitur cumispuro, vel aliqo humore impuro, & grauitante, & hac ratione deorsum descendit.

Ob. Homo deferens in capite vas terreum plenum aqua, sentit pondus aquæ grauitantis, & tamē est in proprio loco naturali, quia terra est grauior aqua. Confirmatur, aqua super terram existens, eā penetrat, & peruadit, ergo super terram grauitat. ℞. aquam ab homine delatā grauitare, & deorsum niti, quia defertur per aerem, & est superior aere circumdante, & tunc aqua, & vas se habēt, ac si essent vnum corpus solidum, & cōtinuum. Ad Confirmationem, aqua penetrat terram, & ad humiliores partes eius descendit, non quia grauitat, sed vt aerem poros terræ opplētē expellat, & aeri se submittat.

Ob. Vasa tandiù in aquis supereminent, quamdiù aquis non replentur, at statim ac plena sunt aquis, immerguntur, etiam si lignea essent, quæ ex propria natura aquis sunt leuiora, ergo aqua grauitat. ℞. vasa aquis plena immergi, quia cum aqua sit fluida, quærit perfectè secundum omnes partes æqualiter à centro distare, hinc si vas aquis plenum supernataret, aqua iam existeret supra aerem circumdantem, vndè experimur vasa lignea solùm demergi vsque ad extremam superficiem aquæ, non in profundum.

Ob. Cadauera habent prædominium terræ, sed hæc supernatant aquis, ergo terra leuitat. ℞. Cadauera recentia prædominium habēt terræ, & consequenter grauitant, & demerguntur deorsum in aquis, sed cadauera non recentia supernatant, quia abundat humor marcidus, qui est aereus, & eadē ratione ouum recens deorsum mergitur in aqua, & non recens natat, quia tunc eius humor est marcidus, & aereus.

Hinc sciendum est, quod grauitas data fuit terræ existenti in proprio loco, non vt sit causa grauationis, & motus terræ in proprio loco, sed vt per illam terra centro coniungatur, quiescat, & immobiliter conseruetur in proprio loco, & sit principium motus tantùm secundariò, idest, si accidat terram à proprio loco diuelli; Nec est inconueniens eamdem qualitatem esse principium proximum effectuum contrariorum .s. motus, & quietis, maximè si vnius sit causa per se, alterius verò per accid. vt in casu accedit.

DVBIVM XXXV.

A quo mouentur violenter projecta.

Egimus de motu naturali grauium, & leuium, & quia oppositorum eadem est disciplina, & motus violentus opponitur motui naturali, operę pretium est aliquid de ipso motu violentu dicere, qui propriè est motus proiectorum. Motus violentus ex Arist. 7. phys. 10. diuiditur in Pulsionem, Tractionem, Volutationem, & Ve-

ctionem. Pulsio est, qua mouens à se pellit mobile, & si insequitur ipsum mobile, dicitur impulsio; si non sequitur dicitur expulsio. Tractio est, qua mouens ad se trahit mobile.

Volutatio est, qua mobile in gyrum voluitur à mouente. Vectio est, qua vnum corpus super aliud fertur, vt cum homines equo, vel cursu feruntur, quæ tamen ad illas tres reduci potest, omnis .n. vectio fit vel pellendo, vel trahendo, vel volutando, quare de his tribus inuestigemus principium proximũ, & immediatum; & præcipua difficultas est de proiectione, seu expulsione. Quærimus autem principium proximum, & immediatum, nam remotum est ipsum proijciẽs, quod tamen non sufficit, quia motus, & mouens debent esse simul, & si motus in actu, etiam mouens actualiter existere debet, experimur autem proiecta moueri, etiam proijciente remoto, vel non existente, ideoque rationabiliter de causa proxima, & actuali inquirimus.

Relictis igitur aliquorum sentẽtijs intolerabilibus. Duæ sunt de hoc dubio famosæ opiniones, Prima est Arist. 4. phys. 68. & 8. physi 82. & 3. Cœli 28. & alibi, assignãs pro causa immediata huius motus, Medium; & sequuntur Peripat. Antiquiores, Auerr. Simpl. Themis. Burl. item & Mayr. Perer. & Aliqui pauci. Secunda Sentent. est omnium ferè Recent. asserentium hunc motum causari à virtute quadam motiua à proijciente impressa mobili, communiter impulsus, seu impetus appellatus.

Conclusio.

Dicimus, motum proiectorum principaliter non prouenire à medio, sed ab impulso à proijciente impresso. est aliqualiter ad mentem Scoti, qui in 2. d. 2. q. 9. in fine concedit, posse fieri in vacuo motum successiuum, nam medium, ait, sua subtilitate habet promouere, idest iuuare, & sua densitate habet retardare mobile, non verò causare successionẽ motus essentialem; & quia ibi Doctor loquitur vniuersaliter, inferre debemus medium non esse causam immediatam, & principalem motus proiectorum, aliter hic motus non posset fieri in vacuo propter carentiam medij, & consequenter alia virtus assignanda erit, quæ sit principalis huius motus, quæ alia non erit nisi impetus impressus, ità Tatar. 8. phys. q. vlt. §. *Quarto sciendum &c.* fuit etiam Alberti Magn. 8. phys. & sequuntur Sot. Tolet. Conimb. Aresi. Suar. Ruu. Belhit. & Mastr. & Alij communiter. Est etiam directè contra D. Thom. hic 3. de Cœlo lec. 7. sed quia S. Doct. q. vn. de anima artic. 11. & q. 3. de pot. art. 11. ad 5. tenuit sent. Albert. hinc Thomistæ glosant, quòd sic est intelligendus D. Thom. quòd, s. talis motus fiat immediatè ab impulso, vt videre est apud M. Iacob. Brun. qu. 22. art. 1. fol. 541. Posset hæc conclusio

pri-

primò probari respuendo modos, quibus Aduersarij explicant motū fieri à medio, inter quos est magna lis, & contentio in modo probandi, quos rationabiliter breuitatis gratiam relinquimus, & satis sit nobis conclusionem efficacissimis experientijs probare, cùm rationes, & ipsis, & nobis deficiant.

Prima experientia est de phyala vitrea aqua plena, quæ si in gyrum vehementer circumferatur, & deinde relinquatur, aqua intus existens adhuc mouetur, & quandoq; versus finem, motus etiam fit in contrariam partem; qui motus nō medio tribui potest, quia non adest, supposito, quòd tota phyala plena sit aqua, vel si patū aeris fuerit inclusus, non sufficiet ad mouēdum aquam.

Secunda experientia est de rota, quæ etiam remoto motore, adhuc mouetur per aliquod tempus circulariter, imò in fine mouetur in contrariam partem; & euidentiùs etiam patet de trochis, qui à pueris funiculis circumuolutis feruntur, quo casu aer intermedius non potest illos motus causare; & eò magis vrget ratio, quia à pueris aliquando attolluntur in volas manuum, & seruantes adhuc circularem motum in aerem quiescentem transferūntur.

Tertia Experientia est, quia nūquam, vel rarò venti mouere possunt lapidem in longinquum, sicut fit à proijciente, ergo nō à medio, sed ab impulsu proiecta mouentur.

Quarta tandem est; quia mediū velociùs mouet leuius, quā grauius, festucam V.G. quàm lapidem, & tamen difficiliùs proijcitur illa, quàm iste; Si igitur in sent. Aduersariorum maior est commotio aeris facta à proijciente, quam venti commotio, cur aer à proijciente maxima vi commotus non mouet festucam, sicut facit, cum agitatur à vento? ratio refundi debet in proiectum, quia impetus non potest ità imprimi à proijciente in leui, sicuti in graui.

Aduertendum est tamen, quòd licèt talis motus non proueniat principaliter à medio, non negamus tamē, medium etiam suo modo ad talem motum concurrere, verè; n. medium iuuat tam impellēdo à tergo, vt vacuum impediat, quàm ad ferendum mobile iam ab agente commotum, vt videmus in plumis, & alijs leuibus, & ex hoc prouenit maior velocitas violenti motus in medio, quàm in principio motus.

Obiectiones.

Ob. Quòd non datur hæc virtus motiua, nam Arist. licèt ex professo hanc quæstionem exagitauerit, nunquā tamen huius virtutis mentionem fecit, sed semper ad mediū recurrit; & præsertim 4. phys. t. 68. negauit in vacuo fieri posse motum proiectorum propter carentiā medij, & vt sæpè dictum est, argum. ex authoritate negatiua nihil probare. Neque etiam asseruit solùm aerem cōcurrere ad talem motum:

& hanc

& hanc causam assignauit, quia talis opinio satis apud Antiquos vigebat.

Ob. Hæc virtus motiua si daretur, esset, & nõ esset specie distincta à grauitate, & leuitate, nam ex eo V. G. quòd deorsum moueret, esset eiusdem rationis cum grauitate, & ex eo, quòd esset mobili violenta esset alterius rationis. ℞. talem virtutem, seu impulsum, esse à grauitate, & leuitate distinctum, nam hæ sunt qualitates determinatæ ad motũ sursum, & deorsum, ab intrinseco graui, & leui conuenientes, & diù permanent, impulsus verò est indifferens ad quẽcũq; motũ, & ab extrinseco mobili adueniens; Omnes tamen impulsus sunt eiusdem speciei; impulsus .n. est determinatus ad mouere mobile, siue sursum postea, siue deorsum, siue circulariter, hoc ex directione impellẽtis prouenit, & solet exemplũ afferri de virtute motiua animæ, quæ vna est specie, licèt respeciat motum sursum, deorsum, ad latera, &c. Sic etiam virtus magnetis est ferri attractiua quocumq; modo ferrum attrahetur.

Ob. Vel hæc virtus producitur ante quam relinquatur proiectum à proiciente, & desinat illud tangere, vel producitur qñ illud relinquitur .i. dum primò non tangit; non primum, nam sequeretur motum proiecti ferri antequam esset, quod est falsum, qñ .n. proiectum est in manu projicientis, non mouetur; neq; secundum, quia tunc proiectum est separatũ à projiciente, & si non tangitur quomodo potest impulsum recipere? ergo vanum est ad huiusmodi impulsum recurrere. ℞. quòd impulsus causatur, dum à proiciente applicatur virtus actiua motrix, quæ applicatio fit per motum localem, hinc qñ agens non adhuc mobile deserens, sed paulum mouet illud tangendo, in hoc tempore imprimitur impulsus; nec requiritur quòd simul fiat proiectio, sed sufficit, vt immediatè post incipiat, nam impulsus est qualitas aliquantum durans, ideoq; effectum suum post productionem habere potest; & signum, quòd tunc causatur impulsus est, quia maiorem diligentiam, & vim applicamus, vt lapidem retineamus in manu dum illum mouemus, & quasi projicere tentamus, quàm dum sine motu in manu habemus, ex his apparet falsitas consequentiæ.

Ob. Vel talis impulsus producitur in istanti, vel in tempore, non primum quia habet contrarium in Subiecto, nam impulsus est contra inclinationem naturalem mobilis, cùm moueat motu opposito propter grauitatem mobilis; quia igitur grauitas est qualitas contraria, non poterit in instanti impulsus produci, patet à simili de frigore, quod propter cõtrarietatem caloris non introducitur instantaneè in Subiecto; Neq; secundum, quia tunc priùs esset in vna parte, quàm in alia, & tamen omnes partes mo-

uen

uentur, ergo si vna poterit absque impulsu moueri, similiter, & omnes partes moueri poterunt. R. quòd impulsus natura sua petit produci in instanti, non .n. habet contrarium in Subiecto, nec grauitas illi contrariatur; cùm sit ēt ab ipsa producibilis, vnde potest dici oppositus solùm virtualiter, quatenus indifferens est ad omnē motum, quare si à proijciente determinaretur ad motum sursum, tunc grauitas obsisteret, non productioni impulsus, sed determinationi ad motum illi sursum, & ratione hac difficulter pondera in altum eleuātur; Per accid. tamen impetus est successiuè producibilis, ratione motus localis nucessariò ad productionem requisiti, quia pellens pellendo mouetur, quòd si virtus motiua applicari posset absq; motu in se, vt est in magnete respectu ferri, tunc in instanti produceretur. Ad instantiam contra hoc illatam, dicimus, quòd impulsus recipitur in omnibus subiecti partibus, & siue simul quo ad extēsionem, siue successiuè quò ad intensionem tātum, siue successiuè quò ad vtrumq; parum refert, dummodo ante proiectionē omnes partes mobilis proprium impulsum habeat, de quarum partium potentia talis impulsus educitur; Neq; requiritur ad quamlibet formam præuia alteratio, alias admitteretur processus in infinitum, nam inqualibet alteratione semper aliqua forma de nouo educitur; Nec etiam requiritur naturalis inclinatio in Subiecto ad formam eductam, sed sufficit mera capacitas, ex dictis in physica.

Ob. Motus proiectorum velocior est in medio, quàm in principio, vel fine, ex Aris. 2. Cœl. 35. & licèt ibi specialiter de motu animalis loquatur, quia reuera velociores sumus in medio cursus, quā in princ. vel fine, de proiectis etiam docet experientia, nam vehementior est ictus lapidis, vel alterius similis in proportionata distantia, quàm in principio, vel in fine, quod signum est maioris incremēti motus proiectorum quò ad velocitatem; sed huius causa non potest esse impulsus, si .n. dicatur cum Tatar. 8. phys. q. 3. §. *Quarto Sciendū*, quem sequitur Ruu. rationem esse, quia motor à principio imprimit impulsum in partibus propinquioribus mobilis, qui postea diffunditur in omnes alias partes, & indè acceleratur motus propter intensiorem impetum, in fine verò quia impulsus ille consumitur, deficit etiam velocitas motus. Non placet, eā impulsus diffusus reperiri debet in omnib' partibus mobilis, omnes .n. æquè velociter mouētur. Tū quia si mobile statim ac proijcitur, frangatur, adhuc omnes illæ partes motu proiectorum mouerētur, ergo in omnibus erat impulsus, si verò dicatur cum Alijs, non impulsum, sed medium esse causam huius maioris velocitatis, ergo idē de toto motu dicēdum erit, nempè cau-

causari à medio absq; tali impulsu superaddito. ℞. concedendo, velocitatem illam maiorem in medio prouenire ab interiori impulsu, nō à motore impresso seipsum intendente, sed à medio accurrente, vt impediat vacuum, in fine verò, quia prior impulsus languescere incipit, non ita velociter mouet proiectum, nec ita celeriter accurrit aer, & per consequens non tam vehementer impulsus causatur, & hoc innuere voluit Arist. 8. phys. 82. cùm docuit motum proiectorum non esse continuum, sed contiguū, in quantum .s. motor proiectorum non est vnus, & idem semper manens, sed diuersi, nam diuersus est aer mouens, & impetus impellens, qui modò augetur, modò minuitur. In animalibus verò est alia ratio, quia per motum membra calescunt per concursum sanguinis, & spirituum vitalium, & consequēter vigorantur, ac interior impetus causatur, vnde velociter currens nequit se statim sistere, sed impetu vlterius protrahitur, sed tandem virtus hæc languescit, quia propter fatigationem, spiritus illi exhalantur, nec est tanta vis producendi impulsum, vnde facilè animal à motu continetur. ita Mastr. & Bell. loc. cit. vbi plures alias rationes afferunt, quæ facilè ibi videri poterunt.

Quæres, vnde proueniat, vnum proiectum velocius altero moueri? ℞. prouenire primò ex parte medij, si .n. vnum medium sit altero crassius, impedit velocitatem, similiter si medium ad contrariam partem mouetur, est causa tarditatis motus. Item maior quantitas medij confert ad velocitatem, sicut minor quantitas impedit, quare multa pondera sustinentur in aqua profunda, ac melius mouentur, quàm in in minus profunda. Pōt etiam hoc aduenire ex parte mobilis, si .n. mobile magis mouenti resistit, velocius mouetur, similiter si minimè resistit, tardius proijcitur, vt in palea patet, & ratio est, quia ad motum proiectionis exigitur aliqua resistentia ex parte mobilis. Item diuersitas figuræ esse potest causa maioris, vel minoris velocitatis. Facilius etiam, & celerius mobile mouetur, cùm est in motu, quàm quiescens, & magis si mouetur motu eiusdem rationis, quia in motu vim quamdam motricem, seu impulsum recipit adiuuantem potentiam motoris, vndè facilius res mouetur existens in alieno, quàm in proprio loco quiescens, quia in primo statu resistit, & tandem potest maior, vel minor velocitas causari ab ipso motore, ex maiori, vel minori conatu, & ex diuerso modo etiam mouendi.

Petes, An detur quies in puncto reflexionis? Tres extant sententiæ. Prima extrema asserit esse de ratione motus recti, & reflexi, vt interponatur necessariò quies priuatiua, ita quòd in nullo casu motus isti sint continui. Alia extrema negat

gat, in aliquo casu) intercipi inter hos motus quietem. Media quæ est communior, & ferè Recentiorum omnium, defendit de ratione horum motuum esse, nec semper per quietem interrumpi, nec semper continuari, & huius sententiæ est Scot. quol. 12. art. 3. Pr. nam quia motus sūt ambo ab intrinseco possunt fieri, & cum quiete, & sine quiete intermedia, V. G. potest aliquis mouere manum sursum, & deorsum, vtroq; modo, qui motus naturales sunt, vt mouens animal est. Cor licèt forsan in aliquibus casibus continuè absq; interruptione dilatetur, & restringatur, vel propter febrim, vel ob subitaneum timorem, regulariter tamen fit cum aliqua intermedia quiete, vt communis sensus est Philosophorum, & Medicorum, & ratio est, quia etiā motus cordis est gratia alicuius boni, quo fruitur in termino mot', ergo necesse est, vt in illo quiescat, & eo perficiatur. Tum quia multum laboriosum esset naturæ numquam à tali motu desistere, & licèt talis motus naturalis sit, quia tamen medijs organis exercetur, semper aliqua fatigatio interueniet, & cōsequēter aspiratio ad quietem; & idem iudicium ferendum esset si motus essent extrinseci vt de pila proiecta in pariete, &c.

DVBIVM XXXVI.

De quibusdam Elementorum attributis in communi.

Elementum propriè ex vi vocabuli significat omne id, ex quo aliquid componitur, & in quod tandem resoluitur, in quo sensu accomodari posset etiam literis, terminis, propositionibus, & principijs omnibus generationis, pressius tamen sumitur pro corporibus illis principalibus machinā mundi huius integrantibus, vt sūt ignis, aer, aqua, & terra, ad generationem mixtorum concurrentibus; & ità ab Arist. 3. Cœli 31. definitur: *Elementum est illud corpus, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia, aut actu, ipsumq; est indiuisibile in diuersa specie*. Quæ definitio propiè nō competit ipsis in ordine ad cōstitutionem Vniuersi, vt euidenter patet, sed in ordine ad generationes mixtorum, ità quòd si nulla essent mixta, hæc corpora non essēt actu elementa, nam elementum est nomen officij, nō naturæ, vt benè aduertit Aref. 2. de gen. q. 1. quia igitur secundum hanc acceptionem non spectant elementa ad lib. de Cœlo, in quibus elementa solùm cōsiderātur, vt grauia sunt, & leuia, hinc cōsideratione hui' dubitationis ad libros de Gener. & Corrup. rationabiliter remisimus.

Petes, quot sūt numero elemēta? R. quòd licèt apud Antiquos Philosophos varius fuerit elementorum numerus, modò tamen communi sensu Doctorum est quaternarius. Non potest tamen negari, quòd huiusmodi numerus non posset minui, vel augeri, & rationes Arist. probabiles quædam cōgruentiæ sunt, non demonstrationes;

nes: Nam ex 3. Cœl. cit. & 4. Cœli 31. sic ad venandū numerum hunc elemētorū procedit: omnis motus est ad mediū simpliciter, & ad mediū secūdū quid, & à medio simpliciter, & à medio secūdū quid, quare dari debent quatuor principia horum motuū. i. grauitas simpliciter, & grauitas secundum quid, leuitas simpliciter; & leuitas secundum quid, & consequenter quatuor prima corpora. Sed hæc ratio est tantùm probabilis, nam aliquis arguendo dicere poterit, quòd numerus elementorum sumi debet ex numero locorum simpliciter, non secundum quid, quia hæc competunt mixtis, & sic tantùm duo elementa essent, scilicèt graue, & leue; quo etiam pacto ipse Arist. 1. Cœli 10. & 3. Cœli 1. duo assignauit elementa, graue, & leue, licèt postea illa diuiserit. Tum quia sicut motus ad medium diuiditur in simpliciter, & secundum quid; ità motus ad medium secundum quid posset vlterius diuidi secundum magis, & minus iuxta diuersitatem specificam grauitatum, & leuitatum; hinc talis numerus quaternarius propriè dici potest famosus, quatenus ab authoritate tot Philosophorum videtur acceptus, & commendatus.

Quæres, an Elementa sint pura, i. an reperiantur in proprio statu connaturali, absque aliquo extraneo admixto. R. si sermo fiat de puritate quo ad substantiam, sic omnia pura dici possunt, tam secundū totum, quàm secundum partes, quodlibet n. tantùm ex propria materia, & ex propria forma constat; Si verò loquatur de puritate, quò ad accidentia, sic quamuis elementa omnia ex parte, qua alteri elemento coniunguntur, habeant permixtionē aliquarū qualitatum extranearū, nā ferè totus aer, & tota aqua sine impura, aer. n. varijs vaporibus reperitur affectus; & aqua multis humoribus terrestribus, & crassis immixta, probabile tamen est, quòd pars illa terræ versus cētrum, & pars ignis iuxta concauum orbis lunæ existentes, puræ, & à qualitatibus peregrinis liberę sint.

Inuestigabis, quodnam horum corporum sit dignius, & præstantius? R. si attēdamus ad maiorem, vel minorem vtilitatem, quam nobis afferunt, sic terra, & aqua sunt præferendæ, etenim terra omnia necessariò ad victum, & vestitutum subministrat, materia est metallorum, gemmarum, plantarum, arborum, fructuum &c. Aqua etiā, quia irrigat ipsam terram, est locus naturalis piscium, inseruit ad nauigationem, ad refrigerandum, &c. Aer quoq; magnam nobis confert vtilitatem, tum ad respirationem, tum ad refrigerationem, temperando suo afflatu calorem. Ignis etiam non est absque sua vtilitate, multa n. tum naturalia, tum artificialia virtute ignis efficiuntur, & maximè in viuentibus, quorum calorem necessarium fouet, & conseruat. Attamen inter hæc omnia terra est

ra est vtilior, vnde videmus omnia ferè mixta à terra prædominari, quod oriri non potest, nisi quia terra plus quàm cætera subministrat. Tum quia aliorum elementorum concursus, potest aliquo modo à Cœlo suppleri, nempè frigidatio, humectatio, siccatio, & calefactio, concursus verò terræ .s. sustentatio, corpulentia mixtorum &c. à Cœlo suppleri nequit. Si autem ad præstantiam, & dignitatem attendamus in gradu essendi, terra indignior censetur, & ratio est, quia nobilitas non attendi debet ex proprietatibus alijs corporibus inseruiētibus, nam ex hoc capite potius seruitus quædam, & ratio ministerialis arguitur, & cōsequēter ignobilitas quædā, & tantò magis quātò plurib. aliquis inseruit. At quia Ignis est summè calidus, calor autē est nobilissima omniū primarū qualitas, quia actiuior, hinc ignis absolutè loquendo dici debet præstantior, & meritò iuxta Cœlum supra omnia sublunaria sublimiorē locum sibi vendicat. Solet etiam hìc queri de figura elementorum, & R. contra nonnullos Antiquos philosophos, esse figuræ rotundæ, & orbicularis; & patet primò quò ad omnia elementa in genere, nam Vniuersum est globosum, ergo & partes eius principales .s. elementa. Tùm quia Cœlum intra quod elementa continentur secundum totum est circulare, ergo similiter & contenta. Tum tandem, quia natura amat quam maximè vnitatem, sed figura rotunda satis ad vnitatē conducit, ergo &c. Pr. etiam in particulari. Insulæ orientis prius vident Solem, quàm qui in Occasu morantur. Signum, quòd terra nō est plana, sed rotunda, aliter omnes habitatores terræ simul Solem viderent. Tum etiam quia in Eclypsi lunari vmbra terræ rotunda apparet, ergo &c. Patet de aqua, quia mare nauigātes, prius vident summitates montium, & turrium cacumina, quàm quæ in planis iacent, quod ascribēdum videtur aquæ tumori. Tum quia eadem figura conuenit toti, & partibus, si totum homogeneum sit, sed guttæ aquæ cadentes in herbam conglobantur, & in figuram rotundam se redigunt, ergo tota aqua rotunda erit. De Aere etiam patet, quia continet terram, & aquam, quæ rotunda sunt, ergo saltem secundam partem concauam, aer rotundus est. Quò ad ignem etiam clarissimum est, ignis .n. tendit vsq; ad concauum orbis lunæ, in quo concluditur, sed tale concauum est rotundum, sicut cætera astra, ergo similiter & ignis.

Dices, Figura rotunda non admittit aliquid angulis fractum eminens, vel lacunosum, sed terra hæc admittit, cùm plures valles, & ingentes montes contineat, ergo &c. R. ma. esse veram de figura mathematicè, seu perfectè rotunda, non imperfectè, & physicè; Terra est rotunda, non perfectè, quia in se multas continet inæqualita-

tes, sed imperfectè, quatenus si quis eam è superiori regione secũdum superficiem externam intueretur, figuræ rotundæ eam iudicaret, idemque iudicium de alijs elementis ferendum est.

FINIS.



DISPV-

DISPVTATIONES AD LIBROS METEORORVM ARISTOTELIS ATTINENTES.

DISPVTATIO PRIMA.

DE IGNE, ET METEORIS IGNIS.

POST *Libros de Generat. & Corrupt. quatuor libros de Generatione Mixtorum imperfectorum Aris. composuit, veluti complementum præcedentiũ librorũ, quos Meteorologicos, idest locutiones, seu sermones de rebus sublimibus intitulauit; Et quia nos, ad exemplum nostri Doctoris, eius vestigia adamussim insequimur, postquam de elementis sub quadam communi ratione grauium, & leuium egimus, pro complemento tamen totius operis, ipsa elementa secundum peculiares rationes breuiter hic consideramus, cum annexis Meteorologicis cuiuslibet elemẽti in particulari, ipsis disputationes in plura dubia Meteorologica diuidentes.*

Elementum ex vi vocabuli significat omne illud, ex quo aliquid componitur, & in quod tandem resoluitur, quomodo principijs generationis, literis, & similibus accommodari potest, præstius tamen accipitur pro corporibus illis, quæ ad generationem mixtorum concurrunt, & sunt illa quatuor .s. Ignis, Aer, Aqua, & Terra. Multipliciter Elementum ab Arist. definitur, sed sic præsertim 3. Cœli 31. Elementum est illud corpus, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia, vel actu, ipsumque est indiuisibile in diuersa specie. *Quæ definitio ipsis competit non in ordine ad constitutionem Vniuersi; sed in ordine ad generationes mixtorum; & significat, quod hæc corpora non præsupponunt alia in generatione, tamquam componentia, & inexistentia, vel formaliter, vel virtualiter, nisi vt ex termino à quo, omnia verò alia, hæc quatuor præsupponunt, quæ deinde saltem virtualiter in illis existunt, & hac ratione ista corpora simplicia vocantur, illa verò mixta, aer .n. non fit ex aqua, nisi vt ex termino à quo, nec deinde aqua dicitur in aere manere formaliter, vel virtualiter, sic de alijs &c.*

DVBIVM PRIMVM.

An detur Elementum ignis, & sub concauo Lunæ existat.

FVit receptissima sententia Peripateticorum vsq; ad tempora Cardani, elementum ignis situm esse proximè sub cõcauo orbis Lunæ supra aerem. Cardanus autem lib. 2. de subtilit. ibi ignem reperiri negare cæpit, asserens totum interual-

uallum à terra vsq; ad concauum lunæ protractum, elemento aeris occupatum, & repletum esse, cui non defuerunt sequaces tam Astronomorum, quàm philosophorum, vt videre est apud Tyco brahæ, Camillum gloriosum, Keplerum, Vallesium, & inter Recentiores Aref. lib. de gen. q. 3. Alex. Tassonium cum Alijs hanc opinionem amplectentes, & nuper Arriag. disp. 4. de gen. q. 4. probabiliorem putat, qui tamen de sede, & loco ignis inter se non conueniunt, Aliqui .n. vt Tassonius ipsum posuit in Cęlis, quia vult Solem, Lunam, Planetas, & alia Sydera esse ignea, seu ignem ipsum elementarem, per illa corpora distributum, negans ignem apud nos existentem, esse verum elementum ignis, sed potius esse mixtum quoddam, & fumũ accensum; alij verò cum Vallesio, quòd reperiatur infra Cœlum in regione elementari, sed non certam sedem ei assignant, sed asserunt esse hinc inde ad vtilitatem viuentium, & aliorum mixtorum dispersum.

Conclusio.

Dicimus cum perenni, & receptissima Peripat. sententia, ignis elementum in concauo Lunæ velut in proprio loco residere. est Aris. pluribùs in locis, vt videre est 4. phys. 46. 1. Cœli cap. 2. & 3. & 2. Cœli cap. 3. vbi illi sũmam leuitatem, & locum superiorem omnibus elemẽtis tribuit. idẽ habet 4. Cœli 32. & 33. & sæpè alibi. est etiam communis Astronomorum antiquorum sent. & SS. Patres hanc veritatem supponere videntur, vt videre est apud Boet. lib. 1. Astron. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 11. Basil. hom. 3. Examer. Hieron. epist. 128. ad Fabiolam, & præsertim D. Ansel. lib. de imag. mundi cap. 3. vbi sic discurrit. *Elementa sunt quatuor, ex quibus constant omnia .s. ignis, aer, aqua, terra, hæc à proprijs qualitatibus quasi quibusdam brachijs se inuicem tenent, & discordem sui naturam concordi fædere vicissim commiscent, nam terra arida, & frigida aquæ frigidæ nectitur; aqua frigida, & humida, humido aeri constringitur; aer humidus, & calidus, igni calido associatur: ex his terra vt puta grauissima, imum, ignis vt puta leuissimus, supremum obtinet locum, alia duo medium quasi quodam vinculo soliditatis, quorum aqua grauior, terræ proximum, aer leuior, igni proximum, obtinet locum.* Hæc Ansel. qui nobis naturã, numerum, qualitates, & situm elementorum adamussim exponit. Hanc ẽtiam veritatem supponit D. Tho. 3. Cœli, & Scot. in 2. d. 17. q. 2. & in 4. d. 47. q. 2. & alibi. Quæ sent. pluribus firmari solet rationibus, vt apud Contar. videre est tom. 1. quæst. Peripat. quæst. de sphæra ignis, quæ tamen rationes solùm probant dari in rerum natura elementum ignis, quod Aduersarij non negant, sed non probant in concauo Lunæ situm esse, quod in pręsenti discutitur; vnde efficacior ratio iudicatur illa, qua Scot. à posteriori deducit in 2. cit. .s. ex motu ignis sursum, & ab Aris. inui-

nui-

nuitur 4. Cœli 32. Supposito igitur ex dictis, quatuor esse elementa, & vnicuique proprium correspondere locum, sic arguitur: Ille est locus naturalis corporum simplicium, ad quē naturaliter illa ferūtur, eorūq; partes, sed partes ignis ferūtur supra earē, ergo eius locus naturalis est supra illum in concauo Lunæ, maior est euidens, minor patet experientia, videmus .n. ignem apud nos accensum non quiescere, sed semper sursum ascendere.

Vallesius negat.mi. volēs, quòd ignis de se non magis petat ascendere, quàm descendere, quia sicut ignis flamma ascendit, ità è contra ignis carbo, & ferrum ignitum descendit, imò videmus frequenter flammas è sublimi descendere, & alias in subterraneis specubus consistere. Sed allatæ instantiæ parum vrgent, nam carbo, & ferrū non sunt substantialiter ignis, & tantò rara, & leuia, vt ascendere possint, flammæ ideò deorsum labuntur, quia materiæ graui, & terræ adhærescunt, & eadem ratione in subterraneis locis consistunt, & potius ibi violenter detinentur; inde frequenter ingenti impetu foras erumpunt, vt de ignibus Ætnæ in hoc Siciliæ Regno constat, Vesuuij in Campania, & alijs locis, quare ex hoc capite potius oppositum deducitur, si .n. ignis semper ascendere nititur, & impedimenta repellere, vtiq; si perpetuò hic infra earem detineretur secundum totam speciem, ne supra aerem ascenderet, tota species suo fine frustraretur, & perpetuam violentiam pateretur.

At resp. Aresius, ex hoc nullum sequi inconueniens, nam decet ob Vniuersi bonum, partem aliquid incommodi pati, sicut etiam videmus ob eumdem finem non exactè reliquorum elemētorum loca seruati, nam aqua, quæ totam terræ superficiē operire deberet in pariē quamdam compulsa est, ipsa etiā terra cacuminibus non modico supereminet aeri, & aer etiam ipse in cauernis monitum sæpè latitat.

Non placet, licèt .n. interdum necessè sit partem ob bonum totius vniuersi aliquid pati incommodi vt allatæ instantiæ ostendunt, non tamen congruum videtur, vnum totum elementum perpetuam violentiam pati, vt esset in casu, si ignis hic detruderetur; potius ergo dicendum est, quòd sicut cæteris elementis proprius in vniuerso assignatus est locus, quamuis secundum aliquas partes extra illum ob bonum totius vniuersi reperiantur, ità quoq; de igne asserendum erit, quòd .s. proprius eius locus sit supra aerem, tamen secundum aliquas partes, in his inferioribus propter eumdem finem dispersus reperiatur.

Vrgebis contra solutionem supra allatam, estò lignum, & ferrū ignitū nō sint substantialiter ignis, continent tamen in poris plures ignis particulas, ergo ab his subleuari debent, sicut lignum in aqua de-

demersum, contendit sursum ascẽdere virtute aeris inclusi, vel saltẽ illæ ipsæ ignis particulæ sursũ euolare deberent, cùm forma ignis ibi discontinuata sit ab alijs partibus ligni, & ferri, cùm ergo neutrum appareat, fatendum est, non esse proprium ignis sursum ascendere, sed per accid. ei conuenire ratione materiæ leuis, in qua tunc reperitur. Hac ratione conuincti, negatur Aliqui ignẽ verè reperiri in ligno, & ferro ignito, contendentes ibi tantùm adesse accidentia ignis, asserentes nostrum non esse reuera ignem, sed fumum accensum. Non valet, cùm .n. in carbonibus sit maxima siccitas, & caliditas, irrationabiliter negatur in eius poris, & cauitatibus quasdam ignis particulas reperiri, velut in poris spongiæ aquam, &c. Illæ autem particulæ non ideò sursum eleuant lignum, vel ferrum, quia earum leuitas sufficiens non est tantum eleuare pondus; quãdo autem aliqua ligni particula, non adeo grauis est, à leuitate ignis sursum trahitur, vt de scintillis sursum euolantibus constat; lignum in aquis immersum sursum vehitur, & ratione aeris inclusi, & efficacius propria leuitate. De particulis ignis in ligni poris inclusis, eadem vrget difficultas, quæ de particulis aeris inclusis in ligno, vndè per id, æquè benè probaretur, nec aerem sursum ascendere, quod Aduersarij non concedunt. Negandum est igitur absolutè aliquas ignis particulas à ligno non separari, & sursum ascendere, vt de scintillis patet; quia tamen multæ continentur inter cauitates, & anfractus corporis igniti, interdum ibi detinentur, ne detur vacuum, sicut etiam ad hoc vitandum è contra aqua ascendit, & sursum detinetur.

Tassonius aliter resp. concedendo ignem sursum moueri, non tamen sphæricè, sed pyramidaliter, quod indicat non moueri sursum quasi sphæram ignis quærat, vt proprium locum naturalem, cùm .n. hæc à nobis statuatur circa concauum orbis Lunæ, in circuitu flãma surgens sphæricè dilatari deberet, non pyramidaliter, vt melius vndequaq; suo principio vniretur, quia ergo in pyramidem acutam surgit, inditium est alia de causa sursum ità moueri, nempè quia illa figura aptior est ad aerem scindendum, & quia mouetur ad stellam sibi perpendicularem, & quia fugit terram, & aquam elementa frigida, sibi contraria, & per motum breuissimum, qui est per lineam rectã. Non valet, cur .n. flamma velocius aerem findere intendit, nisi vt citius super aerem ascendat? & quam cõnexionem, & affinitatem habet cũ stella potius perpendiculari, quàm cum alijs? & si terram refugit, & aquam, iam etiam aerem fugit, cũ sic velocius ipsum scindat, & consequenter superiorem petit locum, & quia vnumquodque locum proprium petit per breuissimam lineã, qualis est recta, hinc flãma sursum

per-

pergens; non sphæricè dilatatur, sed vnita in pyramidem ascendit.

Alij respond. quòd talis motus non conuenit flammæ ratione formæ ignis, sed ratione materię fumosæ, in qua est flamma, quæ materia, quia leuis est, secum trahit flammam, quæ solutio placet Aresio, addenti, quòd si ex hoc motu probatur sphæra ignis sub Cœlo, deberet etiam indè concludi dari sphæram fumi, cùm etiam ipse sursum moueatur, concludēti tandem vt probalius, principium istius motus in igne esse calorem, atque ita ignem, & fumum moueri à calore secum ferente leuitatem. Non satisfacit, falsum est .n. in primis ignem sursum ascendere ratione materiæ fumi, quia leuis est, cùm potius res è contra se habeat, quòd flamma trahit fumum, non fumus flammam, sensu .n. comprobatur, flammam sursum celerius fumo ascendere, & tanto impetu, vt aliquando graue secum ferat, quòd non agit fumus. Tum quia petimus, quodnam erit principium motus sursum ipsius fumi? non calor, vt Aristot. dicebat, quia hic non est virtus motiua, ergo fumo conueniet ratione alicuius elementi in eo prædominantis, quod certè, vel aer erit, vel ignis, non aer, quia in proprio loco non leuitat naturaliter, ergo erit ignis. Tum quia etiam flamma in materia graui accensa sursum mouetur, quod sensui patet, cum accensa in puluere tormentario, quæ est materia terrea, & sulphurea, foras erumpit è bellico instrumento, quãuis .n. ab initio, propter impetum impressum rectà ad scopũ feratur, sicut & pila, eo tamen cessante, videmus in fumosa exhalatione sursum vehi, ac propterea non benè deducitur, ex motu fumi sursum alia sphæra pro fumo, cùm fumus non mouetur sursum nisi ignis virtute.

Concedit tandem Aresf. antec. ignem sursum tendere, sed negat conseq. quòd tendat vt suam sphæram pertingat, quia semper suo fine frustraretur, quod in motibus naturalibus concedendum non est, cùm nunquam totum aerẽ trascendere valeat. Subdens, quòd ex grauitate, & leuitate elementorum nõ semper licet eorum naturalem locum colligere, locus .n. naturalis aquæ, si leuitatem spectemus, est supra totam terram, & tamen plurimi montes sunt, quos nunquam aqua superat, & maxima pars terræ non est aquis operta. Sed neque hæc solutio satisfacit, nam vt Scot. docet in 2. loc. citat. si non potest paruus ignis super aerem vsque ad sphæram ignis ascendere, hoc est per accidens, & propter eius modicam virtutem, non potentem corrumpentibus resistere. Tum quia iam exhalationes vsque ad supremam aeris regionem perueniunt, vbi ab igne accenduntur. Tum quia estò ad talem sphæram non prouenirec, non benè hinc negaretur, illum adhuc esse eius naturalem locum, sicut nec rectè negaretur cen-

trum esse locum terræ, quia aliqua eius pars impedita ad illud in descensu non perueniret. Concedimus etiam aquam terræ superemineré, & illam totam circumambire, remanet tamé maxima pars discoperta ad animalium habitationem, quod iuxta naturæ vniuersalis exigentiam prouisum est, bono particulari præferendum; sed non idcirco particularis natura aquę violentiam in tota specie patitur, cùm maior pars supra terram resideat, sic in casu de igne &c.

Obiectiones.

Ob. 1. auct. Arist. 1. Meteor. c. 4. vbi sic ait: *Si quidem superiores distantiæ plenæ sunt corpore aliquo, & igne quidem impossibile, quia exiccarentur vtique alia omnia.* Item ibidem subdit, supra aquā esse aerem, & id, quod quamuis ignem consueuimus appellare, ignis tamen non est; & corpus, quod est sub Cœlo, dicit esse potentia calidum, & frigidum, ergo putare non potuit esse ignem, qui necessariò actu calidus est.

Hippocr. lib. de flatibus inquit, spatium à terra ad Cœlum esse aere plenum, quam opinionem vt cōmunem docuerūt Senec. & Plin.

Atel. id confirmat ex Sacra Gen. 1. vbi omnium creatio enarratur, nulla de igne facta mentione, ità etiam loqui videtur D. Hieronym. epist. ad Fabiolam, & Aug. supra Gen. ad lit. cap. 3. vbi affirmant, aerem à Cœlo vsque ad terram diffundi.

Raban. & Strabus apud Magistrum dixerunt Paradisum terrestrem eleuatum fuisse vsque ad Cœlum, quod fieri non potuisset, si ibi ignis adesset.

℞. ad 1. sensum Aristot. esse totum spatium à terra vsque ad Cœlum, non esse igne repletum, aliter omnia hæc inferiora comburerentur, non propterea ait solo aere esse repletum, sed aere simul, & igne, vt supra cap. 3. expresserat; & corpus Cœlo contiguum, ait, non esse ignem appellandum, quia, vt Glossatores exponunt, vocabulum ignis videtur ab omnibus impositum ad significādum nostrum hunc ignem mixtum, qui ex materia densa cōstat, & valdè combustiuus est, corpus autem Lunæ contiguum non est huiusmodi. Inferius, nomine corporis, quod sub Cœlo est, significat totum mundum sublunarem, qui est secundum varias sui partes potentia calidus, & frigidus; nec potest solum aerem intelligere, quē Arist. posuit actu calidum.

Ad Hippocr. Senec. & Plinium quid senserint parum curamus, non est tamen verisimile elementum ignis negasse, & præsertim Hippocr. non ait, totum illud spatium esse aere plenū, sed spiritu, & substantia tenui, sub qua aer, & ignis comprehenditur, vt aduertunt ex Græco Conimbr. 3. de Cœlo cap. 5. q. 1. artic. 3. & eodem sensu explicari debent SS. PP. si in modo loquendi interdum aduersæ opinioni fauent.

Rd Sacr. Gen. nomine terræ signi-

gnificata sunt omnia quatuor elemẽta, & nomine Cœli orbes omnes mobiles, & immobiles, vt Basil. & Beda exponunt in Exameron.

Opinio Illorum Rabinorum de Paradiso terrestri, asserentium vsq; ad globum Lunæ pertingere, vel esse falsam ait Doctor loc. cit. in 2. vel hyperbolicè intelligendum, ad significandum illius loci Eminentiam, & altitudinem.

Ob. ratione: Si ignis daretur in concauo Lunæ in tanta copia, certè lucere deberet, & nocte conspici, sicut nitent, & conspiciuntur Sydera Cœli, quæ remotiora sunt, at nō lucet, ergo &c. ℞. 1. negando antec. cum Auerr. 4. Cœli 32. & D. Thom. p. 1. 66. art. 1. ad 2. asserentibus, ignem in statu suę puritatis non lucere quò ad actum secundum, ità vt visionem terminare possit; ignis .n. noster ideo in eo gradu lucet, vt videri possit, ob humorem illi admixtum, quod in flamma candelæ experimur, quæ quantò magis sursum euolat, & ab humore depuratur, tantò difficilius visionē terminat; cùm igitur ignis in propria sphera huius humoris sit penitus expers, vel absolutè non lucet, vel non in tali gradu, vt videri possit. ℞. 2. admittendo etiā ignem ex sua natura lucere, adhuc tamen asserendum est, ignem in sua sphæra non lucere ad eum gradum, vt visionem terminet, & hoc propter nimiam suam raritatem, ac transparentiam, quam ex Cœlo deducimus, quod maximum vtiq; à Sole lumen recipit, & tamen ob maximam eius perspicuitatem, visionem nostram non terminat, etiam si solidum, ac densum sit, ex quo colligitur, quòd resplendere visibiliter est proprium corporum, quæ lumen habent cum quadam opacitate partium, ac densitate cōiunctum; & confirmari potest ex eo, quòd communiter docetur, elementa pura non esse colorata, vt est de aere, qui non videtur. Nec officit, quòd radij lucis sint igne, & aere tenuiores, & tamen videntur, nam licèt tenuitas impediat, cùm tamen sint in subiecto denso videri possunt, vt etiam ignis in Materia densa; & sola perspicuitas in igne sufficeret, ne visionem terminet, vt de Cœlis constat. Posset etiam negari, ignem non vtcūque videri, quidam .n. Philosophi tenent Cœruleum sub concauo Lunæ esse colorem ignis, quæ experientia confirmari potest ex eo qā ignis excitatus ex re aliqua admodum ignea, aut subtili refert colorem Cœruleum, & plures afferunt experientias, præsertim de cuspide flammæ candelæ, quando illa puro igne ardet, & lycnus est tenuis, nec admodum longus.

Ob. si daretur elementum ignis tantæ molis, hæc omnia inferiora combureret, cùm sit natura sua actiuissimus, & voracissimus, qua ratione Arist. 1. Meteor. cap. 3 negauit corpora Cœlestia esse ignea, & tamē valdè remotiora sunt. Nec dicere valet raritatem esse in causa,

cur ignis elementaris parum calefaciat, nam etiam ignis valdè rarus satis calefacit, vt in partibus flammæ superioribus patet, quæ cùm rarissimæ sint omnium, maximè tamen vrunt, & aer inter prunas, & carnes interpositus est rarissimus, & tamen carnes assantur. ℞. concedendo raritatem esse reuera potissimam causam, cur ignis elemẽtaris non ità calefaciat, sicut eius natura postularet, sicut.n. densitas materiæ valde eius actiuitatem iuuat, ità raritas valdè impedit; quod autem partes flammæ superiores magis calefaciãt, quàm inferiores, oritur, quia non habent tot admixtos vapores frigidos, & humidos, quot habent partes flammæ inferiores, & hinc calor magis in illis percipitur, quàm in istis, si verò cætera sint paria, magis semper comburent partes igneæ densæ, quàm raræ. Carnes non assantur ab aere inter craticulas, & prunas intercepto, sed ab igne existente in prunis, suam actionem per aerem diffundentem; hinc remotis prunis calor aereus nihil, vel parum assaret. Neque etiam ignis elementaris tantę est magnitudinis, vt eum quãplures faciunt, nam ab Authore naturæ tàm in magnitudine, quàm in virtute actiua, & restitiua distributa fuerunt elementa in tali proportione, quanta satis est, nè vnum aliud absorbat, ac totaliter destruat, quare licèt in illo igne esset excessus caloris non tamen cętera comburere posset. Accedit, quia ei obsistunt cætera elementa cum excessu aliarum qualitatum ipsius summo calore resistentium. Tum tandem, quia obstat virtus regitiua vniuersi, quæ continuis Cœlorum influxibus, elementa in suis locis conseruat, contrariorum actionem temperando, vt Subtil. Doctor docet in 4. d. 48. q. 2. in corp. §. *Sed hæc omnia &c.* Concedimus etiam cum Doct. in 2. d. 17. superiorem aeris partem igne vicino valdè inflammari, non ità mediam regionem, & hoc ob intensum, ac perpetuum frigus, quod ibi permanet propter frigida meteora, quæ ibi continuò generantur; & ob notabilem distantiam sphęræ ignis cùm superior illa aeris regio maior, & lenior sit duab. alijs simul sumptis.

Ex his resp. ad instantiam Aresij, & Arriag. quòd concessa sphæra ignis in concauo Lunæ, nunquàm apud nos foret hyems, sed continua æstas; non valet, quia præfatis de causis, puta ob distantiam, raritatem, & secundæ regionis obscem, non potest actio ignis ad nos peruenire.

Instat Aresius: Sol non est magis virtualiter calidus, quàm ignis ille formaliter, cùm caliditatẽ habeat in summo, si ergo Sol nobis suum infundit calorem, nec à media aeris regione impeditur, tanto magis id faciet ignis, cùm sit nobis propropinquior. Tum quia experientia constat, dum fiunt cometæ, maximos in aere calores generari, ergo id magis eueniret si ignis in tan-

ta

ta magnitudine esset sub concauo Lunæ; quæ improportionabiliter cometæ magnitudinem excederet. ℞. negando sequelam, & ratio est, quia Sol est causa æquiuoca caloris, ac proinde nobilior quàm ignis, & efficacior, & consequenter vehementius in nos suum diffundit calorem, & absq; obstaculo secundæ regionis, cùm non sit rebus sublunaribus obnoxius, & quando etiam à secũda aeris regione remitteretur, tamen hic postea rursus ex reflexione radiorum intenderetur: & in sent: illorum, qui statuunt Solem producere calorem mediante lumine, adhuc minus vrget eius ratio, quia tunc Sol non producit lumen immediatè, sed per lumen, quod cùm contrario careat, ad maximã distantiam diffunditur, & eius reflexis radijs, hic calor apud nos producitur. Neque etiam instantia de Cometis vrget; quia nõ ab ipsis tantus calor excitatur, & diffunditur, cùm in ipsorum ortu, & occasu nullam experiamur caloris vehementiam; sed calor ille, sicut & ipse Cometa præsertim causatur ex influētijs Cœlorum calidis, & multis etiam calidis exhalationibus apud nos excitatis. Nec paritas assumpta in primo Argumento ex Arist. 1. Meteor cap. 3. conuincit, nã idcirco Cœlum si igneum foret, reliqua omnia cõbureret, quia propter maximũ molis excessum super hæc inferiora, & maximam astrorum densitatem vehementissimè ageret, & cùm in agendo nil ob sui incorruptibilitatẽ repateretur, certò omnia combureretur.

10 Ob. Experientia: cernimus ignẽ sine alimento non conseruari; hinc oleo deficiente, flamma deficit, sicut ignis deficientibus lignis, cùm ergo sub concauo Lunę nullum extet ignis pabulũ, quomodo potuisset ibi per tot sæcula conseruari? Nec dicas, nostrum ignem pabulo indigere, quia hic contraria habet, quæ in ipsum præualent, nõ autem ibi, nam in fornace benè vndique cõstipata, ignis nullum contrarium patitur, & tamen deficiente materia statim euanescit, ergo non ob contrarij actionem, sed ex eius natura ignis pabulo indiget. ℞. concedendo, contrarietatem nõ esse præcisam causam, cur ignis noster continuò fomento indigeat ad sui conseruationem, non autem in sua sphæra; sed vera, & præcipua causa est, quam Scot. assignat in 4. d. 47. q. 2. §. *De secundo &c.* ex Arist. lib. de iuuent. & senect. quia .s. ignis extra suam sphæram non manet nisi in continua generatione, ac veluti fluuius, qui tandem si aquæ non succedant aquis, deficit. Quòd igitur hic necessarium sit pabulum ad ignem retinendum, oritur, quia cùm ignis ex natura sua perpetuò sursum tẽdat, & semel excitatus idem numero retineri nõ possit, opus est, vt si illum in his inferioribus retinere velimus, continuum ei præbemus alimentum, & ita per nouam, ac nouam generationem si non idem numero, saltem idem

idem specie continuò nobiscum remaneat, hoc autem locum non habent in concauo Lunæ, quia ibi ignis vt in propria sphæra quiescit, nec amplius sursum pergere contendit.

Ob. Ille locus elemento ignis deberetur, in quo potest vsum habere in ordine ad bonum vniuersi, alias non rectè natura eum disposuisset; sed ibi nullum potest habere vsum; non vt materia mixtorum, cùm sit tam distans ab inferioribus; nec vt efficiens, eadem ratione, & quia etiam sufficit ignis inferior, & calor Solis, ergo &c. ℞. 1. neg. min: nam etiam sic spectat ad integritatem perfectionis Vniuersi, ibi enim degens cum aere replet interstitiũ à terra vsque ad Cœlum Lunæ protensum, ibi etiam secundæ regionis temperat frigiditatem, & frigidissimos aliquorum Planetarum influxus; Constat etiam ex illo loco impressiones ignitas in suprema aeris regione prouenire, quarum generatio prorsus impediretur à rigore mediæ regionis; & tandem orbem reliquum inferiorẽ, & præsertim aerem, virtute Cœlesti adiuuante, à quamplurimus vaporibus nociuis, ac infectionibus expurgat, ac præseruat. ℞. 2. quòd sicut natura ad mixtorum generationem, & viuentium vtilitatem multas aquę portiones disperserit in fontes, riuulos, & flumina, adhuc tamen locum vnum constituit, in quo magnum aquæ elementum, vt in propria sede ab alijs segregatum commoraretur, sic de ignis elemento affirmandum erit &c. Aliæ rationes adduci solēt ab Aduersarijs, sed minoris momenti, quæ ex dictis facilè diluuntur.

DVBIVM SECVNDVM.

De motu ignis in orbem sub concauo Lunæ.

EST Sent. Communis Peripath. ignem sub concauo Lunæ existentem ad eius motum circulariter moueri; imò non solùm ignem, sed etiam maiorem aeris portionem superioris regionis ità moueri, & fuit manifesta Aristot. doctrina 1. Meteor. quod indè probat, quia cometæ, qui secundum ipsum gignuntur in regione elementari ignis, vel aeris, in orbem duci cernuntur; quamuis Aliqui Recentiores Astrologi hoc negent. Pr. hæc sent. validissima ratione; nam etiã secundum Astrologos primum mobile omnes Cœlestes orbes inferiores suo motu diurno rapiat ab ortu ad occasũ, etiã si motu naturali in contrariũ conentur ab occasu in ortum, ergo tanto magis hæc vehementia motus etiam in ignem imprimeret Cœlis immediatè subiectum, cùm in contrarium motũ minimè nitatur.

Dices, non est eadem ratio de Cœlis primo mobili subiectis, & de igne, & aere, Cœli .n. sunt corpora solida, quæ cùm sint inclusa intra concauam primi mobilis superficiem, facilè eius impetum recipiunt, & eius motui obsequũtur, nõ

ità

ità est de igne, & aere, quia cùm sint corpora tenuia, & fluida, facilè cedunt, ac consequenter non oportet, vt vertiginē ambientis corporis sequantur. Non valet, nam videmus etiam corpora fluida posse talem impetum recipere, vnde si vas aqua plenum circumuoluatur, experimur, etiam aquam inclusam paulatim eamdem vertiginem suscipere, fluiditas igitur ignis, & aeris tantùm obstare potest, nè ità promptè vertiginem cœlestē suscipiat, quod facerent si solida essent, non tamē impedit, quin nullo modo illam suscipiant.

Galilæus lib. Italicè inscripto: *Il Saggiatore*, hanc Peripat. sent. labefactare conatur, ratione, & experientia. Ratione, quia concaua orbis Lunæ superficies ponitur à Peripat. plana, ac tersissima, quomodo ergo potest suo motu secum rapere corpus fluidum ignis sibi immediatè subiectum? non potest aliquid trahi, & circumduci, nisi partes tracti intrent partes trahentis, atque ità propter eius asperitatem, ac inæqualitatem trahantur. Affert etiam experientiam, nam si sumatur aliquod vas, & illud circa suum axem citissimè circumducatur, aer intra ipsum inclusus non monetur, sed quiescit, quod ex eo deducitur, quia si intra vas candela accensa ponatur, non extinguitur, nec eius flamma ad hanc, vel illam partem inclinatur, quòd si aer intra vas moueretur, oppositū contingeret.

Sed neutra probatio valet, non prima in ratione fundata, nam falsum est corpus aliud ambiens, & circumdans non posse illud motu suo rapere, & circumducere, nisi in partibus extremis sit asperum, & inæquale, sufficit .n. si corpus inclusum capiatur, & comprehendatur ab ambiente per concauā eius superficiem, quod de ipsis Cœlestibus orbibus constat, qui à primo mobili circumaguntur, licèt concaua eius superficies tersissima sit, & planè leuigata. Neque experimētum approbamus (lictò à Liceto admittatur) oculis .n. cernimus, q̄ si phiala vitrea aqua plena circumagatur, etiam & aqua inclusa ad eius motum reuoluitur, idemque de aere intra vas motum incluso fatendum est. Ad experimentum de flamma candelæ potius est ad oppositum, si .n. flamma non multum distet à superficie concaua vasis rotati, experimur ipsam flecti ad motum vasis, ac illum quodammodo sequi, signum, quòd aer inclusus ad motum vasis rotatur.

Solet etiam hic dubitari, supposita tamen vera sent. de motu ignis in orbē, an talis motus sit simplex, vel mixtus, & resolutio patet ex dictis in declaratione motus simplicis, & mixti. Motus simplex est, qui fit super lineam rectam; mixtus verò, qui fit super lineam ex recta, & circulari cōpositus, si motus ignis in orbem conficit, & describit solā lineam circularem, ponendus erit motus simplex; si verò quædam ipsius

sius partes ascendunt, quædam descendunt, aliæque ad dextram, aliæ ad sinistram mouentur, ac varijs alijs modis agitantur, talis motus non erit simplex, sed mixtus, quæ verò contra hanc determinationē obijci possunt, facilè ex dictis in secundo dubio de Cœlo diluuntur.

DVBIVM TERTIVM.

An motus ignis in concauo Lunæ sit naturalis, vel neuter.

PLures, & variæ sunt de hoc dubio opiniones, vt videre est apud Zabarel. lib. de motu ignis in Orbem, & Gianninum de Cœli natura part. 1. cap. 14. quos referũt, & doctè confutant Mastr. & Bellut. disp. 4. de Cœlo q. 2. art. 2. ratio dubitandi est, quia cùm ille motus ad girum Cœli non sit igni naturalis, videtur ponendus esse violentus; ex alia parte motus violentus perpetuari non potest ex Arist. 1. Cœli 15. & lib. 2. 17. ex quibus locis illud axioma desumptum est: *nullum violentum durabile.*

Quamplures Philosophi affirmarunt motum hunc esse igni violentum, & contra eius naturam, quæ natus est rectè moueri, non circulariter. Alij verò dixerunt potius motum illum esse naturalem, quàm violentum, quod adhuc diuerso modo explicant. Zabarell. loc. cit. cap. 8. ait, quòd estò talis motus non sit naturalis, accipiendo motum naturalem pro eo, quòd fit ab interno principio, potest tamen dici naturalis quatenus habet vim ipsum fouendi, & conseruandi, quod probat ex 1. Meteor. cap. 4. vbi Arist. docet elementa calida à motu Cœli & ab eodem conseruari in suo naturali calore, motus .n. rapidissimus vim habet dissipandi, attenuandi, & rarefaciendi, ac consequenter calefaciendi, & hac de causa motus ille non debet dici naturæ ignis violentus, quia ipsum non lædit, sed valdè conseruat. Sed hæc explicatio non satisfacit, falsum est .n. ignem in sua propria sphæra à motu Cœli in proprio calore faueri, & conseruari, nam motus non est causa caloris per attritionem, nisi inter corpora solida, in quibus solùm attritio, & affrictus euenit, quatenus vnum non facilè cedit alteri, at ignis, & aër sũt corpora fluida, quæ proinde facilè cedunt, & Cœli motum sequuntur absque attritione, imò potius, vt aliqui volunt frigesceret, nam fluida per motum frigescunt, sicut solida per eumdem incalescunt; Vndè ignis ibi conseruatur, quia est in suo loco naturali, vbi contrario caret.

Piccolomineus asserit, quòd licèt ille motus non sit igni naturalis secundum propensionem, & instinctum naturæ particularis ipsius ignis, est tamen illi naturalis secundum procliuitatem naturæ vniuersalis, quæ totius vniuersi bonum procurat, & promouet; concludens, quòd si ignis consideretur, vt est quædã pars totius Vniuersi, hoc modo aptus est motu totius Vni-

vniuersi cieri, qui est motus in orbem ab ortu ad occasum. At neq; hæc responsio placet, nam ex ea probaretur motum quoque circularem terræ, & aquæ conuenire, cùm etiam hæc elementa sint partes Mundi. Neque difficultatem præcipuam tollit, dicens .n. Arist. *nullum violentum esse durabile, ac perpetuum,* loquitur de violento, quod est contra naturam, non solùm vniuersalem, sed etiam particularem rei, & colligitur ex ratione, quam adducit ad probationem illius dicti, quòd violentum est contrarium naturæ, contraria verò inter se pugnant, ac mutuò se interimere nituntur; hæc autem pugna perpetuò durari non potest, quia tandem vnum deijcit aliud, vel .n. destruit rei naturam, vel natura à se violentiam depellit, quæ ratio æquè de natura vniuersali, & particulari militat, relictis igitur Plurimorum improbabilibus assertis,

Dicimus cum communi sentent. quam tandem Zabarell. refert, & sequitur capit. 3. loc. citat. quòd motus ignis in orbem, nec naturalis est, nec violentus, sed neuter, quia nec est secundum naturam mobilis, nec contra naturam eiusdem, ac proinde dici solet præter naturam, seu innaturalis, & quòd talis motus in perpetuum duret, nullum est inconueniens, cùm de eo non militet ratio, quæ de violento vrgebat, & hæc est Auerrois sentent. 3. Cœli com. 20. & 2. Meteor. cap. 2. Simplic. D. Thom. 1. de Cœlo tex. 10. & Aliorum, estq; conformis dictis in phys. disput. 6. art. 5. vbi ostendimus admitti debere motum neutrum, & medium inter naturalem, & violentum per abnegationem extremorum, & talem præsertim esse motum ignis in orbem; ille .n. dicitur motus violentus, per quem acquiritur forma destructiua perfectionis subiecti, at per illum motum non acquiritur forma destructiua subiecti, ergo nō erit igni violentus. Nobis etiam fouet Vasq. part. 2. disp. 25. num. 4. vide in physic. loc. cit. vbi etiam adducta fuerunt argumenta in cōtrarium, & soluta.

DVBIVM QVARTVM.

An ignis inferior sit verus ignis, & eiusdem speciei cum superiori.

NOn desunt Recentiores, qui communem sent. spernentes, ad peregrina sæpè sepius ducūtur. Cardanus loc. supra cit. negat ignem hic existentem esse verum elementum, sed potius esse quoddā mixtum, in quo ignis prædominatur. Idem etiā supponit Tassonius, asserēs ignem hunc inferiorē aliud nō esse quàm calorem Solis in materia combustibili accensum. Aresius cum communi affirmat, ignem hic existentem esse verum ignem elementarem, imò nullum alium ignem elementarem præter istum reperiri. Subdit tamen non inueniri ignem per se ab alijs corporibus substantialiter segregatum, sed tantùm in aliquo corpore permixtum,

vt in eadem materia simul sit forma ignis cum aliqua alia forma V.G. cum forma ligni in carbone, cum forma fumi in flamma, & quod hęc sit conditio peculiaris ignis.

Conclusio.

Nos tamen cum nostro Doct. asserimus, ignem, apud nos existentem esse verum ignem elementarem eiusdem speciei cum superiori; & ità in materia existentem, vt nullam secum aliam substantialem formam admittat. P'à Scot. in 4. d. 47. q. 2. §. *de Secundo &c.* & dis. 49. qu. 16. §. *Alius est intellectus &c.* Pr. quò ad singulas partes. Primò, quòd non sit accidens, vt Tassonius velle videtur .s. calor accensus in materia combustibili; Nam calor quantumcumque intensus nunquã comburit, sed calefacit, neque aliã destruit substantiam, sed solùm ad eius corruptionem disponit, quia ex dictis in phys. disp. 9. art. 11. accidens non habet vim generandi, vel corrumpendi substantiam; at ignis noster non tantùm calefacit, sed comburit, & generat, vel destruit aliam substantiam, ergo non erit accidens, sed substantia. Tum quia si caloris excessus in Sole, & astris existens infert illic esse substantias igneas per Tassonium, quare nos idem arguere non possumus in substantijs corruptibilibus, in quib. euidentius talis caloris excessus formaliter reperitur? Quòd neque sit corpus mixtum, in quo ignis prædominetur, vt Cardanus aiebat, inde patet, quia ignis noster est calidus, & siccus in summo, quia caret omni frigiditate, vt sensui patet, & omni humiditate, vt de cinere experimur, ergo non est aliquod mixtũ, cũ virtutes vnius tantũ elementi contineat. Quòd tandem non existat in aliena materia simul cum alia forma, vt Aresi. asserebat ex eo constat, quia plures formæ substantiales specificæ, & disparatę sunt in eadem materia omninò incompossibiles, quamuis ergo plures formæ subordinatæ possint esse simul, quia dispositiones vnius inseruiunt alterius dispositionibus, vt etiam nobiscum fatetur, & defendit Aresi. in viuentibus, disparatæ tamen minimè possunt.

Rt. Aresi. ex hoc tantùm sequi, quod forma ignis, & alia forma nequeat pacificè simul commorari, sed in pugna semper, ità vt altera alterius machinetur interitum, & addit, quòd forma ignis ob suam voracitatem necessariò semper esse debet alteri formę coniuncta, vt eã depascat, & cum ea pariter intereat; Concludens tandem non esse inconueniens, quòd idem secundũ diuersas formas sit in diuersis speciebus, nempè simul ignis, & ferrum, vel lignum, quia potest etiã homo esse in diuersis prædicamentis, homo .n. vt homo, est in prædicamento substantiæ, vt albus in prædicamento qualitatis. Sed bona pace tanti Doctoris, cum vna forma priuationem alterius formę secum deferat, necessariò sequitur nec in pace, nec in bello posse simul consistere, aliàs sequeretur, quòd for-

forma, & priuatio possent pro aliquo instanti simul consistere, quod ex dictis in physic. impossibile est. Tum quia pugna formarum est formalis, non effectiua ex lib. de gen. & corrupt. ergo si semel possunt simul esse, nec vna suo aduentu alteram expellit, ità quòd primum esse vnius, sit primum non esse alterius, semper poterunt deinceps esse simul. Falsum etiam iudicamus, q forma ignis semper foueat, & depascat aliam formam ei sociam in eadem materia, in quo .n. genere causæ id forma ignis efficit? non in genere causæ efficientis, quia forma non destruit formam, nisi per incompossibilitatẽ formalem, si in genere causæ formalis per supra relatam incompossibilitatem, ergo pro nullo instanti possunt esse simul, quia formalis incompossibilitas tollit compossibilitatẽ pro quocumque instati. Quod tandem concludit de supposito accidentali, quòd .s. sicut idem suppositum potest simul esse in diuersis speciebus accidẽtalibus, per diuersas formas accidentales, sic pariter esse poterit in diuersis essentialibus per diuersas substantiales, est error peior priore, non solùm quia hoc probaret non tantùm de forma ignis, quod esse possit cum alia forma, sed indifferẽter de quacumq; alia, sed quia non rectè hanc paritatem inducit, res .n. per formam substãtialem in specie essentiali constituitur, quæ dat esse simpliciter, nõ per accidentalem, quæ dat esse secundarium, aduentitium, & secundum quid, ergo sicut res non potest esse, nisi in vnica specie essentiali, non .n. idem suppositum esse potest simul ignis, & ferrum, ità constitui nequit, nisi per vnicam formam, & specificam. Cæterum quis negaret, quòd idem homo, vt homo spectat ad prædicam. Subst. vt longus ad prædicam. quantitatis, vt albus ad prædicam. qualit. vt similis alteri ad prædicam. relationis &c. sed nõ sumus in casu.

Pr. tãdem quò ad aliam partem, quòd .s. hic ignis inferior sit eiusdẽ speciei cum igne superiori, licèt .n. secundum varia accidentia differant, vt secundum densitatem, & raritatem, & secundum admixtionem aliorum corporum, & puritatem, & secundum alia accidentia, quæ ex parte materiæ se tenent, in qua ignis reperitur, attamen in accidentibus se tenentibus ex parte formæ non differunt, putà in qualitatibus tàm actiuis, quàm motiuis, cùm vtrique conueniat calor, & motus sursum ex 1. Cœli 19. & lib. 2. 92. & lib. 4. 22. & quoniam ex his qualitatibus essentiæ identitas colligenda est, quia se tenent ex parte formæ, non materiæ, consequenter inferendum est, huiusmodi ignes eiusdem esse rationis, & speciei.

Obiectiones.

Ob. 1. Quòd isti ignes sint diuersæ speciei, auctorit. Aris. 5. Topic. loco 54. vbi ait: *non est vna species ignis, nam diuersum est carbo, & flam-*

flamma, & lux specie; hinc Auerroes 4. Cœli 32. inquit, ignem nostrum non generare, sed corrumpere animalia, elementarem vtique, ergo non sunt eiusdē speciei. ℞. ex verbis relatis Aris. in tex. non solùm infertur diuersitas specifica inter ignem superiorem, & inferiorem, sed etiā inter inferiores ipsos, carbonis, flammæ, &c. quare intelligēdus est de diuersitate specifica accidentali, non essentiali, illæ .n. differentiæ se tenent ex parte materiæ, nam ignis carbo fit ex materia terrea, flamma ex aerea, & ignis lux quando ab omni extraneo separatur, & sic explicādus est in alijs locis, vbi distinctionem specificam inter ignes innuere videtur. Dictū Auerr. falsum putamus, vterq; enim ignis ad generationem, & corruptionem aptus est, secundum quod moderatè, vel immoderatè applicatur; vel si concedatur, non inducere, nisi diuersitatem accidentalē, illa .n. diuersitas in agendo non procedit ex varietate ipsius specificæ naturæ, sed ex varijs accidentibus cū natura specifica coniunctis.

22. Ob. Ignis noster est principium lucis, non elementaris; hic indiget alimento, non ille; hic habet excrementa .s. cineres, & carbones; non ita ille, & aliæ differentiæ obseruari possunt, quæ diuersitatem specificam inferunt. ℞. vt supra, huiusmodi diuersitatem non prouenire ex natura huius, & illius ignis, & ratione formæ, sed per accid. & ratione materiæ, vel loci in quibus ignis reperitur. Vterq; igitur ignis est principium lucis, sed elementaris non videtur propter eius raritatem, lux .n. non terminat visum, nisi in materia densa, & opaca, vt de aere illuminato cōstat, qui ob eius raritatem non videtur. Ignis noster indiget pabulo, quia nō est in proprio loco, & semper sursum euolat ex dictis. Hic excrementa habet, nō ille, quia hic est in materia aliena, non in propria sicut ille; & quādo est cū materia terrea, vt in carbone V. G. pars magis terrea non conuertitur in ignē, hinc remanent cinis, & alia excrementa, quia igitur hæc accidentium varietas non sumitur ex parte formæ, sed materiæ, non potest inter ignem superiorem, & inferiorem specificam diuersitatem inducere.

23. Obr. Aresius probando, quòd forma ignis in materia semper est coniuncta cum alia forma, quam depascat: probat ex 2. de gen. 28. vbi dicitur, quòd flamma nil aliud est, quā fumus accensus, ergo forma ignis est simul cum forma fumi. Item in ferro, & ligno est substantialiter ignis, & hic absq; aliquo huiusmodi subiecto reperiri non potest, ergo &c. ℞. neg. conseq. licèt .n. ignis ob maximam sui actiuitatem, in alia etiam materia existere possit, non tamen cum alia forma, & ad probat. dicimus, flammam esse fumum accensum, non quia in eadem materia simul maneāt forma fumi, & ignis, sed quia fumus conuertitur in ignē per trāsitum

situm materię à forma fumi ad formam ignis; non itáq; lignũ, & ferrum ignitum sunt ex toto substantialiter ignis; sed verus ignis tantùm in eorum poris conseruatur, in cæteris verò partibus solùm adhærent qualitates ignis in gradu valde intenso. ità docuit Scot. in 4. d. 47. cit.

Sed contra hanc resp. plures Arest. instantias adducit, quibus benè, & eruditè Bell. & Mastr. occurrunt. Prima, quia flamma est cõtinua ergo non tantùm est in poris, nec etiã apparet, qui pori esse possunt in fumo.

Secunda, quia substantia densior pauciores habet poros, ergo minus haberet de igne, cuius oppositum experimur.

Tertia, si ignis potest conseruari in poris, cùm intra poros non sit alia substantia, quàm aer, possit ignis conseruari etiam extra poros in aere, quòd si posset in solo aere, posset absolutè esse, extra aliud corpus quod est contra experientiam.

Quarta, quando ignis paulatim consumit lignum, negari nõ potest, quin peruadat substantiam ipsius ligni, dum ergo de vno poro ad alium transit, cùm non agat immediatè in distans debet omnino per corpus solidum transire.

Quinta, tandem si in poris reperitur ignis, ergo ascendet, & relinquet ferrum, quid .n. excogitari poterit à quo retineatur? figmentũ igitur, est ignem esse in poris, non verò in ipsa rei substantia.

℞. ad primam, concedentes in fumo non esse poros, sed dum inflammatur, tota forma fumi destruitur, & noua forma ignis generatur, & ità non sunt duæ formæ substantiales in eadem materia.

Ad Secundam, etiam gratis admittimus in substantia densiori ceteris paribus minus de igne reperiri, quatenus est minus porosa, sic V.G. in ferro minus de igne reperitur, quàm in ligno, videtur tamẽ ibi esse in maiori copia propter maiorem actiuitatem, quam habet ratione maioris dẽsitatis adiuuantis actionem &c. Ad Tertiam, negatur in poris ligni, vel ferri, vbi ignis asseruatur, etiam aerem reperiri. Ad Quartam, particulæ ignis in poris ligni existentes, alias ligni partes immediatas conuertunt in ignem, & quæ conuerti nequeunt, vt potè terrestriores in cinerẽ resoluuntur, non igitur oportet agens transire secundum realem præsentiam per subiectum in quod agit. Ad Quintum ℞. vt supra, negando aliquas particulas à ligno non separari, & sursum ascendere, vt de scintillis constat, quia tamen multę inter anfractus, & cauitates igniti corporis continentur, ne detur vacuum ibi delitescunt.

DVBIVM QVINTVM.

De Cometis.

COmetarum conditio, & natura adeò abscondita est, & arcana, vt ne dum inter veteres Philosophos immortales extiterint lites,

tes, sed etiam adhuc temporibus nostris Astrologi quamplures toto marte digladiantur, ad signum, quòd integra de Cometis volumina ediderint. Nos breuiter more nostro, de his, quæ tantùm necessaria videntur, agemus, exactiorem disputationem Astrologis, & curiosioribus relinquentes.

Solet igitur primò dubitari de materia cometarum, an s. sint ex materia sublunari, vel potius Cœlesti. Quidam Antiqui Philosophi ab Arist. relati 1. meteor. cap. 6. dixerunt, esse ex materia Cœlesti, putantes cometas esse astra Cœlestia, licèt non semper à nobis videantur, & de numero stellarum errantium, quam tamen sent. non eodem modo explicabant; quidam .n. aiebant, Cometam esse vnam Stellam certis tantùm temporibus existentem, sic aliqui pythagorici; alij verò asserebant nō esse vnā, sed combinationē plurium Stellarum, quæ propter propinquitatem, & luminis confusionem vna stella apparet, sed maior, & longior, ità Anaxagor. & Democritus, quam sent. secutus est Seneca lib. 7. naturalium quæstionum cap. 1. à qua parum distat Cardan. lib. 4. de subtil. putās Cometas esse quædam astra secundaria in Planetarum orbibus, non ità firma sicut alia, & tunc apparere cùm à Sole illustrantur.

Contra quas sent. Arist. inuehitur loc. citat. & primò contra primam opinionem, negās, Cometam esse vnicam Stellam errantem, quia suo tempore plures simul Cometæ conspecti sunt, & idem tempore suo accidisse testatur Scaliger exercit. 70. ergo Cometa non est vnica Stella. Tum quia cùm Cœlum sit diaphanum, & translucidum, cur Cometa modò apparet, modò minimè? & præsertim hac tempestate, qua ministerio Telscopij, seu Tubi optici etiam minutulæ Stellæ perlustrantur in Cœlo. Fortè dicent, tale Sydus, qui dicitur Cometa tūc solùm apparere, quando ad nos descendit, & in imum sui cursus peruenit, à nostris autem obtutibus abscondi, cùm in profunditatem Cœlorum sursum euehitur in magno aliquo epyciclo, vt in ipsis Planetis experimur, vnde Mars interdum, ità à terris recedit, vt vix oculis deprehendi possit. At hæc responsio nobis fauet, sicut .n. Planetæ, secundum quòd in suis Epiciclis magis ad nos accedunt, vel recedunt, modò maiores, modò minores conspiciuntur, & vniformiter difformiter eorum magnitudo aspectui nostro crescit, vel decrescit, sic etiam Cometa cùm ex ipsa Cœli profunditate versus terram descendere incipit; deberet primò minus apparere, deinde maior, ac tandem maximus, & sic etiam paulatim decrescere, quod tamen non ità experimur, nam cùm primò apparent regulariter totam suam magnitudinem habent, & deinceps nulla proportione seruata diminuuntur.

Neque

Neque esse potest Stellarum errantium combinatio, vt Democritus aiebat, & Arist. probat. Nam hæ Stellæ errantes, vel essent illæ eædem, quæ Planetæ appellantur, vel aliæ ab eis diuersæ, vt probilius Cuttonius putat; non primum, Cometa .n. cernitur separatus ab vnoquoque Planeta, & aliquando contingit Planetarum coniunctio, & tamē nullus Cometa cernitur; Tum quia Planetæ solùm coniunguntur sub Zodiaco, quia sub ipso suos perungunt motus, Cometæ verò frequentius extra Zodiacum apparent. Neque sunt Stellæ à Planetis diuersæ, nam si ex tali congressu Cometa produceretur, prius videri deberet dimidium Cometæ, & postea totus, prius .n. duæ, vel tres Stellæ coibunt, quàm decem, viginti &c. cùm hæc coniunctio paulatim ex motu Cœli fieri debeat, hoc autem est contra experientiam, totus namque statim coalescit, & oculis nostris fit obuius.

Conclusio.

Melius igitur concludendum est cum Arist. Cometam non esse ex Materia Cœlesti, sed sublunari compactum. Pr. Materia Cœlestis ex dictis, saltem materialiter incorruptibilis est, & inuariabilis, ac Cometæ interdum subitò comparent, & disparent, quandoque magni fiunt, aliquando minimi euadunt, ergo eorum Materia non erit Cœlestis, sed sublunaris. Tum quia insignes Astronomi instrumentis mathematicis deprehenderunt Cometas esse Luna inferiores, ergo ex hac materia non Cœlesti conficiuntur. Docet autem Arist. quòd Materia Cometæ sit exhalatio calida, & sicca, pinguis, crassa, viscosa, atque ex partibus bene coagmentatis constans, nam talis materia facilè incenditur, & ob eius pinguedinem, & viscositatem diu inflammationem retinet; & quòd talis sit Cometarum materia, indè probat Arist. quia regulariter tempore generationis Cometæ fiunt magni venti, signum quòd eleuantur multæ exhalationes calidæ, & siccæ; etiam magna contingit siccitas propter magnam copiam exhalationum, aerem occupantium, quod exemplis, & experientijs probat Philosop. cap. 7. quæ circa sua tempora acciderunt, & hæc fuit constantissima antiquorum Astronomorum sententia.

Obiectiones.

Ob. Contra hanc sent. Camil. Gloriosus lib. 3. de Comet. cap. 3. ex eo fundamento, quòd halitus terrestres non eleuantur à terra vltra milliaria quinquaginta duo, vt Aliqui Astronomi ostenderunt, & potest adhuc ratione naturali suaderi, tales .n. halitus non eleuantur, nisi à calore, & leuitate eis extrinsecus impressa à Sole, & alijs astris eleuantibus, ergo eousque ascendunt, quousque acquisita caliditas manet; subsumitur, sed ista dissipatur ab intenso frigore secundæ regionis, ergo cùm Cometæ multò altius effulgeant, terrestres halitus nō sunt idonea eorum materia.

teria. ℞. neg. antec. nam terrestres exhalationes, quæ magis spirituosæ sunt, & vigorosæ multò altius ascendunt, vt Scotellus, Tannerus, Cardanus, & alij aduertunt, & eò magis, quò maior erit virtus attractiua astri, à quo etiam in ipsis souetur calor, & leuitas, dum per secundam aeris regionem ad superiorem transuolant; inde ad probationem negatur subsumptum.

Ob. Concesso etiam, quòd tales halitus mediam aeris regionem superent, quia tamen tertia regio calidissima est, præsertim in plaga superiori, terrestres exhalationes quantumuis bene compacti, & addensati, ob viciniam ignis ex nimio calore dissoluerentur; vel saltem non semper eamdem figuram retinerent, & præsertim cùm ponantur celerrimè à motu Cœli rapi, quia non tantæ consistentiæ censentur, vt eis impetum diù patiantur. ℞. neg. conseq. & ratio est, quia cùm tales halitus multũ vnctuosæ pinguedinis habeant, de facili inuicem occursantes in vnã massam, & globum constipantur, & semel conglutinati, non facilè à motu Cœli dispergũtur, maximè quia ille motus vniformis est, non tumultuarius, & quodammodo lentus propter distãtiam à Cœlo Lunæ; & quia etiam tales halitus aqueo vapore sunt permixti, habent vndè obsistere valeant calori illius regionis, & ardorem semel conceptum pro qualitate suę complexionis diutius tolerare.

Ob. Si hæc exhalatio poneretur crassa, pinguis, & acriter compacta, certè etiam grauitatem haberet tali materiæ connaturalem, ac consequenter deorsum laberetur, præsertim cùm Cometa ingentis sit magnitudinis ℞. neg. conseq. Illa .n. exhalatio non descendit, quia sustentatur tàm à leuitate ignis in ipsa concepti, quàm à virtute astri, à quo eleuata est.

Ob. Si hæc materia continuò depascitur ab igne, & inflammatione concepta, Cometa vt diù viueret, pabulo indigebit, at pabulum hoc assignari nequit, ergo &c. Pr. Min. non .n. assignari posset, nisi noui halitus continuò ascendentes, qui eidem iunguntur, & aglutinantur; at hoc falsum censetur, Cometæ.n. vagantur per omnes mundi regiones situ, & temperie difformes, in quib. incredibile est ità in promptu exhalationes reperiri ad Cometam alendum; & dato quòd reperiantur, mirabile etiam est, quare cùm ad regionem illam aeris calidissimam peruenerint, non illicò accedantur, cũ valde sint ad accensionem procliues, priusquam cum Cometa aggregentur. ℞. neg. mi. cum sua probatione, ratio est, quia illa suprema regio semper exhalationibus referta est, quæ in magna copia ibi lõgo temporis interuallo congregantur, ex quibus, & illis, quæ paulatim ascendunt potest Cometa ali, si diù duret. Neq; oportet, vt noua illa materia, quæ ascendit ad regionem perueniens

supre-

supremam, illicò ardeat, quia adhuc in illa viget vapor acquisitus ex trãsitu per mediam aeris regionem, sicut experimur bellicum pulverem valde ad ardorem propensum, non statim flammam cõcipere, si in loco aliquo humido permanserit. Euenit etiam interdum, vt exhalatio celerrimè per mediã transeat regionem, ideoque parum humiditatis acquirat, quod est in causa, vt illico accendatur, & fiat Stella discurrens.

Ob. tandem, tanta est aliquando Cometarum moles, quòd si totus terrestris globus in halitus resolueretur, non sufficeret pro tanta mole constituenda, & maximè si diù permaneret, ergo &c. Rꝫ. neg. assumptum, non .n. necesse est tantæ molis esse Cometam in profunditate, quantæ est in latitudine, sed instar nubium se habere potest, quę in aere non itá in altum, & profundum crassescunt, quantum in latitudinem extenduntur, vt cum alijs aduertit Auersa quæst. 33. sec. 4. ad 8. Tandem hæc argumenta aliquam habent apparentiam, tenendo Cometam esse halitum accẽsum & ignitum, quòd si asseratur, vt satis probabile est, esse tantùm radijs solaribus illustratum, minus officerent; & tantò minus si cum aliquibus teneatur, quod probabiliter affirmat Licet. lib. 3. de nouis astris, & Cometis cap. 8. non quemcumque Cometam ex halitibus gigni, sed quandoque ex quadam aeris, vel ignis portione, Stellatum virtute tali densitate, ac opacitate affecti, vt lumen ad nos reflectere possit.

DVBIVM SEXTVM.

De Loco Cometarum.

QVamplures Astronomi Recẽtiores, quibus præiuit Tyco Brahę, affirmant Cometã gigni, & existere non sub Cœlo in suprema aeris regione, vt Arist. docuit, sed in Cœlo, & tot obseruationibus hoc confirmant, vt etiam nonnullos Peripat. in eorum sent. adduxerint, qui cum Arist. defendentes Cometas formari ex halitibus terrestribus è terra eleuatis, dicunt tamen huiusmodi halitus vsque ad Cœlestem regionem ascẽdere, ibique condensari, ac illustrari, & in hunc modum nobis apparere; ita Aresius 2. de gen. q. 4. c. 2. & ex Astrol. Galilæus, & Guiduccius lib. de Cometis, & alij, licèt nonnulli istorum concedant, aliquos Cometas interdum etiam sub Cœlo generari, & existere. Eãdem sent. defendit Licet. de nouis astris, & Cometis lib. 5. & quod peius est eam defẽdere conatur ad mentem Arist. contendens ipsum cognouisse quãplures Cometas in regione Cœlesti, contra omnes Peripat. firmiter asserentes cum Aris. omnes Cometas sub Cœlo fieri, & existere.

Conclusio.

Dicimus cum Peripat. Cometas omnes, saltem illos, qui naturaliter fiunt, gigni, & existere non in Cœlesti, sed in elemen-

elementari regione. est manifesta Arist. sent. 1. meteor. sum. 2. cap. 4. quem communi consensu Peripat. sequuntur. Item & Astronomi omnes, qui ante Tyconem de hac materia scripserūt, & solertissimi Mathematici, quos refert Auersa, vnanimi consensu defendentes, illum eumdem Cometam, qui apparuit 1577. & ansam scribendi Tyconi præbuit, diligenti indagine sublunarem fuisse ostenderunt. Pr. ratione, & primò ex lumine Cometæ, nam siue illum conspiciamus per tubum opticum, siue per liberum intuitum, non apparet ità clarum, viuidum, & solidum. vt lumen stellarum, sed potius obtusum, languidum, & ferè obscursum, vel albescens. Pr. 2. ex effectibus, & præsertim ex frequenti Cometarum variatione, repente .n. visi sunt crescere, & decrescere, interdum scindi, & dissecari, & aliæ in eis mutationes obseruatæ sunt, quæ euidenter ostendunt non esse naturæ Cœlestis, à qua huiusmodi mutationes exulant. Tum quia adhuc inter Aduersarios est dissidium de altitudine Cometæ supra Lunam, vt litteris Tyconis constat ad Rottomand. datis anno 1588. ergo si tubus opticus non potuit de tali altitudine eos certificare, fortè nec certificare potuit, quòd hæc altititudo Lunam superet. Tum quia Cometæ per totum Cœlum liberè discurrere visi sunt, quod astris non competit, cùm in suis motibus regulatissimi sint. Tum tandem id ostenditur efficaci, & ineluctabili ratione physica, nunquam .n. Tyconistæ sufficienter explicabunt qualiter Cometæ gigni, & efformari possunt in Cœlo, quam difficultatem Tyco eorum Magister subdoratus, callidè eam euasit, promittens in alio libro se id ostensurum, quem tamen nunquam edidit, interim hoc onus suis relinquens sectatoribus, qui tamen pro solutione huius dubij in mille ineptias impingunt.

Camillus Gloriosus, & Alij asserunt Cometas in Cœlis formari ex quibusdam exhalationibus, & vaporibus ex corpore Solis, & Planetarum egredientibus, & has simul collectas, constipatas luminis impressiones recipere, & spectabiles se præbere, qui dicendi modus eruditè, & fusè à Cortunio reijcitur sec. 31. & 32. vt prorsus veræ Philosophiæ repugnas de Cœlestibus corporibus; vndè colligitur hos Tyconistas meliores esse mathematicos, quàm physicos, nam de corporibus Cœlestibus discurrunt, vt de sublunaribus, non cōsiderantes, quòd in his inferioribus huiusmodi vapores, & exhalationes contingunt ratione qualitatum elemētarum, quarum Cœlestia corpora penitus experta sunt. Hic est mos Recētiorum Astronomorum, cùm aliqua efficaci ratione vrgentur, recurrere ad suas obseruationes, nos cogentes debere illis omnimodam fidem adhibere; at si ipsi rationibus naturalibus nolunt fidem

præ-

præstare, cur nos eorum obseruationibus tātam adhibere debemus fidem, si nec ipsi in suis obseruationibus conueniunt?

Alij concedunt, Cometas ex terrestribus exhalationibus formari, sed aiunt virtute attractiua Stellarum, sub quibus fiunt, eleuari vsq; ad regionem Cœlestem, ibique cōdensari, & illustrari, & ità se nobis spectabiles præbere; ità Galilæus, Guiduccius, Aresius, & alij, sed neque hic modus dicendi placet, sic .n. cogeremur ponere Cœlum omnino fluidum, & generationi, & corruptioni obnoxium, ac peregrinarum qualitatum receptiuum, quia condensatio in vera philosophia fit potissimum virtute frigoris, si igitur terrestres exhalationes in Cœlesti regno condensantur, ibi frigus oportebit esse. Tum quia non facilè creditur terrestres vapores ad tantam altitudinem eleuari, nec in itinere dissolui, & dissipari. Tum quia hoc esset ponere Cometas immensæ vastitatis, vt à nobis in tanta distantia videri possint, ad quod tota terrestris exhalatio non sufficeret.

Dixim', Cometas, qui naturaliter fiunt, esse sublunares, nam bene potest Deus ex speciali ordine prouidentiæ suæ etiam in Cœlesti regione ad futurū aliquid præsignandum Cometam exponere, ad quod facit, id quod Iosephus lib. 7. de bello Iudaico refert, nimirum inter prodigia, quæ Hyerosolimitarum excidium præmostrarunt, integro anno antea perpendisse Cometam super ciuitatem, ad instar gladij efformatum. Similem Cometam narrat Cornelius Gemma lib. 1. de Diuinis naturę characterismis cap. 8. accidisse anno 1527. die 11. Decembris, postquam Turca potenti exercitu irrupit, & Roma à Borbonio capta est. Cùm igitur ex historijs legitur Cometas apparuisse, & forma, & magnitudine ad modum prodigiosos, & exorbitantes, aut infra Lunam, aut supra, id speciali Dei prouidentia fieri credendum est.

Arriaga ad difficultates euitandas de loco Cometarum, ac eorum altitudinem asserit, nullum ferè Cometam naturalē esse, sed à Deo specialiter, vt plurimum produci, vel in Cælo, vel infra Cœlum ad eius libitum, cuius motiuū est, quià semper aliquid futurum liberum portendunt, à voluntate hominum pendens, vel .s. bella grauissima, vel seditiones, vel violētas Regum, & Principum cædes &c. Non placet, estò .n. verum sit, miraculosè interdum à Deo Cometas produci, ob relatos fines, vt D. Damasc. 2. de fide cap. 27. testatur, non tamē hoc rationabiliter ad omnes extendi debet, nam reuera Cometæ vt plurimum naturaliter fiunt, & plerumque sine huiusmodi effectibus eueniunt; & frequenter etiam tales effectus accidūt sine Cometis præcedentibus, quare rationabiliter à Recentioribus non acceptantur aliqua à maioribus nostris tradita

ex prædictionibus, & præsagijs Cometarum, vt infallibilia, & vera; nisi circa quosdam effectus à causis naturalibus prodeuntes, vt agitationes ventorum in aere, tempestates maris in aqua, concussiones, & terremotus in terra, & alios, qui connexionem habent cum exhalationibus calidis, & siccis, vt etiam infirmitates quædam ab illis causatæ, quæ non magis mortem vulgarium inferunt, quàm Principum; & si hoc interdum contingit, ex Diuino decreto credi potest euenire; quomodo de duobus præsertim Cometis colligitur, qui apparuerunt 1558. & 1559. quibus mortui sunt Carolus V. Imperator, Paulus Quartus Pont. Max. Rex Franciæ, Rex Angliæ, Rex Lusitaniæ, Rex Daniæ, Reginæ Polloniæ, Angliæ, Vngharíæ, Franciæ, Dux Venet. & Ferrariæ, & quindecim Cardinales, vt Zenardus refert. Fatendum est igitur Cometas, vt plurimũ, naturaliter contingere, cùm .s. Sol, & astra materiam illam viscosam, & pinguem è terra ad supremam eleuant aeris regionem, ibique inflãmari, vel illuminari; nec signum esse mortis Grãdium, nisi iussu Diuino, vt Orbellus noster docet p. Meteor. cap. 3. ex D. Bonau.

Obiectiones.

Licetus, qui inter Recentiores, copiosius de Cometis, & nouis astris agit, probare nititur Arist. agnouisse etiam Cometas Cœlestes supra Lunam existentes, plures adducens textus pro sua opinione; & quòd aliqui concludant de Cometis elementaribus, aliqui verò de Cœlestibus. Alia tamen est illorum locorum intelligentia apud alios expositores; nam Arist. per lationem Astrorum non intellexit octauam sphæram, cùm in ea nõ omnia astra ferantur; sed intellexit totam regionem Cœlestem, & per locum maximè illi propinquum, qui est locus Cometarum ex 1. Meteor. cap. 1. intellexit regionem elementarem illi contiguam, siue igne repleta sit, siue aere, in qua Philos. dicit apparere Cometas. Neque in alijs docet Arist. vltra Cometas elementares, qui in regione elementari generantur ex calida, & sicca exhalatione, alios Cœlestes reperiri, sed solùm ait, interdum, comam appendi alicui ex Stellis nobis notis, fixæ, vel erranti, ita tamen, vt coma, vel cauda, non vtique in ipso Cœlo existat, vbi astrum est; sed in regione elementari ei perpendiculariter supposita; & quòd hæc fuerit mens Arist. ex eo deprehenditur, quia declarans modum, quo talis Cometa factus ex assumptione comæ generetur, vtitur exemplo Halonis, siue areæ, quæ fit circa Solem, & Lunam; quem compertum est non esse in eodem plano cũ eis consistente, sed in aere supposito, hinc Arist. ait: *Non .n. apud ipsa astra coma fit, sed quemadmodum areæ, vel halo circa Solem, & Lunam apparent*; & in hoc etiam casu dixit vidisse Stellam in femore Canis Comatam. Quando ergo in Arist. legitur

gitur, quòd concretio, siuè coma fit sub astro, vel iuxta Stellam, aut secundum Stellam, non innuere vult, Cometam consistere in eodem plano cum astro, vel esse supra Lunam, sed intelligi situm, & positionem Cometæ, seu comæ in regione elementari sub astro illam assumente perpendiculariter; quo sensu halo, siue circulus dicitur esse sub Sole, & iuxta Solem.

Multipliciter arguit Camil. Gloriosi. & primò ex motu Cometarũ, qui ità diurnam conuersionem perficiunt, vt omnia astra Cœli, & cum illis simul oriantur, & occidantur, quod verum nõ esset, si in suprema aeris regione ponerẽtur, quia aer vt valdè à Cœlo distans non potest adeò velociter circumduci, quare opus esset Cometam per aliquod spatium retrò, & versus ortum relinqui. ℞. concedendo vtiq; Cometas velocitatem Cœli non assequi propter aeris fluxibilitatem, ac cõsequenter aliquantulum quotidiè retrocedere, vt in fine huius dubij dicemus, & licèt aer ob talem fluxibilitatem, & distantiam à Cœlo eius velocitatem non adamussim sequatur, hinc tamen non sequitur, Cometas non esse completuros cõuersionem diurnam, vt omnia Cœli astra, nam etiam videmus Planetas versus ortum relinqui à primo motu plus, & minus secundum maiorem, vel minorem distantiam à primo Cœlo, & tamẽ singulis diurnam conuersionem perficiunt, præter quod potest hoc etiam contingere ex vi attractiua alicuius Syderis comã assumentis, & adamussim illius motus assequentis.

Ob. Si Cometæ gignerentur in aere, non conspicerentur à compluribus regionibus loco dissitis, & distantibus, nam globositas terræ posset ex vna parte aspectum impedire, sed hoc est contra experientiam, eodem .n. tempore, & distãtissimis regionibus visi sunt Cometæ, quod præsertim probant de Cometa anni 1618. qui Goæ Indiæ Orientalis, Antuerpiæ, Romæ, Parmæ, & totius Italiæ cõspicuus fuit, ergo &c. ℞. negando sequelam, si multò amplius aer attollatur, quã communiter ponatur à Peripateticis. Vel secundum Aliquos, Cometę interdum fiũt propè Lunæ confinia, non obstante ignis elemento, ob modicam ibi eius actiuitatem, quo admisso, poterit quidem simul eodem tempore, & pluribus in locis etiam maximè distantibus videri, ac consequenter non opus erit illum supra Lunam constituere; Attenta igitur necessitate parallaxis cometicæ, vel intra sphæram ignis collocendus est Cometa, aut plus attollendum est aeris elementum, quàm quinquaginta circiter milliaria, vt communiter tenent Peripatetici, quantum .s. exigit parallaxium obseruatio, quæ non excedit distantiam sex graduum. Neque eadem altitudo omnibus Cometis tribuenda est, sed vnicuique iuxta indigentiam suæ parallaxis, vt Claramõtanus, & Auersa aduertunt,

in tunt,

tunt, & vtique magis elementum aetis valdè extollere expedit, quã Cometas in regionem Cœlestem detrudere, ex primo enim nullum videtur sequi inconueniens, multa verò ex secundo.

Ob. Si Cometa ità vicinus extaret, totam terram incenderet, ac inflãmaret, sed hoc est falsum, ergo. ℞. neg. sequel. quia nec Cometa tantæ magnitudinis est, nec adeò terræ proximus, vt talem effectum produceret. Tum quia sæpius contingere potest, non per exhalationis accẽsionem, sed per simplicem illustrationem à radijs solaribus factam, vt multi probabiliter sustinent, quo casu admisso, nullum huic inferiori mundo incommodum sequitur.

Arguit Tyco: Sydera, quò magis distant à terra, & octauæ sphæræ viciniora sunt, eò tardius mouẽtur proprijs lationibus ex ipsomet Aristot. 2. Cœli 58. at Cometa suo proprio motu tardius mouetur quã Luna, nam hæc licèt lentissima sit, suo tamen motu percurrit vna die saltem decem gradus ab occasu in ortum, Cometa verò ille año 1577. etiam quòd velocissimus fuerit, nunquam tantum spatiũm cucurrit, ergo ad minus erit supra Lunã. ℞. neg. conseq. non .n. bene deducitur elatio Cometæ supra Lunam ex velocitate, vel tarditate motus proprij, quia talis motus irregularis est. Nec desunt, qui affirmant, velociori proprio motu Cometam moueri, quàm Lunam; Vnde Pontanus obseruauit Cometam, qui vno die 30. gradus emensus est, & Regiomontanus alterum Cometã, qui 40. gradus; quare regula illa Arist. ad summum valet de astris, non ità de Cometis; quorum motus, tarditas, vel velocitas ex alio capite deprehendenda est, nempe ex maiori, vel minori eius corpulẽtia, & crassitie, quia magis, vel minus renititur ad motum. Etiam ex maiori, vel minori vi attractiua alicuius astri, ac alijs circumstãtijs.

Arguit experientia Teloscopij, cuius conditio est, vt res distantes referat longè maiores, quàm simpliciter oculorum intuitu conspiciantur; hac tamen lege, vt res nimis distantes, nullum, vel modicũ incrementum recipiant, vndè experimur Lunam, & alia obiecta infra ipsam Telescopio conspecta notabiliter excrescere, Stellas verò fixas propter maximam distantiam nullum suscipere incrementum, sed Cometa Teloscopio cõspectus, aut nullũ, aut valde modicũ suscipit incrementum; ergo non infra Lunã, sed supra Lunam attollendus est. Respondent Mastr. & Bell. & bene; ad hanc experientiam teneri quoq; Tyconistas, qui non supra Solem Cometam statuerunt, & tamen per tubum inspectus nunquam excrescere visus est, quantum Sol in eadem distantia excrescit; non, igitur ex maiori, vel minori distantia hoc incrementum in obiectis tubo optico cõspectis attendendum est, sed potius ex maiori, vel minori obie-

ĉti

&i splendore,& claritate in se cęteris paribus, ad effectum .n, tubi valdè confert splendor viuidus obiecti, vbi è contra subobscura, & minus rutilantia, non ità bene à tubo exprimuntur; quia igitur lumen Cometæ non est ita viuidum, clarum,& purum, sicut Lunæ lumē, & aliorum astrorum, inde oritur, quòd in sua distantia, non ità notabiliter aspectui crescit, sicut Luna in eadem.

Ex his deducimus argumētis ex paralaxi deductis ad Cometarum altitudinem vestigandam, non esse multum fidendum, licèt in alijs astris valeant. Ratio est, quia tunc vera, & legitima parallaxis inuenitur, quando non obstat refractionum diuersitas, aut motus irregularitas, quod impedimentum sæpius in Cometis impingitur, cuius motus non est in omni tempore ità regularis, sicut ad hoc opus esset; Vnde res hęc indiget reuera diligentissima obseruatione, exquisitis instrumentis, excellentique iudicio ad veritatem colligēdam ex illis apparentijs, & mille est erroribus exposita ob fallacias, quæ occurrunt in calculo argumētandi modo, & alijs, quæ huiusmodi obseruationes comitantur, vt Gloriosus aduertit; & hinc oritur Astrologorum dissidiū, nam aliqui faciunt parallaxim Cometæ lunari longe minorem, Alij è contra valde maiorem. Pro nostro instituto hæc dicta sufficiant, res .n. potius ad Methematicos spectat, vel ad Astronomos, quā ad Philosophos, & ob dissidium Astronomorum nō esse in hac materia eis multum fidendum.

Tenendum est igitur, quòd Cometarū locus, in quo generantur,& existunt, sit regio elementaris, & rationabilius est, q̃ in elemento aeris, quā ignis; non autē in infima, aut media ei⁹ regione, sed in suprema, vt cōstat ex eorū altitudine, & ex motu raptu ab oriente in occasum, quo vna cum aere voluatur, qui motus ad mediam regionem non peruenit secundum communē sent. Tum quia cùm secunda regio frigidissima sit, non patitur morā ignitæ impressionis, sicut eam Cometæ retinent. Apparent igitur in superiori aeris plaga, nunc in sublimiori, nunc in depressiori loco, dum .n. exhalatio illa crassa, & viscosa ad hanc supremam peruenerit regionem, à secundæ regionis frigore adhuc magis condensata, ibi accenditur, & inflammatur, & iuxta variam exhalationis figurā, varias ipse Cometa figuras refert, diuersasque sortitur denominationes; Nam aliquando exhalatio est circularis figuræ, densior in medio, subtilior, & rarior in extremitatibus, & tunc in medio maiorem recipiens illuminationem, & in extremitatibus minorem, apparet ad modum Stellæ vndiq; comas spargentis, & dicitur Cometa crinitus, vel comatus; quandoque exhalatio protenditur in longum, & tunc videtur habere caudam, & appella-

tur

tur Cometa caudatus; Aliquandò exhalatio inferi' habet partes quasi discontinuatas, subtiles, ac lucidas, & tunc dicitur Cometa barbatus; Interdum etiam Cometa visus est absq; omni coma ad instar simplicis Stellæ, sicut etiam sub alijs figuris, sed allatæ frequētiores sunt.

Est etiam hic notandum, quòd Arist. docuit 1. Meteor. sum. 2. c. 3. népe quandoq; comam appēdi alicui ex Stellis nobis notis, vel fixæ, vel erranti, sicut aliquando fiunt quædam areæ lucidæ circa Solem, & Lunam, & quod mirabilius est, eadem ratione moueri, qua fertur Stella illa ex peculiari attractione Syderis secum illam ferentis, quo casu Stella illa speciem refert Cometæ supra Lunam, ac in regione Cœlesti apparentis, quod fortè Mathematicos illos decepit, qui asseruerūt Cometas in Cœlesti regione gigni, & existere.

Est etiam sciendum, quòd Cometa diuersos refert colores secundum diuersam dispositionem materię, nam quādo eius materia subtilis est, & rara, apparet albi coloris, sicut flamma rarior candidum apud nos colorem refert; quando autem est adeò densa, & grossa, vt non perfectè inflammetur. & tamē igniatur, apparet rubeus, sicut ignitus carbo, vel ferrum; quando tandem materia est satis viscosa, vt nec inflammari, nec igniri possit, vel saltem ob nimiam materiæ fumositatem, ignis occultetur, colorē reddit fumidum, & nigrum valdè tristem; Verisimile est etiam Cometam nō esse tantæ molis in profunditate, quantæ in latitudine apparet, sed se habere instar nubium, quæ in aere magis latum, quàm in profundum expanduntur.

DVBIVM SEPTIMVM.

De Inflammatione, vel Illustratione Cometæ.

Solet etiam hic dubitari, an exhalatio terrestris ad supremā aeris regionem euecta ibi accendatur, an verò Cœlesti lumine radijsq; solarib. illustrata sit. Scaliger. Cardan. Galilæus, Guiduccius, Teles. Tassonus, & probabile putat Auersa, contendunt huiusmodi exhalationem non esse verè accensam, sed radijs solaribus illustratam, quatenus effluxus radiorum reperit materiam substratam dispositam ad tales radios recipiendum, quæ opinio est probabilis, & vt talis etiā à Bell. & Mastr. approbatur; & ad obiectionem, quam alij afferunt, quòd si hoc esset verum, debuisset interdum eclypsis Cometæ contingere per interpositionem terræ, sicut in Luna contingit, quia à Sole lumen recipit, parum vrget, Nam vt Arist. docet plurimū extra Tropicos Cometæ diuagantur, vt autē à terra obscurentur, non solùm intra Tropicos esse deberent, sed sub Zodiaco directè, imò sub Eclyptica, per quam Sol incedit; Si autem instent, quòd interdum etiam intra Tropicos Cometæ sunt, ac consequenter in eo situ aliquādo Eclypsim

sim pati potuissent, quod tamen nunquam contigisse legitur, Resp. rarissimè, vt ex historijs constat Cometas in eo situ effulsisse, quòd si interdum aliquis ibi emicuit, statim euanuit, quare non tamdiu durant, vt possint incidere in oppositionem directam cum Sole; quod si contingeret Cometam durare vsque ad illud punctum oppositionis solaris, & interpositionis terræ, tunc consequenter asserendum esset Cometam eclypsari debere, & nullum inconueniens esset.

Probabilius tamen est, quòd illa exhalatio inflammaretur, & incendatur; quomodo autem hæc inflãmatio contingat, diuersis modis contingere posse Philosophi explicant; nempe vel motu velocissimo, quo aer supremæ regionis rotatur cum igne; vel flammulis ex elemẽto ignis decidẽtibus deorsum, eiusdem motus impulsu; vel quandoq; etiam vibrato ex aliqua nube in altiorẽ aerem fulmine, quia non ima tantùm pars coruscantis nubis, sed non nunquam etiam summa aperitur, ità vt erumpenti igni aditum præbeat; vel breuiter cum Alijs incensionem regulariter fieri in suprema aeris regione ob eius æstuãtem calorem ex ignis propinquitate, & quia exhalatio est ad incendium valde disposita, cùm sit calida, & sicca, ad quam inflammationem adiuuatur etiam interdum ab astro, sub quo eleuatur.

Tempus, in quo Cometa formari solet, & apparere, est omne anni tempus, præcipuum tamen autumnus, vel vernum; & ratio est, quia in hyeme deficit calor, & frigus concrescit, & consequenter non congregãtur exhalationes sufficiẽtes, nec possunt sursum attolli, in æstate autem vapores dissipantur ingenti calore, in autumno verò, & vere calor est moderatus, ideoque magis aptus, vt exhalationes congregentur, & attollantur. Durant Cometæ teste Plinio spatio 7. dierum, longissimo vero spatio 80. Cæterum certum tempus præfigi non potest, Cometa .n. diù, vel breuè durat secũdum copiam, vel inopiam exhalationum, & secundum ignis actiuitatem, vel debilitatem in consumendo materiam; Raró tamen durat vltra sex mẽses, & pro magno refertur, quòd in excidio Hierosolymitano vnus Cometa supra Ciuitatẽ anno steterit integro, & quòd tempore Agatonis Papæ Cometa tribus annis exarserit, & tribus annis sequentibus non plueritvt Bellarm. refert año 640.

Motus Cometæ varius est, mouetur .n. ab oriente in occidentem per motum raptus ad motum aeris circumuecti, cui insidet vt vehiculo; quia verò propter molem, & crassitiem raptui illi aliquantum renititur inde est, quòd tardius, quàm ipsum Cęlum mouetur, quod indè colligitur, quia Cometam, qui proxima nocte aliquod Sydus supra se habebat, post paucos dies eadem hora ab eo aliquantulum distare videmus versus orientem,

ab hoc aere inficiuntur, & dum timore perterriti medicamenta præseruatiua applicant, à medicamentis alterantur, & potius ad mortem adiuuentur.

Quartus effectus est sterilitas terræ, fames animantium, & contagiosa lues, per exhalationum enim copiosam euocationem, succus terræ consumitur, & terra sterilis redditur, ex sterilitate sequitur penuria, ex penuria fames, ex fame pestis, nam vrgente fame, & penuria plebeij, & pauperes noxijs vtuntur cibis, ex quo nutritio noxia sequitur, & tandem pestis. Vt plurimum igitur de Cometis diu durantibus, nihil boni prognosticari solet, ideoque cum apparet, Deus Benedictus humiliter rogandus est, vt hæc portenta in signa clementiæ vertat.

Solet hic dubitari, an Stella, quæ Magis apparuit in Natiuitate Domini fuerit Cometa? Res. Aliqui cũ D. Thom. 3. p. q. 36. art. 7. negatiuè, sed quòd fuerit Stella de nouo creata à Deo, non in Cœlo, vt Abul. putabat, sed in aere terræ vicina, quæ secundum Diuinam voluntatem mouebatur. Ratio, quam assignat est, quia Cometa in suprema aeris regione gignitur, nec apparet in die, sed à Sole obscuratur, illa verò Stella erat terræ vicina, alioquin non demonstrasset distinctè locum vbi Puer erat; nec solùm nocte, sed etiam media die apparebat. Quid de hoc euenerit solus Deus scit, qui fecit, si autem congruentiam spectemus, potius assererem Cometam fuisse, quàm Stellam, sic .n. maiora incommoda euitantur. Dicunt, quòd Cometæ generantur in suprema aeris regione, & ego dico, quod Stellæ gignuntur in Cœlo, & facilius, & naturalius est Cometam ad infimam aeris regionem trahere, quàm Stellas ponere sub aere propè terrã. Dicunt, quòd Cometæ non videntur in die, & ego addo, quòd nec Stellæ in die apparent. Dicunt totum hoc euenisse miraculosè, & ego replico, hoc etiam miraculosè de Cometa contingere potuisset; At ponendo Cometam sub Luna infra sphæram aeris naturalius est, & conformius Diuinæ Legis dispositionibus, quã ponere Stellas sub Luna, cùm semper Deus Benedictus ad suauitatẽ legum naturaliũ propensior videatur. Nec oportebat Cometam terrã tangere sed sufficiebat eius caudam perpendiculariter supra præsæpe pendere, quantum satis erat ad ostendendum Magis locum Nati Regis.

DVBIVM NONVM.

De Reliquis Impressionibus ignitis, & primò de Tonitruo.

QVamplures aliæ ignitæ impressiones in alijs regionibus contingunt .s. in Media, & infima aeris regione, vt tonitrua, fulgura, fulmina &c. Supponimus cum cõmuni, Meterologicorum materiã remotam esse terram, & aquam. Materiam verò proximam esse vaporem

porem,& exhalationem. Vapor ex Arist. est spiratio humida, quæ ex aqua, vel locis humentibus vi caloris cuiuscumque educitur, & eleuatur, vt videre est in olla, quando subiecto igne feruescit. Exhalatio est, spiratio sicca, quæ ex terra vi caloris cuiuscumque educitur, & eleuatur; & hoc inde patet, quia virtus caloris, & præsertim Solis est actiua, & resolutiua, & ad se tractiua quantum potest, ergo educit ab humidis, & siccis, vapores, & halitus, qui cùm nõ possint sphæram ignis pertransire, necesse est, vt in inferiores aeris regiones resoluantur. Ex vaporibus aquæ generantur nubulæ, rores, nubes, pluuiæ, niues, grandines, & his similia. Ex exhalationibus terræ gignuntur tonitrua, fulgura, fulmina, Cometæ, & his cognata, ex vtriusq; mixtim fiunt alia, maximè verò fossilia, vt lapides, sulphur, metalla, s. ferrum, æs, argentum, aurũ, &c.

Ad tonitruum igitur redeundo, sic dictum à terrore, videndum est quid sit, quomodo fiat, & quænam fragoris illius sit causa. Tonitruum sic per Arist. definitur: *Est exhalatio sicca, & calida intra nubem densam, & cauam comprehensa, quæ dum maiorem locum, aut extensionem quærit, nubem motu suo disrumpit, ex qua disruptione, sonitus tronitui causatur*. Assignauit pro causa exhalationem calidam, & siccam in vẽtre nubis inclusam, dum per antiparistasim rarefacta quærit maiorem ambitum.

Pro cuius completa notitia, addimus cum Angesto, quòd exhalatio illa calida, & sicca sæpius cum vaporibus aqueis sursum conglomerata eleuatur, qui vapores in media regione conuertuntur in nubes, adhuc intra se exhalationẽ illam calidam, & siccam claudentes, quæ exhalatio per antiparistasim ex frigore ambiẽtis nubis causata, incalescit, & rarefit, & locum ampliorem quærens, hinc inde discurrit, magno impetu latera nubis concutiens, quæ nubes cùm sit densa, & crassa fragorem illum edit, & graue quoddam murmur per modum tumultuationis; cuius causa est, quia ille spiritus, & exhalatio in nubis partibus concauis discurrens, non tanto impetu agitur, vt nubem scindat, ideoque raucum sonum edit, ex quo deducitur, vt tonitruum sine fractione nubis sæpè fiat; Cùm verò impetus discurrentis spiritus intra nubem ad scissionem sufficiens est, tunc in egressu maiorem, atque clariorem efficit sonum ob ipsius nubis scissionẽ, eo modo quo castanea ad ignem exposita incalescente spiritu intus existente, cum strepitu frangitur, dum ampliorem quærit locum, & in hoc casu tonitruum cum fractione nubis contingit, sed sine fulgure, & coruscatione; & iuxta varium modum scindendi nubem diuersus editur sonus; si n. vno actu continuo tota nubes frangitur, successiuè edit sonum similem illi, quo magno conatu scinditur pãnus benè compactus; si verò pluribus ictibus

Maior

bus

bus frangitur, & quasi discretè, fit sonitus similis crepitui, quem laurus edit in ignem coniectus; si verò exhalatio tam ex forti antiperistasi, quàm ex magno impetu, quo intra nubem agitatur, & voluatur ignem concipiat, sed adhuc latera nubis propter eius densitatem disrumpere non valeat, tunc fiet tonitruum cum coruscatione, sub obscura tamen, & debili, quia non adhuc ignita exhalatio foris scintillat, sed solùm per latera nubis transparet, & quidam fulgor micat; si tandem exhalatio intra nubem discurrens ignem conceperit, & sufficienti impetu ad nubis scissionem agitetur, tunc tonitruum fiet, cum nubis scissione, & spiritus inflammati coruscatione, ac magno boatu.

Potest etiam alijs modis tonitruum contingere, nimirum sine exhalationum eruptione, & conflictu cum nube, sed ex sola, ac vehementi ipsarum nubium ad inuicem collisione, quem modum docuerũt Senec. lib. 2. natural. qq. cap. 17. cum Alijs; & velut probabilem recipiunt Conimb. Ioann. de S. Tho. Cottunius, & Alij. Pr. Nam ex collisione aquarum immanis fremitus fluctuum resonat, quamuis aquæ non sint corpora adeò dura, ergo hoc etiam de nubibus dici poterit, cùm etiam ipsæ suam habeant crassitiem, & densitatem ad ictus recipiendum, & reddendum. Tum quia crassior est nubes & densior, quàm ipsa exhalatio intra nubem discurrens, ergo si ipsa exhalationis collisio cum nube sufficit ad tonitruũ edendum, tantò magis ad id sufficiet collisio vnius nubis cum alia; quòd autem cùm in montes impingit, sonum non edunt, ex eo prouenit ait Senec. quia mons propriè non scindit nubem, nec ei resistit, sed potius eam sibi circumfundit, & gremio recipit, aut quia nubes non quomodocumq; impulsæ tonant. Addunt tñ aliqui, qui hunc modum admittunt, non generari ex eo magnum tonitruum, sed potius fragorem, & sibilum. Tatar. & Orbellus lib. 2. Meteor. in fine concedunt posse etiam tonitruum fieri per extinctionem ignis in nube, nõ vtique eo modo, quo dicebat Anaxagoras, ignem descẽdere de sphæra ignis in nubem, & ibi cum strepitu, & murmure extingui, vt euenit de ferro ignito in aquã demerso, in quo sensu ab Arist. loc. citat. refellitur, sed in hoc sensu volunt posse generari, quia ignita exhalatio per aerem discurrens potest in nubem satis aquosam impingere, & ibi extingui, in qua extinctione causatur sonus. Hinc notamus, bõbum illum, qui aliquando sentitur in lateribus montis Ætnæ, Vesuuij, & aliorum montium ignem eructãtium, non esse tonitruum, sed potius esse fragorem intra voraginem ex collisione saxorum eiuculatorũ ad se inuicem, vel ad latera montis, ex fremitu venti in visceribus cauernæ discurrentis, & alijs similibus causis, vndè fit, vt tonitruus ille in ipsa violẽta eruptione exha-

latio-

lationis ignitæ cum arena, & cineribus aliquādo progrediatur. Constat igitur tonitrum esse sonum factum in nubibus ex violenta percussione calidæ, & siccæ exhalationis cum illis, vel ipsarum adinuicē, ex quo deducitur tonitruum non esse formaliter impressionem, sed solùm connotatiuè, quatenus non quilibet sonus dicitur tonitruum, sed solùm ille, qui fit medijs impressionibus.

DVBIVM DECIMVM.

De Natura fulguris.

F*Vlgur est exhalatio calida, & sicca intra nubem exardescens ex collisione ad nubem, vel ex motu intra nubem, aut per antiperistasim circumbsistentis nubis.* Colligitur ex Arist. loc. cit. contra Anaxagoram, qui afferebat esse flammam ab Æthere distillatā. Dicitur *fulgur*, à fulgore micante, quem exhibet. Potest quoque dari fulgur, & coruscatio sine nubibus, & ità est cùm nocte serena, Cœloq; Stellato in æstate ex ambiente caloris accenduntur, & in altu coruscant. Fulguris est plerumque cum tonitru connexum, sed quandoque etiam fulgurat sine tonitrú, & tonat sine fulgure; tunc sine tonitru fulgurat, cùm nubes est tenuis, & ideo facilè scinditur, & leuiter dissipatur, vel exhalatio est adeò propriè extimam nubis superficiem, vt statim absque strepitu erumpat; tunc verò sine fulgure tonat, cum halitus per concaua nubis discurrens eam interdum erumpit non dum accensus, vel si est accensus, non tamen ferit nostrum intuitum, quia .s. vel ex parte superiori versus Cęlum nubem disrumpit, vel si eam dirimit versus nos, intra nubem fractam, & nostrum obtutum, alia nubes intercedit, quæ nobis fulguris aspectum eripit.

Item docet Arist. quòd estò fulgur prius nobis visum feriat, quàm tonitruum, ex eo, quia visio citius fiat, quàm auditio, vt in lib. de an. patebit, tamen à parte rei tonitruū coruscationem præcedit. Sed neq; etiam hæc doctrina est vniuersaliter vera, vt bene Angestus aduertit, nam quandoque subsequitur, quandoque sunt simul; nam quando prius mouetur exhalatio impituosè per latera nubis, quàm inflāmetur, tunc tonitruum coruscationem pręcedit, quandoque prius inflammatur exhalatio calore per antiparistasim, quàm moueatur p latera nubis, eamq; disrumpat, & tunc coruscatio præcedit tonitruū; quandoq; tādem simul fiunt motus cōcussiuus nubis, & inflāmatio, tūc etiam fiunt simul tonitruum, & coruscatio, sed tamen adhuc priùs fulgur percipitur, quā tonitruum, nam visus præcedit auditum, visio .n. non indiget tempore, sed in instanti, quo apparet lucidum, emittuntur species ad oculum, species verò soni, tempore, & successiuè ad auditum deferuntur, ideo &c. Non vult, ergo Arist. tonitruum semper fulgur generatione præcedere, sed tantū innuere vult, q quando simul

fiunt

fiunt, adhuc tamen prius videtur, quàm tonitruum audiatur, quia non est idem simul fieri, & simul percipi.

Quantùm ad accensionem huius exhalationis Arist. docet, quòd fiat ex motu, & collisione eius ad nubē, aliquãdo etiam per antiparistasim circumobsistentis frigoris nubis, regulariter verò per vtrumq; quæ doctrina ab omnibus communiter recipitur; sed adhuc sua difficultate non vacat, nam motus non est causa caloris, nisi inter corpora solida ex dictis, sed nubes, & exhalatio illa inclusa, nō sunt huiusmodi; Neque etiam Antiparistasis potest esse causa, vt res vltra gradum suum connaturalem intendatur, quia nihil potest in se agere actione vniuoca, ergo non videtur qua ratione exhalationes in media aeris regione existentes, quæ est frigidissima possint inflammari, ignemque concipere. Hac difficultate aliqui perterriti, autumant exhalationes illas non verò inflammari, & ignem concipere, sed potius radijs solaribus, vel alijs astris lumen recipere. Non placet, nam fulgur ille micat, etiam nocturno tempore, quando Sol à nostro emispherio exultat, quo tempore nō potest suis radijs pertingere nubes supra nos existẽtes, & hoc etiam asseritur de lumine lunæ; nec alia astra tantum effundere possunt splendorem; idcirco fatendum est exhalationes illas verè inflammari, & inardescere, sed inflammatio non est referenda in solùm motus earum, & collisionem cum nube, nec in solam antiparistasim, sed etiam in astrorum virtutem, quæ exhalationibus illis prædominantur; & potiori iure, quàm de Cometa, quæ in suprema aeris regione generatur, quæ calidissima est, hæc autem exhalatio in media regione accenditur, quæ frigidissima est, ideoque tali prædominio indiget.

DVBIVM VNDECIMVM.

De Fulmine.

FVlmen ex Arist. 3. Meteor. cap. 1. sic describitur: *est exhalatio ignita è nube magno impetu excussa*. Est eadem materia fulminis, & fulguris, cum hac tantùm differentia, quod materia fulguris est magis rara, minusq; consistens, ac consequenter minori vehementia è nube vibrata, hinc per aerem dissipatur, & resoluitur, nec ad terram peruenit; materia verò fulminis crassior est, & magis consistens, magnoq; impetu à nube excussa, qua de causa non dissipatur in aere, sed ad terram descendit; Et quia diuersa potest esse dispositio materiæ magis, vel minus densæ, terrestris, & viscosæ, ex qua componitur, diuersa sunt genera fulminum, quę etiam diuersos producunt effectus; aliquando .n. est materia tenuis, quæ descendens corpora lambit, vel ad summū denigrat, non adurens propter virtutis debilitatem, ac nubis distantiam, vnde excussa est. Quandoque est materia spissa, bene compacta, & for-

& fortiter inflammata, quæ cadens domos destruit, & quæcumque obuiam inuenit comburit. Aliquando est multa, spissa, & conglutinosa, cum qua euenit cadere lapidē, qui cuneus fulminis vocari solet, & generatur ex terrestri, & viscosa exhalatione, decoctione caloris ad modū lateris, qui lapis scindit trabes, penetrat muros, & fortissimos dissipat res actione virtutis sulphureæ inflammatæ ipsum propellentis, eo modo, quo globus è bōbarda emissus, puluere tormentario incenso pellitur, hic lapis fulmine eiaculatus dicitur sagitta, non autem absolutè fulmen, cùm hoc sit nomen genericum, & sæpius cōtingit fulmen sine lapide, qua ratione Aris. negauit lapidem eiaculatum dici debere fulmē, & ait potius dicendum esse fulminis cuneū, vt etiam docet D. Tho. 2. Meteor. lect. 2. Hinc colligēdum cum Alijs tria esse fulminum genera .s. penetrans, seu terebrans, dissipans, & vrens; Primum constat exhalatione subtilissima, subtilem habens flammam, cui p angustissima foramina, & poros patet additus. Secundum est conglobatum, ideoque non perforat, vt primum, sed rumpit, frangit, terit. Tertium tandem multum habet grossi terrei, & magis igneū est, quam flammeum, ad modum carbonis, idcirco rebus percussis magnas ignium notas relinquit.

Varij, mirabiles, ac prodigiosi sunt effectus fulminis, vt inueterata experientia patet, & in primis singulariter alta petit, iuxtà illud Horatij: *Feriuntque summos fulmina montes*; vnde in turres, campanilia, montes, colles, magna ædificia, arboresque proceras ruit. Cuius ratio est, quia fulminis motus valdè irregularis est, hinc indè serpens ob impetum spiritus, quo ducitur, vt Arist. docet loc. cit. vnde à Poetis *obliquum fulmen appellatur*, & à Iob. 26. *Coluber tortuosus*. quia ad instar colubri serpit; cùm igitur vt plurimū ità tortuosè moueatur, quæ primò sunt ei obuia, vt sunt excelsa, ea quoque prius ferit, & dissipat. hæc est ratio Peripat. & communis.

Item, alius effectus fulminis est, & ab Arist. insinuatus, quòd mollia, & minus resistentia sine læsione pertransit, dura verò, & benè compacta confringit, ac dissipat, indè experimur, quòd gladium frangit, aurum, argentum, aliaque metalla liquefacit, illæsis loculis; cuius ratio assignatur ab Angelo, quia .s. fulmen esse solet subtilissimæ exhalationis, habens tamen benè vnitas, & coadhærentes partes, vndè est, quòd si corpora non ità dura reperiat, facilè illa peruadit, & penetrat per partes porosas sua subtilitate, & paruam moram in illis ducit, cùm non resistāt, solidiora autem corpora, quia non habent partes ità porosas, labefactantur, & comminuuntur ob longam moram, quam in eis ducit, vt eorum contumaciam superet; hæc tamen doctrina non est vniuersaliter

ter vera, nam aliquando euenit totum oppositum, nam corpora dura, & solida non lædit, & mollia, & fluida absumit, exurit .n. quandoque caligas vestes, & calceas absq; nocumento alicuius partis corporis, imò interdum pilos absumit, & carnem intactam relinquit, quod indè prouenit, quia exhalatio non est tunc coagulata, & compacta, sed tenuis, & debilis, ideoque contumaciam rei resistentis vincere nequit, sed vim suam in rebus minoris resistentiæ impendit. Aliquando intrando per poros hominem interficit, extinguendo calorem, vel humidum naturale, & consequenter absque vulnere, & vestimẽtis illesis. Aliquando vinum absumit, non fracto dolio, & aliquando dolium rumpit, illeso vino, neque effuso, & ratio est, quia ignis ille fulmineus in ipso vino ariditate, & siccitate sua super vini superficiem facit quamdam crustam, sicut illa, quæ videtur in ouo, quæ ad tres dies durat. Aliquando etiã suo calore venenum serpentib. tollit, & alijs animalibus sulphurea sua qualitate venenum inijcit. Item fulmine percussus, dormiens moritur oculis apertis; percussus vigilãs, moritur oculis clausis, cuius causa est repentina occisio, quia dormiẽs ictu aperiens oculos, occisus remanet priusquam iterum eos claudat, vigilans verò timore claudens oculos, occisus remanet, priusquã iterum eos aperiat. Item interdum accidit, vt pregnans mulier fulmine icta illesa euaserit, mortuo fœtu, quem gestabat in vtero, vt de Martia Romana refert Plinius lib. 2. cap. 51. aliquando è contra, vt prægans negata fuerit, fœtu incolumi. Hæc, & alia plurima de fulmine mirabilia apud Authores leguntur, qui à curiosis, & otiosis videri poterunt. Fulmina, & tonitrua Autumno potissimum contingunt, quia tunc maxima copia duorum halituum, nempe vaporis, & exhalationis inuicem pugnantium per aerem vagatur, & inuicem miscentur, & pugnant; non ità in hyeme, & æstate, dum .n. ardor æstatis viget, nimio calore vapor absumitur, dum autem hyemis frigus riget, exigua exhalatio generatur.

Solẽt DD. aliqua remedia contra vim fulminis afferre, quorum aliqua superstitione non carent. Aliqui asserunt optimum remedium esse ad fugiendum fulminum, & pestilentiæ pericula inter laureta viuere, sed Cardanus refert sua ætate laurum Romæ, fulmine percussum fuisse. Aliqui consulunt tempore fulminis ad subterranea confugere, quia expertum est terram nõ amplius quinque pedibus à fulmine penetrari. Remedium etiam censetur contra fulmina, campanarum pulsus, quatenus sonus ille aerem commouet, & exhalationes calidas dispergit, ac fulmen euertit; seu, & melius, vt eo sono fideles ad impetrandam Dei misericordiam excitentur, actum contritionis eliciant pro peccatis, & in gra-

tia Dei se constituere nitantur, pro euitando periculo corporis, & animæ. Hinc de D. Thom. Aquinate refertur, quòd tali tempore genuflexus Deum deprecabatur dicens: *Te ergo quæsumus Domine Iesu, tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti.*

DVBIVM DVODECIMVM.

De alijs impressionibus minoribus.

SVnt alia Meteora minoris momenti, quæ in eadem media, ac etiam infima aeris regione contingunt, quę omnes sunt impressiones ignitæ, & diuersis nominibus insigniuntur, differunt tamen accidentaliter, iuxta varias figuras, & dispositiones materiæ in raritate, densitate, crassitie, & alijs; omnes tamen sunt exhalationes calidæ, & siccæ inflãmatæ, & accensæ, & istæ sunt *Stellæ discurrentes, Capra saltans, Lancea, Ignis fatuus, Ignis lambens, Draco volans, Castor, & Pollux.*

Stella, seu Sydus discurrens, est exhalatio ignita, vel in longum protensa, quæ celeriter inflammatur ab vno extremo in aliud, & sic videtur discurrere, vel in vno loco accensa ad alium ipsa excurrit, aliquando sursum ab innata leuitate, aliquando deorsum à frigore secundæ regionis, vel alicuius nubis pulsa, aliquando ad latus, cùm in loco sursum, & deorsum impedimenta reperit. Si sursum tendit, dicitur Stella volans, si deorsum descendit, dicitur Stella cadens, si ad latus, dicitur Stella discurrens; ꝙ meteorũ præsertim conspicitur nocte stellata, ac Cœlo sereno.

Capra saltans, est exhalatio in aere accensa, in longum protensa, habens ad vtrumque latus barbulas, quæ ex incostantia motus, & varietate figuræ nobis speciem exhibet capræ saltantis, ad quam impressionem requiritur, vt exhalatio non simul, sed successiuè, non continuè, sed interpolatim, ac sine ordine hinc, & inde accendatur, vt contingere solet quando hinc inde disponitur pulueris tormentarius, & in accensione sequitur saltus.

Lancea, est exhalatio lõga, & minus lata, quæ etiam nomen trabis, iaculi, columnæ, & pyramidis sortitur, pro maiori, vel minori longitudine, & latitudine; quæ impressio non discurrit per aerem, sed videtur immobilis peremanere.

Ignis fatuus, est exhalatio viscosa, in infima aeris regione accensa, & iter noctu agentes comitatur, vel præcedit; & ratio esse potest, quia aere agitato, facilè ipsa impressio pellitur, vel trahitur, sæpius in cæmeterijs, & circa patibula apparet ait Angestus, & in locis palustrib. ob viscosas materias, quæ in talib. locis resident; hinc vulgus opinatur esse animas mortuorum, & Vetulæ garrulant esse animas infantiũ decedentium absq; baptismo, ideoque confirmant, quia inquiunt earum audiri gemitus, quòd si hoc verum est, id oritur ex noua inflãmatione vicinæ exhalationis, quæ fit cum aliquo stridore. Dicitur *fatuus*, quia ipsius motus inconstans est,

est, accedit. n. & recedit, mouetur ad latus, saltat, & inclinatur pro diuersa aeris agitatione. Dicitur etiam ad præcipitia inducere, quia fortè materia illa cùm sit densa, & viscosa, ac consequenter grauis, loca decliuiora petit.

Ignis lambens, est impressio constans exhalatione subtili, & rara, & dicitur *lambens*, quia plerumque accenditur in capillis hominum, & animalium calidiorum, quasi eos lamberet, cuius ratio est, quia talia animalia spiritus pingues exhalant, qui sæpè in capillis, & pilis detinentur.

Draco volans, est exhalatio quædam oblonga, quæ dum superius ascendit, occurrens frigidæ nubi, ab ea retruditur, cuius motu, aut antiparistasi accenditur, & quia ab impulsu illius nubis obliquatur, & in medio flectitur, & pars anterior scintillas eructat, & caudam in parte posteriori constrictam, ideo speciem Draconis refert.

Castor, & Pollux, secundum Antiquos erant homines fratres, & vtriusque soror Helena; & secundum Philosophos est quædã impressio, quæ ex marinis exhalationibus gignitur, & in aeris infima regione accensa, & quando est diuisa dicitur Castor, & Pollux, quando est coniuncta dicitur Helena, si discurrit per aerem, est inditium commoti aeris, si quiescat, vt plurimum euenit circa antennas, & malos nauiũ inditium est sedati aeris, vnde Nautæ cũ eã circa antẽnas hærẽtes videant in tempestatibus, serenitatẽ præsagiunt, & ab eis *Ignis Sanctus* dicitur. Alij sic discurrũt, cùm hæc exhalatio apparet vnus ignis, ac indiuisus, imminentem tempestatẽ indicat, cùm verò geminus conspicitur, ac veluti diuisus, serenitatẽ, & sedationem tempestatis indicat. Cuius ratio physica esse potest, vt Gottunius docet, quia cùm apparet solitarius Helenæ ignis, significat in aere esse multam crassam, densam, ac bene compactam exhalationem, quæ si omnino resoluenda est, vehementiores ventos excitabit, cùm verò geminatus emicat, significat exhalationẽ esse ferè dissipatam, ac dissolutam, ac proinde in breui defecturam.

Quæri etiam hic solet, quomodo exhalationes istę ignem cõcipiant, & inflammentur, & aliqui duplicẽ assignãt causam; primam celerem, & cõcitatum exhalationis motum, quem participant à supremo Cœlorum motu velocissimè, illas circumagente in suprema aeris regione, secundum propinquitatem ad sphæram ignis, qui non solùm superiorem partem mediæ regionis calefacit, sed etiam fertur in exhalationem, vt potè ad materiam valdè dispositam, vt inflammetur; & afferunt exemplum Arist. de duab. lucernis, quarum si vna superior accensa, altera inferior recens extincta iuxta se disponuntur, à fumus illius violenter arripit etiam in aliqua distantia illius flammam, & accenditur, sic de huiusmodi exhala-

lationibus &c. At licet hæc responsio admitti posset de exhalationib. quæ in suprema aeris regione accenduntur, vt sunt Cometæ, in illis tamen, quæ in media, & infima aeris regione contingunt, locum non habet, ob nimiam distantiam à Cęlo, & sphæra ignis; Vnde rectius Aliqui recurrunt ad speciales astrorum influxus; sub quibus tales exhalationes eleuantur, quorum adminiculo, adiuuante quoque motu, quo per aerem agitantur, ignem concipiunt, cùm exhalatio sit materia facilè natura accensibilis.

DVBIVM DECIMVM III.

De Igne Ætnæ.

TAndem, quia non solùm in [...]bra aeris regione, sed etiam in visceribus terræ ignes generantur, vt euidentissimum est in hoc Siciliæ Regno de Monte Ætna; & Vulcano, & in Campania de Monte Vesuuio, causam huius inquirunt Philosophi. Angelus docet, quòd materia huiusmodi ignis sit terra sulphurea, & bituminosa, quæ ad concipiendum ignem satis idonea est, permixta cū napta vnctuosa. Causa verò efficiēs est exhalatio vnctuosa commota intra terræ viscera inclusa, exitum petens, & per concussionem, & allisionem ad latera cauernarum inflammata, materiam illam accendit, & quòd ignis Ætnæ ita incēdatur tradit Antonius Philotæus in Topographia Ætnæ. Addit tamen Angelus, quòd alio modo incendi potest prædicta materia quàm per concussionem, videlicet calore aucto, vel per antiparistasim, vel virtute alicuius astri Cœlestis, cui etiam tribui solet metallorum generatio in eisdem terrę latibulis; & quia loca ista ignem euomentia frequentius secus mare reperiuntur, vt de Lipara, Ætna, & Vesuuio constat, inde concurrit etiam saltem vt cōditio, clausio pororum terræ ob aquam maris, qua mediante materia illa accenditur; & hæc est communior sententia.

Itē frequētius ignes ex mōtibus irrūpunt, quàm ex vallibus, & locis planis, ratio est; Tū quia montes plures habēt cauitates, quàm ima, in quibus recludūtur spiritus crassi & pingues, qui sunt pabulum ignis. Tum quia sulphurea, & bituminosa materia plus in montibus abūdat, quàm in vallibus. Tum quia montes magis ventorum flatibus expositi sunt, quàm valles, vndè in cauitatibus montium reclusi, materiam illam agitant, & ad ignem accendunt. Item in aliquibus locis extinguuntur tales ignes, vt videre est in pluribus locis, præsertim in Insula Liparensi, quòd nō ex alia causa prouenire poterit, nisi quia defecerit materia, & pabulum, vndè tales ignes nutriebātur; in aliquibus verò locis diutissimè permanent, vt in Ætna, Vulcano, Vesuio, & alijs locis apparet, cuius ratio est, q[uia] adhuc magna materiæ copia adest. Tū quia continui halitus in eis semper continuam suppeditant materiam, quatenus ipsorum

rum actione, adiuncto ignis calore cum cæteris requisitis, terrestris illa materia in quam ignis agit, cōuertitur in bitumen, & sulphur; & quamuis ignis in sulphure non diu duret, quia facilè illud absumit, in bitumine tamen perseuerat, cùm sit corpus magis tenax, & viscosū, & ex hoc capite diuturnitas ignis in illis locis prouenit. Hinc etiam deducitur, cur ignium subterraneorum statutis temporibus fiat eruptio, vt de Lipareo igne Arist. refert de Admirand. aud. num. 35. quòd aliquando anno sextodecimo deficit, & postea anno decimo septimo redit, cuius ratio alia esse non potest, nisi quia interdum deficit materia, & ità extinguitur ignis, nec rursus accenditur, quousque noua materia generetur.

Sed quod de igne Liparitano nō amplius temporibus nostris cernimus, de Ætnæ igne ad sensum quotidie graui exitio experimur; tribus .n. lustris magis, minusque cōceptum ignem in visceribus deferens, non valens amplium fœtum differre, vehementi motu Mons ille cōcussus, terribile iterum gignit incendium; & vt literis Historicorum demandatum est, post quam per plures annos absq; igne, & fumo permanserit, totus iterum contremens, ac tonare incipiens, ex eius latere, aperto denuo hiatu in torrentes globos liquefactorum saxorum prærūpit, qui veluti igniti fluuij per decliuia mōtis grassantes, obuia quæcumque inuenerint penitus absumunt, plerosque etiā aquarum fontes perennium terra dehiscens, absorbentes. Deinde per aliquod spatium quasi sopitus ab halitibus quiescens, interim noua materia concepta, iterum ad partum se parans, ex alijs Montis partibus latera discindens, denuo ignem reuomitans, ac in aliquibus riuulis se diuidens ad instar metallorum ex fornace liquentium, omnia occurrentia conterit, & absumit. Legant Curiosi nouissimam Historicam Meteorologicam incēdij Ætnæ, Typis datam ab Eruditissimo Io: Alphonso Borelli 1670. copiosè, & scitè de hac re discurrēte.

Et tandem diebus nostris 1669. die 7. Martij, non minori, quàm alias incendio flagrans, Catanæ fines inuasit, nec sufficienter describi potest, quàm acerbissimè Vrbē illam clarissimā excruciauerit, quę ab Antiquis Historicis appellata est *Siciliæ caput, Romanorum Pontificum parens, Regum Regina, genitrix, nutrix, ac refugium. Siculorum Vrbium vetustissima, Respublica olim, Regum sepulchris illustrata, Romanorum Prætorum sedes, Siculæ nobilitatis fons, & Scaturigo, Sapientiæ sedes, amplissima disciplinarum omnium Musæum, Equestri militia decorata, locuples, Honesta, Copiosa, & alijs nobilissimis titulis honestatur, vt literaria Veterum monumenta hoc personant*. Quis nostrum non fleuit, quando igneus torrens ad illud extremum peruenit conflictum, vt etiam cinerum imber non solùm vniuersam Catanēsium regio-

regionem contegerit, sed ventis meridionalibus impulsus, ne dũ litus Mamertinum, sed complurima Tinacriæ loca, & trasgresso freto, multas etiam Calabriæ partes coinquinauit? Iã ad Catanæ parietes peruenit, Iam ingressus, totam Ciuitatem absumere interminabatur; & ita proculdubio euenisset, nisi præstantissimum Diuæ Agathæ suæ Amãtissimæ Conciuis patrocinium adfuisset, sicut pluries per eius Sacratissimũ Velum Catanenses ignẽ extinxerunt. Permansit tandem incolumis Ciuitas, sed circumdata scopulis, & pulcherrima Siciliæ Rosa, circumsepta spinis. Hæ incidenter protuli, cæterùm non desunt Famigerati Scriptores, qui & tantæ Vrbis encomia extollant, & tanti ignis iacturam, & epicedia canant.

Non desunt tamen PP. qui affirment huiusmodi ignes per montes perpetuò durantes esse fumarolia quędam gehennalis incendij ad nostram eruditionem à Diuina Prouidentia constituta. Sed quia in tali sent. multa miracula interuenire deberent, & Philosophi semper rerum omnium causas naturales inuestigare conantur, & nos hic philosophicè discurrimus, potius hoc assertum libenter negarem; ratio est, quia ignis Infernus non indiget alimento, quia inextinguibilis productus est; hic pabulo indiget, & extinguibilis est, imò per multos annos extinctum fuisse, historiæ Catanensium testantur, ab anno .n. 1570. vsq; ad 1603. nullum signum ignis apparuit. Item ignis infernalis ardet, sed non luceri imò est caliginosus ex PP. Ætnæus verò lucet, & emicat, vt oculis nostris aspicimus. Item Infernalis ardet, sed non consumit; Ætnæus ignis absumit omnia. Item Infernalis valde intensus est, quia institutus est ad Damnatorum flagitiũ; Ætnæus verò vti elementaris, non excedit octauum gradum caloris. Tandèm Inferni ignis est perpetuò duraturus, ille aliquando cessat, & cessabit.

DVBIVM DECIMVM IV.

De Lucernis perpetuis.

SEd non minus difficile est causam assignare quarumdam lucernarum per tot annorum centurias in quibusdam sepulchris subtus terram ardentium; de quare Fortunius Licetus in suo opere de lucernis Antiquorum, multa affert exempla. Variæ, & diuersæ responsiones ad hoc dubiũ à Philosophis excogitatæ sunt, sed vt improbabiles, & minus idoneæ ferè ab omnibus relinquũtur. Melior, & communior responsio, quæ ab ipso Liceto, & Auersa recipitur, est quòd in illis lucernis paratum fuerit tale oleũ, & tale elycnium, vt per plures annos ardere possit, & suppetit ratio philosophica, quædam .n. terrestria corpora inueniuntur, quę semel inflammata diutissimè flammam retinet ob materiæ pinguedinem, & viscositatem, vt de bitumine patet, extant etiam alij lapides

tena-

tenacioris naturæ, vt præsertim de Amiento refertur, & Arbesto, qui flammam semel cõceptã adeò constanter retinent, vt nec aqua extingui valeant. Referuntetiam à quibusdam iuxta Vrubã in nouo orbe reperiri lignum quoddam, quòd semel igne accensum, sic ignitum ad longissima tempora perseuerat. potérit ergo ex his mixtis arte chymica tale oleum distillari, vt igne accensum longissimè duret. Similis cuiusdam olei memoriam facit Ælianus de hist. animal. lib. 5. cap. 3. & Viues Parisijs se vidisse testatur Licinos quosdam, qui incensi nunquam absumebantur, ex tali igitur oleo illæ Antiquorum lucernæ parari potuerunt, vt Albertus Magn. significat lib. Mineral. tract. 2. cap. 1. cum Alijs.

Alij tamen asserunt historias illas de lucernis Antiquorum esse fabulosas, vt Aresius demonstrat lib. 2. Italicè inscripto: *Imprese Sacre*, Impresa 7. & Alij. Vel si lucernæ illæ ardentes reuera inuentæ sunt, & non extinctæ; dicendum est, cum Alijs non semper illas arsisse, sed tunc primò cùm effossa terra apertus est additus, accensum fuisse ignem in lucerna externi aeris afflatu; vel tandem si verè ab initio lucernas illas accensas fuisse, & deinceps arsisse semper, hoc referendum est, vel ad operam Demonis in templis, & sepulchris Gentilium, vt D. August. innuit lib. 21. de Ciuit. cap. 6. vel ad Diuinum miraculum, vt piè credi potest de quadam lucerna ante Christi Imaginẽ, quam Maiol. lib. dier. canic. colloq. 22. commemorat, quæ post quingentos annos intra quemdam parietem, accensa inuenta fuit.

DISPVTATIO II.

DE AERE, ET METEORIS AERIS.

POst ignis elementum sequitur immediatè elementum aeris, quem Aristot. 1. Meteor. cap. 4. in tres distribuit regiones, Supremam, mediam, & infimã. Hæc infima regio nobis proxima designatur à superficie terræ, & aquæ vsque ad certum terminum altitudinis, ad quẽ peruenit notabilis reflexio radiorum solarium, ita vt vbi extinguitur vis reflexionis caloris, & luminis solaris, ibi tractus infimæ regionis desinat. Media regio designatur ab hoc termino vsque ad alium, intra quos nubes coguntur, & pluuiæ generãtur. Tertia tandem illa, quæ supra mediam extollitur, & vsque ad cõcauam ignis superficiem porrigitur. Verum est tamen, quòd termini, & limites, circa quos prædictas aeris regiones describere solemus, non

non sunt fixi, & immobiles, pro temporum .n. diuersitate variantur, quòd præsertim de media, & infima regione patet, nam hæc æstiuo tempore, maior est, quàm in hyeme, cuius ratio est, quia tunc reflexio caloris, & luminis solaris potentior est, & altius ascendit, cū tunc temporis Sol puncto nostro verticali propinquius ad terram accedat, angulos rectos percutiendo, quàm fit in hyeme ob oppositam rationem &c.

Quantùm verò ad supremam regionem Zabarell. asserit, quòd eamdem semper, & immutabilem seruet distantiam, putat .n. totam primæ, & secundæ Zonæ altitudinē vsque ad altissima montium cacumina peruenire, totum verò aerem qui super illa porrigitur vsque ad locum ignis ad supremam regionē pertinere, ità quod initium supremæ regionis à montium summitatibus accipiat, & sequitur Cottunius, cuius ratio esse potest, quia superior aeris regio tota à motu Cœlesti circumagitur, nam per talem motum calida conseruatur, cacumina autem mōtium impediunt, ne aer infra ipsa contentus moueatur, ergo totus ille aer inclusiuè ad mediam regionem attinebit, non ad supremam.

Est tamen valde communis opinio, quorumdam montium cacumina secundam regionem trascendere, & tertiam occupare, quod præsertim de monte Olympo, qui est in Thessalia, & de monte Athone, qui est in Macedonia asseritur, in quorum cacuminibus fertur cineres toto anno relictas nec ventis difflari, nec imbribus elui; & quidē de Olympo non tantum Solonius testatur, sed etiam D. Aug. 3. de Genes. ad lit. cap. 2. addit perhiberi in vertice Olympi aerem esse adeò tenuem, vt non sit aptus ad respirandum, ideoque homines illuc ascendētes secum spongias deferūt aqua perfusas, quibus ori oppositis aer aliquāto crassior efficitur, atque ità respirationi inseruiat.

Verùm non desunt Aliqui, qui fabulosum hoc reputent, & quòd Olympi montis apicem ascenderint, & ibi ventos, & pluuias, & aues volantes repererint. Sed fortè deceptio hæc ex æquiuocatione montis Olympi procedere posset, quatuor .n. sunt Olympi, vt Manutius, Bocatius, Strabo, & Alij tradunt; Olympus autem de quo loquimur, ità sublimis est in Thessalia, vt Conimb. referunt 1. meteor. cap. 2. Stando igitur in hac opinione, quæ communior est, nō rectè initium tertiæ regionis sumitur à summitatibus montium, nec ratio Zabarell. id conuincit, quia non oportet totum aerem ad illam regionem spectantem à Cęlesti vertigine moueri, ac consequenter suprema aeris regio, inter cauum ignis, & paulò infra altissimorum mōtium cacumina reperiri potest.

Item aeris regiones non solùm secundum locorum differentiam, & situm distinguuntur, sed etiam secun-

secundum qualitates quasdam innatas; vt Arist. loc. cit. docuit, Suprema .n. regio propter ignis propinquitatẽ, calida, & sicca est plusquam eius natura petat; & quia etiam attingitur à Cœlesti vertigine, & in ea sent. præsertim, quia motum Cœlestem ponit causam caloris. Infima Zona partim calida est, partim frigida; Calida ob reflexionem caloris, & luminis solaris; frigida ex propinquitate terræ, & aquæ, extremæ .n. regiones elemẽtorum vicinorum naturas sapiunt; Media regio absolutè frigida est, vt ex iugis Alpium constat, in quibus per totum annũ nix viget, & in eo frigore semper permanet.

DVBIVM SECVNDVM.

De Causa frigiditatis mediæ regionis.

Difficultas tamen est, vndè mediæ regionis tanta, ac diuturna frigiditas obueniat, cùm adhuc proximior sit igni, & Cœlorum motui, quàm infima regio. Ad cuius difficultatis solutionem, multæ excogitatæ sunt responsiones, sed minus idoneæ.

Pererius lib. 1. in Gener. cap. 1. vtitur medio Theologico, inquiẽs, initio mundi illud frigus aeri secũdæ regionis inditum fuisse à Diuina Prouidentia ad vniuersi commoditatem, vt .s. ibi vapores concrescerent in nubes, & pluuias ad terram fęcundãdam. Non placet, nã hic contendimus scire naturalem rationem illius frigoris, si haberi potest.

Parisienses nostri, & Tatar. tom. 1. Meteor. q. 1. notab. 4. recurrũt ad Cœli influxum, qui in illam plagam directus, ibi frigiditatem imprimit. Neque hæc solutio satisfacit, nam vt vrget Angestus, ille influxus etiam supremã aeris regionem, & ipsum quoque ignem refrigerare deberet, & magis quàm mediam, quia est ei propinquior, & actio in propinquum est vehementior; & quando hæc instantia non valeret ex illo principio in Schola nostra recepto, quòd agens potest agere in distãs, absque eo quòd agat in medium, adhuc non dignè soluunt, nam ad causam vniuersalem recurrere, est refugium miserorum, quæ vilipenditur, si causa particularis assignari potest, quam nos in presenti inquirimus.

Alij assignañt pro causa distantiam mediæ regionis ab igne, & à Cœlesti motu, ac etiam à reflexione caloris, & luminis Solis in terra facta, quia .n. hæc sunt causæ caloris in alijs duobus regionibus, & aer mediæ regionis reperitur vtraque destitutus, idcircò manet perpetuò frigidus, & hæc ratio significatur etiam ab Arist. loc. cit. Sed contra instat Zabarel. nam effectus positiuus causam habere debet positiuam, non tantùm priuatiuam, sed frigus non est mera priuatio caloris, sed qualitas positiua, ideoq; causam aliquam positiuam habere debet, quam in casu non adducunt. Tùm quia ad summũ defectus illarum causarum relinquet mediam

regionem illā non calidam, ꝙ non sufficit, nā adhuc ostendere debent causam à qua ēt frigida reddatur.

Zabarel. inquit motum Cœlestem esse causam caloris in elementis, ad quæ autem non pertingit, frigida relinquuntur, vt constat de terra, & aqua, quia ergo aer secundæ regionis non attingitur à motu Cœlesti vel saltem valde debiliter, ideo frigidus remanet. Sed hæc solutio est contra seipsum, quia effectus positiui assignat causam priuatiuam tantùm, contra quam vrgebat. Tum quia Cœlestis motus non est præcisè causa caloris in his inferioribus, vt supra probatū est, & experientia patet ignem apud nos esse calidissimum, estò è Cœlo remotissimus sit, nec eius motu excitetur.

Conclusio.

Melius igitur concludendum est cum Scoto in 2. d. 17. qu. 2. duplicem esse frigoris causam in secūda regione; vnam positiuam, alteram priuatiuam. Positiua sunt vapores aquei frigore præditi, ex quibus nubes, & pluuiæ fiunt, qui ibi aliquandiu manere solent, ibique suum frigus continuò impertiendo illam regionem cæteris frigidiorem reddunt. Priuatina duplex est, vna est distantia ab ignis feruore, & à Cœlesti motu ex parte superiori; altera est distantia à reflexione caloris, & luminis solaris ex parte inferiori, quibus etiam annectitur antiparistasis, nam illa Zona ex prædictis causis refrigerata, cum ex vtraque parte superiori, & inferiori obsideatur, per antiparistasim adhuc magis frigescit. Est Doctrina communis Peripat. quā sic Angestus declarat. Hæc duo elemēta inferiora .s. terra, & aqua sunt ambo frigida, Sole autem occidente, magna eorum virtus frigefactiua peruenit vsque ad mediā aeris regionem inclusiuè, eam infrigidans vsque ad ortum Solis, quo oriente, quia reflexio solaris ad eā partem non peruenit, purgata solùm hac infima regione à frigiditate nocte præcedenti contracta, remanet illa media in priori frigiditate, atque humiditate, quæ clausa duobus extremis calidis, adhuc per antiparistasim validius fortificatur, vapores .n. sursum eleuati prohibentur à contrarietate supremæ regionis vltra transire; pariter etiam ex reflexione Solis pelluntur ab infima regione, ideoque vapores illi à contrarijs hinc indè obsessi, frigoris augmentum efficitur.

Obiectiones.

Obijcitur, quòd secunda aeris Zona non sit admodum frigida, nam vapores illuc calidi actu ascēdunt, cùm vi caloris subleuentur, ex alia parte aer natura sua calidus est, ergo calore suo obstabit ne vapores ad natiuum frigus redeant, ipsumque refrigerent. ℞. conced. aerem secundæ regionis non adeo frigidum esse, vt cesset esse aer, sed in eo gradu quantum sufficit, vt sit locus aptus ad generationem nubium, & pluuiarum. Vnde licèt vapores actu calidi illuc ascendāt, calore eis à Sole impresso, vel alio astro eleuante, sicut etiam aer sit

suaptè

suaptè natura calidus; cùm tamen illi vapores sint substantialiter aqua, propria virtute motiuam frigiditatem acquirunt, ideoque non potest aer mediæ regionis dimanationem illam impedire, tunc .n. vires suas habet refractas, & debilitatas, cùm frigefactus per præuios vapores reperiatur; ac consequenter potius ad infrigidandos alios vapores illuc successiuè ascendentes, aptus inuenitur.

Ob. Si illa regio adeò frigesceret, aer illius grauior esset, quàm hic, qui nos ambit, cùm frigiditas adenset, ac grauitatem inducat, at hoc est falsum, nã grauior aer subsidet, ergo &c. ℞. neg. seq. sicut .n. non eo ipso, quòd corpus aliquod calefit, statim rarescit, & leuitat, vt patet de aqua calefacta, ità neque statim ac vapores frigere incipiunt, addensantur, & grauitant, cùm verò ad eum frigoris gradum peruenerit, qui densitatem, & grauitatem inducit, tunc resoluuntur in aquam, & decidunt, aer autẽ ex se non grauitat, vel leuitat.

Ob. Zabarel. experientia à se facta, secundam aeris regionem non esse adeo frigidam, vt iactari solet, ait .n. æstiuo tempore in Montem dictum Veneris ascendisse tãtæ altitudinis, vt infra nubes relinquat, ibique commorando vix aliquod aduertisse discrimen frigiditatis ab vltima aeris regione. ℞. satis dubitando de illa experientia, oppositum .n. cernimus de summitate aliorum montium secũdam regionem attingentium, in quibus per totum annum niues rigent; Liuius lib. 40. inquit Philippum Macedoniæ Regem in vertice montis Ætnę caniculæ ortu frigora reperisse similia brumalibus, idemque confirmat, Antonius Philotæus in descriptione Montis Ætnæ. Ego etiã in maiori æstatis feruore, per fastigia Montis Madoniæ transiens, qui altitudine est secundus Siciliæ Mons, tunc ingens frigus expertus sum, & Pastores, qui ibi tali tempore degunt, pecuariã rem agentes interrogãs, quãdo aer hic feruescit? responderunt, nunquam Pater, sed semper frigus viget. Neq; mõs Veneris tantæ celsitudinis est, vt infra se nubes relinquat, vt etiam multi oculis proprijs testantur vidisse nubes super eius verticem euolare.

Ob. ex Arist. 1. Cœli 18. nullum violentum, seu contra naturam est perpetuum, ergo si aer est sua natura calidus, nõ potest perpetuò sub tanto frigore perdurare. ℞. admittendo illam mediam regionem non manere perpetuò sub eodem frigore quò ad omnes suas partes, nam successiuè vapores illi resoluuntur in aquam, post quam sufficienter condensati fuerint, & alij denuo generãtur, & hoc sufficit ad saluãdam auth. Arist. cuius ratio erat, quia pugna inter contraria nequit perpetuò durare, ità respondet Zabarel. Potest etiã asseri, quòd propter bonum Vniuersi habeant semper Elementa aliquid innaturale, dummodo non sit destructiuum

regionem peruenientibus, aer fit serenior, & purior in vertice, quàm ad medium, quia nubes quo magis addensantur grauitant, & descendunt.

DVBIVM SECVNDVM.

De Materiali causa Ventorum.

ARistot. de ventis tractaturus protestatur se agere de his, de quibus maximas habet dubitationes, res .n. omnium naturalium abditissima ventus est, & solus ille nouit ex Psalm. 134. *qui producit ventos de thesauris suis*. Philosophi tamen est rerum omnium naturalium rationem naturalem vestigare, si potest. & Pimò dubitari solet de causa materiali ventorum.

Sententia fuit vetustissima ab Arist. relata 2. Meteor. ventum nihil aliud esse, quàm aerem agitatione commotum, & sic aerem esse ventorum materiam, ità Schola Stoicorum, vt videre est apud Senecam lib. 1. natural. qq. cap. 1. Hippoc. lib. de flatibus, & aliorum, quos ex Recentioribus sequũtur Aref. Cardan. Augustinus de Angelis, & Alij. Alia sent. affirmat materiam venti esse vaporem aqueum eiusdē quidem rationis cum illo, ex quo fiunt pluuiæ, & niues, sed tamen in hoc genere tenuiorem, & subtiliorem; ità Bernardinus Telesius, nouæ doctrinæ inuentor lib. de his, quæ fiunt in aere cap. 4. cum eius sequacibus. Tertia tandem est communis opinio Peripat. negantium materiam ventorum esse aerem, vel vaporem aqueum, sed asserentium esse halitum terrestrem, seu exhalationem calidam, & siccam, è terra eductam, in aerem elatam & ibi lateraliter motam, vndè Arist. 2. Meteor. cap. 4. sic ventum definiuit: *est multitudo quædam siccæ ex terra exhalationis mota circa terram.*

Conclusio.

Dicimus, materiam venti posse esse aerem commotum, vaporem aqueum, & halitum terrestrem indifferenter. ità Mastr. & Bell. disp. 4. q. 3. ex Angesto Celebri Scotista lib. 2. pag. 82. quæ sent. modò ferè ab omnibus recipitur. Conimb. cap. 6. Meteor. cap. 2. conceduot etiam vapores esse materiam idoneam pro ventis, & sequitur Ioann. de Sanct. Thom. Auersa addit quoque aeré, & amplectitur Cottunius. M. Iacobus Brun. postquàm determinauit cum D. Thom. lect. 7. ventum non esse aerem commotum, sed spirationem, aut exhalationem terræ calidam, & siccam agitatam, aerem commouentem. Addit tamen non esse improbabile, ventum aliquando esse solum aerem commotũ ex vno loco ad alium, & quòd possit etiam esse vapor aqueus, licèt in plurimum præualebit terrestris halitus. Pr. cõcl. Ventus non est, nisi corpus tenuè, & primariò cõmotũ, ità quod à tali motu primariò denominatio venti sumatur, sed contingere potest primarium lateraliter motum circa terram esse aeré; potest etiam contingere esse subtilem vaporem, vel etiam exhalatio-

nem

nem, ergo non est limitata ventorum generatio ad vnam tantùm illarum materiarum, sed indifferenter ad omnes extendẽda est. Maior conceditur cõmuniter, Minor probatur de quolibet sigillatim. De Aere est euidens, cùm .n. flabello à facie aerem pellimus, ventum excitare dicimur, sic etiam dum folles comprimuntur, ventum emittere dicuntur, sed in his, & similibus casibus, nil aliud primò lateraliter mouetur, nisi aer, ergo aer ità commotus erit ventus. Rñt aliqui cum Tatar. 2. Meteor. q. 2. §. *Primò sciendum*, cum Conimb. quos etiam sequitur M. Iacob. Brun. relatus, negando, ità aerem flabello, & follibus commotum esse ventum. Sed nescio qua ratione, si .n. ob paruitatem quãtitatis, ergo neq; paruus calor dici debet absolutè calor, nec paruum frigus absolutè frigus, contra illud axioma: *magis, & minus non variant speciem*, hinc Sap. 5. de aui volanti dicitur: *sonitus alarum verberans leuem ventum*; & apud Terentium in Eunucho: *cape hoc flabellum, & ventum huic sic facito*. Confirmatur etiam auct. Arist. sec. 26. Problem.

Probatur hoc etiã ipsum de vaporibus, in mari .n. præsertim regnãt vẽti, nõ solũ in Mediterraneo, sed fortius in Oceano, ꝙ vtiq; non nisi ex vaporib' è mari elatis gigni poterunt. Resp. aliqui vẽtos nõ gigni in mari, sed in mari è terra trãsire. Nõ placet, nã tũc sequeretur, ꝙ quanto quis in mari magis à terra distaret, tãto minori vẽtu cõcuteretur, cuius tamen oppositũ sæpius experitur. Alij dicunt etiam à mari exhalationes consurgere propter eius salsedinem; Sed hoc etiam parum iuuat, nam hoc quoque concesso, illæ non erunt puræ exhalationes, sed multis vaporibus permixtæ, hinc venti è mari exorti humidi esse solent, & sæpè nubes congregant, & pluuias generant, ergo vel materia illorum ventorum sunt Soli vapores, vel saltem exhalationes vaporibus permixtæ, quod etiã Aristot. ipse cap. de ventis docuit. Tum etiam quia secus flumina sæpissimè venti spirant, quod esse non poterit, nisi ex vaporibus ibi surgentibus, si .n. ex puris exhalationibus geniti essent, non esset maior ratio, cur potius secus flumina frequentius, quàm alibi spirarent.

Probatur tandem hoc ipsum de terrestribus halitibus ex Aristot. 2. Meteor. & patet experientia, cùm .n. magna abundat exhalationum copia, vt Vere, & Autumno, tunc frequentius venti spirãt. Tum quia in ortu Solis sæpius venti excitantur, & ratio est, quia Solis virtute multa exhalatio ascendit à terra. Tum quia vt plurimum venti exiccant, quod non nisi ex calida, & sicca materia coalescit. Tum tandẽ quia vt experientia docet, pluuia facit ventum cessare, quod inde prouenit, quia infrigidat, & humectat calidam illam, & siccam exhalationem, quæ erat eius materia, & è contra sæpè cessante pluuia sur-

surgit ventus, nam ex terra madefacta multi exhalant spiritus, sicut cùm in vas cineris infunditur aqua, subtiliores partes cineris exhalant.

Obiectiones.

Obijcitur. 1. quòd ventus non potest esse aer commotus, potest .n. aer multis modis agitari, nullo spirante vento, vt cùm ingenti ruina turres decidunt, & cùm bellicum tormentum pilam eiaculatur, magna fit aeris commotio, & tamen nullus adest ventus. ergo &c. ℞. neg. assumptum, nam Arist. etiam ventum appellat commotionem aeris, quam facit fulmen descendens; vel si non est magnus ventus, est tamen paruus; vel tandem si non est ventus, hoc ideo erit, quia illis casibus non aer primò mouetur, sed ad motum alterius.

Arguitur 2. quòd materia venti non possit esse vapor: Materia venti debet esse aere leuior, quia per aerem ad mediam ascendit regionem, à qua reflectitur, sed vapor non est huiusmodi, ergo &c. Tum quia quando plus abundat exhalatio sicca, & calida, fiunt anni ventosi; quando abundant vapores, fiunt anni pluuiosi, ergo sola exhalatio est materia venti, non vapor. ℞. ad 1. negan. minor. sicut enim vapor ab extrinseco recipit calorem, ità leuitatem recipere potest, scilicèt à Sole ipsum subtilizante, & attenuante. Ad 2. ideo hoc euenire, quia promptior, & paratior est ad ventum exhalatio, quã vapor, non tamen inde sequitur vaporem vnquam esse venti materiã.

Ob. pluuia facit cessare ventos, ergo non est materia venti. Pr. consequ. si .n. vapor esset idonea venti materia, vẽtus deberet augeri, quia in descensu pluuiarum, vapor humid' multiplicatur. ℞. idcirco pluuiam facere ventos cessare potiùs, quàm augeri, quia venti materia certam leuitatem, ac subtilitatem exposcit, propriam, vel extraneam, quæ per pluuiam non acquiritur, sed potiùs amittitur, quatenus per ipsam vapores addensantur, & ingrauescunt, ac consequenter minus apti ad venti generationem fiunt.

DVBIVM TERTIVM.

De Causa effectiua Venti.

Dubitatur 2. de causa effectiua motus venti, cur .s. & à quo moueatur semper lateraliter in obliquum, & per transuersum, cùm exhalatio, & vapor calidus potius sursum tendere deberet. Rt. Arist. 2. Meteor. motum venti in obliquo circa terram procedere ex motu raptus, & Cœli vertigine, & sequũtur D.Tho. 2. Meteor. lec. 8. Buccafer. Burid. & Alij, quæ sent. ferè ab omnibus relinquitur; & ratio est, quia cũ motus Cœli sit vniformis, semperque ab Oriente in Occidens, semper etiam vnus, & idem ventus spiraret, ac eodem modo. Hinc Arist. melius consultus Problem. 50. sec. 26. aliam dat responsionem, quòd .s. motus ille procedit

dit à duplici causa, nempe à leuitate exhalationis, & à frigiditate mediæ regionis. leuitas .n. exhalationis eam sursum eleuat, & frigiditas illius regionis per antiparistasim eã deorsum reuerberat, vndè hinc, & inde repulsa non potens ascendere, nec descendere, mouetur medio modo .s. lateraliter, & hanc cõmuniter Peripat. recipiunt, vt videre est apud Tatar. Albert. Conimb. Algazel. Suessan. Cottun. & Alios. Quæ tamen solutio difficultate sua non caret, frigiditas .n. talem vim motiuam non possidet. Si autem dicatur exhalationem natura sua frigiditatem refugere, quia calida est, non iuuat, quia experimur vapores aliquos calidos in ea regione recipi, & detineri. Tũ quia si motus exhalationis sursum impeditur à frigore secũdæ regionis, & redditus deorsum à sua leuitate; ex hoc non sequitur debere in obliquum ferri, sed potius ad cẽtrum tendere, vt dicitur de lapide sursum proiecto in pũcto reflexionis propter eandem rationem; & quando etiam ex hac ratione venti in obliquũ tenderent, adhuc non redditur ratio, cur in hanc partem potius cierentur, quàm in aliam connaturaliter .n. huc, & illuc indifferenter diffundi deberent. Tum quia omnes venti gignerentur propè mediam aeris regionem, vbi exhalatio obicẽ inuenit, nullus propè terram. Item omnes essent frigidi ex frigore in media regione impresso.

Telesius putat, ꝙ halitus, vel vapor ventosus sua virtute in obliquũ moueatur, quando in magna copia collectus fuerit; tunc .n. non patiens se in angustum cogi, diffluit, & maiorem sibi locum quærens, magno impetu ruit, & diffunditur. Sed neque hæc responsio satisfacit, nam falsum est vapores collectos, & cõdensatos esse ventos, sed sunt nubes, & pluuiæ. Tum quia non assignatur ratio, cur petens maiorem locum, potius illum ad vnum latus petat, quàm ad aliud.

Conclusio.

Dicimus, præcipuam causam commotionis, & agitationis, quam ventus exercet in aere, esse Cælum per sua Sydera, ac influentias occultas; ità docuit Angest. pag. 83. §. *his præmissis &c.* & licèt causæ ab Alijs assignatæ suo modo concurrant; se solis tamen non sufficiunt ad tot, ac mirabiles effectus, sequuntur Auersa, Ioanna de S. Thom. Mastr. & Bell. disp. 4. q. 3. art. 2. estque communis apud Astrologos, qui huiusmodi effectus in vim, & aspectum dominantium Sydertum referunt, vndè & speciales ventos à specialibus astris cieri, & concitari volunt, asserentes Iouem aquilonares ventos suscitare; Martem astruales; Solem orientales; & Lunam occidentales. Persuaderi etiam potest ab effectu, experientia .n. compertum est ortu, & aspectu aliquorum Syderum maximos excitari ventos. Tum quia sicut virtute Solis, & Lunæ mare fluit, sic ex virtute, & impressione aliorum astro-

aſtrorum poterit aer fluere, & refluere, & ventoſa exhalatio huc, & illuc agitari. Tū quia ſicut magnes trahit ferrum, ità etiam aſtra virtutem habere poſſunt trahendi halitus, & vapores ſubleuandi, & in hanc vel illam partem impellendi iuxta diuerſum eorum ſitum, & aſpectum. Tum tandem, quia effectus ventorum per cauſas inferiores ſaluari non poſſunt, vt ex dictis patet; ergo ad Cœlorum influxus recurrere cogimur. Ex quo etiam facilè colligi poteſt cauſa ceſſationi ventorum, ſedatur. n. vel ex defectu materiæ. ſ. ventoſæ exhalationis, quæ paulatim reſoluitur, & diſſipatur; vel etiam ex defectu Cęleſtis influentiæ, ac etiam aliarum cauſarum ad venti generationem concurrentium.

DVBIVM QVARTVM.

De Numero Ventorum.

SOlet etiam hic agi de numero ventorum; qui numerus deſignari ſolet pro varietate locorum, & præcipuè à quatuor mundi partibus, puta Oriente, Occidente, Aquilone, & Auſtro quatuor ſignātur venti cardinales, & principales, ex quibus appellantur vulgariter ventus orientalis, occidentalis, aquilonaris, & auſtralis; & ſingulos ait Ariſt. ſuos habere collaterales, ità vt duodenos faciunt ventos. At Hydographi ad majorē artis Nauticę commoditatem, diligētius vē-tos diſtinguentes, duos, & triginta conſtituerunt, de quo numero agunt paſſim Autores; nobis ſufficiat ſaltem octo principalium nomina retinere, quæ ſunt Leuans, qui antiquitus dicebatur Subſolanus; Ponens, qui dicebatur Zefirus, vel Fauonius; Tramontana, qui Septētrio, ſeu Boreas vocabatur; & Auſtrum, qui ſpirat à meridie. Deinde qui inter Leuantem, & Tramontanam deſignatur, dicitur Grecus; qui inter Tramontanam & Ponentem, Magiſter; qui inter ponentem, & Auſtrum libicus, vel Corbinus, italicè Libice; qui tādem inter Auſtrum, & Leuantem appellatur Sirocus,

DVBIVM QVINTVM.

De Ventorum Proprietatibus.

QVædam proprietates ventis conueniunt ex propria eorum complexione, & natura, quædam ipſis competunt ab extrinſeco, ſ. vel ratione locorum, à quibus ſpirant; vel virtute aſtrorum à quibus excitantur. In primo ſenſu; ventus cuius materia eſt exhalatio, erit frigidus, & ſiccus, quia talis ſua natura exhalatio eſt; cuius verò materia eſt vapor, erit frigidus, & humidus; qui tandem mixtus ex halitu, & vapore, complexionem mixtam habebit. In Secundo ſenſu diuerſas habent affectiones, & proprietates aduentitias, iuxta diuerſam locorum, & regionum diſpoſitionem, per quas ad nos traijciūt, & ſyderum à quibus excitantur. Vnde venti ſeptentrionales frigidiſſimi ſunt, & ſicci, quia

per loca niuosa, & frigida migrant, hinc serenitatem inducunt, quatenus sua frigiditate, & siccitate nubes, & earum humiditatem dissipant; Australes è contra sunt calidi, & humidi, quia per mare, & loca calida, & humectantia ad nos traijciunt; inde nubes cogunt, & pluuias inducunt; Venti Orientales sunt calidi, & sicci ob Solis præsentiam, ac in eis regionibus prædominium; Occidentales è contra sunt frigidi, & humidi propter Solis absentiam &c. ex his proprietatibus sequitur quosdam ventos esse salubres, vt frigidos, & siccos; alios verò noxios, & insalubres, vt calidi, & humidi, quia corpora dissoluũt, & putrefaciunt, calidum .n. & humidum est origo putredinis.

DVBIVM SEXTVM.

De Turbinibus.

DE his agit Arist. initio 3. Meteor. & tres sunt cæteris omnibus magis periculosi, ac formidabiles, propter nimiam eorum violentiam, & impetum; & appellantur *Ecnephyas*, *Typhon*, & *Prester*. Primus latinè procella dicitur, quę vt Arist. ait, ventus est, qui disiecta nube, crassitudinem eius in se se discutit, & spissa intra nubem cogitur, & ob antiparistasim propter circumstantem nubis frigiditatem incalescit, quo fit vt ampliorem quærens locum ad instar fulminis, magno impetu à nube exploditur, ac deorsum impellitur ingenti violentia, & velocitate, rectaque descendit. Alter turbo, qui dicitur *Typhon*, ventus turbulentus est, præcipua nauigantium pestis, qui non antennas solùm, verùm ipsa etiam nauigia contorta frangit; & contingit cum eadem exhalatio ex eadem causa deorsum truditur, non rectà, sed in gyrum contorta, quod euenit ex pugna diuersarum nubium, vel partium eiusdem nubis ad inuicē; conglobantur .n. inter se, & impinguntur, & flatus hinc inde generati retorquentur inter se, quia vnus alteri non cedit, & ita vortice concitatò è nubibus descendunt, & colligentes se circulum faciunt, ac similem producunt effectum, qualem videmus in angustijs vijs, dum puluis à vento rotatur, & tanta aliquando vehementia ruit, vt suo gyro, & rota absorbeat quicquid ei obuiam fit, arbores, saxa, imò & integra nauigia; eaque in altum rapiat, ac inde præcipitet, hinc turbo hic non videtur à primo differre, nisi quia ille recta via descendit, hic autem in girum. *Prester*, qui est Cœlestis flammæ genus, & contingit cùm flatus, & halitus illi vel ex antiparistasi, vel allisione ad inuicem, vel ad nubes inflammantur, quare non tantùm sternit, & frangit quidquid fit obium, sed etiam incendit, & comburit, & per hoc differt ab alijs turbinibus; & à fulmine differt, quia fulmen plus habet flammæ, quàm flatus, *Prester* verò è contra plus flatus habet, quàm flammæ; differunt etiam, quia materia fulminis subtilior est.

DVBIVM SEPTIMVM.

De Iride, seu Arcu Cœlesti.

IRis tantæ est admirationis, vt non naturale opus, sed ostẽtum Diuinæ Potentiæ Chrisost. putauerit, iuxta illud Eccles. 43. *vide Arcum, & benedic Deum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo*; & ità ab Arist. 3. Meteor. definitur: *Arcus discolor apparens ex receptione, & reflexione luminis solaris in nube rorida*, ex qua definitione exacta Iridis notitia apparebit.

Dicitur *Arcus*, quia figura circularis per modũ arcus est de ratione Iridis, ad cuius generationem duo concurrunt, putà Sol, vt causa efficiens; & nubes, vt causa materialis, lumen à Sole vibratum recipiens; debet tamen nubes habere partes roridas, & diaphanas à parte anteriori, vt lumen recipiat; & opacas, ac densas à tergo, vt lumen reflectat, & percutiat more speculi; quia igitur circulus Iridalis circulo Solari directè opponitur, ità quod centrum vnius correspõdeat centro alterius, hinc sequitur, Iridem in tota sua magnitudine nunquam semicirculum excedere posse, quia cùm directè soli opponitur, alter semicirculus semper in profunditatem terræ incidet.

Dicitur *Discolor*, Iris.n.quæ à Sole efficitur, semper diuersis apparet mixta coloribus, & sunt præsertim tres, facientes tres semicirculos; primus, seu supremus est puniceus, seu flauus, qui in parte exteriori, & superiori arcus apparet; viridis, qui in medio semicirculo totius arcus cernitur; & purpureus, qui in infima parte interiori apparet. Dicitur autem communiter à Philosophis hanc colorum diuersitatem oriri ex varia commixtione lucis cum nube, vniuersaliter.n. huiusmodi colores coalescunt ex commixtione lucis cum vaporibus, & exhalationibus non ex varia commixtione primarum qualitatum; vt in mixtis perfectis contingit; Quia igitur colores medij ex commixtione extremorum cõsurgunt, vtique oportebit in Iride aliquod assignare, quod suppleat vicem coloris albi, & quòd aliquod suppleat vicem nigri, vt tales colores ex tali commixtione coalescant; hæc autem erunt lumen Solis in nube receptum, & opacitas, vel densitas ipsius nubis; lumen ob nimiam claritatem vergit ad albedinem, opacitas ob suam obscuritatem ad nigredinem; hinc fit, vt vbi magis lux abundabit, & super obscuritatem nubis dominium habebit, color tendens ad albedinem apparebit, scilic. puniceus, vel flauus; vbi verò obscuritas abũdabit, & dominium habebit supra lumen Solis, ibi color magis tendet ad nigredinẽ, qualis est viridis, vel purpureus, hoc totum tamen intelligitur secundum naturæ cursum, at absolutè loquendo, possibile est etiam habere plures colores, & minores tribus iuxta diuersitatem opacitatis, & densitatis in nube.

Tertiò dicitur *apparens*, quia co-

lores Iridis non sunt veri colores, sed tantùm apparentes. Ratio est, quia duplex est sententia de veritate colorum, vna asserit colores prouenire ex varia mixtione primarũ qualitatum, & secundum hanc viã, colores Iridis non sunt veri colores, quia non reperitur in ea talis qualitatum mixtio, vnde illi diuersi colores oriantur. Alia sent. asserit prouenire ex varia mixtione lucis cum opaco dependẽter à proportione ad aspectum nostrum, ità vt verus color per hoc ab apparẽti secernitur, quòd ille habet causam intrinsecam in subiecto ab aspectu nostro independẽter; apparens verò non habet causam intrinsecam, saltem completam, & integram, sed à proportione aspectus nostri pendet, & hæc est causa, vt non eodem modo ab omnibus, in diuersis locis existentibus videatur, vt se habent colores in collo colũbæ &c.

At dices, sensus circa proprium sensibile non decipitur ex 2. de an. 63. sed visus in Iride reuera percipit varios colores, ergo erunt veri colores, non apparentes. Rş. cum Tatar. Obiectum adæquatum visus non esse colorem, sed qualitatem sensibilem communem ad lucem, & colorem, ideoque non oportet omne illud, quod videtur esse colorem, vel coloratum, quia lux, & lumen possunt videri, & ità est in proposito, lumen. n. quòd in Iride videtur non est color, sed lumen tali modo reflexum, sicut etiam euenit cum phiala aqua plena radijs solaribus opposita, similes colores in terra videmus, qui non sunt veri colores, sed lumen reflexum; ad cõsequentiam sensus non potest errare circa suum sensibile in communi, quia non potest ferri extra suum obiectum, sed bene circa suum sensibile proprium in particulari.

Addunt Mastr. & Bell. & bene, aliud est dicere, quòd illi non sint veri colores, aliud quòd non imbuant veras species talium colorum ad visum nostrum imprimendum est verum, non secundum, nam lumen ità reflexum sic per species immutat visum nostrum, ac si essent veri colores, ac propterea visus non decipitur circa proprium obiectum, quia illud percipit, vt sibi per species repræsentatur, sicut paries albus per vitrum viridem apparet viridis propter specierũ immutationem, quæ per tale medium ad oculos deferuntur; & ità determinauimus in logi. disp. de ente rationis.

Dicitur quartò *ex reflexione luminis Solaris*, vt eius causa efficiens ostendatur; Iris. n. sic multicolor est effectus Solis, & licèt Luna etiã Iridẽ suã causare possit, vt Aristot. docuit 3. Meteor. cap. 3. non tamen tali varietate distincta, sed vnico tantùm colore, & albicante ob debilitatem reflexi luminis. Quia igitur Iris non efficitur, nisi per reflexionem luminis in nube rorida ad nostrum aspectum, hinc ad Iridis formationem necesse est Solem esse in opposito situ è regione ad nubẽ irroratam, vt radijs eã directè ferire posset,

possit, & sic lumen ad nos reflecti, quod non eueniret, si nubes sub Sole directè esset. Item, vt Iris à nobis videatur opus est nos constitutos esse in spatio medio inter Solem irradiantem, & nubem irradiatam, si autē nubes esset inter nos, & Solem; non illustraretur nisi ex illa parte, qua Solem respicit, idoque Iridem nobis non exhiberet, quia ex parte nos respiciente obscura maneret; & si Sol esset inter nos, & nubem, nimis Iris à nobis distaret, vt videretur; vt Perspectiui ostendunt; & hoc etiam experientia cōprobatur, si n. Iris ante meridiem apparet; cernitur ad occasum; si post meridiem ad Ortum, vel Aquilonem, quibus temporibus sumus inter Solem, & Iridem.

Ex hac doctrina resoluitur illud dubium, an possint plures Irides à Sole, & nube causari: Arist. putauit duas tantùm produci posse. Tatar. ait, non legitur, q̄ vnquam tres apparuerint. Sed re vera tres aliquā do visæ sunt, & sæpè de facto contingit, sed tertia non aduertitur, quia colores satis debiles habet, & euanescentes statim. Ratio huius est, quia duæ nubes roridæ, ac etiā interdum tres esse possunt in codē situ Cœli, vna supra aliam, & discontinuæ; dum igitur Sol illustrat Iridem inferiorē, cùm ipsa sit quasi speculum, remittit species colorū ad nubem superiorem, & ità in eam impingentes, vt speculum, reflectuntur, & nouam Iridem causant, & sic de tertia dicendum, quæ tamē ex debilitate reflexionis, valde tenuis, & exigua erit. At licèt hoc verum sit, & ità regulariter eueniat, non potest tamē negari, quin plures similiter possint à Sole causari immediatè vna inferior, altera superior, nam sic etiam duæ nubes roridæ, in ea dispositione possunt immediatè ambæ à Sole irradiari, & Iridem exhibere cum ijsdem coloribus, ac intensione, quod manifestum indicium erit in eo casu, non vnam ex alterius reflexione causari, sed singulas ex reflexione Solaris luminis immediatè, & directè; & quod ità de facto contingere possit experientia comprobauit Auersa; dum de hac materia scribebat q. 42. sec. 5. dicens: contingit etiam mihi, cùm hæc fortè scriberem, videre Iridem duplicatam absque vlla distantia, sed potius vnam Iridem inter regiones distributam cum ijsdem tribus coloribus replicatis, non quidem inuerso ordine, sed ordine eodem recepto, quòd mihi, & alijs distantibus singulare, & insolitum visum fuit.

Hinc etiam colligitur, quòd poterit Sol in diuersis sitibus plures causare Irides immediatè, & directè, Si V. G. Sol sit in meridie, & duas habeat nubes in oppositum, vnam s. ad orientem, alteram ad occidentem, duas Irides causabit, si vtramque radijs ferire valeat, & si etiam alia nubes versum Aquilonē ei opponatur, poterit & in ea simul aliam Iridem causare, & sic tres Irides

des apparebût, quo casu admisso, si rursus illæ Irides alias p reflexionē efficerēt modo supra declarato, possent contingere in eodem tempore plures Irides; Vndè Cornelius Gēma lib. 1. de Diuinis naturæ Characterism. cap. 8. refert, anno 1551. prima die Martij septem Irides visos fuisse.

Quintò dicitur *in nube rorida*, vt causa materialis exprimatur, quæ à Peripath. statuitur nubes, non quæcumque, sed rorida, talis scil. quæ in aquam stillicidijs dissolui incipiat, ac taliter disposita, quòd anteriori parte, qua nos respicit fit concaua, vt sub tali figura facilius radios solares excipiat, fit etiam perspicua, vt lumen facilius imbibat, ex parte verò posteriori fit opaca, vt more speculi lumen repercutiat, & reflectat. Est tamen aduertendum, quòd cùm dicitur Iridem in nube rorida efformari velut in subiecto, hoc non debet intelligi quasi in ipsa substantia nubis imprimatur, sed in ipsis guttulis leni aspergine ex ea distillantibus vt bene adnotauit D. Thom. 3. Meteor. lec. 3. digress. de Iride. Ioann. de Magist. & Arist. ipse loc. cit.

Solet adhuc dubitari, an Iris ante Dilluuium effulserit? & R. affirmatiuè, tunc .n. habebat causas naturales nempè Solem, & nubem roridam, quæ certè ante dilluuium extiterunt, vt Abul. Eugubinus, Chartusianus, & D. Thom. docent. Neq; oppositum colligitur ex Sac. Gen. 9. vbi Deus ait ad Noe: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fæderis inter me, & inter terram*. quibus verbis non deducitur, Iridem ante dilluuium non fuisse, sed solùm non fuisse vt signum non futuri diluuij, sicut postea fuit.

Sed adhuc inquiritur, an Iris ad hæc significanda fuerit ex mero Diuino beneplacito assumpta, an potius cum aliquo fundamento à parte rei? Est res parui momenti, quocumque enim modo dicatur, nullum sequitur inconueniens. Potest tamen vtrumque cum aliqua proportione significare, .s. fœdus nobiscum initum, & Diuinam indulgentiam, quia est arcus fine sagitta; & cum aliqua etiam proportione securitatem à diluuio; si .n. Iris est vespertina, vt illa, quæ post pluuiam apparet, serenitatem prænunciat, quia ostendit completam esse nubium resolutionem, nec nisi stillicidia remanere; Si est ante pluuiam, seu matutina, modicam pluuiam, & leuem irrorationem significat, & ratio est, quia magnus aquarum imber solùm euenit, quando nubes sunt valdè turgidæ, & vaporum grauidæ, in qua dispositione aptæ non sunt ad reflectendos radios solares, & Iridem causandā. Si igitur Iris naturaliter significat non futuram proximè magnam aquarum inundationem, cùm non formetur in nubibus adeò turgidis, bene potest nubis cum fundamento in re securitatem à diluuio promittere.

DVBIVM OCTAVVM.

De Alijs figuris in aere apparentibus.

PRæter Iridem, aliæ fiunt figuræ, seu imagines in aere variis insignitæ coloribus, non quidem realibus, sed apparentibus ex diuersa lucis percussione consurgentibus, vt *Halon, Voragines, Hiatus, Virgæ, Perelius*, & similia.

Halon grecè, latinè *Corona* dicitur, & est circulus quidã apparens circa Solem, Lunã, & aliqua astra; & fit cùm nubes æquali densitate circa astrum spargitur. Differt ab Iride, quia Iris est semicirculus, Halon verò circulus perfectus; Vndè cùm radij, quos Astrum diffundit, nequeunt rectè in terram progredi, in densitatem nubis incidentes, diffunduntur circa extremitates orbiculares eius, inde varij colores in ea resultant, quibus Astrum cingi videtur, ideoque *Corona* à Latinis dicitur, ac etiam *Area*. Frequentius autem sub Luna consurgit, quam sub Sole, cuius ratio est, quia halitus ille circumfusus feruore Solis faciliter dissipatur. Addunt Philosophi, quòd si hic circulus sit densus, & aliquantulum Subniger, pluuias denotat; si rubeus, ventos; Si candidus Serenitatem. Item si exhalatio addensatur vapor crescit, & signum est pluuiæ. Si ex vna parte dissipatur, ventos designat, si tota simul euanescit, serenitatem indicat.

Vorago, & *Hiatus* in aere apparent, cùm adunati sunt halitus, seu vapores, sic in gyrum distributi, vt in medio sint magis obscuri, & atri, in circumferentia verò magis clari, & albicãtes, nã ex tali dispositione colorum apparet in medio quedã profunditas, sicut experientia constat de antris, & puteis in plana tabula à pictoribus repræsentatis; cuius ratio est quia cùm obscurum minus visum feriat, remotiùs apparet, è contra verò clarum & albificans color, propinquius. Si profunditas in aere apparens ex tali dispositione nubis est parua dicitur *Hiatus*, si magna *Vorago* appellatur.

Solet etiam hic dubitari, vndè proueniat, quòd aliquando existẽte serenitate, videantur inflammationes, interdum audiatur sonitus tamquam tonitrui, vel tubæ, vel fractiones arborum, quandoque sicut voces hominum, vel bestiarũ, & ℞. causam talium sonorum esse collisionem exhalationis cum vapore, quatenus nimirum exhalatio subtilis inclusa in vapore subtili compressa quærit exitum, & violẽta eruptio cum illo sonitu fit.

Dices, *Hiatus*, & *Voragines* interdum apparent nocte existente serena, quando nulla est nubes, vel vapor. ℞. ex Angest. quòd serenitas nõ est totalis priuatio nubium, sed multarum, & magnarum, ideoque cum serenitate potest esse in aere exhalatio. Alias etiam prodigiosas Imagines, ac portentosas in aere referunt Cottunius, Auersa, & Alij, quæ potius opera Diuinæ prouidentiæ fuisse putantur, quàm naturæ.

Vir-

Virgæ dicuntur aliquæ nubes, partes habentes densas, & partes raras, perpendiculariter versus terram penetrantes, & à Sole irradiatæ.

Parelij sunt imagines Solis, & Lunæ in nube expressæ, quæ ad nos traductæ plures Soles, vel Lunæ apparent; Vndè interdum visa est Solis triplicatio per duas ferè horas; vt anno 1622. die 11. Febr. Romæ accidisse fertur, vt autem nubes expressam referat Solis Imaginem situata esse debet non infra Solem versus terram, nec è regione, sed ad latera nempè ad Aquilonem, vel Austrum in conueniente distantia. Debet etiam nubes esse solida, & perspicua versus Solem, & ex alterâ parte opaca, & terminata, vt Solis imaginē in parte anteriori receptam reflectere valeat; Si ergo accidat Solem ex vtroque latere nubes habere in consimili dispositione, & situ, tres Soles apparebunt, vnus realis, & verus in sua sphæra, qui s. in medio existit, alij duo in nubibus vicinis, indè tres Soles sæpiùs visi sunt, vt Historiæ referunt; & Cardanus addit tres Soles vidisse tantæ claritatis, vt difficilè esset verum Solem ab apparentibus discernere, quòd si verum est, prodigiosum est.

DISPVTATIO III.

DE AQVA, ET METEORIS AQVÆ.

Aquæ in multiplici sunt differentia; Quædam de superis veniunt, & dicuntur pluuiales; aliquæ de cauernis terræ prodeunt, & dicuntur fontales, & fluuiales; aliæ terrā diuidunt, & circumdant, & dicuntur marinę. Mare est immensa aquarum congregatio; quæ 3. die mundi creationis facta est, iuxta illud Genes. 1. *Dixit Deus congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida.*

Fuit quorumdam Antiquorum opinio, vt Arist. refert 2. Meteor. cap. 1. & 2. qui dixerunt, mare aliud non esse, quàm sudorem terræ, quatenus terra ità fuit à Sole, & astris calefacta, vt sudorem in magna copia suderit, ex quo mare resultauit, & indè est, quòd aqua maris salsa, sicut sudor est. Opinio magis fabulosa, quàm veritati consentanea. Arist. quia posuit mundum ab æterno, & elementa secundum totum ingenerabilia, & solùm secundum partes corruptibilia, posuit mare etiam ab æterno extitisse cum alijs elementis, quæ sententia est etiam falsa ex dictis. Alij dixerunt terram olim tectam aquis fuisse, sed per calorē Solis, & aliorum corporum paulatim desiccatam esse, vndè mare in vnum locum tan-

tantum apparuit. Hæc etiam sent. falsa est, quia sequeretur aliquando mare totaliter desiccari per cōtinuam actionem solarem. Tum quia per tot sæcula non videtur facta notabilis variatio in maris exiccatione, imò ferè eodem modo semper mare persistit. Veritas igitur est, quòd in principio terra tota aquis operta est, sed Diuino iussu omnes in vnum redactæ fuerunt, & hoc fuit verum initium, & Origo Maris.

Multa sunt maria, seu poti⁹ partes, & membra illius immensæ cōgregationis aquarum, præsertim verò sex .s. Oceanum, Mediterraneum, Pontus Euxinus, Rubrum, Persicum, & Caspium. Oceanum est ipsum elementum aquę vastissimum, quod ex Herculis columnis quasi è portu egrediens, totam terram ambit, ac cingit, ex quo omnia maria apertis, vel occultis vijs Originem ducunt, ità vt secundum q ipsum Oceanum varia littora diuersorū locorum alluit, varia etiā sortitur nomina, dicitur .n. Oceanus, seu Occidus ab Occidente, Orientalis ab Oriente, Australis à Meridie, & Septentrionalis à Septentrione. Post Oceanum, primum locum tenet mare Mediterraneum, quod ab Oceano fluit, & in Meridiem vergit. Indè ad Septentrionē tendit, vndè dicitur Mediterraneū, quia per mediam terram vsque ad Orientem perfunditur, & Asiam, & Africam ab Europa distinguit. Hoc ipsum Mediterraneum diuersis nominibus appellatur iuxta varia littora, ad quæ diffunditur; Dicitur .n. Hibericum, seu Hispanum, Balearicum, Ligusticum, Gallicum, Adriaticum, Siculum, Creticum, Ægypticum, Pamphylium, Siriū, Ægeū, Myrtocon. Sed q̄a hęc nō spectāt ad Philosophos, sed potius ad Cosmographos. Ideoq; ad Philosophiam redeuntes, circa fontes, & fluuios è latebris terræ prodeuntes examinari solēt causę materialis, & efficiens, duo .n. in fontibus, & fluminibus reperiuntur .s. aqua, quę est materia, & motus, seu eruptio supra terram ex subterraneis cauernis. Inquirimus primò de causa materiali, postea de causa efficiente.

DVBIVM PRIMVM.

De Causa materiali aquarum fontium, & fluuiorum.

Variæ extant sentētiæ, sed omnes inadæquatam causam assignant. Prima docet aquas fluuiales ex pluuia tanquam ex materia generari, eò quia in terræ sinu reperiuntur quædam cauitates, & aluei, in quibus hyemis tempore pluuiæ congregantur, vt successiuè postea ex orificijs fontium scaturiant, quæ causa benè sufficiens est, non tamen adæquata; Sufficiens quidem, nam torrentes non nisi ex pluuijs fiunt, imò flumina ipsa magnum ex imbrium copia incremētum accipiunt; non tamen adæquata, nam madefactio terræ ex pluuijs vt plurimum non excedit

decem pedum profunditatem; Si autem quantitas aquæ fluuialis cõsideratur, & continuitas non solùm in hyeme, sed etiam in æstate, impossibile videtur ex pluuia procedere. Tum quia antequam pluuia in Mundo fuisset, iam flumina extabant, vt 1. Gen. habetur. Tum quia vt plurimum fontes ex locis saxosis prosiliunt, quæ pluuiæ peruadere nequeũt, ergo aliunde materia quærenda est.

Secunda opinio est Aris. docentis, fontes oriri ex aere terræ specubus incluso, & in frigore per mutationem substantialem in aquam densato, & quia mõtes sunt cauernosi, indè deducitur fluuios è mõtibus ortum ducere. Hæc causa est etiã sufficiens, quia verè in cauernis subterraneis reperitur aer, aliàs daretur vacuum, & ex frigore ibi existente potest condensari, & in vaporem, ac in aquam guttatim conuerti, quæ deinde collecta fluminibus materiã subministrat; Est tamen adhuc inadæquata, nam reperiuntur adeò ingentes fluuij, tãquã perenniter fluentes, vt vix tanta aquarum generatio, & vniformiter poterit ex aeris materia prouenire.

Quare melior sent. & cõmunior, vt ex Patrib⁹, Conimbricẽses testãtur, est, ꝙ mare per subterraneos terræ cuniculos se intrudẽs, copiosa fluminibus materiam præstet; Et congruentia adest, nisi .n. adesset inter mare, & flumina hæc mutua aquarum communicatio, certè mare nimis excresceret per tantorum fluminũ ingressum. Vndè Conimb. cap. 4. Meteor. docent ab initio Deum in segregatione illa aquarũ partem vnam aquæ per subterraneos meatus distribuisse, partem aliam in cauitate illa terræ, vbi modò reperitur mare collocasse; ideoque ab initio flumina ab illa aqua originem sumpserunt; quòd verbis illis Eccles. 1. manifestè deducitur: *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum vndè exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant*. Omnia igitur flumina à mari originantur, siuè mediatè, quatenus ex mari attrahuntur vapores, qui in pluuiam conuersi torrentes, fontes, ac fluuios adaugent, siuè immediatè cùm in subterraneis specubus se insinuat.

Vrgebis, quando non pluit omnia flumina, & fontes exiccantur, ergo materia eorum est aqua pluuialis, non marina. ant. patet ex 3. Reg. cap. 17. vbi legitur tempore Eliæ propter nimiam siccitatem omnes fontes aruisse, nec alia ibi redditur ratio, nisi quia tribus annis non pluerat super faciem terræ. ℞. quando non pluit, nõn totaliter omnia flumina exiccari, nisi quæ ex aquis pluuialibus ortum ducũt, vel ex aere in vaporem mutato, nec oppositum ibi ex Sacr. Script. colligitur, potest tamen dici, quòd specialis illa siccitas fuit à Deo in pœnam peccati populi Israelitici inflicta, potuit etiam illa exiccatio fontium è mari scaturentium proueni-

uenire propter nimium terræ calorem, & ariditatem, qua mediante non poterant aquæ ad terræ superficiem attrahi, quodlibet .n. contrarium suum refugit oppositum. Tum etiam propter duritiem terræ ex siccitate contacta, quæ constringit, & viam aquis, & exitum præcludit.

Dices, Si Mare præberet materiam fontibus, ergo aquæ fontales, & pluuiales salsæ essent, sicut marinæ, nam cùm salsedo accidat mari ex terrestribus halitibus, sequitur, quòd quo magis aqua in visceribus terræ continetur, eò maiorem salsedinem attrahere deberet. ℞. aquas maris è terra attractas, per illos meatus attenuari, & partes subtiliores à grossioribus deputari, ac consequenter salsedinem illam amittere, salsedo .n. ex adustis exhalationibus terræ prouenit, quæ non in quacumque terræ parte reperiuntur, vt infra dicemus.

DVBIVM SECVNDVM.

De Causa effectiua aquarum fontium.

Circa hoc Dubiũ varij sunt modi dicendi. Quidam affirmant aquam sursum ascendere vsque ad superficiem terræ, propter periculum vacui. Nõ valet, quia vt fit periculum vacui, debet esse aliqua vis corpus trahens contiguum, at in casu nulla vis foras attrahit ex illis cauernis aerem, vel terram aquæ contiguam.

Alij dicunt aquam sursum ascẽdere motu æquilibrationis, aqua enim ex sua natura mouetur ad æqualitatem suæ originis, & æquilibrare principium, & finem, vt patet cùm aqua fontis ex alto loco per fistulas descendens, per alias deinde ascendit ad altitudinem suæ originis, & qa mare altius est terra, & summis montibus, ideoque aqua descendens per cauitates terræ iterum per alias ascendit ad iuga altissima montium. Hic tamen modus dicendi fundatur in illa falsa imaginatione de altitudine maris super terram. Tum quia non explicat vndè postea habet aqua quòd versus mare descendat decurrendo per alueum fluminis.

Alij tamen modi assignãtur probabiliores, licèt nõ in omnibus verificentur. Primò ponitur causa attrahens aquam, ipsamet terra sicca, hæc .n. & omne corpus bibulum superius corpora trahit humidiora, si non sunt nimis densa, vel per vim attractiuam, vel per contactum, experimur .n. quòd dum corpus siccum humida tangit fit humidum, qua parte tangitur quæ pars deinde viciniorem humectat, & sic de cæteris, donec omninò aqua sursum ascendat, quæ terra imbibita cùm sit grauis, & nequeat se sursum contineri, distillat in quosdam meatus, & cauitates prope terræ superficiem, & foras erumpit. Patet etiam experientia, si .n. aliqua panni particula in vas ex vna parte immitteretur, per ascensum ab aqua totaliter madefieret.

Secundò assignatur pro causa

calor Solis, cùm in terra in medio sit veluti spongia aquis imbuta, quę percolatione quadam dulces euaserunt, ardor Solis, & astrorum has aquas attenuando sursum attrahit; & quidem rationabiliter ab Auth. naturæ fuit virtus hæc astris communicata bono vniuersi exigente; sicut, n. in animalibus ab officina sanguinis quæ est in medio corporis, nulla rationis grauitate habita, sanguis dispergitur huc, & illuc sursum, & deorsum per venas ij virtute attractiua, vt omnibus partibus corporis de sufficienti alimento prouideatur, ita terra multis canalibus aqua plenis prædita, tamquam venis, per virtutem Cœlestẽ, quæ se habet, vt gubernatrix horũ inferiorum, nullo respectu habito grauitatis aquæ, sursum attrahitur propter mixtorum conseruationẽ; & præsertim viuentium.

Tertiò, pro causa assignantur vapor, & subterraneus ventus in subterraneis specubus, interdum etiã in cauernis terræ ignis existens; qui omnes valdè aquas agitant intus terram existẽtes, & sursum pellunt; hinc aquę fontium in orificio ebullire videntur, signum illius agitationis à ventis; & confirmari potest ex eo, quia aliquando ex terræmotibus, qui ex vaporibus causantur, noui ingentesque fluuij formantur.

Potest tandem pro causa assignari, & præsertim fluuiorum in planis scaturientium, motus ille æquilibrationis aquæ, mare, n. vt dicemus non est altius terra absolutè, at respectu alicuius partis planæ potest dici altius, vel saltem æquale, ergo esse potest, quòd in terra quidam meatus, & cuniculi reperiantur, in quos se aqua maris intrudat, & deinde per quandam incuruationem per alios meatus sursum emergat ad altitudinem suo principio æqualem, deinde ad partem quandam terræ superficiem se dilatet.

DVBIVM TERTIVM.

An Vapor specie differat ab aqua.

Vapor est halitus quidam subtilis, rarus, humidus, & calidus, sicut in olla feruenti videmus, à qua vi caloris partes aquæ subtiliores per modum fumi ascendunt, quantũ igitur ad punctum difficultatis, Aliqui affirmãt, Alij verò negant specie ab aqua differre, & hęc probabilior existimatur. Patet ex eo, quia vapores herbarum in distillatorio excepti per modũ fumi prius exhalant virtute caloris, deinde frigori cõdensati in superiori parte per modum humoris, & aquæ in alio vase excipiuntur, & tamen vt plurimum ab illis herbis non distinguuntur specie, quod inde colligitur, quia easdẽ retinẽnt proprietates, & virtuales qualitates, ergò multò magis vapores aquei erunt cum aqua eiusdem speciei, quia eodem modo extrahuntur, & statim ad pristinam aquæ formam se reducunt. Tum quia tam facilè vapor extrahitur, tamquam facilè deinde in aquam conuertitur, vt tales mutationes vix substantiales

cre-

credi possint; & licèt rationes in id oppositum aliquam habeant probabilitatem, non sunt tamen admodum conuincentes.

Patet: quia contraria est sententia 1. Meteor. q. 1. § *Dubitatur primò, &c.* sic probat, vaporem esse essentialiter ab aqua distingui. Aris. 2. de gen. 28. probat aerem esse calidum, quia vapor calidus est, ergo magis ad naturam aeris accedit, quàm ad aquam. Tum quia aqua est frigida, densa, & grauis, vapor est calidus, rarus, & leuis; at ex diuersitate affectionum, diuersitatem formarum substantialium dignoscimus, unde sæpe dici solemus, vaporem in aquam conuerti, & è contra; idem autem non conuertitur in seipsum. Sed hæ rationes non conuincunt; & Aris. loc. cit. vt Conimb. aduertunt tract. 1. meteor. cap. 1. arguit à minori ad maius; nam si vapor ex quo proximè generatur aer, est calidus, multò magis aer ipse. Ad rationem dicimus, illa accidentia non ab intrinseco conuenire vapori, sed ab extrinseco vi Syderum, hinc ad pristinam frigiditatem, grauitatem, & densitatem statim se reducere quærit; & propter hanc accidentium variationem aqua dicitur in vaporem conuerti, & è contra, quæ conuersio non est substantialis, sed accidentalis.

Dices, Aris. sec. 23. problem. 39. docet vaporem maris esse calidum, & siccum, ergo non bene asseritur vaporem esse humidum. R. Philos. loqui comparatiuè in ordine ad vapores ex locis paludosis, & stagnantibus extractos, qui multa humiditate abundant. Quòd autem vapor sit humidus, experientia comprobatur, Austro enim flante, qui etiam est valde humidus, & calidus, omnia humida concipimus, & præsertim saxa marmorea; & ratio est, quia vapores tunc circa terram in locis imis, & cauis congregantur, & quia marmora penetrare nequeunt, vt in alijs corporibus porosis faciunt, propterea saxis adhærent, & ex eorum frigiditate condensantur, & in guttas aquæ veluti sudores conuertuntur. Ex his vaporibus fiunt nubes, nebulæ, pluuia, ros, grando, & alia huiusmodi, de quibus omnib. breuiter agemus.

DVBIVM QVARTVM.

De Nube.

NVbes est vapor in secunda aeris regione condensatus, tum à frigore aeris, tum à propria forma substantiali, & maximè syderum actione. Si nubes erit ex vapore subtiliori, & minus humido, facilè in aerem cõuertitur; si verò vapor erit crassior, & humidior, conuertitur in pluuiam; vnde pluuia est nubes in aquam resoluta. Si minutissimis guttis decidit, vocatur imber; si grandioribus guttis, & cum impetu, dicitur simpliciter pluuia. Diuersitas illa guttarum præsertim oritur ex maiori propinquitate, vel distantia nubis cadẽtis, quò n. eleuatior est nubes, eò in minutiores secatur partes, propter aeris diui-

sio-

sionem. Patet experientia, si quis n. situlam effunderet in terram ex humiliori, vel altiori loco, guttæ aquæ essent maiores, vel minores. Dilluuium particulare accidere potest naturaliter ex quodã astrorum peculiari concursu, magnam vaporum copiam attrahentium; Dilluuium autem vniuersale, ex sola Dei ordinatione, licèt n. ab Authore naturæ potuissent corpora Cœlestia tantæ actiuitatis produci, vt in tali aspectu possent vniuersalem inundationem terræ causare, nõ tamen Diuinæ prouidentiæ cõsonum videtur, vt agentia ad vniuersi gubernationem constituta, quomodo sunt corpora Cœlestia, ipsius destructionem, & totalem ruinam moliantur.

De Pluuia tãdem notandum est, quòd quando refertur, lac, & sanguinem aliquando decidisse, hoc non intelligendum est de vero lacte, & sanguine, sed tantùm quò ad colorem, quod contingere potuit, vel quia terra, è qua vapores extracti fuerunt, erat his liquoribus imbuta, vel ex vi Syderum peculiari actione, & varia exhalationum permixtione. Refertur etiam quandoque ferrum, & lapides cecidisse, quod adhuc astrorum influxibus ascribendum est, propter admixtionem terrestrium halituum cum vaporibus, vel vento ex alijs locis in altum elatos, & deinde alibi delatos contingisse. Item quandoque etiam ranas, mures, & pisciculos descendisse, non solùm quia vi turbinis, & ventorum à terra in altum attolli potuerunt, sed etiam quia in nubibus virtute Solis generari possunt, cùm sint animalia ex putri generabilia, & Tandem interdum Carnes, & animalia perfecta decidisse refertur, quòd solùm vel vi Demonum, vel Ventorum accidere potuerunt, non n. possunt Cœlestes influentiæ animalia perfecta generare.

DVBIVM QVINTVM.

De Nebula.

NEbula, seu Caligo ex Arist ot. *est superfluitas nubis in aquam resolutæ; & aquæ infecunda.* A nube differt, quòd nubes in aere existit, caligo verò, seu nebulæ circa terrã insident; in nube n. aliæ partes sunt rariores, aliæ densiores; istæ quia crassiores conuertuntur in aquam; illę propter maiorem subtilitatem deberent conuerti in aerem, à nocti is tamen frigore constrictæ descendunt, & causant caliginem; Si deinde accedente Sole, ascendunt, minantur pluuiam, quia conuertuntur in nubes, si descendunt Signum sunt Serenitatis; nam à Sole dissipantur, sic communiter Arist. explicari solet; non desunt tamen aliqui, qui dicunt nebulas esse partes nubis crassiores. Quod sic intelligendum est, quando vapores extracti sunt grossiores, & grauiores, præsertim in locis aquosis, & paludosis, cùm tunc sint aere grauiores, & terra leuiores circa terram persistunt, donec Sole adueniente, vel ascen-

ascendunt, vel descendunt, si sunt tenuiores, & magis ad naturam vaporis accedentes ascendunt; si sunt grossiores, & magis pluuiæ similes, descendunt. & de ista nebula verificatur propriè, quòd ascensu promittit pluuiam.

DVBIVM SEXTVM.

De Rore.

ROS *est vapor exiguus, & subtilis in infima aeris regione nocturno, sed modico frigore constrictus in aquam.* Dicitur *vapor subtilis*, ad differentiam vaporis crassi, ex quo pluuiæ, nubes, nix, & grando generantur. Dicitur, *in infima aeris regione*, non .n. procul à terra eleuatur, vndè solùm in planis decidit, non in môtibus. Contra Albert. docentem rorem versus supremam aeris regionem generari, si enim ibi fieret, necessarium foret transeundo frigidissimam mediam regionem, in niuem, vel in pluuiam condensari. Dicitur, *modico frigore &c.* Si .n calor excederet, vt in æstate, quia vapor est subtilis, facilè consumaretur; si frigus esset ingens, congelaretur in pruinam, vt dicemus; Vndè sequitur, quòd in vere, & in autumno condensatur ros, quando vapores sunt temperati, in æstate verò tantùm in locis frigidis, & humidis, & cum maiori copia in plenilunio, ob maiorem vaporum copiam. Ex his sequitur rorem esse temperatæ naturæ, quia tali tempore decidit, signumque esse serenitatis, etenim tempore nubiloso non fit ros, quia non vapor subtilis, sed crassus tunc attrahitur, nec ventoso tempore, quia tunc vapor ille dispergitur.

Ex rore multa mixta generantur, vt Mel, si .n. rorifico vapori misceetur halitus quidam terrestris, & subtilis, accedente calore Cœlesti, & speciali quorumdam Syderum influentia, nec non temperato nocturnis frigore, mixtum illud pinguescit, & vt ros refluens, & aliquantulùm viscosos supra flores, & herbas decidit, à quibus quasdam qualitates accipit; hinc referunt mel in sardinia esse amarum, quia apes illud colligunt ex floribus absinthij, sicut etiam in hoc Siciliæ regno experimur de melle educto ab apibus ex floribus castanearum, quod amaritudinem affert, sicut è contra quosdam flores habemus, qui si dentibus premantur, dulces succos distillant. Vnde colligitur apes non efficere, sed colligere mel, vt Arist. docuit 5. de Histor. animal. cap. 22. Requiritur etiam Cœlestis influxus, quia non quocumque tempore colligitur, nam apes post autumnum non amplius mel è florib. seligunt. Conimbr. docent, quòd pars melior in melle sit infima, vtpotè concreta, in oleo summa, vtpotè defecata, in vino media, vtpotè calidior, nam calor vini in parte suprema ab aere læditur, in ima à fæce corrumpitur. Quandoque exhalatio vapori admixta, est valdè sicca, & viscosa; hinc humiditate absũpta instar sacchari pla-

tis adhærescit, & adaustæ apparēt, & rubigo appellatur, & Siculo vocabulo *Risina*, quæ vt plurimum in meridie, & flante austro decidit, & satis fructib. & plantis noxia est.

Manna quoque ex rore fit, similemque habet generationem, ac mel, est .n. vapor, seu succus magis decoctus, quàm mel, ideoque & magis cādidus, q in Syluestribus arboribus, præsertim Orni, & Fraxini in Crasi rouillari Calabriæ regione, & Hieracij in Sicilia colligitur, ad varios medicinæ vsus vtilissima. Ad quod etiam exigitur Cœlestis clima, & specialis terræ proprietas, vndè oritur, vt non in quocumque loco decidat. An autem Manna Hæbreorum alterius fuerit speciei à nostra. Aliqui negant, vt Conimb. Ioan. de S. Thom. M. Iacob. Brun. ex diuersitate figuræ, saporis, & aliorum circumstantiarum; Multi verò affirmant cum Auersa, sed res est parui momenti ad omnes .n. rationes pro vtraq; parte facilis erit solutio.

Inter hæc mixta, quidam numerant saccharum, sed differunt, nam quidam volunt aliud à nostro esse saccharum, è Cœlo fluens, de quo loquitur Plinius lib. 12. cap. 8. Nā hoc in arundinibus à Cœlo diffluit, est candidum, & dentibus friabile vt Sal. Alij verò volunt esse eiusdem rationis cum nostro, sed quidquid sit de hoc, certum est Saccharum nostrum à Cœlo in arundinibus non prouenire, sed arundines ab Incolis plantantur in terra, sicut, & cæteræ plantæ, & post annum conciduntur, ex quibus in Trapetis mel exprimitur, non secus ac ex oliuis oleum, & ex vuis vinum, & dum succus coquitur, mira arte in Saccharum efformatur.

DVBIVM SEPTIMVM.

De Niue.

NIx ex Alberto Mag. *est nubes ab excellenti frigore congelata, dum conuertebatur in aquam*. Generatur frigidissimis anni temporibus, f. in hyeme, & veris initio, & in media aeris regione, vbi frigus maximè viget, & in locis septentrionalibus, & montuosis, qui radijs Solis non multum incalescunt. Nix est siccior pluuia, minus tamen sicca, quàm pruina, quæ à frigore acriori congelatur. Item est mollior aqua congelata, eò quia nubes, ex qua nix generatur subtilior est, & partes aereas admixtas habens, aqua verò, quæ congelatur crassior est, indè magis durescit. Color ipsius est albus, non quidem apparens, vt Aliqui autumabant, sed verus, quia vbique, & ab omnibus semper idē videtur, nec .n. necesse est, vt colores semper à mixtione omnium primarum qualitatum generentur, sed sufficit vt aliquæ interueniant.

Causa materialis huius candoris in niue sunt nubis partes aereæ, raræ, & diaphanæ, susceptiuæ lucis, ratione quarum nix efficitur quasi spuma; quæ autem aerea, & spumosa sunt, alba sunt. Causa effectiua albedinis in niue est frigus, hoc .n. est

.n. est causa candoris, vt patet in adipe, & in hominibus septemtrione habitantibus; habitantes verò sub Zona torrida sunt nigri. animalia, quæ in locis temperatis sunt nigra, in locis frigidis, sunt alba. Vinum rubrum dum acescit, & calorem amittit, aliquãtulum albescit, sicut è contra mustum album ebulliẽdo ad ignem rubescit. Refertur, quòd nix vetustate erubescat, & q̃ in Armenia decidant niues rubeæ: Primum euenit, quia partes aereæ consumuntur. Secundum, quia vapores extrahuntur ex terra rubea. Solùm in hyeme fiunt niues, quia tunc propter frigus intensum non eleuantur vapores grossi, & densi, non sic accidit in pruina, quæ fit, ex materia grossiori, & multò magis in grandine, vt modò dicemus. Paleæ dicuntur niuem conseruare, quatenus leuitate præditæ non cõminuunt niuis compagem, & cùm siccæ sint, tuentur niuem ab humiditate. Item, quòd aqua calefacta citiùs à niue infrigidatur, quàm aqua frigida, non propter symboleitatem niuis cum aqua calida, sed quia rarefacta iam aqua à calore, citius, & facilius hostem admittit.

DVBIVM OCTAVVM.

De Grandine.

GRando *est nubes in pluuiam concreata, quæ antequam ad terram contingat, congelatur*. Dicitur communiter fieri per antiparistasim, quatenus aer ambiens suo calore aquam decidentem cõstringit, quæ vt fortius calori extrinseco resisteret, proprias adunat vires, & frigescit, vt tandem congeletur; vel fit ex intenso frigore aeris ambientis, sic.n. præter natiuum frigus aquæ, accedit frigus extrinsecum, & ex vtroque grando generatur. Nec mirum est, si tam breui spatio pluuia congelatur ait Aristot. 1. Meteor. sum. 4. nam aqua calida facilius glaciatur, calore.n. attenuatur, & rarefit, atque ideo magis ab extrinseco agente patitur.

Sed allatæ causæ non videntur sufficientes, nam primò calor ambientis aeris per antiparistasim nõ potest esse causa istius congelationis, quia aqua etiam niue frigefacta si in loco calido poneretur, sicut est aer ambiens, vel Soli exponeretur, nec breui, nec longo tempore congelabitur. Tum quia aqua ex se non potest intendere frigus vltra proprias vires, nec per antiparistasim fit maior qualitas intensiuè, sed solùm, quæ dispersa erat adunatur, & vnitur ex dictis in lib. de Gener. ergo si frigiditas naturalis aquæ non est sufficiens ad congelationem, neque cum à contrario calore circumdatur, esse potest causa congelationis. Tum quia in æstate semper aer est calidus, & magis quàm in vere, & in autumno, ac cõsequenter pluuia magis in æstate, & semper in grandinem cõgelari deberet. Nec grando effici poterit ex frigore ambientis aeris, nam hoc remissius est in æstate, quàm in hyeme, & tamen in hye-

me nunquam, vel rarò grandines generantur. Potius tamen pro causa assignari deberet frigus ambiēs, quàm calor, experimur .n. grandinem antequam cadat, ventos frigidos præcedere, & aquam non nisi ex intenso frigore congelari in hyeme.

Meliùs igitur respondendum est, quòd congelationis pluuiæ in grādinem, duplex causa assignari potest, materialis .s. & efficiens; Materialis est vapor aqueus ex natura sua frigidus, & humidus, sed cum aliqua admixtione terrestrium halituum, qui valde ad soliditatem, & duritiem corporum conferunt, hinc videmus niuem sale aspersam congelari, quia Sal propter siccitatem ad congelationem confert, halitus igitur huiusmodi conuertuntur in quemdam humorem, & siccum, qui se habet veluti coagulum, & gluten; & hoc euidenter deducitur ex eo, quia ferè semper cum grandine fulgura, & tonitrua eueniunt, quæ ex terrestri exhalatione coalescunt; & quia in hieme terrestres halitus non ità frequenter extrahuntur, proptereà non sæpè grādo cōtingit, sed pluuia, vel nix.

Causa efficiens est frigus extrinsecum ambientis; & quia in æstate non ità sæpè vēti frigidi eueniunt, vt in vere, & autumno, hac ratione frequentiùs grandines in fine veris fiunt, & in autumno. quàm in feruenti æstate; cui etiam influxus Cœlestis accedere potest, sicut .n. hic ventos illos frigidos excitat, sic etiam asserere possumus ipsum in pluuiam cadentem frigus intendere, & congelationem causare.

Grando generatur tum media aeris regione, tum in infima, indè videntur in grandine palliculæ, & paleæ, quæ propè terram attolluntur. Si aqua congelatur, statim ac nubes in pluuiā conuersa fuit, tunc quia partes aquæ grandiores sunt, & non ità dispersæ, grandines quoque grossiores fiunt; si verò aqua congelatur postquam in minutissimas particulas discreta fuit, grandines erunt minores, quamuis etiā propè terram congelati fuerint. Potest etiam contingere, vt Arist. docet loc. cit. quòd grandines in altiori loco generentur, & in maiori mole, sed motu, & aqua ambiente minuantur, & ad terram veluti exiguam coriandrum decidant.

Quando grando est parua, figuram habet rotundam, sicut eamdē habet gutta aquæ, quando verò est prægrandis, multos angulos continet, & aspera est, sicut pars illa aquæ, cùm sit maior, non necessariò habet talem figuram, & quandoq; etiam plures grandines simul conglutinatæ decidunt, & vna intra aliam, quod inde prouenit, quia postquam sunt congelatæ, aquis circūdantur, quæ etiā glacescunt, & in vnam maioris molis coeunt. Quando autem congelatio contingit circa niuem, quę in minuta grana condensatur, dicitur granedula.

DVBIVM NONVM.

De Glacie.

GLacies est aqua, vt aliquid habet de terrestri, & denso, congelata. Grandini similis est, & solùm differt, quòd grando dicitur aqua cõgelata in aere, glacies verò fit in stagnis, paludibus, fluuijs, ac etiam in mari secũdum communem sent. Vndè Aliqui Recentiores referunt reperiri sub polo mare glaciatum, licèt Alij dicant, hoc contingere propter magnam aquę fluuialis copiam. Cõgelatur igitur aqua propter nimium frigoris excessum, neque hoc sufficit, aliàs quia aqua naturaliter est summè frigida, congelatio esset illi connaturalis, quod falsum est, quia expostulat esse fluidã. Causa eius materialis est aqua, commixta terrestri exhalatione, vt de grandine diximus, requiritur etiam aliquid caloris decoquẽs humidum, cum admixtione aeris, vel humidi aerei, qua ratione, licèt sit aqua densior, aquæ tamen supernatat. Causa efficiens est intensum frigus aeris ambiens, & vniens partes in vnum, proprium .n. est frigidi condensare. Si glacies nimium frigore durescit, Chrystallus fit, nihil .n. aliud Crystallus est, quàm glacies obdurata, & concreta in lapidem candidum, & perlucidum; Si verò magis in Chrystallo glacies obdurescit, fit Beryllus, Gemma subuiridis, & perlucida, & tantæ duritiæ, vt potius igne comburatur, quam liquefiat.

Multa sunt signa futuræ pluuiæ, sed hæc præsertim teferũtur. 1. Iris apparens sereno Cœlo. 2. Calor extraordinarius per diem. 3. Coruscatio ab aquilone, tantùm nocte serena existente. 4. Coruscationes frequentes vespertinæ. 5. Formicę, & vermes in altitudine è terra exeuntes. 6. Gallus paulò post Occasum Solis cantans. 7. Luna pallida, vel nigra, vndè carmen: *Luna rubens ventat, pallida pluit, alba serenat.* 8. Montes circumdati nubibus crassis, & densis. 9. Musciæ, & pulices mordaciores. 10. Sol cum circulo nigro, vel rubeo, vel nubibus nigris, aut viridibus circumdatus. Addunt Conimb. 7. Meteor. cap. 3. magis bruta ventos, imbres, & tempestates præsentire, quàm homines, cuius ratio est, quia cùm solis sensuum functionibus operẽtur, magis per sensum Cœlestes influxus, & aeris qualitatem, quibus sentiunt, alterantur, quàm homines longa experiẽtia hoc deducãt.

DVBIVM DECIMVM.

De Salsedine Maris.

EGimus in communi de Meteoris ab aquis producentibus, siuè marinis, siuè pluuialibus, modò aliqua in particulari de vtrisque agemus, & primò de marinis, de quibus præsertim duo inuestigantur, s. salsedo, & motus. *Salsedo Maris est qualitas mixta, proximè causata per admixtionem sicci adusti inconcocti cum humido, cui etiam eadem ratione competit amaritudo.* Non est intrinseca mari, nam salsedo non est pri-

ma qualitas, sed cõmixtio ex primis, ergo non potest esse connaturalis elemento aquæ, & mari, elementis enim solùm connaturaliter sunt debitæ primæ qualitates. Probatur etiam hoc varijs experiẽtijs, si .n. colatur aqua maris per arenã, dulcis euadit, si etiam vas cereum bene occlusum immergitur in mari, per poros ceræ, percolatur aqua, & dulcis excipitur. Item euellerib. appensis ad malos, & antennas nauiũ aqua dulcis exprimitur, quod ex vaporibus à mari ascendentibus procedit. Insuper si olla aquis marinis plena igni opponeretur, & vapores fumantes exciperentur spõgia, compressi dulces experiuntur, & tandẽ hoc de pluuia patet, cuius materia sunt vapores, qui magna ex parte è mari excipiuntur, ergo asserendum est salsedinẽ aquæ marinæ ab extrinseco competere, & esse quoddam aduentitium, crassius, & corpolentius, partes .n. extractæ subtiliores sunt, quæ verò remanent sunt grossiores, ideoque illæ sunt dulces, istæ salsæ, & amaræ; hinc aquæ maris propter salsedinẽ grossiores sunt, quã fluuiales.

Quantum ad causam huius salsedinis, ab aliquibus assignatur cõtinua Solis actio aquas maris exiccans, & adurens. Non placet, nam eadem ratione lacus, paludes, & flumina suam etiam salsedinem, & & amarorem haberent, cùm radijs Solis exposita sint, nec continuus motus fluminum impediret, nam etiam mare cõtinuò velociori motu mouetur. Tum quia etiam Sol extrahit è Lacubus, & fluuijs vapores, non obstante motu, ergo etiam salsedinem causare deberet. Vndè potius dicendem est, causam salsedinis in mari esse multas terreas exhalationes siccas, & adustas; sed per modum cuiusdam liquoris, seu salis liquefacti cum aquis permixtas; ità Arist. 2. Meteor. cap. 3. q multis exemplis probat, vt de sudore, lixiuio, Vrina &c. quæ omnia habent permixtum quid à calore desiccatum, adustum, & non decoctum. Tum quia experimur ab aquis marinis virtute Solis extrahi sal, qui est materia sicca, & adusta. Vndè autem in mari tam magna harum exhalationum copia proueniat, alia ratio reddi nequit, nisi quia subtus magnæ sunt salis mineræ ab Authore naturæ ibi positæ propter bonũ Vniuersi, & quidem multis de causis .s. pro piscib. vt salubres sint; ne aqua putrescat; item propter nauigationem, nam aqua salsedine fit densior, & ità ad naues ferendas aptior. Concurrit etiam satis Solis actio ad maris salsedinem, qua ratione aqua maris in fundo dulcior experitur, quàm in parte superiori. Item multi lacus, & fontes salsi repetiũtur, quod prouenit, quia terræ, per quas diffluunt his dispositionibus, & mineris sunt prædita, imò quælibet aqua hanc materiam admixtam videtur habere, licèt secundum magis, & minus, quælibet .n. aqua ignis sæpius calefacta, saporem salsum cõtra-

trahit, & fuit doctrina Arist. sect. 24. problem. 18. & licèt antea illã salsedinem non sentiamus, hoc oritur propter exiguam exhalationum copiam, & excedentem aquei humoris quantitatem; Vndè etiam aqua maris in diuersis locis est magis, vel minus salsa. Nec irrationabiliter ad naturæ Authorem recurrimus, vt .n. bene adnotat Ioann. de S. Thom. tract. 7. de Meteor. c. 2. quando vna qualitas ab extrinseco conuenit toti elemento, non videtur aliqua causa creata assignari posse, sed Diuinæ Prouidentię tribuendum est, ob finem aliquẽ vniuersalem, sicut dicimus de segregatione facta in principio aquę a terra, estò aquæ naturaliter conueniat totam terram contegere.

DVBIVM VNDECIMVM.

De Fluxu, & Refluxu Maris.

MAre moueri patet ad sensum, vndè communiter dicitur elementum mobile. Quomodo autem fluat, & refluat, inuestiganda est causa, quæ reuera difficilis est. Notamus pro faciliori captu, duplicem esse motum maris; vnus dicitur quotidianus, qui quotidie causatur agitatione ventorum, de quo non loquimur in præsenti, Secundum .n. quòd ventus flat, ità & mare mouetur; alter dicitur motus naturalis, & hic duplex est, vnus ab Oriente in Occasum, sicut experti sunt maria Indiæ nauigantes, dum .n. ex Hispania ad Indiam proficiscuntur, mense vno iter cõplent, cùm verò ex Indijs reuertũt, tres ferè menses in itinere impendunt, quod prouenire, asserunt propter aquarum molem in contrariam partem versus Occasum nitentem. Addunt, quòd versus Occasum ex Hispanijs semper idem regulariter quidam flat ventus, imò non esse verum ventum Aliqui affirmant, sed aerem concitatum; Causa autẽ huius motus putatur esse Cœlum, quod ab Ortu ad Occasum, diurna, & perpetua vertigine circumuoluitur, ac consequenter aerem, & aquas in eamdem partem rapit. Alter motus naturalis est à septemtrione in Meridiem, fluit .n. naturali impetu, & pondere versus austrum; cuius rationem duplicem assignat Arist. 2. Meteor. cap. 1. prima est, quia versus Septemtrionẽ ingentia flumina in mari fluunt, ideoque quotidie aqua notabiliter augetur; & hac de causa in alia maria decurrit. Secunda est, quia Mare Septemtrionale altius est, quàm sit meridionale, cùm ergo aqua sit grauis semper nata est moueri ad locum decliuiorem, vt æqualiter circa centrum consistat.

Reperitur etiã alius motus particularis in quibusdam finibus, vbi mare mouetur circulariter, dum .n. ex orientali littore mouetur ad occidentale, quia ibi impingit, nec vlterius progredi potest reuertere cogitur, & sinuosa quadam inflexione ad Ortum reuertitur, ità in Mari Adriatico euenire notauit Contar. lib. 2. de Elementis. Vbi

mare à littore Dalmatiæ, ad littus Italiæ pergit, sed deinde flectit versus Apuliam ad Ortum Solis; & idē ad littoria Hispaniæ, & Africæ accidit, alijsque locis. Causa huius motus ab aliquibus assignatur Cœlum, quatenus suo motu diurno, mare rapiat peculiari quadam influentia astrorum, præsertim Solis, & Lunæ. Aliqui verò pro causa assignant, quòd cùm mare in illis locis duobus brachijs sit inclusum, dū ad Occasum pergit, impeditur eius cursus, ac proindè in girum circūuoluitur.

Tertius motus dicitur fluxus, & refluxus, de quo multæ sunt opiniones, sed his relictis, verior sent. censetur illa D. Tho. opusc. 14. Scoti in 2. sent. d. 14. q. 3. & Aliorum .s. fluxus, & refluxus maris causari à Luna, & hoc deducit Scot. quia Luna humidis præest, vndè conchilia, & humores in corpore augentur, & minuuntur iuxta varias coniūctiones, & lunares oppositiones. Verum est tamen, quòd Sol etiam concurrit, nam iuxta diuersum aspectum Lunæ ad Solem, variè fit æstus, maior .n. æstus contingit, dū Luna est in oppositione, vel coniūctione cum Sole, vt in plenilunio, quàm in quadraturis medijs, ergo cùm æstus sit efferuescentia, seu calidus effectus, sequitur, vt non possit solùm oriri à Luna, Planeta humido, & frigido, nam frigus nec motum, nec feruorem causare potest, hinc in partibus septentrionalibus, vbi frigus viget, referunt Aliqui mare non moueri, sed pigrum gelascere.

Fuit quidam modus dicendi apud Antiquos, quem sequuntur Contar. Auersa, & Alij, quòd Luna hunc æstum causant per rarefactionem, & condensationem; Cùm Luna aquam rarefacit, tūc mare fluit, cùm condensat refluit. Non placet, licèt .n. verum sit, hoc modo Lunā aquam alterare, imò, & per verum augmentum, & decrementum possit hunc æstum causare, nam in hyeme, & nouilunio maior fit æstus, q̄a plus de aqua generatur, non videtur tamen sufficiens ad tam æstum magnum causandum, vt in aliquibus partibus accidere solet.

Melius igitur dicendum est cum Scot. & Alijs, quòd præter augmentum aquæ per nouam generationem, & rarefactionem, causetur æstus à Luna per motum localem, & ità explicatur. Super quamcumque regionem eleuatur Luna, aqua maris directè ascendit tanquam versus causam, ità vt ait Scot. aqua maris in illo loco directè supposito centro Lunæ fit altior, quàm in quocumque alio loco, quia habetur per lineam ductam à centro terræ ad Orbem Lunę, qui locus est eminētior, & vocatur tumor aquæ, hic autē tumor fuit per attractionem quamdam à Luna, sicut magnes trahit ferrum, & quia in illo accurrunt aquæ ex alijs partibus, ideò in illis fit fluxus, quando postea ab isto loco Luna recedit, etiā tumor cessat hic, & fit in alio loco

suppo-

ſuppoſito Lunæ, & tunc contingit refluxus, & ità admittimus aquam non manere æquilibratam circa centrum, neq; hoc eſt inconueniēs; cùm ſolùm ſit ab extrinſeco, non ab aquæ natura, ſicut ferrum attractum à magnete, in aere ſuſpenſum manet. Nec aſſerimus cum alijs, mare in littoribus creſcere, in medio verò eſſe concauum, ſed tam in medio, quàm in littore tumeſcere in illa quadratura, in alia verò decreſcere. Alij expeditius hoc referunt ad occultas virtutes Planetæ, in diuerſos producunt effectus, iuxta diuerſitatem aſpectuum, & domorum, in quibus reperiuntur.

Fluxus igitur iſte quadruplex eſt ſecundum communem ambitum, & circuitum, quo à Sole mare fouetur, & illuminatur, vndè debent conſtitui quatuor puncta cardinalia. Primum in Ortu, vſq; ad Meridiem; Secundum in cuſpide Cœli, hoc eſt à Meridie vſque ad Occaſum; Tertium ab Occaſu vſque ad angulum terræ, ſeu vſq; ad punctum mediæ noctis; Quartum à puncto mediæ noctis vſq; ad pūctum Orizontis Orientalis; Ità ergò fit fluxus, & refluxus, dum enim Luna à primo pūcto vſq; ad ſecundū pergit, aquæ creſcunt in littore, vt maniſeſtè patet. A cuſpide Cœli vſque ad punctum Occaſus, aquæ decreſcunt, & nobis deficiunt; ità dicas de duobus alis punctis. verum eſt tamen, q; in Oceano, & aliquando etiam in noſtris maribus variatur hic ordo, quia nō per ſex horas conſumitur fluxus, & refluxus, ſed alibi plures, vel pauciores, & fluxus, & refluxus ſunt maiores, vel minores. Hinc addendum, quòd multa alia ad fluxum, & refluxum concurrunt, nempè ſitus maris, depreſſio, vel altitudo littorū, & fundi maris, concurſus; & aſpectus aliorum Syderum, venti ſoliti magis in vna parte, & regione perflare, quā in alia; quæ omnia nō ſolū iuuant, ſed etiam ſunt in cauſa, quòd æſtus, vel vna vice tantùm fiat in die, vel quòd tardius fiat fluxus, quàm refluxus, vel è contra. Quandoque etiā mare aliquod non fluit, quia taliter poteſt aqua illa eſſe diſpoſita, vt non ſit apta ad recipiendum impreſſionem Lunæ, non n. quodlibet agit in quodlibet. Itē aliquando non bis, ſed pluries in die fit fluxus, & refluxus, præſertim in locis cauernoſis, & Inſulis planis, vbi Mare multipliciter frāgitur, & redundat, vndè plurimos vertices cauſat ex tam varia agitatione, & hæc reddi poteſt pro cauſa cur Euripus, ſeu fretū inter Aulidem, & Eubœam Inſulam ſepties in die fluat, & refluat, in quo fretum Vulgo dicitur Ariſtotilē ſe proiecisse; volens n. huius rei cauſā examinare, cùm plurimū in caſſum laboraſſet, in mare tandē ſe proiecit, dicens: *Non potui Euripū capere, Euripus me capiat*, & hæc ſufficiant pro rudi quadam, & in vniuerſali de hoc æſtu notitia, res n. de qua hic agitur, occulta, & difficillima eſt; nam pro ſtatu iſto, in quo intelle-

ctus

mos, & Cosmographos, ad quos Lectorem remittimus; Quarta spectat ad Philosophos, quæ in ordine ad viuentium explicari solet, & quæri potest, quando hæc diuisio facta fuit, & primò de Montibus, quorum originem quidam Cœlorum influxibus ascribunt, quidam aquis dilluuij, alij ventis, & terremotibus.

At potius dicẽdum est cum communi, Montes ante dilluuium extitisse, quia non est verisimile, per tot sæcula dilluuio præcedentia, terram sine montibus fuisse, ità Conimb. Amic. Auersa cum alijs. & quidem rationabiliter, Montes .n. valdè conferunt, tum ad ornatum, tum ad viuentium commoditatem, Montes .n. sunt, qui præcipua flumina causant aquarum, & ventorum vim coercent, & in ipsis mineralia generantur; & colligitur manifestè ex Psal. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis*. & Prou. 8. *Nec dum montes graui mole constiterant, & ante omnes colles ego parturiebar*. & Gen. 8. legitur arcam post dilluuium quieuisse super Montes Armeniæ; & licèt D. Basil. 4. Exam. & Eusebius in Psal. 103. velint fuisse simul cum terra & eadem die creatos, super illa verba Psalm. super montes stabunt aquæ; Alij tamen cum D. Damasceno, & rectius asserunt terram ab initio fuisse perfectè sphæricam sub aquis, quia verisimile est tunc Deũ creasse elemẽta in statu connaturali, deinde tertia die, quando aquas à terra segregauit, illas in locum vnum reducendo, tunc cauernas, & valles effodiendo, in quibus nunc aquæ existunt, terram quam ibi abstulit, in vnum latus, Angelorum ministerio aggerasse, ex qua formati sunt montes. Nec Psalm. author. vrget, ibi enim per montes, terrestris globus intelligitur, qui in medio Vniuersi, vt mõs apparet.

Non potest tamen negari, aliquos mõtes fuisse de nouo erectos, possunt .n. aquæ montes producere, nam torrentes primò terram mollem ducunt, deinde duriorem rapiunt, postea saxa quoque deuoluunt, vnde paucis annis planitiem terræ excauant, atque ità ingens eminentia resultans, mons appellatur, & ima loca valles.

Venti etiam aliquando montes efficiunt, vt cùm arenas vehementer mouent, & agitant, quæ arenæ aquis cocrescentes, in montem assurgunt, quomodo plures in Mauritania extitisse mõtes Aliqui referunt, potest etiam hoc industria hominum euenire, vndè tempore caroli V. in Syria iuxta Tripolim mons ageratus fuit.

Quantum ad Insulas, quamuis tota terra dici posset Insula, quatenus tota circumdata est aquis, propriè tamen Insulæ dicuntur partes quædam terræ à continenti auulsę, & aquis circumseptæ; quarum aliquę probabiliter progressu temporis etiam post dilluuium, casu aliquo fieri .s. terremotu, inundatione, vel arte, ità vt vbi prius erant

peninsulę, idest ex aliqua parte coniunctæ continenti, & deinde separatæ, Insulæ euaserint, sicut aliquæ, quę priùs segregatæ erant, postea vnitæ visæ sunt, vt Plin. refert lib. 2. cap. 89. attamen vniuersaliter in initio à Deo factæ fuerunt in illa aquarum segregatione, quatenus Deus Benedictus cauitates illas nō vbique æquales effodit, sed montes, rupes, valles, & planities in illa intercapedine confecit, qua ratione fundum maris valde inæquale est; Refertur etiam quasdam Insulas de nouo in mari surrexisse, quod vtique contingere potuit vi cuiusdam terremotus, vt infra dicemus. Cæterùm de illis Insulis, quæ fluitare, & enatare in mari conspiciūtur, causam esse, quia fundatæ esse possunt in terra spongiosa, & in arborum ingentibus radicibus, qua ratione sunt à fundo auulsæ, & ad maris, ac ventorum impetus aliqualiter commouentur, vt de Insula Deli refertur, nisi hæc ratio fabulosa sit, vt Lancellott. putauit. Farfal. 32.

Quò tandem ad planitiem, seu superficiem, putat Blanc. superficiem terræ licèt mōtibus asperam, in dies iam à Mundi exordio paulatim reduci ad perfectam sphæricitatem, montesque paulatim, deficere, ità quòd aliquando naturaliter necesse futurum sit, terram à mari inundari, & inhabitabilem reddi, nisi dies Iudicij præueniret. Quæ doctrina quāmuis in aliqua speciali parte possit esse vera, vniuersaliter tamen intellecta de tota terra, non placet. Ratio est, quia montes non solùm possunt de nouo fieri, sed qui existunt, possunt in eadem mole cōseruari, imò & crescere, causæ n. assignatæ nunquam deficient, nam semper possunt aquæ terram excauare, & venti arenas conglobare, quæ per accessum in saxa conuerti possunt. Item & arbores, quibus plærique abundāt, vel vi ventorum, vel turbinis extractæ, aut tempore iam senescentes corruunt, & putrescentes conuertuntur in terram, & quibusdam locis lapidescunt, & montibus addūtur; & tandem experiētia id docet, per tot.n annorum Sæcula nec quidem vnus mons ferè defecit, quibusdam collibus exceptis.

DVBIVM PRIMVM.

An Terra sit altior Mari.

D. Thom. 1. p. qu. 69. artic. 1. affirmat terram esse aqua depressiorem; quem sequū tur Ban. Zumel. Canus, Ioan. de S. Thom. Arriaga, & Alij, afferentes etiam pro hac sent. aliquos PP. Scot. verò docet oppositum, terram saltem quò ad aliquas partes esse aqua altiorem. Et sequuntur Conimbr. Ruu. Suar. Molin. Amic. Hurt. Auersa, Vulpes, Mastr. & Bell. plures etiam PP. pro ipsis Citantes.

Conclusio.

Dicimus, terram secundum planitiem non esse aqua depressiorem, sed ad summum æqualem, secundum montes verò esse altiorem. ità ex Scoto colligitur

in 2.

in 2. d. 17. q. 2. vbi asserit, aquas dilluuij miraculosè ascendisse in Montes ad punitionem peccatorum, non naturaliter, ergo supposuit Montes esse altiores aqua, & colligitur ex Sacr. Script. Psal. 23. vbi loquens de orbe terrarum ait. *Ipse super maria fundauit eum.* & Psal. 32. *Congregans sicut in vtre aquas maris*. ad designandam cauitatem, & inter capedinem maris in terra, & Iob. 38. *Quis conclusit ostijs mare &c. circumdedi illum terminis meis, & posui vectem, & Ostia,* vectes autem, & perticæ non ponuntur sub aqua, ad ipsa reculendam, & retinendam, sed potius supra, cùm .n. sit fluida, & permeabilis, ad nihil vectes conducerent.

Pr. ratione: Aqua ex propria natura tendit deorsum, & æqualiter secundum omnes partes quærit à centro distare, ergo si secundum aliquam partem aqua esset altior terra, supra terram se diffundere debebit; illamque operire, quod falsum est. Respondent Aliqui, aquam sursum detineri à Deo propter bonum Vniuersi; nec ob id violenter quiescit, quia hæc detentio est conformis inclinationi naturæ vniuersalis, quæ magis intendit bonum commune, quàm particulare. Non placet, quia sic continuũ miraculum absque necessitate admitteretur, cùm Deus potuisset alio medio consequi suum finem. Videretur etiam esse contra D. Aug. 7. de Ciuit. Dei c. 10. vbi ait. *Sic Deum adminestrare omnia, quæ creauit, vt suos motus agere sinat*. Nec in sentent. Arist. hæc responsio locum habet asserentis, Deum agere cum causis secundis iuxta proprias naturas. Nec tandem saluat propriam naturalitatem, licèt .n. hæc quies esset iuxta naturam vniuersalem, verè tamen violenter quiesceret, vt diximus in physica.

Arriag. resp. proprium aquæ esse grauiter recta linea ad centrum grauitare, non ad latera, ideoque estò esset in modum globi, non diffunditur tamen per latera, quod in poculo patet, in quo aqua eleuatior est in medio, quàm versus latera. Alij addunt connaturale esse aquæ sphæricè conglobari, vt patet in guttis aquæ, vel in puluere profusis, vel è tegulis imminentib. & hęc est causa cur non diffunditur ad terram cooperiendam. Non satisfacit, & ratio est, quia non tantũ propriũ est grauium ad cętrũ tendere directè, sed etiã secundum omnes partes æqualiter à centro distare, quod commune est omnibus fluidis. Tum quia sic possemus dicere omnem aquam alicuius laci, vel paludis posse in vnum quasi aceruum conglobari, sine eo, quòd ad latera decurrat, quia linea recta ad centrum tendit, quod tamen fallum est, nam experimur, quo plus aquam augeri, eò magis ad latera profundi, & expendi; Nec exẽpla adducta sunt ad propositum, cùm .n. aqua est in exigua quantitate, potest vtique conglobari; vel ad contrarium fugiendum, vt in

puluere; vel hic partes illæ discontinuentur, vt in guttis è tegulis pēdentibus videtur, at quando magna est aquarum copia, tunc per totum dilabitur, & æqualiter à cētro distare quærit. Respondent Aliqui, aquam sursum detineri, quia coercetur siccitate terræ, & arenæ. Non placet, nam tandem progressu temporis hæc siccitas superaretur à tam ingenti aquarum humiditate, & ità successiuè tota ab aqua contegi deberet.

Confirmatur Conclusio experiētijs. Si .n. aqua esset altior terra, hoc maximè esset in Oceano, & tamen ibi multæ eleuatę Insulæ super aquas cernūntur, ergo vniuersaliter terra est altior mari. Item flumina per imas valles, & naturali motu ad mare decurrunt, & multa ad mare intrant etiā per spatiū 40. milliarium, at si mare esset altius terra, non descenderent aquæ, sed ascenderent. Item Naues cæteris paribus non velocius ad terram perueniunt, quàm è terra discedāt, quòd si aqua altior esset quocumq; monte, difficillimè naues ad illum locum accederent, & facillimè recederent; & quia maior hæc aquæ altitudo, non esset exigua, sed valdè excedens, quia omnium montium altitudinem superaret, non causaret differentiam penè insensibilem, vt Thomistæ autumant, sed satis sensibilem; Vndè Ioann. de S. Thom. concessit tandem, aquam depressiorem esse altissimis montibus, & idem quoque de alijs terræ partibus asseruisset, si non fuisset authóritas D. Thom. in contrarium. Fatemur igitur aquā & terràm ferè æquales dici in altitudine, & potius excessus erit in terra, quàm in aqua, saltem vt plurimum, cæterùm nō negamus posse aliquam terræ partem inueniri, quæ sit aqua depressior, & per quādam arginem, vel naturalem, vel artificialem aqua contineatur, ne terram illam obruat; at quia in montibus terra altior est, ideò absolutè eleuatior dici debet.

Obiectiones.

Plura Sacræ Script. loca obijciūtur; quibus videtur mare altius esse terra, præsertim psal. 68 *veni in altitudinem maris*, & Luc. 2. *Duc in altum rete*. Item psal. 103. *super montes stabunt aquæ*, & infra *terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram*. & multa alia consimilia ℞. communiter per altitudinem, vel intelligitur profunditas maris iuxta figuram grāmaticalem, vel pro recessu; non vtrique à centro, sed à littore, ad *ly stabant*, resp. cum Ruuio, quòd accipi debet pro stabant ibi, .n. Psalmista loquitur de primæua constitutione elementorum, quando aqua terram cooperiebat, hinc sequitur, *ab increpatione tua fugient*, nempè à iussu Diuino, cùm ait, *congregentur aquæ in locum unum*. Alia authoritates explicari solent de foueis, & ex cauitatibus à Deo factis in quib. aquas reclusit, itàut terra siue arena sit terminus aquarum.

Ob.

Ob. In Littore existentes, videmus mare velut in globum assurgere, sed in alto mari existẽtes, solùm videmus cacumina montium, non terræ planitiem; ergo &c. ℞. iam concedimus partes aliquas terræ esse mari humiliores, sicut legitur de mari rubro, teste Basilio, quod etiã in Zelandia Ioann. de S. Thom. experiri testatur; non ob hoc tamen conclusio vniuersalis deduci debet. Apparentia illa diuersa, quæ à nobis in littore conspicitur, vel in alto mari morantibus, non minus nos, quàm Aduersarios vrget, nam si à littore recedimus iter inter terram gradiẽtes, quæ plana sit, paulatim mare absconditur, & solùm aliqua pars à littore aliqualiter distans cernitur, donec totum omnino disparcat, quod euenire non deberet, si mare esset altius terra. Tum quia dum sumus in alto mari, montes aliquos videmus, & non littora, ergo littus maris non est altius terra. Tum quia cùm mõtem aliquem ascendimus, inferiorem planitiem, & littora distinctè conspicimus, quod non euenit cum in alto mari existimus, quare huius diuersitatis causa aliunde petenda est .i. ex terræ, & aquæ gybbositate, & rotunditate, quo argumento Ioann. de Sacrobosco probat globum terrestrem esse sphæricum. Conimb. addunt, ideò nauigantibus terram depressiorem apparere, quia sensus decipitur, terra .n. comparatione aquæ atra esse videtur, qui color iuxta candidiorem positus profundior, & depressior apparet, quam ob causam pictores atro colore depingũt valles, vel alterius rei profunditatem, circumposito clariori.

Dices, naturale est aquæ supra terram existere, cùm sit leuior, ergo &c. ℞. admittimus naturalissimum esse aquæ super terram existere, & tunc super terram extolli, at non super terram, vbi mare non est, sed ab animalibus habitatur.

DVBIVM SECVNDVM.

An globus iste ex terra, & aqua formatus circulariter moueatur.

PVtarunt Pythagorici apud Saxonium, & Simplicium, Cœlũ immobile esse, terram verò circulariter moueri circa Cęlum, ab Occasu in Ortum spatio 24. horarum, seu motu diurno, quam opinionem deinde suscitauit de tenebris Nicolaus Copernicus, Item & Gulielmus Gilbertus lib. 6. de magnete, & nuper latè defendit Galilæus in suo opere, Italicè inscripto: *Dialogo di Galileo Galilei*. & hac ratione ait, Astra licèt immobilia, circulariter tamen ab Ortu in occasum moueri apparẽt spatio 24. horarũ, sicut existentibus in naui, littus, arbores, & similia moueri cernũtur. Andræas verò Cæsalpinus libr. 3. Peripat. 99. q. 4. tribuit motum diurnum Cœlestibus sphæris, terræ autem concessit motum illum tardissimum ab Ortu in Occasum, quẽ aduertit Ptholomeus in octaua sphæra ab Occasu in Ortum.

Con-

Conclusio.

Dicimus globum istum terrestrem, neque motu diurno, neque motu illo tardissimo moueri ab Occasu in Ortum, sed immobiliter in medio Vniuersi consistere. Est ad mentem Scoti in 2. d. 14. q. 2. & communis apud Theologos, Philosophos, & Mathematicos. Pr. prima pars, quòd s. non moueatur motu diurno: 1. author. Sacræ Script. quæ pluribus in locis terræ tribuit immobilitatem, Cœlis verò, & Astris mobilitatem. 1. Paralip. 16. *fundauit orbem immobilem*, & psalm. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in Sæculum Sæculi*. Iosue 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis*. Eccles. 1. *Terra in Æternum stat; oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem lustrans vniuersa*, & 4. Reg. 20. legitur, *Solem retrocisse decem gradibus*, qui motus non terræ, sed Soli tribuitur. Et idem habetur Isa. 38. & alibi. Quibus mota Sacra Congregatio Cardinal. ad Indicem librorum deputata sub Paulo V. peculiari decreto ædito die 5. Martij anno 1616. oppositam opinionem damnauit, & reiecit, & hoc sufficeret pro nostra sent. magis. n. standum est auth. Ecclesiæ, quàm Augustini, Hieronimi, vel cuiuscumque Doctoris, ait D. Tho. Attamen exercitij gratia, conclusionem etiam medijs naturalibus confirmare satagimus.

Probatur igitur 2. aliquibus experientijs; si .n. terra motu diurno circulariter in se ipsa moueretur sequeretur, quòd si quis sagittã arcu sursum proijceret, vel lapidem non posset sagitta, vel lapis ad pedes ipsius descendere, sed post ipsum versus Occasum, sicut euenit si proijciens existeret in naui, nam tunc sagitta extra nauim in mari caderet, & tamen motus terræ velocior esset motu nauis. Item Aues quocumque celerrimo volatu e Occasu venientes, nunquam ad nos peruenire possent, imò semper retrocedere viderentur. quia motu auium terræ tardior esset.

Respondet Galilæus, non sequi relata absurda, & ratio est, quia non solùm terra circulariter mouetur circa cẽtrum ab intrinseco, sed etiam omnia corpora in hoc Mundo Elementari existentia, siue animata sint, siue inanimata, siue vnita terræ, siue separata habent hunc motum perpetuum innatum ab intrinseco, vt simul cum terra circa centrum huius Mundi Elementaris moueantur, & quia hic motus e omnibus communis, non est à nobis perceptibilis, nisi in ordine ad Stellas fixas, affert exemplum de existentibus in naui; sit nauis habens intus spatiosam aulam, in qua inclusi detineantur homines muscæ, vas aqua plenum, & pisciculis, & alia similia, certum est eodem modo homines hinc inde moueri, muscas volitare, pisces natare, lapides, aquas deorsum tendere, siue nauis moueatur, siue quiescat, nec in his motibus vlla perci-

percipitur differentia, dummodo nauis vniformiter moueatur; & ratio est, quia motus nauis est omnibus communis, idcirco non percipitur, nisi in ordine ad littus.

Ex hac doctrina respondet ad allata, & si nulla absurda; sicut enim existens in naui si proijceret sursum lapidem, talis lapis deorsum ad pedes ipsius descenderet, quia ambo ad motum nauis mouentur, nec lapis verè perpendiculariter descenderet, sed per lineam transuersalē, & motu mixto ex recto deorsum, & ex motu nauis; sic de sagitta sursum proiecta &c. Negat etiam experientiam illam de sagitta, vel de lapide sursum proiecto ab existente in naui, quod extra nauim decidat; ait, n(?) se expertum pluries lapidem proiectum à summitate mali nauis, semper ad pedem mali cõcidisse, nunquam in mari, siue nauis quiesceret, siue velocissimè moueretur. Item sicut muscæ existentes in parte occidentali possent ad nos peruenire existentes in parte Orientali, licèt ad motum nauis versus Ortum moueretur, quia illæ etiam motu muscæ mouentur quarum motus est duplicatus, constans ex motu nauis, & motu proprio muscarum, & eadem ratione Aues ab occasu veniētes possēt nos pertransire, quia duplici motu mouerentur, scilicet versus Ortum, motu proprio, & motu etiā totius Mundi Elementaris, nos verò vnico tantum motu Mundi ab Occasu ad Ortum. Concludens, idcirco hunc motum terræ implicantem nobis apparere, quia potius concipimus terram immobilem, & ex hac suppositione, quæ deberet esse conclusio probata, procedimus ad multa absurda inferenda; ex quibus tandem deducimus terræ immobilitatem, probando à primo ad vltimum idem per idem.

Si hæc doctrina stabili inniteretur fundamento, optima esset solutio, aptissimumq; adductū exemplū de naui ad hos motus explicandos; sed quia falsa est, cùm in motu terræ, & omnium corporum sublunarium fundetur, propterea tota responsio inanis, & futilis est. Dicit Galil. quòd nos stabilitatem terræ supponimus, sed non probamus, & sic probando à primo ad vltimum idem per idem deducimus. At nos saltem hoc probamus irrefragibili testimonio Sacrarum Scripturarū, & modo ejus sent. censurata est, & prohibita. Sed ponderemus quæso fundamenta, supra quæ totam hāc structuram hic Philosophus edificat. Dicit, quòd terra mouetur simul cum tota machina omnium sublunarium. Non valet, nam quo pacto omnia sublunaria possunt hanc aptitudinem ad motum circularem habere circa centrum ab intrinseco, si specie, & genere sunt à terra diuersa? fortè dicet, quòd Cæli in sent. Arist. etiam differunt specie, & tamen mouentur cirulariter; non satisfacit, quia talis motus ab extrinseco conuenit Cœlis, non à propria natura, ex dictis, hæc ve-

rò

rò sublunaria à seipsis actiuè moueri circulariter asserit Galilæus.

Obiectiones.

Pluribus rationibus hanc chimeram Aduersarij probare conantur, & primò sic: nobilior est quies, quã motus, illa .n. est finis illius, ergo Cœlo, quod est terra nobilius debet cõuenire quies, terræ verò motus. ℞. disting. quies naturalis, quę motum terminet ad locum naturalem est perfectior motu, dum .n. mobile ad locum naturalem mouetur, supponitur esse extra illum, ac consequenter in statu violento; Motus verò qui non ordinatur ad quietem mobilis in proprio loco, sed ad communicandam virtutem ipsius rebus inferioribus, potius perfectior quiete censenda est, & talis est motus Cœli, quia propter bonum Vniuersi mouetur.

Ob. Si Cœlum moueretur, propter ingentem magnitudinem, motus ille immensæ esset velocitatis; nam Stella fixa propè Equatorem in vna hora deberet plusquam 42. milliones milliarum peragere, & deinde primum mobile maiori velocitate moueri deberet, quod impercceptibile videtur, hoc autem inconueniens, admisso motu terræ diurno, non sequitur, quia in vna hora ob molis paruitatem solùm 800. circiter millia conficeret, ergò quia natura sëper agit per pauciora, quantum possibile est, asserendum erit potius terram moueri, quàm Cœlum. ℞. concedimus nos hunc motum potuisse per Dei potentiam terræ conuenire, sed negamus factum. Neque ex tàm immensa velocitate motus primi mobilis aliquod absurdum sequitur, sed potius Diuina Omnipotentia relucet. Tũ quia connaturalius videtur motum perpetuum localem competere corpori incorruptibili, quàm caduco, cùm hoc potius per talem motum destrueretur, quàm conseruaretur, & præsertim animalia, videmus .n. homines per motum nauis, vel currus maximè conturbari.

Ob. Ignis, & aer circulariter mouentur, ergo etiam globus terræ, cùm sit etiam sphæricæ figuræ, & maximè quia exigua est, librata, & suspensa in medio manens. ℞. neg. consequ. ignis .n. & aer circulariter mouentur ab impetu è Cœlis impresso, cuius non est capax terra propter distantiam, & summam grauitatem, & soliditatem, nam si Cœli terram rapere deberent, hoc medijs aere, & aqua efficerent, at corpus fluidum non potest solidum impellere, & mouere, sed potius è contra solidum rapit fluidum. Nec figura sphærica solũ alicui corpori cõuenit propter motum circularem, sed etiam vt secundum omnes partes æqualiter in proprio loco existat, & hac ratione terræ conuenit.

Ob. Locus est vltima superficies corporis continentis immobilis ex 4. phys. 42. sed Cœlum est locus communis omnium corporum, quia omnia claudit, & continet, ergo est immobile. ℞. loci immobilitas

litas non arguit superficiem ambientem prorsus localiter immobilem, sed dicitur immobilis in ordine ad partes virtuales Diuinæ Substantiæ, vt in phys. dictum est.

Ob. Extra Cœlum nihil est, ergo non potest vltimum Cœlum moueri circulariter, pr. conseq. mobile .n. per motum acquirit locum ambientem extrinsecum. ℞. neg. consequ. non. n. oportet, vt vltimum Cœlũ moueatur, quò ad locari, sed sufficit, vt moueatur quò ad locare.

Deinde arguunt multis experiẽtijs, sed ità præsertim: Quæ non agitantur, trahuntur ad corruptionem, aer .n. ventis non commotus inficitur; In stagnis aquæ non motę putrescunt; metalla quiescentia ferrugine læduntur; ergo ne terra mater omnium, ac nascentium nutrix, in interitum tenderet, in seipsa moueri necesse est. Item licèt grauia possint in aere moueri, non tamen ibi diu quiescere cessante motu, sed in terram decidunt, vt de lapide proiecto patet; Sic Aues cessante agitatione alarum, ipsæ etiã concidunt, ergo terra cùm sit grauissimum corpus non posset in aere sine motu pendere, sed ibi assidua agitatione persistit.

Confirmant, quia terra habet in se animam, qua poterit seipsam mouere quãtum necesse est ad perficiendam diurnam circulationem iuxta exigentiam diuersarum partium, ergo &c. probant assumptũ, habet .n. terra subterraneum calorem sensibilem, ac perpetuum; habet frigus proportionatum, quod tribuitur materiæ; habet generationem metallorũ, mineralium, & fossilium, quorum aliqua facultates habent virtualiter calidas, alia verò frigidas, mittit etiam sudorẽ, vt est exhalatio vaporum, vnde est ortus fluminum, & fontium. & tandem quia ferè omnes aliæ Mundi partes præditæ sunt anima.

℞. ex corruptione rerum potius pro nobis, quàm pro ipsis conuincunt argumenta, nunquam enim aqua stagnans putresceret, si tam velociter cõtinuò moueretur, propterea dicimus non omnia quiescẽtia putrescere, sed quæ sunt facilè alterabilia. Tum quia necesse est terram secundum partes putrescere, cùm tot generationibus inseruiat, corruptio .n. vnius est generatio alterius; non ob id tamen totaliter destruitur, quia nec tota simul alteratur. Quiescit in medio Vniuersi, non propter continuum motum in seipsa, sed quia est in infimo loco, & exempla de lapide proiecto, & auibus volantibus non sunt ad propositum, cùm sint extra connaturalem locum. Falsum tandem est, terram esse animatam; nec calor, qui est principium vitæ conuenit terræ ab intrinseco, sed est calor extrinsecus ei cõueniens violenter, terræ .n. connaturale est frigus. Ab extrinseco etiam tot entia à terra generantur; nec quælibet actio arguit animam, sed solùm formam substantialem, aliàs quia ferè omnia corpora habent aliquam

actionem, omnia essent animata. Tum quia non posset informare lapides, & alia corpora in aere existentia, quia anima non informat partes à toto auulsas.

Addunt postremò Authores huius opinionis quasdam congruentias, quæ apud viros eruditos potius ridiculæ videntur, quàm conuincentes: Ad illustrandam aulam non ponitur lucerna in angulo eius, sed in medio, sic .n. aptius radios circumquaque diffundit, & lumen singulis aulæ partibus vniformiter impertitur, ergo cùm Sol sit veluti totius Vniuersi Lucerna, ad suum munus obeũdum opportunius statuitur in Medio Vniuersi cum Pythagoricis, quàm veluti in angulo cum Peripatheticis, ità Copernicus. Non valet, Sol .n. nequit poni in centro terræ, quia cùm hæc non sit corpus Diaphanum à nobis in superficie videri non potest, ergo ponẽdus esset vel supra, vel subtus, & ità congruentia potius seipsum iugulat, terra enim cùm sit figuræ sphæricæ, non potest tota simul à Sole illuminari, sed solùm eius medietas; quare potius assimilatur palatio varium cubiculorum ordinem habenti super, & subter, quàm vnicæ aulæ, sicut ergo ad huiuscemodi palatium successiuè illuminãdum, & singula eius cubicula, non ponitur lucerna in medio immota, sed potius lucerna ipsa mouetur, huc, illucque asportatur, vt suo successiuo motu singulas palatij partes illuminet, ità quoque de Sole dicendum &c. Aliam affert congruentiam Keplerus: Dum carnes igne torrentur, vtique non ignis circa carnes versatur, & volutatur, sed carnes versantur ad ignem, hic verò immobilis existit, cùm ergo Sol sit veluti ignis terram calefaciens, vt eius calore tota ferax, & fæcunda reddatur, certè verosimilius est ad hunc calorem participãdum terrestrem globum successiuè moueri ad hoc, vel illud latus Solis, vt ex omnibus partibus calefiat, quàm è contra, quòd Sol circa terrã voluetur. Respõdent Aliqui irridendo, & bene, hoc argumentũ plus culinæ sapere, quàm scholæ. Et si tota terra ad Solem versa, vt inde calorem concipiat, asso comparatur, cur & Intelligentiam globi terrestris motricem, coco, vel eius famulo veru rotante cõparare nõ licebit? Dicat mihi Keplerus, nonnè æquè bene assantur carnes in æstuanti clibano clausæ, & immotæ, quàm ad ignem verubus circolatæ? poterit ergo terra à Sole primo modo calefieri, & relinquere terram immotam, & Solem in continuò gyro, vt cum Sacra Scriptur. tenent Peripathetici, & non mendicare similitudinem, & comparationes à coquina. Affert tandem suam Galilæus: Si quis altam ascẽderet speculam, vt inde totam lustraret Ciuitatem, vt autem hoc assequeretur, postularet totam sibi ante oculos obuersari ciuitatem, ad euitandum laborem mouendi caput, & contorquendi collum nunc

rur-

rursus hanc partem modò versus illam, nōne foret cachinno dignus? at non minus, immo magis irridēdi essemus nos mortales si hic in terris degentes, vt admirabilem Cœlorum machinam cernamus, & contemplemur, volumus totam hanc molem continuò oculis nostris obseruari, & non potius nosmet circa illam moueri, & successiuè illa perlustrari. Sed etiam hæc congruentia in ipsum reflectitur, & ratio est; quia potius Sol est oculus Vniuersi, quàm terra, vt clare colligitur ex Ecclesiaſ. cap. 1. scilicèt, *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem lustrans vniuersa in circuitu*. quod etiam Poetæ in suis pœmatibus cecinerunt, ergo potius Sol suo motu successiuè cūcta perlustrare debebit, quàm terra successiuè se illi immobiliter fixo ostendere. Item; & si Cœlum quodammodo theatrū est Vniuersi, & homines tamquam spectatores sint à Deo constituti, rationabilius putare debemus Cœlum mutari, quàm terram, nam in Tragedijs, Scænas mutare consuetum est, non homines.

Quòd deinde globus iste non moueatur motu illo tardissimo in Cœlo Stellato à Ptholomeo obseruato, vt Andreas Cesalpinus imaginatur, indè patet; quia etiam iste modus dicendi Sacræ Scripturæ opponi videtur, quæ circularem motum Cœlis tribuit, oppositam autem quietem Terræ, quòd autē motus iste sit tardior, vel velocior non mutat speciem. Tum quia hic motus non potest terræ conuenire ab intrinseco, & ex propria natura, vt iam probatum est; Nec ab extrinseco, quia nequit talis motor assignari; Vel .n. esset Cœlum rapiens secum Ignem, Aerem, & Terram, quæ propter sui resistentiam tardissimè moueretur; Vel esset vapor, & aer in visceribus Terræ inclusus. non primum, quia raptus Cœli non peruenit ad hāc infimam aeris regionem, saltem intra Montes, & Valles inclusam; & nubes semper deberent ab Ortu in Occasum moueri, nunquam sistere. Neque secundum, quia vapor, vel aer inclusus non potest tantam vim habere, vt totam huius globi machinam conuoluere possit; nec illam determinatè moueret ad vnam partem, sed huc illucque indiscriminatim agitaret. Hæc pro nostro instituto, & physicè procedentes, sufficiant. Cæterùm non desinunt Solertissimi viri, qui ex professo pro Peripatheticis prælium arripientes, & Mathematicis, & Astronomicis rationibus hanc Pythagoricorū imaginationē, inanem, mobilem, & incostantem plusquam terræ mobilitatem, eorum vertiginē ostendunt.

DVBIVM TERTIVM.

De Terræ motibus.

Diximus, quòd ex aqua extrahuntur vapores, qui eiusdem speciei sunt cum aqua, sed differen-

 tes

tes accidentaliter, sunt .n. ab extrinseco calidi, & leues, ex quibus Meteora humida generantur; ità quoque virtute Astrorum quædam exhalationes extrahuntur eiusdem speciei essentialis cum terra, sed accidentaliter differentes, nam præter siccitatem, habent ab extrinseco caliditatem, & siccitatem. & sic describi solet: *Exhalatio est halitus terrestris calidus, & siccus è terra attractus.* Et duplex est, si .n. terra est crassa, & pinguis, exhalatio educitur facilè combustibilis, propter materiæ tenacitatem, qua mediante actio Solis intentius recipitur, vndè sursum euolat, materiaq; est meteororum ignitorum; Si verò terra sit arida, nec partes habeat inter se multùm hærentes, fit exhalatio non tam facilè combustibilis, nec tàm altè euolat, & hæc est materia Ventorum. Contingunt igitur quandoque in terra motus quidam tremoris, Terræmotus communiter vocati, interdum .n. terra modò ad dexteram, modò ad sinistram agitatur, quandoque diuiditur in duas partes, vel in plura foramina perforatur, aliquando præcipitatur in profundum, & è contra quandoque sursùm eleuatur, & pellitur.

9. Quærunt Philosophi causam horum motuum in terra, & communiter pro precipua causa assignant ingentem copiam exhalationum terrestrium in visceribus terræ inclusarum, & foras exire contendentium. Quæ sent. optima est, & ex hoc probari potest, quia maior est vis exhalationis in terræ visceribus inclusæ, cùm ibi violenter detineatur, quàm sit vis eius, quæ per terram serpit, vt sunt Venti, & tamen Venti tantæ sunt vehementiæ, vt domos, turresque euertant, ergo multò magis halitus subterranei poterunt terram concutere quãdo illis egressus præcluditur. Si autem halitus isti non sunt tantæ fortitudinis, tremorem causabunt, & agitationem; Si vim habent magnam, & per diuersas cauernas sũt dispersi, terram in diuersis partibus perforabunt iuxta maiorem, vel minorem resistentiam terræ partium. Si verò sunt in loco vno simul congregati, possunt resistentiam terræ vincere, vt illam scindant, & erumpant, & tunc ruinam causabunt, scissionem, & subuersionem, vndè Ciuitates ipsæ aliquãdo in profundum absortæ visæ sunt. Interdum teste Plinio lib. 2. cap. 83. Montes è radicibus auulsi fuerunt, Valles medias cum Villis, & habitatorib. operientes; Testes oculati fuere vtriusque Calabrię Populi, quos ità Terræmotus afflixit, vt plurimas Ciuitates, & septuaginta ferè Oppida in terram deiecerit, cum violẽta morte triginta millium hominum; Si tamen terram disrumpere nequeunt, tunc ipsam attollunt, & in terra mõs aliquis coalescit, & etiam in mari noua Insula exurgit, quo pacto multæ ex Insulis Cycladis tradunt Historici consurrexisse. Hac etiam ratione huiusmodi exhalationes solẽt maximam in aquis

com-

commotionem causare, ità quòd in mira altitudine intumescens intra terram deindè diffunditur, vndè in aliquibus mõtibus vestigia quãdoque nauium inuenta sunt, quæ ob eiusmodi impetum illuc asportatæ fuerunt; aliquando è contra eadem ratione, mirum in modum mare è littore recedit. Item flumina quoq; retrocedere, & variè moueri hac de causa cernuntur. Nec solùm huiusmodi halitus, & Venti in subterraneis generati, possunt terræmotus causare, sed etiam ab extrinseco ingressi, per occulta foramina intra terram, si ab aqua, vel à frigore illæ porositates occludantur.

Nec solum halitus isti causa sunt terræmotus, sed quandoq; & Ignis, Aer, & Aqua, quæ subtus terram reperiuntur. De igne est euidens; possunt.n. huiusmodi exhalationes terræ crassæ, & bituminosæ accendi vel ab ignibus subterraneis, vel ex propria hinc inde agitatione, vel ab astris, & tũc rarefactæ, quia petunt maiorem locum, terram vi erumpentes fluuij igniti foras scaturire cernuntur.

Loquantur Præclarissimi Catanenses, in hac re testes omni exceptione maiores, quando Anno Salutis relato, die 7. Martij, & deinceps ob ingẽtes terræmotus, non solùm Pagi, sed & Ciuitas ipsa tota contremuit. Philosophabantur tunc viri illius Eruditissimæ Academiæ vnde tam vehementes, & iterati concussus prodire poterant; qui tandem, vt Docti, & de tali Meteora experti concluserunt, causam talium terræmotuum indubitanter aliam non esse, quàm Montis Ætnę ignem subterraneum; & iam exitus acta probauit, nam fractis deinde Mõtis visceribus versus meridiem, tres torrentes igniti ad instar æris candentis defluxerunt; aliquibus etiam Pagorum partibus nõ solùm flammis, sed etiam terræmotibus vrgentibus, penitus consumptis remanentibus, vt præsertim de Nicoloso asseritur. Erat hic Pagus ad Montis Appendices situs, distans ab Vrbe Catana 12. milliaria, & à Cacumine Montis 18. ditio Eminẽtissimi Cardinalis Principis Mõcadæ, Ducis Montis Alti, Domini mei; vnde sicut inter alios vltimus erat, ità primus sensit exitum, & priusquã erumpẽtes fluuios igneos viderit, terræmotu concussus, corruit integer.

Aer etiam, potens est terram agitare, si nimis excrescat, & rarefiat, maiorem ambitum petens. Etiam, & aqua si in cauernis subterraneis valdè à ventis impelleretur, tunc.n. latera cauernarum excuteret, pars terræ superior decideret, & foras torrentes aquę prodiret; & inde oriuntur fontium nouorum, vel antiquorum scaturigines, & è contra præsentium exiccatio.

Solent aliqui effectus terræmotus recenseri; & præsertim sunt sonitus, de quibus agit Virgil. 6. Æneid. mugitus ille generatur ex collisione corporũ, qui sonꝰ multiplex est,

est, & varius iuxta varietatem corporũ, & cauernarum, si .n. meatus sunt angusti, tenuis sonus causatur, & veluti articulata vox, si amplii, fiũt magni soni, sed vt plurimum hic sonus similis est mugitibus bouum, & quandoque causatur sonus absque terręmotu, interdũ verò huiusmodi halitus, è terra erumpẽtes cum vapore crasso admixti, & cõglomerati, varias hominum, mostruorumq; imagines efformant, si historijs aliquando credere licet.

Loci minus subiecti terremotib. sunt septemtrionales, quia ob nimium frigus, exhalationes in terræ cauitatibus non adunantur, similiter regiones nimis calidæ, minus terremotibus subiacent, nã nimius calor exhalationes absumit, & eas non finit in cauernis terræ concrescere; è contrà verò loca temperata magis terręmotibus subiacent, in his .n. facilè exhalationes gignuntur, sed non faciliter resoluuntur; item cauernosa loca magis subijciuntur, faciliter .n. in illis speciebus aquæ congregantur, halitus, & venti, vndè montes, & Insulæ pluribus terręmotib. quatiuntur propter specus, & cauernas, quas intus retinent, quàm planities, & terra à mari distans.

Tempus terręmotuum debet esse etiam temperatum, vt est ver, & autumnus, ob eamdem rationem; & Alexãder Tassonius obseruat ingentes terręmotus ferè semper mẽse Septembris cõtigisse, quod multis experientijs comprobat. Cæterùm hæc doctrina non semper est vera, & exempla in contrarium sæpè experti sumus, & Mensibus Decembris, Ianuarij, Martij, & Iulij, & omnibus Anni Mensibus, pendet, .n. hoc ex abundantia exhalationũ congregata, quæ non valens amplius in illis angustis foraminibus contineri, maiorem ambitum quærens, terram concutit.

De duratione, & terręmot. dilatatione, nec potest dari certa regula, tota .n. pendet ex quantitate materiæ, & dispositione loci, hoc est tamen asserendum non esse naturaliter possibile in vniuersa terra simul euenire, licèt aliquando vastæ regiones simul dirutæ fuerint; ratio est, quia non videtur verisimile, sed potius moraliter impossibile, quod tota terra simul exhalationibus suis afficiatur, aspectumque Cœlorum vbiq; simul habeat; ideoque terręmotus vniuersalis in vniuersa terra in Christi Domini morte, miraculosus censetur.

Signa terręmotus præsagentia multa assignantur, 1. si aqua in puteis turbidior fiat, tetrum odorem emittens, talis .n. turbatio, non nisi ab exhalationibus incipientib. sursum ascendere prouenire potest. 2. tranquillitas aeris intempestiua, tunc .n. quando deberent exhalationes infimæ aeris regionem agitare, & commouere, in terrę cauernis inclusæ detinentur, signũ, quod terram quassaturæ erunt. 3. est insolitum frigus in æstate, tunc enim materia terręmotus cogitur à frigore

gore

gore in subterraneis includi. Remedia terremotus sunt ad Campestria fugere. Virginis Matris deuota inuocatio. Trisagii humilis decantatio: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere nobis*. vt in Concl. Calcedonensi habetur, & in domorum foribus conscriptio: *Christus nobiscum state.*

DVBIVM QVARTVM.

De Lapidibus.

LApides connumerari solent inter meteora, licèt .n. sint mixta perfecta, verùm quia in visceribus terræ fiunt, & de eadem materia conficiuntur, ac alia meteora, idcirco Arist. de lapidibus egit 3. Meteor. cap. vlt. qua ratione etiã de metallis, & fossilibus tractauit. de quibus tria videnda sunt scilic. causa materialis, causa efficiens, & & ipsorum lapidum proprietates.

Materia lapidum secũdum communiorem sent. est quid mixtum ex vapore aqueo, & halitu terreo; & ratio est, quia cùm lapis sit quodam corpus solidum non sufficit vapor aqueus, qui in se fluidus est; nec halitus terreus, quia cùm hic sit siccus, potius in puluerem reduceretur, quàm condensaretur in lapidẽ, requiritur igitur vapor humidus, vt coaudunet, & concluti net siccum ne in puluerem dissipetur, & halitus siccus, vt contineat, & trenet humidum vaporem, ne labatur; quæ mistura dicitur materia proximè disposita ad formam lapidis recipiendam, & succus lapideus appellatur; & duplex est, vel .n. in ipso prædominatur halitus terreus in cuius partes est vapor humidus diffusus, & ex hoc generantur lapides terræ similes, qui nempè non sunt multum perspicui, sed opaci; vel in ipso prædominatur humor aqueus, succum terreum subtilẽ cõtinẽs, & ex isto generãtur lapides aquæ similes, & perspicui ad instar glaciei, licèt ex propria forma substantiali multa etiam habeant proprietates aquæ contrarias scilic. duritiem, friabilitatem, & similia.

Quò ad causam efficientem lapidum, aliqui assignant formam lapidis, alij primas qualitates, precipuè calidum igneum, vel solare. Alij principalem causam aiunt esse virtutem quamdam mineralem lapidificam à Cęlis communicatam, instrumentalem verò esse calidum digestiuum, & extractiuum humidi. Cæterùm quia ex dictis in physica, causa principalis nequit esse effectu imperfectior, nec instrumentalis attingere potest effectum principalis agentis etiam, vt eius virtus est, sequitur, quòd nec primæ qualitates, nec elementa, neq; virtus illa lapidifica potest esse causa principalis, aut saltẽ generationem lapidis attingere; Ratio est, quia tam elementa, quàm primæ qualitates sunt entia imperfectiora. Recurrendum est igitur ad Sydera, vt Philosophi sæpiùs in similibus facere solent; quodnam autẽ ex astris, sic lapidum productiuũ diffi-

difficile est nobis innotescere, præsertim, quia multæ, & variæ sunt lapidum species: hoc certum est primas qualitates necessariò interuenire, & accidentia occulta ab astris producta, diuersimodè materiam disponentia pro diuersitate specifica lapidum.

Quantum ad proprietates lapidum, primo loco consideranda veniunt virtutes quædam in ipsis existentes; nam quidam lapides morbos inducũt, quidam verò illos expellunt; quarum immediata causa poni debet propria substantialis forma cuiuscumque lapidis; à forma .n. fluunt omnes passiones, & qualitates connaturales; Causa verò mediata erit causa producens formam illam nempè Cœlum. Reperiuntur tamen quidam lapides figurati, repræsentantes animalia, vel aliquid aliud, quæ figura interdum est quasi depicta quibusdam lineamẽtis, & coloribus, vndè quidam lapides inuenti sunt figuram habentes animalium tàm intra, quàm extra, de quibus Auicenna ait, propterea talem figuram habere, quia animalia mortua aliquãdo vertuntur in lapides, ideoque eamdem omnino retinent figuram, & sic de alijs dicendum. Si autem aliqui lapides eiusdem essent figuræ, vt præsertim in petra solari apparet, in qua depicta videtur imago solis, vel cuiusdam Stellæ, tunc talis effectus censẽdus est per se, & tamquam passio consequẽs formam substantialẽ, vt de qualitatib. virtualibus diximus. Si verò lapides aliqui irregulariter modò hanc modò illam figuram continent, tũc vt effectus per accidẽs se habebunt, quorum non est assignabilis vna per se causa, sed varia etiam insurgit figuratio; nam calidi est mouere partes materiæ ad circumferentiam, frigidi illas impellere ad centrum, hinc varia existente materia, & varia agentium applicatione, diuersa etiam partium materiæ elenatio insurgit, vel contractio, & quasi sculptio; quibus addita diuersa primarum qualitatum mixtione à calido, & frigido in partibus illis diuersimodè conunctis, diuersa coloratio, & pictura coalescit.

DVBIVM QVINTVM.

De Metallis.

ARist. 3. Meteor. cap. vltim. & lib. 4. tex. 38. docet materiam metallorum esse vaporem humidum exhalationi ad mixtum, seu mixturam vaporis, & exhalationis, quæ vt Conimb. docent, dici potest succus metallicus, ità tamen, quòd plus dè vapore abundet, ad differentiam lapidum, in quorum materia exhalatio excedit, & sequitur D. Thom. hic. lect. 9. & fuit etiam sent. Alberti Magni lib. 3. Meteor. tract. 1. alia opinio communior inter Chymicos affirmat materiam proximam Metallorum esse sulphur, vt semen patris, & argentum viuum, vt mestruum matris, nam sicut semen patris coagulat mestruum matris, & in embrio-

ne

ne efformat, sic sulphur coagulat, & restringit argentum viuum, illudque disponit ad speciem metalli diuersam pro diuersa mixtione, & proportione ipsorum; si enim sulphur est rubeum, & citrinum, & argentum viuum in quantitate superet, & ambo sint pura, & perfectè fixa, fit aurũ; si verò sulphur sit album, & superet argentum viuum in quantitate, & sint perfectè pura, & fixa, licèt non tanta fixione, vt in auro, fit argentum; at quando impura, grossa, ac liuiditati terreę cõmixta, sed argentum viuum plenè fixum, sulphur verò in maiori parte fixum, & sit rubrũ, si sint æqualia in quantitate, fit æs, si sulphur excedit fit ferrum; item si argẽtum viuum sit impurum, liuidum, ac terreum, sed fixum; & sulphur ab ipso excedatur, quod vtique sit impurũ, & modicè fixũ, fit stannum; si tandem argentum viuum excedẽs sulphur sit impurum, & terreũ, & malè fixum, & sulphur etiam immundum, liuidum, & paucissimè fixum, fit plumbum, quod parum videtur ab argẽto viuo differre, nam liquefactum valdè illi assimilatur. Auersa cum alijs, ait materiam metallorum esse mixturam aquæ, & terræ in maiori tamen portione aquę.

Quælibet harum sent. sua gaudet probabilitate, nec facilè confutari potest. Prima in eo fundatur, quòd aliquando in aere generantur metalla, interdum n. è Cœlo ad terram defluxerunt, vt apud Conimbr. videre est, at omnia meteora ex vapore, & exhalatione fiunt, ergo hęc in mineris erit materia metallorũ. Secunda Chymicorum fulcitur experiẽtia, nam in venis metallorum reperiuntur sulphur, & argentum viuũ. Tertia fundatur etiam in experientia; in matricibus n. metallorum reperiuntur aqua, & terra simul admixta.

Quò ad causam efficientem, rationabiliter assignatur influxus Cęlestis, vt de lapidibus diximus, non sola virtus elementaris, cùm sit huiusmodi mixtis imperfectior, & præsertim assignatur virtus Solis, quæ pro instrumento vtitur calore, & frigore, calore, vt de quoquente, frigore vt coagulante, & constipãte, vel quæ etiam vtitur aliqua occulta virtute ab astris producta in materiam sic dispositam per primas qualitates, illa verò distributio quorumdam Astrologorum, quòd scil. quilibet Planeta ex peculiari Dominio super vnam metalli speciem sit illius causa effectiua, nempè Sol efficit aurum, Luna Argentum, Mars ferrum, Mercurius Argentum viuum, Iouis Stannum, Venus Æs, Saturnus Plumbum, totum incertum est, nec certa ratione suaderi potest.

Inter omnes metallorũ species, Aurum præstantius est, sic dictum ab Aurio primo eius inuentore, vel ab Aura ob splendorem, quem parit, sed non præcisè ratione coloris palmam obtinet, quia in Argento clarior, & fulgentior color est, & magis diei similis. Nec quia

incendio resilit, & in igne perficitur, quia etiam gemmæ ignem non sentiunt, & ferrum igne perficitur, & extenditur; Nec quia in monetæ vsum assumptum est, quia etiam argentum, & æs in monetæ vsum assumuntur, sed quia relatas qualitates vnitas præcontinet, & amplius alias; cùm .n. contrectatur, manus non sordescunt, nec rubigine obducitur, nec decoloratur, & ad plurima vtile est, præsertim ad medicas operationes, & ad vulnera sananda, & fistulas depellendas, & tandem, quia in veri Numinis cultum frequenter adhibetur, vndè in veteri testamento vestes Sacerdotales intestæ auro erant, & vasa auro incrustata ex Dei præcepto adhibebantur.

DVBIVM SEXTVM.

An per artem Alchymicam effici possit aurum.

NON quæritur an ars Chymica sit principalis causa effectiua, hoc .n. communiter ab omnib. negatur, sed solũ an esse possit causa directiua, docens applicare actiua passiuis, vt deinde in materia sic disposita à formis Cœlorum forma auri introducatur. Authores sunt diuisi, Multi .n. partem Affirmatiam defendunt, Quamplures verò partẽ negatiuã. Qui affirmant, pro fundamento adducunt, quia non satis ostenditur huius rei implicantia, non ex parte materiæ, quia hæc indifferens est ad omnem formam; Nec ex parte modi, nam huius artis modus est per decoctionem naturalem ignis, qui modus naturalem Solis decoctionem proximè imitatur. Neque probari potest calorem Solis suppleri nõ posse virtute ignis, multa etenim fiunt tã calore Solis, quã ignis, vt præcipuè patet de pullis in Ægypto igneo calore ab ouis exclusis; & de generatione bombycum, qui nascuntur, & calore verno, & calore ignis in cubiculo calidiori, vel si mammillis mulierum foueri relinquãtur. Neque repugnat ex parte loci, q. .s. petant in visceribus terræ generari, quia multi testantur metalla in aere gigni; Tum quia locus mathematicus non requiritur necessariò; & locus physicus, nimirum spatium illud his, vel illis dispositionibus affectum, posset vbique ab arte præstari. addunt has experiencias, quarum aliquas veras esse, incredibile non est, illa præsertim affertur Arnoldi villæ nouæ, qui aurum sua arte peractum aulæ Pontificiæ, Romæ examinandum præbuit, & illa Raimundi Lulli, qui apud Anglos in arce Londicẽsi probatissimum Aurum confecit, quo in cudenda moneta vsi fuerunt. Mastr. & Bell. ad hanc partem inclinant, quibus libenter adhæreo, supposito, quòd allatæ experientię sint veræ.

Qui negant in hoc fundantur, quòd Alchymistæ non conueniunt in materia, ex qua aurum fieri debet, nam alij volunt esse ferri, alij salem, alij putamina ouorum

rum, alij arsenicum, alij capillos, & sanguinem humanum. Hinc plures Alchymistæ tentarunt aurum producere, qui tandem aurum non effecerunt, imò ætatem, & facultates frustra consumpserunt. Hęc tamen ratio non conuincit, nos enim non negamus hanc artem esse per difficilem, & à paucissimis attingi, difficilè .n. est certam mediocritatem inuenire in ijs, quæ ab actiuitate ignis pendēt; Tum quia necessarius est aspectus Cœlorum, qui non semper, nec vbique habetur; aliqui tamen illam habuerunt, & quandoque aurum effecerunt, si historijs aliquando licitum est credere; & licèt Chymici inter se de materia discrepent, hoc solùm infert difficultatem artis, non in se, sed in nobis. Peritiores tamen conueniunt in sulphure, & argento viuo consistere.


Ob. Quæ perfectissima sunt in suo genere, solùm produci ab agēte proprio naturali petunt, vt in animalibus, & plantis apparet, sed aurum in genere metallorum est perfectissimum, ergo à proprio naturali agente producitur, ergo nō ab arte. ℞. argum. non esse contra nos, nam etiam in hoc casu aurum ab agente naturali produceretur, .s. à Cœlo, ars .n. tantùm applicaret, actiua passiuis; nec inde probatur non posse materiam aliquorum animalium ab arte disponi, nā exodi 7. Magi cum Moyse contendentes, serpentes produxerunt, & Ioan. Bapt. Porta lib. 4. Magiæ natural. cap. 4. testatur se perfectissimas Anguillas produxisse, & in Ægypto calore fimi ex ouis pulli gignuntur.

Ob. ad metallorum productionem requiritur specialis influentia Syderū, & hæc haberi nō potest, nisi in determinatis locis, astra enim non semper ad eamdem regionem aspectum habent, ergo ℞. hanc rationem solùm conuincere in nobis maximam difficultatem, non tamen absolutè negari .n. non potest aspectus Cœlorum aliquando adesse, ergo si tunc applicaretur materia disposita, iam aurum fieret; & fortasse hac ratione de quodam viro perito apud Ioann. Picum lib. 3. cap. 8. refertur, quòd cùm circiter quindecies aurum, & argentum per artem effecisset, deinde artem amisit, quia .s. eumdem Syderum aspectum ex mutatione loci, & temporis non amplius habebat; & ego ipse à viro quodam fide digno audiui, quòd dum quidam Aromatarius argētum viuum in mortario contereret, ad medicinæ intentum, statim sine alio addito accidentaliter, totum in massam argenteam versum est. Lætabundus de casu factus Aromatarius, iterum argentum viuum conterendum accepit, vt inde argentum verum exciperet, tentauit iterum atque iterum, per plures dies argētum viuum conterendo, sed semper labore, & intētione frustratus; cōcludens tandē totū illud accidisse ex aspectu alicuius astri, pro illo

tunc super illam materiam disposi-tam transisse, quo transitu peracto, effectus quoque euanuit. & ad illā experientiam, quam aliqui adducunt, quòd aurum chymicum non resistit igni, & quòd facilè amittit colorem, & quòd non sit in minutissimas laminas ductile, per hoc solùm infertur imperfectio huius artis in aliquibus, si autem potest aurum imperfectum produci, poterit & perfectius gigni, si perfectius actiua passiuis applicarentur, quòd pauci quidem in hac arte peritissimi fuerunt, neque perfectum, & imperfectum variant speciem.

Ob. Author. Ioannis 22. Ponti. Max. in extraua. *spondent &c.* damnantis hanc artem, & talis auri venditionem, ergo. ℞ rationabiliter ars hæc damnatur, triplici ratione; Prima, quia non facilè obtinetur, & ob curiositatem, vel desperationem facilè recurreret homo ad Dæmonis opem; Secunda, quia Vulgares Alchymistæ non efficiunt perfectum aurum; Tertia, quia ex applicatione huius artis, maximum reipublicæ detrimētum resultat, multi .n. auaritia moti, facultates, ætatem, & ingenia inutiliter consumunt; qua etiam causa de Diocletiano Imperatore refertur, quòd omnes libros, qui de hac arte cōscripti erant, ad se adduci curauit, & in publico theatro comburi iussit. Satis pro nostro instituto. Cæterùm Benigne Lector, si aliquid boni in his deprehenderis, ad Dei gloriam omnia rependas, à quo est omne bonum; si mali, vel insulsi, miseræ Conditionis humanæ fragilitati compatere; Errata ex Typis emergentia patienter corrige; & si aliquid sensui Communis Ecclesiæ dissonum reperies, scias inaduertēter, & præter intentionem accidisse, cuius cēsuræ, & meipsum, & omnia mea dicta submitto.

F I N I S.



INDEX

DISPVTATIONVM, ET DVBIORVM.

Circa Libros de Cœlo, & Meteoris.

DISPVTATIO VNICA DE COELO. 1.

Dubium

DISPVTATIONES

Ad Libros Meteorum Attinentes.


DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.



Erràtã

Errata potiora sic corrigenda.

Primus numerus significat paginam, Secundus columnam, Tertius lineam.

Errata	Correcta
naturales, pagina 5. column. 2. linea 10.	naturalis
oequeat, 5. 2. 23.	nequeat
sequentes, 21. 2. 8.	sequens
ob ortu, 49. 1. 25.	ab ortu
ineas 49. 1. 35.	lineas
partiu, 51. 2. 24.	partium
repetitur, 53. 2. 35.	reperitur
affoctum, 72. 2. 20.	effectum
exactionem, 78. 1. 31.	exactiorem
Thom. 79. 1. 1.	Them.
principium, 100. 1. 35.	Principum
principium, 100. 2. 7.	Principum
intentionem, 105. 2. 4.	intentiorem
effectiui, 107. 2. 24.	effectui
leuiori, 216. 1. 24.	leuioris
species, 116. 2. 31.	specie
remonum, 119. 1. 9.	remotum
cōmmesto, 123. 1. 2.	commestio
mouetur, 123. 2. 12.	mouentur
tegro, 126. 1. 1.	tergo
permixtas, 130. 2. 10.	permixtus
gratium, 133. 1. 6.	gratia
aduersarij, 134. 1. 5.	aduersari
disperatio, 145. 1. 9.	disparatis
probalius, 145. 1. 14.	probabilius
Dubium Secundum, 185.	Dubium Primum
115.	215.
116.	216.
repugnas, 192. 2. 24.	repugnans
elementarum, 162. 2. 32.	elementorum
inflammaretur, 169. 1. 16.	inflammetur
condedimus, 170. 1. 3.	concedimus
exultat, 175. 1. 32.	exulat
puluetis, 178. 2. 13.	puluis
plucrat, 202. 2. 30.	plucrat





